UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Tomus ...

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lugduni, 1652-1663

urn:nbn:de:hbz:466:1-80586

Visual Library

Th. 862a.

G VIII
14.

ESCOBAR
Theol Mor
Tom III. IV.
F. IV.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

R. P. ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE

Lite Sententiæ nec-non Controuersæ Disquisitiones,

VOLVMEN QVARTVM.

DECALOGI PRÆCEPTA.

Octo Libris de Religione, de Iuramento, de Voto, de Festorum obseruatione, de Homicidio, de Luxuria, de Furto, de Detractione, de Iudicio temerario &c. Materias discutio.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,
Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXIII.
CVM APPROB. ET PERMISSV.

BAR
Mor:
I. IV.
IV.

Escob
Theol
Tom: II
E

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR

ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis Jesv Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE VLLA NOVITATIS NOTA DECISIONES.

Hinc Doctoris nec-dum Canonicis Diplomatibus,

VOLVMEN QVARTVM.

DEGALOGI TRACTATVS.



LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD,
PETRI BORDE, ET CVILL. BARBIER.

M. DC. LXXII.

CVM APPROB. ET PERMISSV.

EXCELLENTMO D. D. PETRO

CARRILLO DE ACVÑA COMPOSTELLANO

Archiepiscopo, Regni Galleciæ Gubernatori, ac Generali Duci.

ANTONIVS DE ESCOBAR & Mendoza è Societate IESV, perpetuam felicitatem.

QVI *librum condit,* (canebat Græcus Menander) *prius debet tutelarem adire Diuum, quam opus luci dedat.* Non est equidem facile auctoritatem nouis libris dare, nisi magnus adsit, benignusque Mecænas: nec cordatus est, qui sine protectore audit inter tot Aristarchos in publicum prodire. *Ille autem* (pergit Poëta) *ad protegendum aptus erit, qui maiestate generis, comitate morum, ac potentia præstare videbitur.* Ergo felix admodum mihi fortuna tecum est. ILLVSTRISSIME ANTISTES, PRINCEPS

EXCELLENTISSIME, quis enim Mecænas meo Volumini tuendo potior esse potest, quàm ille, in quo agnata maiestas elucet, morum eminet comitas, & militaris potentia exsplendescit.

Magna quidem Tibi maiestas est ducta ab auis, atauísque amplissimis. Tuæ præclarissimæ familiæ Carrillorum & Acunharum. Heroës totam Hispaniam & litteris, & armis nobilitarunt. Testor egregios Principes, qui Hispanicum orbem aut moderantur, aut exornant! Tot eruditissimos Viros in supremo Prætorio Iustitiæ, & Camerę collocatos. Strenuos Milites, qui Militarium Ordinum stemmatibus insigniti feliciter dimicarunt. An aliena laudo, cum auos, atauósque tuos commendare pergo? Profecto nemo dixerit aliena à Christo Domino esse, quæ Matthæus latè recenset; cum Patres optimos, Reges maximos, Ducesque strenuos commendat ab Abrahamo ad Nathanum vsque (cap. 1. v. 1.) priusquam illud adiiciat, *Natus est Iesus*: scilicet (Paulino epist. 10. teste) *Dignum erat, vt vnus in cœlo Dei Filius, etiam in terris illustrium virorum sibi apices vindicaret.* Cum autem *sanguinis nobilitas in actibus rutilet* (vti aiebat Ausonius) illæ quidem in Te ostendunt Nepotem tantum ab auita maiestate non defeciisse.

At sciens laudem ab auita Domo ingestam minus Tibi placere, qui virtutem colis seueriorem: ad *Comitatem morum* celebrandam, me

recipio. Inter alia, quibus Pontifex ſuum tuetur munus, veritas eſt, ac bonitas. Ad iuſtitiam veritas, ſpectat, bonitas ad ſanctitatem. *Pones*, inquit Deus, *in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem.* Exo.28.v.30. Hoc, PRÆSVL EXCELLENTISSIME, deiſcito tua virtus conſtat. Nihil enim Deus iubet, quod tuos in mores non tranſcripſeris. Norunt Valliſoletani, quid & Veſpertinus, & Primarius legum Interpres egeris: quid Canonicus Pœnitentiarius, quid Vicarius Generalis, & Ordinarius plurimorum Præſulum apud S. Inquiſitionis Tribunal Illuſtriſſimi Sanctæ Crucis Collegij alumnus præſtiteris. Nouit Roma, apud quam auguſtiſſimo Rotæ tribunali per aliquot annos Iuris publici, ac priuati tuitus es inter diuerſas totius orbis Nationes. Nouit Valliſoletanum Regium Tribunal, cuius Præſidem omnium plauſu geſſiſti. Cognouit Salmantica, quæ Te illuſtriſſimum fuit venerata Præſulem. Videt Compoſtella, quæ tam egregio nunc Archiepiſcopo exultat. Nec miror, Te non vno tantum loco Præfectum hominum ſediſſe, ſed ab vna aliam in ſedem tranſmeaſſe feliciter: vt quæ vno latebant in angulo virtutum dotes, inſpicerent intimi homines plurimi, & Iudices, ac Præſules haberent quem poſſent imitari. In cunctis enim, quæ geſſiſti, muneribus (vti Panegyriſtes de Olibrio canebat) *Actus priores in Te repetitus honor commendat.* Eo reſpe-

ctu Deus Abrahamum de Charris in Chananæam, è Chananæa in Ægyptum, ex Ægypto in Terram promissam manuduxisse, multisque hominibus ostentasse visus est, vt eis patefaceret tanti viri pietatem, ac religionem, quod Theodoreto placuit. Profecto ab vno loco in alium *benefaciendo pertransisti*, non *ditior*, sed *gloriosior*, quod Isocrates suo in Demonico laudat. *Scio* (ait Apostolus) *abundare*. Philip. 4. v. 12. Exponit Anselmus, *Qui non solus possidet, quod accepit, sed tum indigentibus misericorditer dividit, ille scit abundare*. O quantum hac in scientia profeciſti! Bene norunt, qui pauperum greges à tuis foribus quotidie alacres, & onustos abire prospectant. Nouit & Compostellanum Collegium nostrum, cuius egestati sine intermissione succurris.

Si denique in Mecænate *Potentia*, debeat explendescere: *gentilitiam, ac matricem Familiæ tuæ* (vt cum Tertulliano loquar) *militarium gloriam repræsentas*. Habent enim hoc præclara ingenia, & excellentes naturæ, vt occasione pulsante, virtutes prorumpant in patrias. Videt Te Galleciana acies tam peritè Imperatorem agere, vt non tam sub leni insula, quam sub dura galea consenuisse videreris. Gloriosè quidem, vt qui solitus eras mentes aduersus inuisibiles hostes efformare, aduersus visibiles etiam exercitum instrueres. Quod de vno Iosue sapiens canit Eccles.

cles.46. *Gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & iactando contra ciuitates romphæas: stare contra hostes, & prohibere gentes à peccatis.*

Cum igitur PONTIFEX EXCELLENTISSIME, optimi Mecænatis impleas proprietates, non erit iam, qui me Tui patrocinij concepta spe beatum deneget. Tuo itaque exuberanti fulgore in fonte mei voluminis effulgente, beneuolas mentes exhilarandas, & prauas ac inuidas exurendas non dubito. Meum autem quale quale officium hoc opto quantum habeat, non propter me, qui nihil sum, sed ob Societatem Tuam, per quam & non nihil iam, & Tuum, me profiteor.

Facultas

Facultas P. Prouincialis Societatis IESV Prouinciæ Caſtellanæ.

PETRVS Pimentel in Prouincia Caſtellana Societatis IESV Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à R. admodum P. Noſtro Goſuinio Nichel Generali Præpoſito, facultatem facio vt *Tomi 4. 5. 6. & 7. Theologiæ Moralis à P. Antonio de Eſcobar Theologo eiuſdem Societatis* compoſiti, grauium Doctorumque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo munitas dedimus Vallisoleti die 1. Octobris anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIO.

R. P. *Antonij de Eſcobar Societatis IESV Tomos Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, & Septimum vniuerſæ Theologiæ Moralis* attente perlegimus nos infra ſcripti facultatis Pariſienſis Doctores Theologi nihilque in illis occurrit, quod non ſit planè conſentaneum tum fidei Catholicæ, tum probis moribus; adeoque luce publica dignos. Actum Lugduni die 9. Februarij 1663.

Fr. CYRILLVS MOREL *Carmeli Lugd. Prior.*

Fr. STEPH. MOLIN *Carmelita.*

Approbatio Ordinarij.

CVm hos quinque Tomos, nempe *Tertium, Quartum, Quintum, Sextum & Septimum Vniuerſæ Theologiæ Moralis*, quorum Author eſt *R. P. Antonius de Eſcobar Societatis IESV*, ſe attentè perlegiſſe ſuprà nominati Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi teſtentur, nihilque in illis deprehendiſſe, quod non ſit planè conſentaneum tum fidei Catholicæ tum probis moribus. Idcircò quinque præfatos Tomos typis mandari & in lucem prodire non abnuimus Lugduni die 15. Februarij 1663.

DE-NEVF-VILLE *Abbas S. Iuſti Vic. Gen.*

Conſenſus Procuratoris Regij.

LIbrum inſcriptum R. P. Antonij de Eſcobar, & Mendoza Societatis IESV Theologi, *Theologia Moralis*, typis mandari & in Lucem edi, Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, GVILLELMI BARBIER, Bibliopolarum Lugdunenſium, Ego Regis Conſiliarius & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, non impedio. Datum Lugduni die 16. Februarij 1663.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis Conſenſu, Librum huncce typis mandari à prædictis Bibliopolis Lugdunenſibus, concedimus, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuo excudat inhibemus, Datum Lugduni. Die 20. Februarij 1663.

DE SEVE.

INDEX

INDEX
CAPITVM ET PROBLEMA-tum, quæ in hoc Quarto Tomo continentur.

LIBER XXVIII.

Decalogi Præceptum primum. pag. 1.

SECTIO I.

*De primo Decalogi Præcepto, Receptiores absque lite Sententiæ. p.*2.

Cap. 1. DE virtutis Religionis essentia ibid.
2. De Oratione vniuersim. ibid.
3. De horis Canonicis nonnulla præmitto. p.4
4. De iis, qui horas Canonicas priuatim recitare tenentur. pagina 5.
5. De officio, quod Clerici, Beneficiati, & Religiosi recitare tenentur. p.7
6. De modo quo officium Canonicum est recitandum, vt satisfiat præcepto. ibid.
7. De tempore, ordine, loco, corporis habitu, ac situ ad diuini officij recitationem. p.8
8. De Peccato non recitandi officium aut partem omittendi. p.9
9. De causis excusantibus ab officij Canonici recitatione. ibid.
10. De restitutione gerenda ab iis qui culpabiliter officium Canonicum omittunt. p.10
11. De oratione publica seu facta in choro officij Canonici recitatione. p.11
12. De causis excusantibus Beneficiatum à choro, vt non obstante illius absentia distributiones lucretur. p.13,
13. De Adoratione. p.16
14. De Sacrificio. p.19
15. De vitiis virtuti Religionis oppositis ac primum de Superstitione p.20.
16. De Idololatria. ibid.
17. De Diuinatione. p.21
18. De Magia. p.22
19. De Maleficio. pag.23
20. De Vana obseruatione. p.24
21. De Blasphemia. p.26
22. De Tentatione Dei. p.27
23. De Sacrilegio. p.28

SECTIO II.

*De Præcepto primo Decalogi Problemata. p.*30.

Cap. 24. CIrca orationem in communi. ibid.
Probl. 1. Religio, qua Deus colitur distinguitur, & non distinguitur à Religione, qua sancti coluntur. ibid.
2. Possumus, & non possumus animabus Purgatorij nos commendare, & ad illas orationem fundere pag.31.

3. Animæ in purgatorio commorantes possunt, & non possunt pro nobis orare. ibid.
4. Vt infallibiliter à Deo impetremus, quod postulamus, necessarium, & necessarium non est, vt vt pro nobis ipsis ea oratio fiat. ibid.
5. Stantibus quatuor conditionibus, quas D. Thom. requirit ad orationis efficaciam, Deus petita ex iustitia concedit, & non concedit ex iustitia. p. 32
6. Oratio oblata pro pluribus quoad impetrationem prodest, non prodest æquè singulis ac si pro singulis offerretur. ibid.
7. Præceptum orationis obligat, & non obligat, cum per contritionem aut Sacramentum ad gratiam nos volumus disponere. ibidem.
8. Cum primum rationis incipit vsus tenemur, & non tenemur oratione vti. p. 33
9. Præceptum orationis instat, & non instat, cum ex obligatione Sacrum audimus. ibid.
10. Qui orationem omittit, quando orare tenetur, peccat, & non peccat, contra Religionem. ibidem.
Cap. 25. Circa priuatam horarum Canonicarum recitationem. ibidem.
11. Episcopus potest, & non potest imponere obligationem recitandi hors Canonicas Clericis solum in minoribus constitutis. ibid.
12. Beneficium, cuius fructus exigui sunt, obligat, & non obligat ad horarum recitationem. p. 34.
13. Si Beneficiarius impediatur per vim, vel fraudem à consecutione fructuum Beneficij, est, & non est obligatus, hoc titulo horas recitare. ibid.
14. Si vigeat in aliqua Ecclesia consuetudo vt primo, vel secundo anno possessionis Beneficij nullus fructus Beneficiatus acquirat neque post mortem illi reseruentur, debet & non debet eo tempore horas recitare. p. 35.
15. Solus titulus Beneficij cum spe possessionis, & fructus, sufficit, & non sufficit ad inducendam recitandi obligationem. ibid.
16. Ad inducendam recitandi obligationem necessarium est, & non est, possessionem Beneficij esse pacificam. p. 36.
17. Habens Beneficium iniustè, vel impediens iniustè alium ab illius possessione tenetur, & non tenetur horas recitare. ibid.
18. Religionum consuetudo recitandi horas Canonicas, obligat, & non obligat sub graui piaculo Religiosos, & moniales, ne illas omittant. ibid.
18. Religiosus ex dispensatione Pontificis extra claustrum degens tenetur, & non tenetur horas recitare, si dispensatio in perpetuum sit. p. 87.
19. Tenentur, & non tenentur recitare Religiosi eiecti, fugitiui, & ad triremes damnati. ibid.
20. Ordinatus ad titulum patrimonij potest, & non potest officium recitare, secundum formam quæ illi magis libuerit. ibid.
21. Pij V. & Clementis VIII. præceptum sub graui pœna obligat, & non obligat, diebus singulis iuxta formam Breuiarij Romani recitare, p. 38
22. Potens recitare alia formula præter ea quæ Breuiario Romano præscribitur, potest & non potest illa omissa, per Breuiarium Romanum recitare. ibid.
23. Si Clericus Beneficiatus Mediolanensis, vbi Breuiarium Ambrosianum viget, Romam pergat, tenetur, & non tenetur, inibi, non Romano, sed Ambrosiano vti. ibid.
24. Religiosi exẽpti vtentes Romani Breuiarij formula possunt, & non possunt sese in Diœcesanis festiuitatibus conformare, omisso officio feriæ, vel sancti, quod à Romana Ecclesia illa die præscribitur. p. 39
25. Episcopus potest, & non potest constituere, vt omnis Clerus suæ Diœcesis festiuitatem alicuius sancti celebret, cum iuxta Breuiarij Romani Rubricas de alio sancto, vel de feria erat recitandum. ibid.
26. Satisfacit, & non satisfacit præcepto recitandi, qui die de quo recitandum est de feria, recitat de Diuo, & è contra. p. 40
27. In

27. Interrumpere officium absque causa extra chorum, est & non est mortale. ibid.
28. Mortale est, & mortale non est, missam dicere priusquam matutinum recitetur. p. 41
29. Obligatus horas Canonicas recitare tum ratione Ordinis, tum ratione Beneficij, tum Religiosi Ordinis causa perpetrat omittés. & non perpetrat tria peccata. ibid.
30. Subdiaconi & Diaconi tenentur & non tenentur horas recitare, sola ex antiqua consuetudine, quæ vim præcepti habet. ibidem.
31. Subdiaconus suæ ordiniationis die, tenetur, & nõ tenetur totum diuinum officium recitare. p. 42
32. Subdiaconus die, qua in sacris constituitur, tenetur & non tenetur vllas illius diei horas recitare. ibid.
33. Si quis, subdiaconatu susceptо, nequeat ob carentiam Breuiarij, aut alias ob causas recitare officium, tenetur, & non tenetur alias preces æquiualentes persoluere. p. 45
34. Peccant, & non peccant lethaliter Clerici in sacris constituti, qui diuinum officium cum voluntaria mentis euagatione recitant. ibid.
35. Recitans priuatim officium debet & non debet, ita illud exprimere, vt se ipsum exaudiat. ibidem.
36. Officium sola mente recitans satisfacit, & non satisfacit obligationi. p. 44
37. Regulares ex speciali priuilegio possunt & non possunt priuatim totum diuinum officium mentaliter exprimere. ibid.
38. Longissima diuini officij interruptio absque causa gesta, est, & non est lethalis. ibid.
39. Vaniale est, & non est veniale dicere matutinum vespere, & laudes sequentis diei aurorã, etsi honesta causa non adsit. pagina 45
40. Recitandi officium canonicum obligatio incipit & non incipit à media nocte antecedentis diei, & vsque ad mediam noctem diei subsequentis producitur. ibidem.
41. Hora secunda post meridiem terminata, dictisque vesperis, & Completorio potest quis, & non potest statim recitare matutinum & laudes diei sequentis. ibidem.
42. Vt pridie possit quis Matutinum & laudes licite recitare, requiritur & non requiritur, aliqua honestans causa. p. 46
43. Incipit quis hodiernum officiũ paulo ante mediam noctem sequentis diei recitare, & post perfectam mediam illam noctẽ prosequitur & absoluit hoc implet & non implet recitandi præceptum. ibid.
44. Veniale, & non est veniale horas recitare, dum necessitati corporeæ miseriæ das operam succurrendæ. p. 47
45. Mortale est, & non est mortale longius officium in breuius commutare (v.g.) officium de feria aut de sancto in perbreue de Resurrectione officium. ibid.
46. Qui citra contemptum vna vel altera die omittit officium recitare, delinquit lethaliter, & lethaliter non delinquit. p. 48
47. Peccat, & non peccat lethaliter, qui vnam integram horam omittit recitare. ibid.
48. Omittens priuatim recitare litanias Rogationum diebus, perpetrat & non perpetrat mortale piaculum. p. 49
49. Mortale est & mortale non est Litanias D. Marci solemniter nõ recitare. ibid.
50. Delinquit & non delinquit lethaliter, qui secunda Nouembris die officium defunctorum non recitat. p. 50
Cap. 26. Circa causas quæ à recitatione horarum priuata excusant. ibid.
Problem. 51. Degradatio eximit, & non eximit Clericum à recitandi horas obligatione. ibid.
52. Qui ob ægritudinem, aut superuenientem occupationem haud potest totum officium recitare: tenetur, & non tenetur, illius partem dicere. pag. 51.

53. Si Medicus dubius est, num æger maiorem officij partem possit sine graui incommodo recitare, debet, & non debet ille recitationi illius maioris officij partis dare operam. ibid.

54. Qui caret visu, aut Breuiario, memoriter autem fideliter tenet maiorem officij partem tenetur eam recitare. ibidem.

55. Impotens est quis recitare, solus, potest tamen cum socio, quem habet ad manum, tenetur hic, & non tenetur officium dicere. p. 52

56. Sciens vespere impediendum se esse à recitatione, tenetur, & non tenetur mane recitare. ibidem.

Cap. 27. Circa pœnam non recitanti priuatim Beneficiato appositam. ibid.

57. Primo semestri beneficiatus habet, & non habet restituendi fructus aliquam licet non ita rigidam obligationem, horas omittens. ibid.

58. Omittens vno, vel ultero die horas Canonicas tenetur, & non tenetur, aliquid restituere. p. 53.

59. Qui possidet tenue Beneficium, & partem notabilem alicuius horæ omittit, tenetur, & non tenetur aliquid restituere. ibidem.

60. Omittens partem leuem alicuius horæ, tenetur, & non tenetur, aliquid restituere. p. 54.

61. Quis partem leuem singulis in horis omittit, cuius omissio comparatione totius officij dici grauis quantitas censeri potest: hic obligatus est, & non est obligatus restituere. ibidem.

62. Recitans sine vllo attentione, tenetur, & non tenetur, restituere. ibid.

63. Excusatur, & non excusatur beneficiatus ab integra, ob horarum omissionem restitutione, si Beneficium alia munera habeat annexa, nempe curam animarum. p. 55

64. Pensionarius, & Beneficiatus simplex, cui nullum onus est annexum præter horarum recitationem, potest, & non potest, aliquos fructus retinere ob obligationem ad deferendum habitum; & tonsuram. ibid.

65. Distributiones quotidianæ & grossæ fructus quos Canonici amittunt ob omissam priuatam recitationem, sunt, & non sunt applicata mensæ Capitulari, sicut sunt applicata ob non residentiam. ibid.

65. Beneficiatus non recitans, potest, & non potest sibi applicare fructus, si vere sit pauper, pag. 56.

66. Pensionarius non recitans Officium paruum Deiparæ potest, & non potest à beneficiario pensionem accipere, potest, & non potest ipse beneficiatus eam retinere. ibidem

Cap. 28. Circa publicam in choro Horarum Canonicarum celebrationem. ibid.

67. Episcopus tenetur, & non tenetur, diuinum officium in Ecclesia persoluere. ibid.

68. Parochus ratione sui officij, tenetur, & non tenetur officium diuinum publicè recitare. pagina 57.

69. Præbendatus, vt absit à choro, cedit distributionibus, nec ob eius absentiam officium dimittitur, nec sine debita decentia celebratur: Hic quidem choro non assistens peccat, & non peccat lethaliter. ibid.

70. Præbendatus choro assistens quomodocumque, sine attentione, lucratur, & non lucratur distributiones assistentibus concessas. p. 58

71. Præbendatus, submissa voce suam partem recitans, vel non recitans, sed attendens solum ad partem, quam alter recitat chorus, lucratur, & non lucratur dimidiam distributionum partem. p. 59

72. Qui suam partem canit, & percipere non potest quam alter concinit chorus, debet, & non debet supplere priuatim eam partem, vt possit integras distributiones percipere. ibid.

73. Capitu-

73. Capitulum percipiens distributiones, quas Præbendatus absens percepturus erat, si choro adesset, tenetur, & non tenetur soluere pensionem, & charitatiuum subsidium, quæ præbendæ distributionibus imposita sunt. ibid.
74. Præbendati infirmi & impediti, & in vtilitatem Ecclesiæ occupati, lucrantur, & non lucrantur distributiones illas, quas absentes amittunt, ac si personaliter residerent. p. 60
Cap. 19. Circa causas excusantes Præbendatum à choro, vt non obstante illius absentia, distributiones lucretur. ibid.
75. Grauis infirmitas in Præbendato, qui ante illam choro non solebat interesse, eum efficit, & non efficit præsentem, vt fructus, distributiones percipiat. ibid.
76. Præbendatus qui extra locum residentiæ infirmatur, lucratur, & non lucretur, distributiones, cum ex legitima causa abest. p. 61
77. Excommunicatus vitandus fructus, & distributiones officio respondentes lucratur, & non lucratur, si horis celebrandis interfit. ibid.
78. Qui vacans euidenti sua Ecclesiæ vtilitati, extra locum Beneficij existens, lucratur, & non lucratur distributiones. ibid.
79. Fructus & distributiones debentur, & non debentur Præbendato, qui occupatur in negotiis euidentem Ecclesiæ vtilitatem importantibus, si negotia extra officij tempus valeant rectè expediri illo vero tempore officij celebrãdi expedit. p. 62
80. Præbendaits committuntur Ecclesiæ negotia Matutino tempore expedienda, ille verò tunc propria gerit negotia, Ecclesiæ negotia vespere expediturus: Hic nullas lucratur, hic aliquas lucratur distributiones. ibid
81. Canonici qui præsente Pœnitentiario, designantur in illius adiutorium ad confessiones audiendas ob pœnitentium multitudinem: lucrantur, & non lucrantur distributiones Officiis diuinis adstanti designatis. pagina 63.
82. Episcopus potest, & non potest ex Ecclesia Collegiata assignare suo seruitio non solùm duos, sed plures Canonicos, qui fructibus præbendæ fruantur, etiamsi choro non interfint. ibidem.
83. Priuilegium percipiendi fructus in absentia concessum Pontificis familiaribus; extenditur, & non extenditurad familiares Cardinalium, & Legatorum. ibid.
84. Priuilegium percipiendi fructus in absentia extenditur, & non extenditur, ad eos, qui in seruitio, seu officijs Regijs, vel Supremi Principis occupantur. p 64
85. Studentes Theologiam, seu ius Canonicum, in studio generali, aut celebri Vniuersitate, vt lucrẽtur fructus; debent, & non debent petere ab Ordinario licentiam. ibid.
86. Obtinentes Parochiales Ecclesias possunt, & non possunt ex Ordinarij facultate à suis Ecclesiis studij causa abesse fructúsque lucrari. ibid.
87. Tempus à iure concessum studentibus potest & non potest ad septennium extendi. p. 65
88. Si Beneficium constat ex distributionibus quotidianis solũ: eas lucratur, & non lucratur absens studij ratione. ibid.
89. Episcopus ad breue tempus, & ex causa aliqua rationabili potest, & non potest priuilegium cõcedere vt quis valeat à residentia chori excusari, & distributiones inabsentia consequi. p. 66
90. Ex Ecclesiæ statuto à fundatore facto potest quis, & non potest excusari longiori trium mensium tempore ab horarum Canonicarum assistentia, & nihilominus fructus, ac distributiones lucrari. ibid.
92. Ex statuto facto à Capitulo, vel ab Episcopo ex Capituli consensu potest præbendatus, & non potest, vltrà tres menses choro abesse, & tamen distributiones tempore absentiæ respondentes percipere. pagina 67.

93. Potest, & non potest ex consuetudine introduci, vt interessentes diuinis officijs, nullas distributiones lucrentur. ibid.
94. Si Capitulũ, antequam diuidãtur distributiones, mandet alicui Canonico donari eas, quę amiserat: poterit, & non poterit eas accipere. p. 68
95. Inualida est, & non est remissio, quam Canonici faciunt ei, qui ob absentiam à Choro distributiones iam amisit. ibid.
Cap. 30. Circa Vitia Religioni oppositа, ac primum circa Superstitionem. p. 69
96. Superstitio est, & superstitio non est, die Dominica ieiunare. ibid.
97. Veniale est, & veniale non est, die Dominica semper ieiunare, cum nec oboritur scandalum nec adest error, sed propter aliquem bonum finem. ibid.
98. Vouens ieiunare die in qua incidit festum aliquod (ex. gr.) Annunciationis, si id incidat, potest, & non potest ipsa die Dominica ieiunare. ibid.
99. Diuersi Donationis modi constituunt & non constituunt diuersas in genere moris species necessario fatendas. p. 70
100. Est, & non est differentia specifica necessariò fatenda inter dœmonis tacitam, & expressam inuocationem. p. 71
101. Omnis diuinatio siue tacita sit siue expressa, pertinet, & non pertinet ad superstitionem. ibidem.
102. Agendum est, & agendum non est, quod assolet dœmon in energumenis vel alibi apparens bonum consuluerit. ibid.
103. Licet & non licet, ex Astris futura, & occulta prædicere non certo, sed probabiliter tantùm p. 72.
104. Ex Astris futura contingentia probabiliter prædicere, non certo est, & non est motu proprio Sixti V. interdictum pro foro interno. ibid.
105. Dubia hæc tenuissima futurorum contingentium prædictio, est & non est pro foro externo in motu proprio Sixti V. contenta. p. 73.
106. Illi, quos Zahories vocitant, possunt, & non possunt absque arte dœmonis ea videre, quæ se affirmant aspicere. ibidem.
107. Cum duo, æquali electorum numero, ad Beneficium electi sunt, licet, & non licet, electionem alterutrius sortibus diuisorijs terminare. 74
108. Licet, & non licet sortibus diuisoriis vti, ad terminandas lites inter Clericos circà electionem ad Beneficium, vel officium Ecclesiasticum. P. 75
109. Iure naturali interdicuntur, & non interdicuntur iure naturali, sortes diuisoriæ in electionibus Ecclesiasticis. ibid.
110. Electio ad Ecclesiastica officia per sortes diuisorias est, & non est ipso iure irrita. p. 76
111. Sortes Consultorię sunt, & non sunt licitæ. ibid.
112. Lata est, & lata non est excommunicatio aduersus Clericos sortibus diuinatorijs vtentes. ibidem.
113. Astrologi, & diuinatores tenentur, & non tenentur pretium pro diuinatione acceptum restituere, si res non euenit. p. 77.
114. Si quis innocens ab iniquo Iudice damnaretur, vt vel in duello pugnaret, quo se ab obiecto crimine purget vel mortem subeat, sine superstitionis periculo potest, & non potest duellum acceptare. ibid.
115. Stryges verè, & non verè alia in loca ad nocturnos conuentus corporaliter transferuntur. p. 78.
116. Superstitio vanæ obseruantiæ, cum solum est pactum cum dœmone implicitum seu tacitum, potest, & non potest esse venialis ex materiæ paruitate. pagina 79.
117. Licet, & non licet sanctorum Reliquias collo gestare. ibidem.
118. Peccatum admissum gestando Reliquias in collo, si id non sit directe contra cultum eis debitum, habet, & non habet specialem

cisdem malitiam necessario fatendam. p.80

119. Vsus excusat, & non excusat a superstitione scindentes venas iumentorum in alicuius sancti solemni, aut colligentes herbas, aut alia similia gerentes. ibidem.

120. Permittendæ sunt, & non sunt permittendæ fœminæ carminatrices, vulgo, *Ensalmadeiras*, ô *Santiguadoras*. pagina 81.

121. Missæ illæ, quæ de Amador, aut Diu. Gregorij vocitantur, continent, & non continent superstitionis suspicionem. ibidem.

122. Quando ex circumstantiis deprehendi nequit, an effectus ex bono an ex malo Angelo, an ex causa naturali procedat; iudicandum est; prouenire à dœmone, & non iudicandum est, à dœmone, sed à bono Angelo, aut à causa naturali procedere. p. 82.

123. Damnandum est, & non est damnandum Salutatorum munus. ibid.

124. Virtus Salutatorum licite id munus obeuntium, naturalis est, & non gratia gratis data: gratia est gratis data, & non vis naturalis. p.83

125. Superstitiosus est, & non est, vsus imaginum, numerorum, & figurarum Astrologiæ artificialium ad quosdam miros effectus. ibidem.

126. Superstitiosus est, & non est Alchimiæ vsus, ad verum aurum, & argentum ex inferioribus metallis conficiendum. pagin. 84.

127 Licet, & non licet, à maleficio ad soluenda maleficia maleficio parato, id petere. ibid.

128. Licitum est, & non est licitum, maleficum minis cogere, vt maleficium soluat. 85

129. Quando maleficus nescit medium licitum, & illicitum maleficij soluendi, integrum est & non est, absolutè ab eo maleficij petere dissolutionem. ibidem.

130. Licet, & non licet, maleficij signum destruere, ad obtinendam sanitatem. p.86

131. Licet, & non licet adiuratori, præcipere dæmoni superiori, vt inferiorem è corpore pellat. Vbi plura de Adiuratione. ibidem.

132. Ex curiositate, aut leuitate res vanas & inutiles dœmonem in energumeno existentem interrogare, lethale est & non est lethale, sed veniale solummodo. p.87.

134. Superstitiosum est, & non est, signum à dœmone petere quo testetur, se à corpore energumeni exire, & tanquam esse redituru m. p.88

135. Est, & non est superstitiosum. flagellis, & alapis dœmoniacum percutere. ibid.

136. Sapit, & non sapit superstitionem, fumo hypericontis, rutæ, cornuum, stercorisque caprini dœmoniacum ab Exorcista difatigari. p. 89.

137. Licet, & non licet Exorcistis conuiuere petitioni dœmonis ab obsessi corpore agressuri. ibidem.

138. Superstitio est, & non est lethalis, irrationales creaturas nocentes fructibus vanè adiurare. ibidem.

139. Superstitiosum est, & non est irrationabilibus animalculis litem excitare, ne sententia lata aduersus ea, fructibus noceant. p. 90.

140. Episcopus ex Tridentini facultate, potest, & non potest, Sancti alicuius antiqui nondum Canonizati Reliquias approbare, vt publice venerentur. ibidem.

141. Tridentini decretum prohibet Reliquiarum venditionem, prohibet amplius quam venditionem earum simoniacam, & non amplius quam simoniacam venditionem prohibet. pagina 91.

142. Sacrilegum furtum est, & non est furtum sacrilegum, furripere Reliquias, authoritate eius Præfecti Ecclesiastici, cui locus Sacer, & Reliquiarum custodia commissa est. ibid.

143. Lata est,& non est lata, contra Reliquiarum fures excommunicatio. ibid.
144. Clericis in minoribus constitutis licet,& non licet Reliquias tangere, aut contrectare. pagina 92.
145. Licet, & non licet omnibus Clericis Minorum Ordinum,vasa sacra, vbi Reliquiæ Diuorum includuntur, in processionibus deportare. ibid.
146. Excommunicationis pœnam incurrit,& non incurrit, qui Reliquias, quas Agnos Dei vocitant, vel ratione materiæ venales exponit. ibid.
147. Sine leui saltem præculo laici possunt, & non possunt Agnos Dei tangere. p.93
Cap. 31. Circa Tentationem Dei ibidem.
148. Tentat, & non tentat Deum, qui miraculoso effectu vult, vt Deus suam voluntatem manifestet circa aliquem futurum euentum. ibid.
149. Tentatio interpretatiua aut virtualis Dei absque infidelitate contingens,potest, & non potest venialis esse culpa, ex materiæ paruitate. ibidem
150. Purgatio, seu probatio illa innocentiæ in qua dabatur Eucharistia suspectis de crimine, vt illa sumpta se immunes esse à crimine ostenderent: per se licita est per se non est licita. pagina 94.
Cap. 32. Circa blasphemiam. pagina 95.
151. Dictum contumeliosum debet, & non debet falsitatem continere ad Blasphemiæ rationem. ibid.
152. Blasphemia potest, & non potest in solis factis,& signis adesse. ibid.
153. Blasphemia in Deum differt, & non differt specie à Blasphemia in Diuos. ibid.
154 Omnes blasphemię in ratione Blasphemiæ differunt specie, & specie non differunt. p.96
155. Explicanda est, & non est in Confessione blasphemiarum diuersitas,vel in Deum, vel in Diuos. ibid.
156. Hæreticales blasphemiæ sunt, & non sunt hæ: *Denego Deum, Denego Crucem, Denego Euangelia*, cum non absolutè, sed conditionatè quis profert eas, ad alicuius rei testificationem, v.g. *Denego Deum, si ita non est.* pagin 97.
157 Hæc propositio: *Hoc est verum sicut Deus est in cœlo,vel natus ex Virgine, Credi potest sicut Euangelium*: blasphemia est, & non hæreticalis. ibid.
158. Hæc propositio: *Regeno D. Petrum, Antonium*, &c. est, & non est hæreticalis blasphemia. ibidem.
159. Hæc propositio, aut iuramentum: *Per vitam Dei, Per vitam D. Petri*: est, & non est blasphemia. ibidem.
160. Blasphemia est, & non est blasphemia creaturarum maledictio. p.98
161. Blasphema sunt, & non sunt blasphema iuramenta, *Per corpus Dei, Per Dei sanguinem, per caput, per capillos, per pedes.* ibidem.
162. Iuramentum per intemeratam Deiparæ Virginitatem, est, & non est blasphemia. pagina 99.
163. Blasphemum est, & non est blasphemum omne iuramentum falsum, vel iniustum. ibidem.
164. Præter fraternam correctionem iure naturali requisitam, debet, & non debet audiens blasphemantem reprehendere, siue blasphemus illa obiurgatione corrigendus sit, siue non. ibid.
165. Blasphemus post condemnationem, est, & non est tanquam infamis à testimonio repellendus. p.100.
166. Domini Inquisitores cognoscunt, & non cognoscunt de blasphemiis non hæreticalibus, ibid.
Cap. 33. Circa Sacrilegium crimen Religioni oppositum. p.101
167. Simonia est, & non est Sacrilegium. ibid.
168. Sacrilegium est, & non est sacrilegiũ legatorum retentio. ibid.
169. Furtum,

169. Furtum, & rapina bonorum titulo Ecclesiastico acquisitorum non est Sacrilegium. pagin. 102.
170. Sacrilegium est, & non est Sactilegium cuiuscumque voti violatio. ibid.
171. Irreuerentia in Eucharistiæ Sacramentum est, & non est irreligiositas alia à Sacrilegio distincta. ibid.

LIBER XXIX.

Decalogi Præceptum secundum.

SECTIO I.

De Præcepto secundo Receptiores sine lite Sententiæ. p. 104.

Caput 1. VID, & quotuplex Iuramentum. pagina 104.
2. De Iuramenti Promissoris Obligatione. pag. 106.
3. De Conditionibus requisitis, vt sit licitum Iuramentum. pagina 107.
4. De iis, qui iurare possunt, & quo sensu iurare teneantur. pag. 108.
5. De peccato iurantis ex consuetudine. p. 109
6. De peccato Iuramentum violantis. ibid.
7. De Periurij pœnis. pagina 110.
8. De modis, queis obligatio Iuramenti tollitur. ibidem
9. De Voti essentia. pag. 112
10. De Materia Voti. pagina 113.
11. De Voti Obligatione. pagina 114.
12. De Voto Pœnali. pagina 115.
13. De Voto Conditionali. pagina 116.
14. De personis, quæ possunt vouere. ibidem
15. De modis, quibus votum extinguitur, nempe Irritatione, Commutatione, & Dispensatione. pag. 117

SECTIO II.

De Præcepto secundo Problemata. pag. 120.

Caput 16. CIrca modos ac formulas Iuramentum constituentes. pagin. 120
Problem. 1. Verbum *Iuro*, non exprimendo per quid iuretur, inducit, & non inducit verè Iuramentum. ibidem
2. Ad verum iuramentum opus est, & non est opus, rem in testem adductam esse in se sacram, sed satis est, & satis non est, sacram esse in iurantis existimatione. ibid.
3. Tenetur quis & non tenetur vero iuramento, quando profert verba, quæ re vera iuramenta non sunt verb. grat. Vere faciam hoc, at intendit iurare per illa credens esse iuramentum. pag. 121.
4. Hoc Verbum, *sicut credo in Deum*, vulgò *Como creo en Dios* est, & non est iuramentum. ibid.
5. Verba hæc, *Non credo in Deum*, vel *Abnego Deum*, vel *Non est potestas in Deo, si hoc non est ita*, sunt, & non sunt iuramenta. ibidem.
6. Verba hæc, *Coram Deo ita est*, vel *Deus scit, ita esse*, vel *Deus ita esse videt*, sunt, & non sunt iuramenta: Sed sunt & non sunt æquiuoca. pag. 122
7. Verbum hoc, *Testis est mihi Deus*, est & non est iuramentum. ibidem.
8. Verba hæc: viuit Deus, vel Deus est veritas inter iuramenta sunt, & non annumeranda. ibidem.
9. Hę particulæ *Per meam animam*, vel *In mea anima* iuramenta esse, & iuramenta non esse, reputantur. p. 123
10. Est, & non est iuramentum hęc formula, *In mea conscientia*, vel

Per

Per meam conſcientiam. ibid.
11. Iuramentum eſt, & non eſt hæc formula vulgaris: *Iuro a mi, o por mi.* ibid.
12. Iuramentum eſt, & non eſt fidei interpoſitio illa: *In fide mea. Per fidem meam Regiam, viri boni*, aut *nobilis*: vulgò *A fede quien ſoi, En buena fe. En buena fe iurada.* ibid.
13. Iuramentum eſt, & non eſt hæc formula. *Per meam vitam. Sic Deus me adiuuet.* Vbi de reliquis iurandi formulis haud problematice, iudicium fero. p. 124
Cap. 17. Circa naturam & eſſentiam Iuramenti, & vitia contraria. p. 126
14. Iuramentum Execratorium falſum eſt, & non eſt diſtinctæ ſpeciei neceſſariò in Confeſſione aperiendæ. ibid.
15. Iuramentum de re futura facienda abſque illius promiſſione eſt, & non eſt diuerſum à Iuramento, quo rem illam faciendam quis promitteret. pagin. 127.
16. In ratione Iuramenti, Iuramentum purè Aſſertorium differt eſſentialiter, & non differt à Iuramento Promiſſorio. ibid.
17. Defectus iuſtitiæ in Iuramento aſſertorio mortalis aut venialis non eſt ſecundùm quod narratio confirmata iuramento mortalis, aut venialis fuerit. p. 128.
18. Quando res promiſſa iuſta eſt, & quis tenetur ex iuramento illam exequi peccat, & non peccat lethaliter, illius omittens executionem, quando res promiſſa leuis eſt. ibid.
19. Eſt, & non èſt lethale peccatum extrà iudicium vel contractus firmitatem, iuramentum præſtare in alio ſenſu ab eo quã alius intelligit. p. 129
20. Iurans ſine animo implendi, ſemper peccat mortaliter, & non ſemper mortaliter peccat. ibid.
21. Iurare falſum ſine animo iurandi, eſt, & non eſt peccatum mortale, ſi per iniuriam quis iurare cogatur, & falſitas penitus ſit occulta. p. 130
22. Iurare verum ſine intentione iurandi eſt, & non eſt lethale piaculum. ibid.
23. Lethale eſt, & non eſt lethale iurare quem ſine ſeſe obligandi animo. ibid.
24. Differenda eſt, & non eſt differenda abſolutio ei, qui praua iurandi affectus eſt conſuetudine. p. 131
25. Peccatum mortale eſt, & non eſt peccatum mortale petere iuramentum ab eo, qui paratus eſt, falſum iurare, quando ſibi fuerit expoſtulatum. ibid.
26. Mortale eſt, & non eſt, mortale, iuramentum petere ſine neceſſitate ab Ethnico, qui per falſos deos eſt iuraturus. p. 132
27. Stante aliqua legitima cauſa petendi iuramentum à peieraturo, vel per falſa numina iuraturo: poteſt quis, & non poteſt id licite petere extrà iudicium. ibid.
28. Scis, alium ad iurandum falſum, vel per idola determinatum eſſe, neque licitè iurare velle: poteris & non poteris eius iuramentum expoſtulare dicens: Iura mihi, tametſi falsò iures, vel per falſos Deos. ibid.
29. Sanum conſilium eſt, & non eſt ſanum conſilium, ſi Confeſſarius iurare faciat pœnitentem aliquã pœnam ſubeundam, ſi reciderit. p. 133
30. Periurus priuatur, & non priuatur ipſo iure Beneficiis acquiſitis. ibid.
31. Periurus infamis iuris infamia priuatur, & non priuatur ipſo iure Beneficiis acquirendis. ibidem.
32. Periurium, per quod periurus poteſt repelli à teſtificando in iudicio, debet, & non debet eſſe neceſſario in iudicio probatum: tametſi de illo non ſit lata ſententia. p. 134
Cap. 18. Circa iuramenti Promiſſorij obligationem, & firmitatem. ibidem.
33. Si quis ſecum iuret, aut in abſentia hominis, cui fit promiſſio, nomine acceptante legitime nomine ipſius, ſe daturum aliquid illi, tenetur, & non tenetur, id implere. ibid.
34. Qui

34. Qui iurat sine animo iurandi contrahit, & non contrahit obligationem implendi, etiam ex Religione. ibidem
35. Credit quis ex errore esse posse iuramentum de materia capaci obligationis absque intentione se obligandi: Hic si iurare intendit, sed non se obligare, manebit obligatus, & obligatus non manebit. p.135
36. Si dolus sit in vsu verborum, quia quis alio sensu illis vtitur ab eo, quem intelligit is cui iuramentum præstat, contrahit, & non contrahit obligationem iuxta sensum quem iurat. ibid.
37. Iuramentum graui metu extortum inducit, & non inducit obligationem. p.136
38. Obligatio iuramenti metu extorti est, & non est sub lethalis culpæ reatu. p.137
39. Obligatur quis, & non obligatur iuramento præstito redeundi ad carcerem, quando carcer iniustus est, aut probabiliter timet, se iniustè fore diuexandum. ibid.
40. Huiusmodi iuramentum redeundi ad carcerem, Episcopus poterit, & non poterit relaxare, si Iuramentum fuit iustè expostulatum. ibid.
41. Iuramentum, quod fit de re illicita, indiget, & non indiget relaxatione. p.138
42. Iuramentum de non ludendo absolute sumptum, est, & non est obligatorium. ibid.
43. Validum est, & non est validum iuramentum non mutuandi, nec fideiubendi. p.139
44. Medici tenentur, & non tenentur seruare Iuramentum præstitum monendi ægrotum, solùm quando infirmitas vitæ indicit periculum. ibid.
45. Ex iuramento facto Decuriones, vulgò *Regidores, Iurados*, tenentur, & non tenentur: peccata publica sub mortali inquirere. p.140
46. Ex iuramenti tenentur Decuriones (*seu Regidores veintiqua tros Iurados*) Auditores Regij &c. & non tenentur sub mortali, seruare secretum earum rerum, quæ in Consistorio, aut Aula tractantur. ibid.
47. Procuratores, scribæ, aliique officiales Curiæ tenentur, & non tenentur seruare Iuramentum emissum de seruanda taxa sibi à Rege præscripta, *vulgò* el Arancel. pag. 141.
48. Contractus vllus inualidus potest, & non potest iuramento firmari. ibid.
49. In obligatione iuramenti potest, & non potest dari compensatio. p.142.
50. Potest quis, & non potest compensatione vti, si cum iurauit soluere alicui, intentionem habuit non vtendi compensatione p.143
51. Cum quis contractum iuramento firmauit, & Iudex Ecclesiasticus relaxet iuramentum ad effectum agendi, potest is, & non potest coram ipso Ecclesiastico Iudice de valore contractus litigare. ibid.
52. Potestas ciuilis, quæ potest prohibere Iuramentum apponi, potest etiam & non potest Iuramenti semel appositi vires impedire. p.144.
53. Petrus & Antonius litem in arbitrum compromittunt vt intra certum diem illam decidat, iuramento parendi eius sententiæ præstito, si ex communi vtriusque consensu dies illa prorogetur, censetur quoque, & non censetur iuramentum prorogari. ibid.
54. Iuramentū soluendi debitū intra certum diem, extenditur, & non extenditur ad alium diem per creditorem prorogatum. Vnde erit, & non erit periurus, si die destinata in prorogatione nō soluit 145
C.19. Circa Iuramenti Relaxationem Irritationem, & Commutationem. p.146.
55. Habentes potestatem dispensandi, vel commutandi Vota delegatam, habent, & non habent dispensandi, vel computandi iuramenta potestatem. ibid.
56. Creditor potest, & non potest iuramentum præstitum principaliter in Dei honorem remittere. ibid.
57. Iuramentum soluendi ea qū æludo vetito sunt acquisita, vel quæ in Hispania in ludo ad creditum acquiruntur

acquiruntur potest, & non potest Episcopus relaxare. p.147
58. Relaxatio iuramenti potest, & nō potest concedi, cum turpitudo versatur in modo exequendi iuramentum, non in re iurata. ibidem.
59. Concedi potest, & concedi non potest ab Episcopo relaxatio iuramenti si metu leui extortum sit, p.148.
60. Præfata iuramenta inique extorta possunt, & non possunt post commissum periurium relaxari. ibid.
61. Potest, & non potest contractus rescindi, & relaxatio iuramenti obtinerei, etiam ob enormissimam læsionem, si iuramento præstito fuerit ille geminatus. p. 149.
62. In illis casibus, in quibus ob læsionem enormem, aut enormissimam potest quis agere ad rescissionem contractus, aut pretij supplementum indiget, & non indiget iuramenti relaxatione. ibidem.
63. Si iuramenti relaxatio non in totum, sed solum ad effectum agendi, vel excipiendi concedatur, necessario pars debet, & non debet citari. p.150
64. Iudex sæcularis potest, & non potest cognoscere de nullitate relaxationis iuramenti ab Ecclesiastico Iudice concessæ. ibidem
Cap. 20. Circa Voti essentiam. pag. 151.
65. Propositum exequendi rem honestam, sufficit, & non sufficit ad votum. ibid.
66. Si promissio est absque animo exequendi rem promissam, constituit, & non constituit votum, ibid.
67. Sufficit ad votum, & non sufficit ea deliberatio seu libertas, quæ ad peccatum lethale sufficit. pag 152.
68. Spectato iure naturæ, metus incussus etiam iustè ad extorquendum Votum illud annullat, & non annullat illud. ibidem
69. Metus grauis, seu cadeus in constantem virum, iniustè incussus causa extorquendi voti, illud irritat, & illud non irritat, iure naturali spectato. pagina 153.
70. Votum metu coactum irritum est; & non est irritum Ecclesiastico iure. ibid.
71. Metus leuis, quando est causa, sine qua Votum non emitteretur, illud irritat, & non irritat illud. p. 154.
72. Votum obligat, & non obligat, quando error non adest. Voti tempore circa substantiales eius circumstantias, sed posteà illę mutantur. ibid.
73. Obligat, & non obligat votum nunquam peccandi, aut venialiter non delinquendi. 155
74. Votum vitandi omnia peccata tam mortalia, quàm venialia, quod non potest obligare ad totum, obligat, & non obligat ad partem. ibidem
75. Validum est, & non est validum votum, quo quis promittit, quantum in se est omnia peccata venialia vitare. p.156
76. Valet, & non valet votum eleemosynam faciendi, si quis ex bello iniusto euadat incolumis. ibid.
77. Validum est, & non est validum votum emissum in gratiarum actionem pro iniusta victoria parta, vel pro filio ex concubina edito. p.157
78. Vitiatur, & non vitiatur votum, quando emittitur pro rebus temporariis, obtinendis, quæ ex se indifferentia sunt, nec à vouente referuntur ad alium superiorem finem, quo honestentur, sed in illis solis sistitur. ibid.
79. Votum potest, & non potest esse de rebus præceptis. pagina 158.
80. Votum non vouendi, validum est, & non est validum. ibidem.
81. Validum est, & validum non est Votum non petendi Voti dispensationem. ibid.
82. Ex voto nnn petendi communicationem; manet quis obligatus, & obligatus non manet, ad non petendam compensationem, vel irritationem. p.159.
83. Validum est, & non est validum ad votum, ad Episcopatum non ascendendi,

ascendendi. ibid.
84. Validum est, & non est validum votum abstinendi à delicatis cibis, & ab honesta recreatione. p.160.
85. Tenet, & non tenet votum, perpetuò in Xenodechio inseruiendi, aut laxiorem ingrediendi Religionem. ibid.
86. Validum est, & validum non est votum de matrimonio contrahendo, si fiat animo non consummandi sed Religionem petendi. ibid.
87. Votum de matrimonio contrahendo validum est, & non est validum quando quis se experitur adeò ad carnis piacula procliuem, vt vix possit se continere. p.161
88. Validum est, & validum non est votum absolute prolatum ducendi pauperem meretricem titulo pietatis: quia continet, & non continet eam conditionem: si aliquem ducturus sum ibid.
89. Valida sunt, & non sunt valida hæc Vota: *Promitto, me nullam Religionem ingressurum, nisi Societatis Iesu* (v. g.) *Promitto, non recitaturum nisi flexis genibus*, & similia. ibid.
Cap. 20. Circa Voti obligationem. p. 162.
90. Ex sola intentione vouentis, supposita materiæ grauitate, potest, & non potest Voti obligatio limitari, vt sit leuis. ibid.
91. Obligatio Voti est, & non est solius fidelitatis. ibid.
92. Quis se obligare potest, & non potest voto ad solos actus externos, & ad internos minimè. p. 163
93. Qui vouit Rosarium Deiparæ recitare, satisfacit, & non satisfacit id alternatim recitando. ibid.
95. Quis voto emisso, promisit in D. Iacobum (verbi gratia) peregrinationem gerere, at mercede conductus, vel alterius negotij causa, aut curiositatis, aut vi coactus peregrinationem huiusmodi suscepit. Hic satisfacit, & non satisfacit Voti obligationi. p.164
96. Excusatur quis, & non excusatur à Voto ieiunandi sextis feriis vel Sabbato, vel die alia, si hisce diebus dies Natalis Domini inciderit. ibid.
97. In trāsgressione ieiunij feria sexta Natalis Domini committitur, & non committitur duplex piaculum, vnum in omissione Præcepti, alterum in violatione voti. ibid
98. Violans ieiunium ex voti obligatione, peccat, & non peccat toties quoties carnes comedit illa die. p. 165.
99. Carens Bulla Cruciatę ex vi voti ieiunij, tenetur & nō tenetur à lacticiniis abstinere in Quadragesima, aliisve tēporibus, in quibus ex cōsuetudine ab iis abstinetur. ibid.
100. Emisit quis votum ieiunandi in pane, & aqua, quod semel violauit vinum hauriendo. Hic autem post primam violationem potest, & non potest sæpius bibere absque noua voti violatione. ibid.
101. Promittit quis Ecclesiæ vnum seruum ex iis, quos habet, & ante voti adimpletionem pereunt omnes serui præter vnum, Hic tenetur, & non tenetur integre ad voti executionem. p.166
102. Rem determinatam quis vni Ecclesiæ speciatim promisit, sed post votum emissum, dubitat, cuinam promiserit Ecclesiæ, potest hic, & non potest rem promissam, cui maluerit ex his Ecclesiis applicare. ibid.
103. Executio voti potest & non potest differri quousque vouentis conscientiam pro executione remordeat, si vouens tempus non determinauit. p.167
104. Mortale est, & non est mortale peccatum voti Religionis, aut seruitij perpetui in Xenodochio (verbi gratia) executionem vltrà sex menses differre. ibid.
105. Si cum quis votum emittit, se cognoscit fore impotentem ad illius executionem, tenetur, & non tenetur, per alium implere. ibid.
106. Quis Religionem ingressus post votum reale factum, vult votum illud professione nō extingui Manet quidem, & non manet hæres obligatus. p.168
107. Cum pluribus votis realibus obstritus est defunctus, nec hæreditas sufficit omnium solutioni, tenetur & non tenetur hæres pro rata diuidere. ibid.

108. Quando non constat quodnam votum melius sit, aut quodnam prius fuit emissum à defuncto vouente: hæres tenetur & non tenetur pro rata diuidere omnium votorum satisfactionem. p.169.

109. Filius votum Religionis emittit sub hac conditione, si pater consenserit: Impleta est, & impleta non est conditio, si declarato filij voto, pater consentiat, licèt postea dissentiat. ibid.

110. Conditio Voti debet & non debet in specifica forma impleri: sufficit, & non sufficit, si in æquiualenti impleatur. p. 170

111. Culpabiliter impediens Voti appositam conditionem, tenetur, & non tenetur Voto, ac si conditio impleta esset. ibid.

112. Quis duplex Votum emisit, alterum de fornicatione vitanda, alterum pœnale de peregrinatione gerenda. Sublato Voto de fornicatione vitanda, sublatum censetur, & non censetur sublatum votum de pœna illa incurrenda, si deliquerit. p.171

113. Si quis duplici voto est adstrictus, altero vitandi fornicationem altero pœnæ subeundæ, si non vitauerit, ad impetrandam dispensationem Voti principalis debet, & non debet necessario Voti accessorij pœnalis mentionem gerere. ibid.

114. Votum quis emisit de vitando ludo, & casu quo non vitet, de subeunda pœna, votum pœnæ debet, & non debet intelligi de sola prima vice. p.172

115. Cum quis subditus petit à superiore facultatem de voto promissam gerendam, tenetur, & non tenetur, Votum manifestare. ibidem.

116. Parochi, aliive Clerici Beneficium habentes residentiam requirens, possunt & non possunt Religionem vouere, nisi sub conditione petendi ab Episcopo facultatem. Licet opus non est eam ab illo impetrare. p.173

117. Pœnitere de voto facto, seu affici tristitia, quod illud emiseris, est, & non est veniale piaculum. ibidem.

Cap. 21. Circa Voti Irritationem. ibidem.

118. Irritandi, Vota potestas ortum habet, & ortum non habet à naturali iure. ibid.

119. Competit, & non competit Pontifici, aliisque Ecclesiæ Prælatis directa irritandi vota potestas. p.174

120. Peccant, & non peccant mortaliter superiores, qui subditis reuocant licentiam datam ad vouendum, facta promissione non reuocandi. p.175

121. Taciturnitas, ac dissimulatio superioris sufficit, & non sufficit, vt censeatur licentiam vouendi subdito seu voti emissi approbationem impertire. ibid.

122. Si Superioris taciturnitati internus consensus addatur, esto vouenti subdito nō manifestus: Sufficit, & non sufficit vt Superior licentiam, aut consensum impertire censeatur. p.176

123. Pater, & Mater possunt: & non possunt post pubertatem, & emancipationem irritare vota filij, ante pubertatem emissa, nec in pubertate confirmata, seu approbata. ibidem.

124. Curator potest, & non potest post pubertatem vota personalia minoris in pueritia emissa, irritare p.177.

125. Irritatiua potestas extenditur, & non extenditur ad Vota emissa tempore subiectionis, implenda tamen subiectione dissoluta. ibid.

126. Emittit filius puber, vel vxor, vel seruus votum quod ex se, vel ex intentione vouentis est perpetuū: Potest & non potest id votū à parente, à marito, à domino penitùs irritari. p. 178

127. Irritatiua directa potestas extenditur & non extenditur ad vota emissa tempore, quo vouentes sui iuris erant. ibidem.

128. Irritatio, & suspensio voti procedens à dominatiua potestate, potest, & non potest licite sine causa concedi. ibid.

129. Irritatiua potestas potest, & non potest alteri delegari. p.179

130. Potest, & non potest maritus omnia vxoris vota durante matrimonio, irritare. ibid.

131. Votum

131. votum castitatis ab vxore absque viri consensu emissum, potest, & non potest ab illo irritari. p. 180
132. Potest & non potest vxor votum mariti de non petendo debito irritare. ibid.
133. Sub nomine patris ad voti irritationem venit & non venit herus, vel Magister deficientibus patre tutore, aliisque ascendentibus. pag. 181
134 Mater Minoris habet, & non habet eandem, ac pater ad votorum irritationem, potestatem. ibid.
135. Prælatus Regularis potest: & non potest omnia Religiosi subditi vota irritare. p. 182
136. Abbatissæ ac Priorissæ Monialium vota omnia possunt, & non possunt vti Prælati Regulares, irritare. ibid.
Cap. 22. Circa voti Dispensationem. p. 183
137. Si petens dispensationem voti, illamque concedens, bona fide procedant, existimantes, causam esse legitimam: valet, & non valet, dispensatio ibid.
138. Levitas in vouendo est & non est sufficiens dispensationis causa. ibid.
139. Prælatus Regularis potest, & non potest, potestate Ordinaria, in Nouitiorum votis dispensare. p. 184
140 Votum illud in quo Votum reseruatum commutatum est Pontificia authoritate: manet, & non manet similiter reseruatum. p. 185.
141 Reseruata sunt, & reseruata non sunt tam Vota pure conditionalia, quàm pœnalia. post impletam cõditionem, sed possunt. & non possunt à Prelatis inferioribus dispensari. ibid.
142. Cum alicui delegetur facultas dispensandi in omnibus Votis: intelligitur, & non intelligitur concessa esse etiam ad vota reseruata præter votum castitatis, & Religionis p. 186
143 Cõcessa alicui dispẽsandi potestate, eo ipso cẽsetur, & nõ eo ipso concessa, commutandi vota, potestas. p. 187
Cap. 23. Circa voti Commutationem. ibid.
144 Potest quis, & non potest, propria authoritate votum in rem æqualem commutare. ibid.
145 Commutatio potest, & non potest fieri in paulo minus minorem materiam. p. 188
146. Commutatio Voti facta propria authoritate, vel alterius carẽtis iurisdictione in æquale, vel in minus, est, & non est omninò irrita, si vouens suppleat, quod commutationi defuit, vt esset in bonum euidenter melius. ibid.
147. Quando commutatio fit in minus authoritate Prælati, etiamsi nulla ad commutandum causa subsit, nedum ad minuendum, valet, & non valet commutatio cum sola obligatione supplẽdi id, quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa. p. 189
148. Facta materia subrogata inutili, vel impossibili ob culpam vouentis, reuiuiscit, & non reuiuiscit voti obligatio. ibid.
149 Redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ in voto castitatis, & Religionis extinguitur, & non extinguitur materiæ subrogatæ obligatio. p. 190
150. Si Commutatio facta sit in rem æqualem, licitum est, & licitum non est, vouenti ad priorem materiam redire. ibid.
151. Si Votum, vel authoritate propria, vel Prælati in melius fuerit commutatum, licitus est, & non est licitus ad materiam priorem transitus. p. 191

LIBER XXX.

Decalogi Præceptum tertium.

SECTIO I.

De tertio Decalogi Præcepto receptiones sine pugna Sententiæ. p. 192.

Cap. 1. De diei Dominicæ & aliorũ Festorum institutione. p. 192

Cap. 2. De operibus prohibitis, & permissis in die Festo. p. 193
Cap. 3. De causis excusantibus laborantes in die Festo. p. 196

SECTIO II.

De *Præcepto Decalogi Tertio Problemata.* p. 197

Cap. 4. Circa ea, quæ ad Præceptum de Sanctificandis Festis in communi pertinent. p. 197
Probl. 1. Diei dominici obseruatio est, & non est iuris Diuini. ibid.
2. Obseruatio Dominici diei potest, & non potest humana lege, vel consuetudine abrogari. p. 198
3. Est, & non est præceptum diuinum, vel naturale de instituendis aliquibus festis diebus. ibid.
4. Festi dies à media nocte vsque ad alteram mediam noctem debent, & non debent vniuersaliter computari. ibid.
5. Humana potestate spatium viginti & quatuor horarum diei festi valet, & non valet imminui. p. 199
Cap 5. Circa eos, qui facultatem habent dies Festos instituendi. ibidem.
5. Episcopi habent, & non habent ius diem festum instituendi alicuius nondùm in Sanctorum numerum relati à Pontifice. ibid.
6. Beatificante Pontifice aliquem Sanctum licet, & non licet cuilibet Episcopo festum illius publice instituere. ibid.
7. Vt Episcopus diei Festi obligationem constituat, requiritur, & non requiritur necessario Cleri ac populi consensus, vel pro vna vice vel altera. p. 200
8. Ex vi consuetudinis potest, & non potest Episcopus dies festos constituere absque Cleri, seu Capituli consensu: vna vel altera vice. ibid.
9. Episcopus potest, & non potest Dies festos sine populi consensu constituere ex vi consuetudinis. p. 201
10. Consuetudo totius Cleri, & populi habet & non habet vim introducendi dies festos, sine Episcopi consensu. ibid.
11. Episcopus aliquot dies festos abrogat, & non obstante tali abrogatione, populus eorum obseruationem continuat: Tunc consuetudo manet, & non manet in suo vigore, ad obligandum. ibid.
12. Excusatur, & non excusatur certum genus mechanicorum, cum consuetudo est, eos solum operari, reliquo populo festum obseruante. p. 202
13. Sæculares Principes habent, & non habent potestatem obligandi populum, dies festos obseruare. ibid.
Cap. 6. Circà eos, qui dies festos obseruare tenentur. ibid.
14. Pueri statim ac vsum rationis aduentarint, tenentur, & non tenentur præcepto obseruandi Festa. ibid.
15. Pueri, qui ante septennium rationis vsu pollent, tenentur, & non tenentur dies festos obseruare. p. 203
16. De puero aliquo dubitatur, nùm vsu polleat discretionis: Hic tenetur, & non tenetur festos dies obseruare, si septennis non sit. ibid.
17. Peregrini cum absentes sunt, tenentur, & non tenentur, festa suæ patriæ obseruate cum non obseruantur in loco, vbi adsunt. ibidem.
18. Quando in proprio loco vrget festi obseruandi præceptum; licitum est, & non est licitum ex intentione non seruandi festum ad alium locum, aut Parœciam diuertere, vbi tale festum non colitur, vt opera seruilia possit exercere. p. 204
19. Quis è loco proprio egreditur diluculo, vt in alio vbi festum illud non colitur, valeat seruile opus exercere: Hic tenetur & nõ tenetur prius quam exeat, Missam audire. p. 205
20. Peregrini, Scholastici, Doctores, Præfecti, Milites, &c. tenentur, & non tenentur obseruare diem festum proprium loci, in quo animo non persistendi etiam diu commorantur. ibid.
21. Reli

21. Religiosi exempti tenentur, & non tenentur, obseruare festa non ex Episcopi præcepto, sed ex consuetudine inducta. p.206
22. Viatores tenentur, & non tenentur obseruare festa propria locorum, ad quæ solum perueniunt vt ibi per tres, quatuor, vel quinque dies recreationis, vel negotiationis gratia commorentur. ibidem.
23. Aduenæ tenetur, & non tenetur festa obseruare propria locorum locorum etiamsi per vnicum diem ibi commorentur. ibid.
24. Aduenæ tenentur, & non tenentur seruare festa propria loci per quem transeunt, ibi solum pransuri, aut pernoctaturi, & die discessuri crastino. ibidem.
25. Duplicis Parœciæ incola tenetur, & non tenetur obseruare festa illius Parœciæ in qua perbreui tempore, veluti in hospitio reperitur. p.207
Cap. 7. Circa opera in die festo prohibita. ibid.
26. Mortale est, & non est mortale, vna hora seruile opus in die festo siue necessitate exercere. ibid.
27. Opera communia liberis, & seruis, vt sunt venari, ac piscari, quæ quidem sunt licita liberis, sunt, & non sunt licita, si à seruis gerantur. p.208
28. Licitum est, & non est licitum Die festo studiis incumbere, quę Sacra vel spiritualia non sint ibid.
29. Docere alios lucri causa licet, & non licet in die festo. ibid.
30 Licitum est, & non est licitum, in die festo cantare, pulsare instrumenta musica, vel consilium dare propter lucrum. ibid.
31. Licet, & non licet in die festo scribere, sine lucri fine. p.209
32. Scribere propter lucrum, est, & non est opus prohibitum in die festo. ibid.
33. Prohibitum est, & non est prohibitum in die festo transcribere ob quæstum. ibid.
34. Licet, & non licet, in in die festo rationem facere: vulgariter *Dar y tomar cuentas*, siue fiat ex officio, aut ad lucrum siue non. p.210
35. Licet, & non licet Typographo in die festo characteres cõponere. ibid.
36. Actio pingendi est, & non est in die festo licita, dum lucri causa perficitur, non animum relaxandi, aut artem addiscendi gratia. p.211.
37. Actio pingendi est, & non est licita in die festo, cum fit recreationis gratia. ibid.
38. Licitum est, & non est licitum, in die festo iuuenes pingere, addiscendi artem intentione. ibidem.
39 Licet, & non licet puellis in die festo acu pingere, seu recamaturas facere. p.212
40. Licet, & non licet adolescentulis diebus festis filia ducere, aut aliud opus seruile exercere, ad otium repellendum. ibid.
41. Ad vitandam peccandi occasionem ex otio proueniẽtem, potest quis, & non potest in festo seruiliter laborare. ibid.
42. Piscatio, aucupatio, & venditio si ob recreationem fiat, est, & non est in die festo licita. pagina 213.
43. Aucupatio, ac venatio licita est & non est in die festo, si ex officio, aut lucri causa geratur. ibid.
44. Licitum est, & non est, in festo piscari in pelago aut recreationis, aut lucri causa. ibidem.
45. Licita est & non est in die festo præliatio extra necessitatem. p.214
46. Licitum est, & non est, in die festo molendinis æquæ, aut venti molere. ibid
47. Licet, & non est licet molere die festo in molendinis, vel pistrinis, quæ terunt triticum opere bestiarum. pagina 215.
48. Licitum est, & non est die festo longum pedestre gerere iter, per se quidem, & non spectata consuetudine. ibidem.

49. Licitum est, & non est, in festo animalia aut currus onustos de vno loco ad alium deferre ibid.
50. Licitum est, & non est licitum mulionibus iter cum iumentis, aut curribus onustis iter die festo incipere. p. 216
51. Licet & non licet, imponere festis diebus onera perpetuo amenti, aut seruo infideli. ibid.
Cap. 8. Circa actiones, quæ liberales cum sint, sunt tamen speciali iure in festo prohibitæ. ibid.
52. Ex consuetudine saltem licitæ sunt, & non sunt licitæ Nundinæ publicæ, quæ assolent semel aut bis in anno fieri in diebus festis. ibid.
53. Hebdomadarij Mercatus possunt & non possunt in die festo licitè geri. p. 217
54. Mortale est, mortale non est vendere, & emere in die festo ibidem.
55. Citatio facta in festo illicita quidem est & non est inualida. pagin. 218
56. Citatio facta pro die festo nulla prorsus pro assignato die, obligat, & non obligat partem, ad comparandum die proxima sequenti ad diem festum. ibid.
57. Si Iudex imperet, vt intra duodecim dies (verbi gratia) pars cõpareat & dies duodecimus signatus est festus: tenet, & non tenet mandatum. p. 219.
58. Cũ Iudex imperat, vt intra duodecim dies pars compareat, & duodecima dies est festiua: tenetur pars, preuenire apparitionem ante diem duodecimum, potest & non potest in diem sequentem duodecimum differre. ibidem.
59. Testium, examinatio (si iuramẽtum non adsit,) licita ac valida est: & non est in die festo: p. 220
60. Iuramentum iudiciale est, & non est in die festo prohibitum. ibid.
61. Iuramentum pro causa spirituali est, & non est in die festo licitum & validum. ibid.
62. Sententia criminalis lata in die non festo, potest non potest in die festo executioni dari. p. 221
63. Sententia excommunicationis suspensionis, & interdicti valida est, & non est valida lata in diebus festis. ibid.
64. Appellatio est, & non est licita, aut valida in die festo. ibid.
65. Iudex licitè potest, & non potest actus iurisdictionis voluntariæ exercere. p. 222
66. Confessio rei cuiuscumque potest, & non potest validè, ac licitè in die festo recipi. ibid.
67. Actus extraiudiciales sunt & & non sunt in die festo prohibiti. ibidem.
68. Aduocato, ac Procuratori licitum est, & non est die festo iudicem verbo aut scripto super litem informare, si id fiat ob lucrum. pagina 223
69. Quodlibet lethale est, & non est specialiter in die festo prohibitum. ibid.
70. Delinquẽs in die festo perpetrat, & non perpetrat culpam venialem contra Religionem. ibidem.
Cap. 9. Circa causas à præcepto Obseruationis Festorum excusantes p. 224
71. A mortali excusatur, & non excusatur qui tertiam partem diei festi per octo horarum spatiũ seruiliter laborat. ibid.
72. Excusatur, & non excusatur à mortali, qui tertiam partem diei festi insumit in seruili opere sumptam duntaxat de eo tempore, quod regulariter seruili in opere assolent artifices insumere. ibid.
73. Excusatur, & non excusatur à mortali, qui in die festo trium horarum spatium operi dat seruili. ibid.
74. Mortalis criminis reus est, & non est, qui duas integras horas diei festi in opere seruili consumit. ibid.
75. A mortali excusatur, & non excusatur, qui diebus festis pluribus modico tempore laborat. pagina. 225.
76. A peccato excusantur, & non excusantur, qui in die festo præparant cibos qui potius ad delectationem, quam ad sustentationem necessariã exponuntur. ibid.
77. Violant, & non violant festi immunitatem, qui absque necessitate panes conficiunt & coquunt. p. 226

78. Ex

78. Excusantur, & non excusantur agricolæ, qui messis, ac vindemię tempore in festo laborant, quamuis nullum certum damnũ imminere videatur. ibid.
79. Excusantur, & non excusantur, qui decoctionem ferri, aut vitri in die festo incipiunt. ibid.
80. Excusantur, & non excusantur qui decoctionem calcis, saponis, laterum, tegularum, ollarum, & huiusmodi in festo continuant. p. 227.
81. Ab Obseruatione excusantur, & non excusantur qui decoctionem calcis, saponis, laterum, tegularum, ollarum in die festo incipiunt ibid.
82. Excusantur à peccato famuli barbitonsorum, qui à suis dominis laborare in festis compelluntur, si ipsi sint liberi. ibid.
83. Excusantur, & non excusantur artifices, qui tabulata extruunt in festo, ad comœdiæ publicam recitationem. Vbi de sartoribus, aliisque artificibus plurà enuncio. p. 228
84. Excusantur, & non excusantur à piaculo qui ferrant lumenta iter non agentia. p. 229
85. Licet, & non licet die festo pontes, fontes publicas, vias, & alia huiusmodi reficere eo quod sine incommodo non valeant hæc in dies profestos differri. ibid.
86. Excusantur, & non excusantur à peccato, qui causa pietatis in festo seruilia opera exercent. ibidem.
87. Eximuntur, & non eximuntur à piaculo, qui in die festo laborant, vt ex lucro eleemosynas pauperibus erogant. p 230
89. Excusantur à lethali peccato, & non excusantur, qui sine rationabili causa Templa tapetibus exornant die festo, hostias conficiunt, &c. ibid.
90. Tota die festi aut illius parte notabili dare operam abluendis sacris vasibus, Purificatoriis, & reliquis linteis Sacerdotalibus, & alia huiusmodi, est & non est prohibitum. ibid.
91. A peccato immunis est, & non est, qui festo die agros Ecclesiæ colit, terit, metit, Tempora extruit, lapides, & ligna ad ædificium deportat. p. 231
92. Liberantur, & non liberantur à crimine, qui die festo laborant, nè prætereat occasio lucrum notabilè acquirendi, quod alias acquirere non possent. ibid.

LIBER XXXI.

Decalogi Præceptum quartum.

SECTIO I.

De Præcepto quarto Decalogi, receptiores sine pugna sententiæ. p. 232.

Cap. 1. DE reuerentia à filiis parentibus præstanda, eorumque obligationibus. p. 232
Cap. 2. De Parentum erga filios obligatione. p. 233
Cap. 3. De mutua Herorum, Famulorumque obligatione. p. 234
Cap. 4 De mutua Prælati Ecclesiastici ac Clerici subditi obligatione. p. 235.
Cap. 5. De mutuis laici Principis eiusque subditorum obligationibus. p. 236
Cap. 6. De mutua serui, & domini obligatione. ibid.
Cap. 7. De obligatione viri ad vxorem, & vxoris ad virum. ibid.
Cap. 8 De mutuis Magistri ac Discipuli obligationibus. p. 237.

SECTIO II.

De *Præcepto Quarto Decalogi Problemata.* p. 237

Cap. 8. CIrca mutuã parentum, ac filiorum obligationẽ. ibidem.
Probl. 1. Parens, exponens filium, quan-

quando eum alere potest, tenetur, & non tenetur ad restitutionem. ibidem
2. Pater tenetur, & non tenetur filios, & filias spurias pauperes dotare sicut naturali iure alere obligatur. p.238
3. Si filij qui votum castitatis emisère, id sæpè ex incontinentia violent: parentes possunt, & non possunt eis suadere, vt ducant vxorem. ibid.
4. Filij Catholici tenentur, & non tenentur parentibus hæreticis, Ethnicis, Turcis: & parentes Catholici tenentur filiis hæreticis, Ethnicis, Turcis alimenta impertire, (etiamsi conuerti nolint,) in graui necessitate. p.239
5. Filius tenetur & non tenetur patrē infidelem in extrema necessitate constitutum alere, si conetur eum à fide auertere. ibid.
6. Fiscus tenetur, & non tenetur, ex bonis confiscatis patrum filios Catholicos extremè laborantes alere. ibidem
7. Tenentur, & non tenentur naturali ex iure, parentibus filij in extrema necessitate constitutis alimenta impertire. pagina 240
8. In necessitate extrema prius succurrendum patri, quàm proprio filio, prius succurrendum proprio filio, quàm patri. ibidem.
9. Tenetur, & non tenetur filius in Religione professus, ex ea exire si in sæculo melius possit parentes graui necessitate laborantes succurrere, siue necessitas ea antecesserit professionem siuè fuerit ei subsecuta. p.241.
10. Quando Religiosus petita, & non obtenta licentia, Monasterium licitè egreditur, ad iuuandos parentes in graui necessitate constitutos: potest, & non potest licitè habitum externum dimittere, si dimisso valeat, & non dimisso non valeat parentes iuuare. p.242
11. Parentibus, & creditoribus ad extremum redactis tenentur, & & non tenentur filij potius parentibus, quam creditoribus subuenire. ibid.
12. Esto teneatur debitor prius sibi, quam creditori subuenire, dum ipse, & creditor eadem extrema laborant necessitate. Porrò redeunte meliori fortuna, debitor tenetur & non tenetur, id quod parenti dedit succurrendo, creditori restituere. ibid.
13. Filij maiores natu tenentur, & non tenentur, debita parentum soluere ex bonis maiotatus. p.243
14. Possunt, & non possunt filiæ in qualibet ætate cuicumque nubere siuè digno, siuè indigno absque metu exclusionis à dote, & alimentis. Quia huiusmodi pœna exhæredationis per ius Canonicum est, & non est abrogata. ibid.
15. Potest, & non potest de iure communi, ac Cæsareo filia quę ante vigesimum quintum ætatis suæ annum nupsit indigno, libero tamen, sine parentum consensu exhæredari. p.244
16. Quando pater non exhæredauit filium, nec filius patrem de iure communi: possunt, & non possunt hæredes hoc allegare, vt ab eis hæreditatem adimant. p.245.
17. Præter illas causas proximo problemate assignatas, possunt, & non possunt parentes filium, & filius parentes exhæredare. p.246
18. Peccat, & non peccat mortaliter filius, qui non vult ducere dignam, quam pater præcipit & aliam ducit æque dignam vxorem, sine rationabili causa ducendi præter ipsiusmet voluntatem. ibid.
19. Filios suppositos, vel adulterinos tenetur, & non tenetur mater id manifestare, vt hæreditatem legitimis restituat. ibidem.
20. Si legitima restituenda filio legitimo sit illustris maioratus, Regnum, Ducatus, Comitatus, mater adultera, vel suppositi partus rea, tenetur, & non tenetur, id manifestare. p.247
21. Adulter tenetur, & non tenetur legitimis amasiæ filiis damnum restituere,

restituere, in eo casu, quod esse prolem suam agnoscit, & nullam habet probabilem rationem de contrario dubitandi. ibid.

Cap. 9 Circa mutuam Mariti, & Vxoris obligationem. p. 248

22. Tenetur, & non tenetur maritus è patria recessurus secum deferre vxorem, si illa eum velit comitari in iis casibus, in quibus ei licet ab ea, ve inuita diuertere. ibid.

23. Vota longæ peregrinationis coniugis sunt, & non sunt ipso iure irrita. p 249

24. Coniux Catholicus tenetur, & non tenetur admittere coniugem hæreticum, si post sententiam de hæresi latam ab eo diuertit conuerso, & velit in sæculo sic remanere. ibid

25. Vt coniux Catholicus valeat perpetuò separari à coniuge hæretico conuerso: requiritur, & non requiritur specialis sententia diuortij: & sufficit, & non sufficit condemnatoria hæresis sententia. p 250

26. Post sententiam latam, qua vxor declaratur hæretica, potest, & non potest eius vir sacris ordinibus, manens in sæculo, initiari: sicut potest, si velit, ad Religionem transire, ea inuita, & renitente. ibid.

27. Post adulterium potest, & & non potest vir innocens sacris ordinibus initiari, inuita & reclamante vxore adultera, sicut ad Religionem potest conuolare. p. 251

28. Maritus tenetur, & non tenetur alere vxorem, quam sine dote duxit, quando illa est diues, aut pater eius. ibidem.

29. Quando mortuo viro nulla supetunt viri bona, vxor vidua tenetur, & non tenetur ex bonis suis dotalibus, & arrhis soluere debita à viro suo contracta ad ipsam, & familiam alendam, verb. gratia, ad soluendum famulorum mercedem, domus locationem, vestes, & cibaria. p. 252

30. Vxor non plus insumens de bonis à marito per vsuras acquisitis, quàm quod ad congruam sustentationem sufficeret iuxta personæ propriæ qualitatem tenetur postea, & non tenetur de suis bonis satisfacere iis, quibus maritus per vsuras damnum egit, si ipse nihil habuit, vnde solueret. ibid.

31. Maritus tenetur, & non tenetur vxori adulteræ alimenta impertire. p. 253

32. Maritus tenetur, & non tenetur vxorem alere, dum eam in osculis, & amplexibus cum alio deprehendit. ibid.

33. Vir debet, & non debet alimenta vxori adulteræ impertire, si à principio ipse causam dedit adulterio eam domo iniustè pellendo, vnde illa fuit in adulterium lapsa. ibid.

34. Si dos promissa integre non soluatur: tenetur, & non tenetur maritus vxorem alere, pro rata acceptæ dotis. p. 254

35. Maritus tenetur, & non tenetur, vxorem alere, quando parentes dotem dolosè, minimè soluturi, promiserunt. ibidem.

36. Quando vir non tenetur vxorem alere ob promissam dotem non solutam: potest eam non traducere, traductamque domo expellere. ibid.

37. Socer non soluit genero totum dotis promissæ capitale, sed partem illius: tenetur gener, & non tenetur minuere de perceptione fructuum rei oppignoratæ aliquid pro rata. p. 255

38. Vxor nobilis tenetur, & non tenetur præstare marito quæcumque vilia obsequia, ex iustitia, & vi contractus matrimonij, si licita sint. ibid.

39. Vt vxor teneatur virum sequi aliò domicilium mutantem, necessarium est, & non est necessarium, vt detur causa mutandi illud. p. 256

40 Vir tenetur vxorem, quam dotatam duxit, alere, si ob vxoris culpam vel hæresim publicata fuit, siue eam ad suum admiserit consortium, siue non admiserit. ibid.

Cap. 10. Circa mutuam obligationem Domini, serui, ac famuli. pagin. 257.

41. Fa

41. Famulo, qui promisit seruire anno integro, pro assignato stipendio, si primis sex mensibus tantum inseruiat, dominus tenetur & non tenetur dimidium mercedis soluere. ibid.
42. Si famulus seruiat minori pretio infimo sperans aliquod beneficio à domino esse donandum, quod posteà minimè accipit. Hic potest licitè, & non potest, id occultè compensare. ibid.
43. Dominus potest licitè, & non potest vendere mancipium, quod de ineundo matrimonio sinè illius licentia tractat. p. 258
44. Non est integrum, & integrũ est dominis seruos cõiugatos, qui sine eorũ consensu iniere coniugium, in partibus longinquis separatim vendere. ibid.
45. Peccat, & non peccat herus, qui famulis arculam apertam relinquit eo fine, vt furentur, & postea ab illis caueant. Vbi plura de licitis, & illicitis furtis famulorum enuncio. p. 259
Cap. 11. Circa mutuam fratrum ac sororum obligationem. p. 260
46. Frater vterinus tenetur, & non tenetur saltem pro ratione alimentorum sorores, ac fratres vterinos dotare, sicut alere tenetur. ibid.
47. Fratres, & patres Clerici, & beneficiati possunt & non possunt tuta conscientia sorores, ac fratres suos, ac filias etiam spurias ex fructibus Beneficij dotare, ex eo capite: Quia dos succedit alimentorum loco. ibidem,
48. Fratres, ac patres Clerici tenẽtur, & non tenentur Fratres, Sorores, filios, ac filias etiam spurias ex bonis Ecclesiæ dotare. p. 261.
49. Licet, & non licet Clericis ex fructibus Beneficij dotare sorores spurias vel spurios fratres ex coïtu legibus damnato. ibid.
50. Huiusmodi fratribus, sororibus, filiis, seu filiabus spuriis solummodò præstanda sunt, & non solummodo sunt præstanda alimẽta quæ ad vitæ sustentationem sunt precisè nèceſſaria. ibid.
51. Vestes pretiosæ, quas sponsi assolent mittere sponsis suis, vt in die nuptiarum illis induantur, soluto breui matrimonio, per obitum sponsæ, & in dubio, an sponsus voluerit ea ornamenta absolute donare; pertinent, & non pertinent ad hæredes sponsæ. ibid.
52. Patrimonium Sacrorum Ordinum est, & non est adducendum ad collationem, si attingat aliorum fratrum legitimam & tertiam patris dotantis. p. 263
53. Patres tenentur, & non tenentur filios alere in studiis quoad vsque illa absoluant. ibidem.
54. Libri filiis à parente ad studendum dati, sunt, & non sunt ab onere collationis exemptis. p. 264
55. Filius tenetur, & non tenetur, cum aliis fratribus, & cohæredibus ad collationem ea quæ male insumpsit adducere. ibid.

LIBER XXXII.

Præceptum Decalogi quintum.

SECTIO I.

De Præcepto quinto Decalogi, receptiores sine pugna sententiæ. p. 265.

Cap. 1. DE Homicido, quod permittitur p. 265
Cap. 2. De Homicidio, quod prohibetur. p. 268
Cap. 3. De Homicidio casuali. pagina 270.
Cap. 4. De Restitutione propter Homicidium. p. 271

SECTIO

SECTIO II.

De Præcepto Decalogi Quinto Problemata. p. 273

Cap. 5. CIrca Homicidium licitum p. 273

Probl. 1. Licitũ est, & non est, inuasorem occidere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. ibid.

2. Licitum est, & non est inuasorem occidere, qui festum, vel alapam viro honorato vult infligere. ibidem.

3. Licet, & non licet cuique, præuenire aggressorem, eumque priusquam inuadat, occidere. ibid.

4. Si Petrus statuat, per famulum Antonium occidere: licitum est, & non est Antonio, cui nulla euadendi est spes, ante irruptionem famuli, Petrum imperantem interimere. p. 274

5. Licet, & non licet occidere falsum testem, pergentem ad testificandum contra te, cuius testimonio vita, vel honor tuus in discrimen adducendus erit. ibidem.

6. Quis aliqua in domo reclusus, videt inimicum qui expectat eum egredientem, vt occidat: Hic potest, & non potest, illum intimere, si aliter seruari non valet. ibidem.

7. In foro conscientiæ licet, & non licet alium pro honoris defensione interimere. pagina 275

8. Licet, & non licet occidere eum qui mortem minitatur, si talis solitus sit, minas executioni mandare. ibid.

9. Princeps, aut quiuis alius Reipublicæ perquam commodus tenetur, & non tenetur, inuadentem se occidere. p. 276

10. Certò scit miles, bellum à suo Principe institutum iniustum esse, & hic à milite iuste dimicante inuaditur: Hic quidem potest, & non potest in sui defensionem iustum inuasorem interimere. ibid.

11. Quando quis inuasorem interimit potest & non potest eius necem directe intendere tanquã medium ad sui defensionem necessarium. ibid.

12. Licitum est & non est licitum in propriarum facultatum defensionem inuasorem interimere ibidem.

13. Religiosi possunt, & non possunt ad temporariorum bonorũ defensionem raptorem occidere. p. 277

14. Potest quis, & non potest, pro defensione rei, quæ vnius aurei valorem non excedit, inuasorem de medio tollere. ibid.

15. Priuato cuique homini licet, & non licet, gladio, veneno, proditione, aliáve quavis vi occidere Regem tyrannicè dominantem, Regnum scilicet iam possidentem ex tyrannide. pag. 278.

16. Hostis Vrbi minatur excidium, nisi quis innocens interimatur: Potest hic, & non potest licitè à ciuibus interimi. ibidem.

17. Licitum est, & non est banni, tum proditorie interimere. ibidem.

18. Licet, & non licet propriam vitam exponere pro vita amici conseruanda. p. 279.

19. Licet, & non licet propriam vitam pro honore, aut facultatibus amici exponere. ibid.

20. Potest quis, & non potest ab internecione sui ipsius ex inuincibili ignorantia excusari. ibidem.

21. Martyr tenetur, & non tenetur è carcere fugere, si potest commodè, & sine scandalo. p. 280

22. Reus sciens Prætorem aduentare ad se capiendum, licite potest & non potest eum expectare, & in aperto carcere fugam omittere, morti addicendus. ibid.

23. Carthusiani possunt, & non possunt in mortis periculo vesci carnibus. ibid.

24. Licet, & non licet vigiliis, ieiuniis, asperitatibus, &c. vitam abbreuiare. p. 281

25. Qui inuaditur, potest & non potest sese cum periculo mortis alicuius innocentis tueri. ibid.

26. Quan

26. Quando aduersarij duces non ſtant promiſſis, licitum eſt, & non eſt obſides interimere. ibidem.
27. Damnatus ad mortem per famem poteſt, & non poteſt à cibo clanculum oblato ſibi abſtinere. p. 282
28. Poteſt quis, & non poteſt tabulam à ſe in naufragio nactam alteri impertire, vt ſaluetur pij lagitoris interitu. ibid.
29. Quando quis inuaſus dedit antecedenter cauſam ob quam inuadatur, verbi gratia, vel quia commiſit adulterium cum vxore inuaſoris, vel quia cum verbis, & iniurijs prouocauit: poteſt, & non poteſt illum, ſe defendendo occidere. ibidem.
30. Moderamen inculpatæ tutelæ conſiſtit in hoc, quod incontinenti fiat. Verùm fit, & non fit incontinenti quando inſultatus in domum ſe recipit arma quærens, & poſtea in foro percutit inſultantem. p. 283
31. Licitum eſt, & non eſt, illum morte præuenire, qui per famulum, & ſicarium te iubet occidere, caſu quo ob huiuſmodi mandatum mors inſtet, & in propinquo ſit. ibid.
32. Licet, & non licet, occidere eum, qui apud Principes, ac viros nobiles noſtro honori continuo detrahunt, ipſamiaque afficiunt. p. 284
33. Licet, & non licet, occidere poſtquam is occultauit rem intra domum ſuam, & veluti poſſidet. Vbi plura circa licitam latronum interemptionem. ibidem.
34. Perſonæ ignobiles, ac mechanicæ cum ab alio inuaduntur, tenentur, & non tenentur fugere, ne inuaſorem occidant, vt ſe defendant. p. 285
35. Clerici, ac Religioſi à quocumque ſeu laico ſeu Eccleſiaſtico aut Regulari inuaſi, tenentur, & non tenentur fugere, ne cogantur ſe inuadentis occiſione, aut vulnere defendere. ibidem.
36. Quando iure ciuili permittitur patri, ac marito filiam, vel vxorem in adulterio deprehentam occidere; poſſunt, & non poſſunt eam occiſionem aliis impunè mandare. p. 286
37. Duces claſſis Regiæ, vel nauium Indicarum, quando nec hoſtiles naues fugere, nec vincere valent, poſſunt, & non poſſunt licitè naues igne cremare, aut aquæ aditum aperire, ſe indirectè occidendo, eneruandi hoſtes intuitu. ibid.
Cap. 6. Circa homicidium, quod prohibetur. p. 288
38. Maritus vxorem, & pater filiam nuptam ſimul cum adultero poſſunt, & non poſſunt licitè perimere. ibid.
39. In Cap. *Si vero alicuius, de ſent, excommunicat.* vbi deciditur ab excommunicatione liberum eſſe, qui in Clericum cum vxore, matre, Sorore, vel filia deprehenſum turpiter manus violentas iniecerit: comprehenditur, & non comprehenditur, mater, Soror, & filia adoptata. ibid
40. Permittitur, & non permittitur, marito, aut patri occidere vxorem, vel filiam prægnantem in adulterio inuentam. p. 289
41. Damnatus ad ſumendum venenum, aut venam ſcindendam, vt hoc mortis genere obeat: tenetur ipſe, & non tenetur venenum bibere, aut venam ſcindere. ibid.
42. Si Tyrannus minetur alicui mortem, niſi ipſe ſibi brachiũ abſcindat: vel præcipiat, vt ipſe ſibi vnam manum reſecet, niſi velit ab alio ſibi vtramque amputari, tenetur, & non tenetur parere: poteſt, & non poteſt id licitè facere. ibid.
43. Si credatur fœtus eſſe animatus, & viuus, poteſt & non poteſt mater ſumere medicinam ad ſanitatem, etiamſi præter intentionem aborſus ſequatur. p. 290.
44. In dubio, an proles ſit iam mortua, vel an viua ſit exitura, poteſt, & non poteſt mater ſumere medicamentum directè curatiuum ſui, cum periculo

riculo nocendi proli, si forte viuat. p. 291.
44. Licitum est, & non est filio, patrem bannitum occidere. ibid
45. Licet, & non licet ad mortem damnare innocentem, qui secundùm allegata, & probata nocens exponitur. pag. 292.
47. Licet, & non licet contumeliis te afficientem occidere, quando aliter eas iniurias non potes arcere. ibid.
Cap. 7. Circa Restitutionem ex homicidio aut mutilatione. p. 293
48. Qui inuasorem occidit, excedens iustæ tutelæ moderamen, tenetur, & nõ tenetur ad restitutionẽ integrã. ibid.
49. Si quis suarum rerum qua posset postmodum iudicialiter recuperare, inuasorem occidat, tenetur, & non tenetur ad restitutionem. ibid
50. Adulter occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum inuasorem tenetur, & non tenetur aliquid restituere. p. 294
51. Si quis laicus alteri dedit vehementem occasionem, ab eoque inuaditur: si potens fugere inuasorem occidit: tenetur & non tenetur ad restitutionem. ibid.
52. Religiosus, vel Clericus nolens aufugere dum potest, inuasorem si occidat: tenetur, & non tenetur restitutionem facere. ibid.
53. Si prouocatus quis ad duellum, illud acceptat, & prouocantem interimat; tenetur, & non tenetur ad restitutionem. p. 295
54. Si absque Domini culpa mancipium, aut animal aliquem occidat, aut vulneret: Dominus in conscientia tenetur, & non tenetur ad aliquam restitutionem. ibid.
55. Homicida, vel mutilator tenetur & non tenetur integrum lucrũ cessans restituere. ibid.
56. In lucri cessantis ob necem, aut mutilationem computatione deducenda est, & non est æstimatio molestiæ, & & laboris quem occisus aut mutilatus in præstando officio, vel opificio fuisset subiturus. p. 296
57. Pro ipsius vita, aut membri priuatione, deformitate, cicatrice hominis liberi facienda est, & non est aliqua restitutio. ibid.
58. Homicida tenetur, & non tenetur ex iustitia, pro anima à se occisi Missas & orationes offerre. p. 297
59. Homicida tenetur, & non tenetur restituere damnum, quod per accidens familiaribus, & amici occisi ex eius morte fuerit secutum. ibid.
60 Homicida tenetur, & non tenetur creditorib. occisi restituere dãna. ibid.
61. Hæredes homicidæ excusantur, & non excusantur à restitutione, si ille capite est damnatus. p. 298
62. Homicida compellendus est, & non est restituere, si ob id in graui constituendus sit necessitate. ibid.

LIBER XXXIII.

Sextum, & Nonum Decalogi Præceptum.

SECTIO I.

De Sexto, ac Nono Decalogi Præcepto receptiores sine pugna Sententiæ. p. 299.

Cap. 1. DE Luxuria in communi pag. 299
2. De Fornicatione simplici. p 300
3. De Adulterio. p 301
4. De Incestu. p. 303
5. De Stupro. p. 304
6. De Raptu. ibid.
7. De vitio contra naturam. p. 305
8. De Sacrilegio. p. 307
9. De osculis amplexibus, tactibus, verbis obscœnis. p. 308
10. De Concubinatu. p. 309
11. De Virginitate. ibid.
12. De Desideriis, ac morosis Delectationibus. p. 310.

SECTIO II.

De Præcepto Sexto, & Nono Problemata. p. 312

Cap. 13. Circa simplicem Fornicationem, Vbi de Concubinatu. pag. 312
Probl. 1. Fornicatio simplex, secluſa Dei prohibitione, ex natura sua est, & non est peccatum mortiferum. ibid.
2. Simplex Fornicatio est, & non est graiius peccatum furto. ibid.
3. Publici, ac notorij concubinarij sunt, & non sunt hodie ipso facto de iure õ suspensi

suſpensi: & fiunt, & non fiunt irregulares si actum Sacri Ordinis exerceant. p.313

4. Pœna suſpensionis habet, & non habet locum in publicis concubinariis Clericis solum in minoribus constitutis. ibid.

5. Clerici publici concubinarij sunt, & non sunt de iure ipso facto excommunicati. p.314

6. Concubinatus crimen est, & non est mere Ecclesiasticum Iudices sæculares, ex officio illud possunt, & non possunt punire. ibid.

7. Clericorū Cōcubinæ possunt, & non possūt à Iudice sæculari puniri. p.315.

8. Possunt, & non possunt occultæ Clericorum Concubinæ apud tribunal sæculare accusari, & puniri: ibid.

Cap. 14. Circa Stuprum. ibid.

9. Virgo consentit in defloratione sub cura parentum existens: tunc datur, & non datur Stuprum. ibid.

10. Stuprum committitur, & non committitur, etiam in Viduam honestam. p.316.

11. De iure Canonico cogendus, & non cogendus defloror, virginem dotare, si velit verberum pœnam sustinere. ibid.

12. Defloror Virginis spontè consentientis tenetur, & non tenetur in conscientia restituere illius parentibus damnum indè eis resultans, supplendo augmentum dotis, quo fœmina defloratа indiget. ibid.

13. Qui Virginem vi, vel importunis precibus corrupit, satisfactione ei præstita, adhuc tenetur, & adhuc non tenetur illius parentibus aliquid pro iniuria illata restituere. p.317

14. Puella vi defloratа tenetur, & non tenetur defloratorem æqualis qualitatis paratum, acceptare in maritum, sed potest, & non potest dotem postulare.

15. Puella vi, dolo, aut importunis precibus defloratа, postea commodas nuptias sortita est, ita vt defloratio nullius ei damni causa extiterit: Certè defloror tenetur adhuc, & non tenetur pretio defloratione compensare. ibid.

16. Si quis sine dolo, fraude, aut precibus importunis accedat ad eam, quæ iam est ab alio deturpata, pro virgine tamen putatam communiter: tenetur, & non tenetur ei aliquid restituere si res euulgatur. p.318.

17. Preces importunæ, quæ æquipollent violentiæ, sunt & non sunt illæ, quæ fiunt per crebras, ac repetitas rogationes, deambulationes, munuscula crebrò emissa. ibid.

18. Quando quis fictè promittit nuptias fœminæ, quam scit esse corruptam (modò non sit honestæ famæ vidua) vt illius copulam assequatur, ea secuta, tenetur, & non tenetur eam ducere, si aliūde nō sint dispares cōditione. p.319

19. Quādo quis fictè fœminæ æquali nuptias promisit serio promittenti, haud copula secuta: tenetur, & non tenetur fictus promissor in foro conscientiæ cum illa coniugium inire. ibid.

Cap. 15. Circa Incestum. ibid.

20. Commixtio cum consanguinea vxoris in matrimonio tantummodo rato & non consummato: est, & non est incestus necessario in confessione explicandus. ibid.

21. Incestus commissus cum propria cōsanguinea inducit, & nō inducit impedimentum non petendi debitum, & carendi omni spe coniugij. p.320

22. In excōmunicatione, quam ipso facto, incurrunt incestuosas nuptias contrahentes, comprehenduntur, & non comprehenduntur, qui cōtraxere credentes se esse cognatos, vel affines intra gradus prohibitos, cum re vera non sint. ibid.

Cap. 16. Circa Adultetium. p.321

23. Coniux adulter potest, & non potest de justitia debitum ab innocente coniuge exigere. ibid.

24. Qui filium suscepit ex adulterio, illumque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ, præter alimenta, tenetur etiam & non tenetur occurrere dāno hæreditatis, quæ legitimis hæredib. adimitur, & dāno dotis, quā pater putatiuus puellæ spuriæ tradidit, credēs eam esse propriam filiam. ibid.

25. Adultera coniux tenetur, & nō tenetur marito pecunias ex adulterio acquisitas restituere. p.322

Cap. 17. Circa Sacrilegium. ibid.

26. Sacerdos simul ac Religiosus professus delinquens contra sextum Præceptum, cōmittit, & nō cōmittit duplex sacrilegiū alterum contra ordinē sacrū alterū cōtra votū solemnè castitatis. ibid

27 Professus violans castitatem satisfacit, & non satisfacit confessioni dicendo, se habere castitatis votum, haud declarando esse solemne. ibid.

28. Quis voto solemni ac simplici illigatur

illigatur: Tenetur quidem & non tenetur, vtrumque in confessione castitatis votum violatum explicare. p. 323

Cap. 18. Circa peccatum Luxuriæ quod est contra naturam. ibid.

29. Est, & non est propriè Sodomia, cū vir cum fœmina, etiam propria vxore, rem habet in vase præpostero. ibid

30. Patiens in Sodomiæ crimine tenetur & non tenetur in confessione exponere fuisse patientem. p. 324

31. Fœmina cum altera fœmina ita congrediens, vt masculi gerat vices, & effusio seminis intra vas naturale sequatur, incidit, & non incidit in reseruatum Sodomiæ casum ibid.

32. Sodomiam exercens vir cum fœmina est, & non est reseuationi obnoxius. ibid.

33. Patiens includitur & non includitur in casu Sodomiæ reseruato. ibid.

34. Qui in vase præpostero Sodomiam inchoat, sed postmodum semen extra vas profundit, incidit, & non incidit in reseruationem. p. 325

35. Impuberes, incidunt, & non incidunt in Sodomiæ reseruationem. ibid

36. Qui cum virgine copulam Sodomiticam gesserit, tenetur, & non tenetur, virginitatis circumstantiam in confessione aperire. ibid

37. Qui Sodomiticè delinquit cum baptizato à se, vel cum eo quem sacro leuauit ex fonte, vel cum adoptato in filium: tenetur, & non tenetur in confessione hanc exprimere circumstantiam. ibid.

38. Circumstantia incestus in copula Sodomitica est, & non est distinctione graduum explicanda in confessione: sed sufficit, & non sufficit dicere: Sodomitice cum affine, vel consanguineo deliqui. p. 326

39. Clericus rem habens cum fœmina in vase præpostero incurrit pœnas Bullæ Pij V. contra Clericos Sodomitas. ibid.

40. Sodomitice patiens Clericus incidit, & non incidit in Bullæ huiusce pœnas. p. 327

41. Clericus crimē Sodomiticum semel, bis, aut ter perpetrans, incurrit, & non incurrit præfatæ Bullæ pœnas. ibidem.

42. Clerici incurrunt, & non incurrunt Bullæ Pij V. pœnas in conscientia, ante sententiam iudicis. ibidem.

43. Clericus Sodomtia occultus, est, & non est suspensus ipso iure: & si celebret, incurrit, & non incurrit irregularitatem. p. 328

44. Clericus vitium Bestialitatis perpetrās incurrit, & non incurrit Bullæ Pij V. pœnas. ibid.

45. Si pollutio accidat alicui in plena vigilia, in qua effusionem potest reprimere: tenetur, & non tenetur id præstare, ibid.

46. Mortale est, & mortale non est deliberate desiderare in vigilia, vt tibi, vel alteri pollutio eueniat in somno ob aliquem finem bonum, v.gr. ob corporis sanitatem, seu ob libidinis mitigationem. p. 329

47. Quando causa pollutionis euenturę in somnio, est mortalis in genere luxuriæ: est, & non est mortalis pollutio eiusmodi. ibid.

48. Vir coniugatus semine intra vas vxoris emisso, ab illa recedit, valde quidem affecta libidine: Potest hæc, & non potest tactibus se ad pollutionem excitare. ibid.

Cap. 19. Circa Raptum. p. 330

49. Vt incurrantur pœnæ iuris Canonici, & Tridentini contra raptores fœminarum, necesse est, & necesse non est vt fiat raptus causa matrimonij: sufficit, & non sufficit fieri causa libidinis. ibid.

50. Mulier rapiens aliam mulierem libidinis causa, est, non est pœna ordinaria Iuris punienda. ibid.

51. Masculus causa libidinis masculum rapiens est, & non est ordinariæ legis pœnæ obnoxius. p. 331

52. Parochus assistens matrimonio raptoris cum rapta nondum extra potestatem illius in loco tuto, ac libero posita incurrit, & non incurrit pœnas Concilij, & Cap. fin. nempè suspensionem per triennium. ibid.

53. Est, & non est raptus pœnis Concilij & iuris communis obnoxius, si fœmina sui iuris consentiat, quamuis raptor impedientibus vim inferat. ibid.

54. Raptus ille, in quo fœmina rapta consentit, parentibus illius raptum omnino ignorantibus, est, & non est puniendus rigorosis Concilij pœnis. ibidem.

55. Si parentibus inuitis, & resistentibus fœmina raptui consentiat, raptor subest, & non subest Tridentini pœnis pag. 332.

56. Pœna Concilij, comprehendit, & non comprehendit raptum, in quo

fœmina virum abripit renitentem vt secum ineat matrimonium. ibid.
*Cap.*20. Circa morosam Delectationem. pag. 333
57. Vt Delectatio morosa sit peccatum mortale, sufficit, & non sufficit quod quis animaduertat, rem esse prohibitam ac moraliter illicitam licet non animaduertat in speciali illicitam esse moraliter. ibid.
58. Delectatio morosa & consensus deliberatus voluntatis habitus de cogitatione, seu de speculatione operis mali, est, & non est lethale peccatum. ibid.
59. Est, & non est lethale peccatum, negatiuè se habere circa delectationem morosam, & non positiuè resistere. ibid.
60. Est, & non est peccatum mortale desiderium, & consensus conditionalis intensus, quo quis vult adulteriũ v.g. cõmittere, si ei esset licitum p. 334.
61. Licet, & non licet sponsis de futuro delectatio sensualis de culpa habenda tempore coniugij, etiamsi fiat sine pollutionis periculo. ibid.
62. Coniuges absentes possunt, & non possunt licite de copula cogitata delectari secluso pollutionis periculo. p. 335
63. Vidua potest, & non potest, sine lethali piaculo ex cogitatione copulæ licitæ prælapsæ delectari. ibid.
64 Mortaliter delinquit & nõ delinquit mortaliter, qui delectatur in actibus ex se mortalibus, accidentibus quidem in ebrietate, in dementia, aut in somno. aut ignorantia. ibid.
65. Peccat, & non peccat lethaliter, qui ob bonum finem in actibus malis prælapsis delectatur. ibid.

LIBER XXXIV.

Septimum, & Decimum Decalogi Præceptum.

SECTIO I.

De Præcepto Septimo ac Decimo Decalogi receptiores sine lite Sententiæ. p. 337.

*Cap.*1. VID sit Furtum? ibid.
2. Furtum quale ad peccatum, vbi de furtis minutis. ibid.
3. De quantitate ad lethale peccatum sufficiente. p. 339
4. De Filiorum furtis. ibid.
5. De furtis Vxoris. p. 340
6. De Famulorum furtis. p. 341
7. De furtis Religiosorum. ibid.

SECTIO II.

De Præcepto Septimo, ac Decimo Decalogi Problemata. p. 342

*Cap.*8. CIrca grauem in Furto quantitatem ibid.
*Probl.*1. Grauis in furto quantitas potest, & non potest generatim definiri. ibid.
2. Peccat, & non peccat mortaliter qui rem paruam furatur, quam scit magni à domino pendi, obidque magno angore afficiendum. ibid.
3. Si dominus rei leuis furatæ alium occidat, credens illum fuisse latronem, fur malitiosè hoc gerens, tenetur ad homicidij restitutionem. ibid.
4. In furto reliquiarum datur, & non datur materiæ paruitas. p. 343
*Cap.*9. Circa minuta Furta. ibidem
5. Quando quis ab initio proposuit animo furari ab vno multa minima vsque ad notabilem quantitatem, singulæ actiones illorum minimorum sunt, & non sunt lethalia peccata. ibid.
6. Quando quis animo proposuit furari à pluribus multa minima vsque ad notabilem quantitatem, minimorum delinquit, & non delinquit mortaliter. pag. 344.
7. Est, & non est mortale peccatum furari, minima à pluribus intentione peruèniendi ad summam grauem si quis id efficiat, quia non habet vnde aliàs ipse, ac familia viuat. ibidem
8. Omnia rerum minimarum furta, etiamsi notabilem constituant quantitatem, sunt, & non sunt mortalia, obligant, & non obligant ad restitutionem sub mortali. ibid.
9. Quando vnus memor præteritorum furtorum rerum minimarum quę vel ab vno, vel à diuersis abstulit, furatur rem quoque minimam, quæ nouit quantitatem mortalem compleri: peccat, & non peccat lethaliter in illius ablatione, quamuis in hoc, nec in aliis furtiolis animum habuerit non amplius furandi. p. 345
10. Si post vltimum furtiolum complens quantitatem mortalem, aliud minimum

mum furtum geratur : committitur, & non committitur in illius acceptione nouum crimen lethale. ibid.

11. Qui leuem quantitatem aufert ab eo, à quo alij notabilem iam abstulerant, peccat, & non peccat lethaliter. ibidem.

12. Qui nullatenus causa fuit, vt alij minuta furta ex prædio cuiusdam (v. gr.) agricolæ gesserint, si conscius sit furti aliorum peccat, & non peccat lethaliter modicum cum ipsis, vel separatim accipiendo cum omnia illa furtiola simul notabilem implent quantitatem. p. 346

13. Quando vltimum furtiolum cùm præcedentibus coniunctum peruenit ad mortalem quantitatem: sufficit, & non sufficit, illud restituere. ibid.

14. Quandò non communicato consilio, sed tamen aliis scientibus, alios minima ab vno eodemque furtiola accepisse, singuli eorum peccant, & non peccant lethaliter, tam accipiendo, quam non restituendo minima. ibid.

15. Excommunicatio lata contra furantes minima, ex quibus graue damnum proximo coalescit, ligat, & non ligat eos, qui arripiendo minima lethaliter non peccarunt. ibid.

Cap. 10. Circa filiorum Furta. p. 348.

16. Filiusfamilias seruiens patri potest, & non potest clam accipere tantum, quantum pro eo seruitio extraneo cuidam esset impendendum. ibidem

17. Pater amittit, & non amittit vsumfructum bonorum aduentitiorum filij per professionem ipsius in Religione approbatam. ibidem

Cap. 11. Circà vxoris in maritum, & mariti in vxorem furta. p. 349

18. Vxor peccat, & non peccat circa obedientiam, si bona, quæ iure potest, contra expressam mariti prohibitionem expendat. ibid.

19. Vxor, quæ ampliſſimam detulit dotem, potest, & non potest absque mariti facultate quinquaginta (v. g.) aut sexaginta aureos nutrici ipsius ad dotem filiæ, aut ob licitum alium titulum impertire. ibid.

20. Vxor tenetur, & non tenetur, post mortem viri in suam referre partem, quæ ipso contradicente egenis parentibus verbi gratia fuit impertita. p. 350

21. Si maritus bona communia sibi & vxori dissipet, tenetur, & non tenetur, matrimonio soluto, id in suam partem referre, in quo vxorem damnificauit. ibid.

22. Parentes tenentur & non tenentur computare in partem, de qua liberè disponere possunt, eas donationes, & moderatas eleemosynas, quas minutatim in vita gessere ob damnum inde filiis resultans. p. 351

C. 12. Circa furta vasallorum in Principes, famulorum in dominos. ibid.

23. Quantitas minor duobus nummis aureis est, & non est lethale furtum vasalli respectu Regis, vel Principis. ibidem.

24. Lethalis quantitas in furtiua receptione Reginæ vel filiorum Regis, potest, & non potest definiri. ibid.

25. Quando famulus via iuridica potest à domino exquirere, quod sibi debitum denegatur, potest, & non potest id clam accipere sine furti reatu: incurrit & non incurrit excommunicationem latam contra occultos furatores. p. 352

26. Serui, & ancillæ possunt, & non possunt sine furti reatu habere peculium, seu dominium rebus à se acquisitis: v. gr. si ancilla, nihil dominam defraudando tempore sibi superfluente à debito seruitio aliquid lucretur, vel seruus similiter. ibid.

27. Serui captiui possunt, & non possunt licite sese ipsos à suis dominis furari, siue fugere in patriam, aut in alia loca vbi libertate potiantur. p. 353.

28. Quando constat dominis huiusmodi seruo ad suos aufugere: possunt, & non possunt licitè ob id ab eis puniri. ibidem

C. 13. Circà Religiosorum furta. p. 354

29. In furtis Religiosorum ex monasterij bonis est, & non est peccatum lethale minor quantitas, quam necessaria est ad lethale peccatum in filiorumfamilias furtis. ibid.

30. Religiosus minutatim furto accipiens quantitatem quinque vel sex Regalium, quæ furtum graue constituit, peccat lethaliter mox, ac vltimo furtiolo eam quantitatem attingit. ibid.

31. Prælati ac Superiores locales Religionis, verbi gratia, Abbates, Priores, Rectores, Abbatissæ, &c. possunt, & non possunt, sine furti reatu dare domesticis, & externis singulis

mensibus duos, aut tres aureos de Monasterij facultatibus p.355
32. Religiosus expulsus acquirens sibi non liberatur à furti reatu, quicquid acquirit, acquirit & non acquirit Monasterio. ibid.
33. Si Religiosus ejectus aliquid in illicita expendat, ille, qui ab eo accepit, tenetur, & non tenetur ea Monasterio restituere. ibid.
34. Furti reus est, & non est Religiosus, qui volenti sibi aliquid notabile largiri, orat, vt alteri sui contemplatione donet. pag.356

LIBER XXXV.

Octauum Decalogi Præceptum.

SECTIO I.

De Præcepto octauo Decalogi, receptiores absque lite sententiæ. p.357.

Cap. 1. DE Fama, & Infamia: de Honore, ac dedecore generatim. ibid.
2. De Mendacio. pagina 358
3. De Detractione. ibidem.
4. De Secreti reuelatione. p.361
5. De Contumelia, & Derisione. p.363
6. De Susurratione. p.363
7. De Maledictione. pag.364
8. De Iudicio temerario, Suspicione, Dubitatione. p.365
9. De Famæ, & Honoris Restitutione. pag.366

SECTIO II.

De *Præcepto octauo Problemata.* pag.273

Cap. 10. CIrca Detractionem, & contumeliam. ibid.
Probl. 1. Licet, & non licet contumeliam contumelia, conuitium conuitio aliquando propellere. ibid.
2. Est, & non est lethale peccatum contra iustitiam, audita aliorum crimina referre apud illos quos credis ex mera leuitate esse credituros, addens, te sic audisse, sed minime credere. ibidem.
3. Est, & non est lethale peccatum referre crimen alterius occultum vni, aut alteri viro prudenti, qui celabit illud, ac si ei referatum non fuerit. p.369.
4. Est, & non est lethale peccatum, sine causa iusta, & honesta ob meram curiositatem, & leuitatem naturalem ex obiecto, de vita, ac moribus aliorum inquirere, si inquirens persona grauis sit. ibid.
5. Est, & non est peccatum contra iustitiam infamare illum, qui falsis virtutibus famam acquisiuit. p.370
6. Illum, qui de vno crimine publicè est infamatus, licitum est, & non est licitum, de aliis delictis alterius speciei leuioribus infamare. ibid.
7. Dicitur, & non dicitur Libellum infamatorium manifestare ille, qui vni solummodo personæ perlegit. Vbi plura de Libellis famosis. p.371
8. Conficiens libellum famosum tenetur & non tenetur sese manifestare, si superioris edicto, vel sub censura iubeatur, vt se prodat. ibid.
9. Peccat, & non peccat lethaliter contra iustitiam, qui sine legitima causa iterum infamat illum, qui publice criminosus fuerat per Iudicis sententiam, vel per publicum factum, sed tamen iam erat bonam famam assecutus, aut illius delicta obliuioni erant reuocata. p.372
10. Peccatum lethale est, & peccatum lethale non est aut contra iustitiam, aut contra charitatem, infamatum iuridicè, vel publice in vno loco, diuulgare in alio, ad quem fama illius delicti vel nunquam, vel post longissimum tempus est perueniura. ibid.
11. Erit, & non erit peccatum lethale contra iustitiam, infamatum publicè in vno loco, in alio publicare, si ob id infamato præter infamiam aliquod aliud graue incommodum sit obuenturum. ibid.
12. Peccabit, & non peccabit contra iustitiam, qui alibi diuulgat crimen illius, quem scit fuisse iniuste à iudice, aut falsorum testium iniquitate hoc in loco damnatum. p.372
13. Licet, & non licet crimen falsum proximo affingere, ad torturam in iudicio, vel extra illud damnum graue vitandum. ibid.
Cap. 11. Circa secreti nobis commissi custodiam. p.374
14. Obligatio seruandi secretum oritur ex

ex iustitia, non ex fidelitate, & oritur ex fidelitate, non ex iustitia. ibidem.

15. Peccat lethaliter & non peccat contra iustitiam, qui alienas litteras à domino laceratas, & per partes in locum publicum proiectas postea iunctis, ac collectis earum fragmentis, legit & manifestat. p. 375

16. Qui aperiendo litteras, non solum venialiter sed & lethaliter peccauit, si tunc præter intentionem, & opinionem graue damnum sequatur: tenetur & nó tenetur ad restitutionẽ. ibid.

17. Erit & non erit lethale piaculum, alienas litteras sine nocendi animo ob curiositatem aperire. ibid.

18. Quando quis per vim aut fraudem secretum alicuius accepit, potest, & non potest, ad vitandum proprium irreparabile suum damnum detegere. p. 376

19. Peccata occulta subditorum, quæ solum vergunt in damnum ea committentis, possunt, & non possunt Superioribus reuelari à cognoscẽte fraterna correctione non præmissa. ibidem.

Cap. 12. Circa sui ipsius infamatorem. p. 377.

20. Lethale est, & non est, seipsum sine causa infamare, stãdo præcisè in propriæ infamiæ ratione. ibid.

21. Ad vitanda grauia tormenta iudicio, vel diuturnum carcerem, lethale est peccatum, & non est, se ipsum infamare, vel falsum sibi imponendo crimen, vel verum occultum confitendo, ex cuius impositione, vel confessione certò quis sciat, se capituli sententia afficiendum. p. 378

22. Ille qui in tormentis sibi falsum crimen affinxit, ob quod capitali subest sententiæ, tenetur, & non tenetur sese in supplicij loco retractare. pagina 379

23. Mortale est, & mortale non est interuenientes sententiæ contra aliquem delinquentem circa fœminarum solicitationem, in confessione in Aula S. officij prolatæ, delinquentem aliis manifestare queislibet. ibidem.

Cap. 13. Circa Susurrationem & Maledictionem. p. 380

24. Licet, & non licet per Susurrationem alium excludere ab amicitia, quam ipse tibi ambis inire cum Principe, (verbi gratia,) narrando tantum aliquos naturales defectus illius quem intendis excludere. ibid.

25. Est peccatum contra iustitiam, & non est peccatum contra iustitiam restitutioni obnoxium per susurrationem defectus naturales aliquos aperiendo, alterum à familiaritate Principis abstrahere. ibid.

26. Susurrationis peccata differunt, & non differunt specie propter diuersitatem amicitiæ, quam turbant: verbi gratia, si turbetur concordia inter coniuges, inter patrem & filium, inter fratres, inter sodales, inter amicos. ibid.

27. Necessariò debet, & non debet in confessione explicari malum, quod per maledictionem exoptatum est proximo. p. 381

28. Quando maledictio est in parentes, in Prælatum, in herum prolata quidem ore solum sine animo: semper est, & non est lethale peccatum. ibid.

29. Maledictiones differunt, & non differunt specie iuxta mala, quæ proximo optamus. ibid.

30. Qui omnia, aut multa mala simul alteri imprecatur multarum scilicet specierum deformitates: tenetur, & nó tenetur earum numerum, in confessione exponere. p. 382

Cap. 14. Circa Iudicium temerarium, & suspiciones. ibid.

31. Quãdo vtrinque sunt motiua probabilia, est, & non est peccatum graue iudicare probabiliter contra personãm præstando de eius delicto graui probabilem assensum. ibidem.

32. Materia grauis ad hoc, vt iudicium temerarium de illa sit culpa grauis, est, & non est, quando temere iudicamus aliquam culpam mortalem de proximo. ibid.

33. Iudicium temerarium est, & non est peccatum eiusdem speciei infimæ cum detractione. p. 383

34. Suspicio temeraria, qua scilicet ex leuibus habetur indiciis, ex suo genere, & obiecto est, & non est peccatum lethale. ibid.

35. Opinio temeraria ex suo genere est, & non est peccatum mortiferum. p. 384.

36. Licitum est, & non est nobis alteri imprecari malũ sub ratione boni, id est, ægritu-

ægritudinem peccatori, vt conuertatur. ibid.
Cap. 15. Circa Fàmæ Restitutionem. ibid.
37. Fama proximi debet, & non debet necessariò cum periculo vitæ restitui. ibidem.
38. Quando fama restitui non potest, infamator tenetur, & non tenetur eam pecunia compensare. p. 385
39. Infamator tenetur, & non tenetur ad restitutionem famæ, si infamatus suis virtutibus eam recuperauit. ibid.
40. Si infamia est iam obliuione sepulta, & restitutio nondum facta, infamator tenetur, & non tenetur adhuc restitutionem agere. p. 386
41. Qui aliquem infamauit non imponendo ei crimen falsum, sed manifestando verum occultum: tenetur & non tenetur, ad tantam damnorum temporalium restitutionem, ad quantam tenetur ille, qui falso alium infamauit. ibid.
42. Dãnificasti Antonium, (verbi gratia) in pecunia, & ille te grauiter contra iustitiam infamauit: potes, & non potes pro rata iniuriæ ei denegare pecuniæ restitutionem. p. 387
43. Qui alium infamauit siue crimen falsum ei affingendo, siue verum occultum reuelando, si iuranti ei, se fuisse mentitum fides non adhibeatur, tenetur, & non tenetur testes adhibere. ibidem.
44. Qui se mutuò ad inuicem infamarunt, excusantur & non excusantur à mutua restitutione. ibid.
45. Si ille, cuius famæ detraxit, mortuus sit, & dãnatus in tartarũ, teneor ãdhuc & non teneor ex iustitia eius famam non lædere, læsamque restituere. p. 388
46. Cum Petrus de Ioannis vitio loqueretur, alij per errorem de Paulo intellexere, & ideo Paulus apud ipsos famę patitur detrimentum, Petrus ex iustitia tenetur, & non tenetur ab auditoribus errorem auferre. ibid.
47. Obligatio restituendi pro fama læsa transit, & non transit ad infamãtis hæredes. p. 389
48. Reus legitimè imò non legitimè interrogatus negans delictum, tenetur, & non tenetur ad restitutionem accusatoris, & testibus, quibus iniuriam intulit, quatenus videtur implicitè affirmare eos falso accusasse, & testificatos fuisse. ibid.
49. Si auditores per simplicem retractionem non credant, teneris, & non teneris iuramentum adhibere. ibid.
50. Quando auditores nec adhibito iuramento, aut testibus credere nolũt, infamator tenetur, & nõ tenetur aliud adhuc mediũ resarciendi famam proximo à se ablatam procurare. p. 390
51. Petrus Antonium in materia castitatis iniuste infamauit: potest, & non potest ei famam restituere, laudando eũ in aliis materiis, quando non adest alius modus famam læsam resarciendi. ibid.
52. Infamator tenetur, & non tenetur læsam proximi famam restituere non solum apud eos apud quos eam læsit, sed etiã apud illos, qubus ipsi postea dixerunt. p. 391
54. Qui aliter potest suam famam tueri, & tamen vult eam tueri detegendo detractoris vitia occulta: delinquit solum contra charitatem, non contra iustitiam & contra iustitiam proculdubio delinquit. ibid.
55. Quando in occulto læsus fuit honor alicuius, est, & non est satisfaciendi obligatio. ibid.

Ad Dominam meam Epilogus. p. 392

R.P.

R.P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES ABSQVE LITE

Sententiæ, necnon problematicæ Disceptationes.

LIBER XXVIII.

DECALOGI PRÆCEPTVM PRIMVM.

PRimum Decalogi præceptum non est, vt vulgò circumfertur de diligendo Deo. Quia præcepta dilectionis Dei, & proximi non sunt ex decem Decalogi præceptis, sed in omnibus clauduntur tanquam prima principia, ad quæ omnia reducuntur, docente D.Thom. 2.2. quæst. 44. art. 1. ad 3. Nec hoc primum Præceptum est de Fide habenda, gerenda Spe, ac fouenda Charitate; præceptum enim trium Theologicarum Virtutum præceptis Decalogi præsupponitur, vt adnotat Nauarr. sum. cap. 11. num. 5. Quare præceptum hoc est de summo cultu Dei exhibendo, qui ad Religionis virtutem pertinet, vt tradunt Azor. lib. 8. cap. 1. q. 1. & Sanch. sum. lib. 2. in Procem. Et constat ex forma, qua hoc præceptum Exod. 20. traditur: Ego sum Deus tuus, non habebis alios Deos coram me. Cui cultui directè opponitur superstitio dans creaturæ honorem Deo debitum, vel Deo cultum modo quidem indebito, auctore D.Thom. 2.2. q. 92. a. 3. Remittens igitur ad Volumen septimum Theologicarum Virtutum, Fidei, Spei, & Charitatis tractatus, in præsenti materiâ de Religione cuoluam, quæ primo Decalogi Præcepto agnata exponitur. Expendam itaque

Religionis essentiam. Agam de Oratione in communi, de speciali Oratione, seu de Horarum Canonicarum priuata recitatione, de Oratione publica Chori. De Adoratione, ac denique de vitiis Religioni contrariis.

SECTIO PRIMA.

De Primo Decalogi Præcepto Receptiores absque lite Sententiæ.

CAPVT I.

De virtutis Religionis essentia.

1 *Vnde nam dicatur Religio.*

QVOD de Virtute Religionis, qua moueмur Deo cultum debitum (qui est primi Præcepti huius scopus) exhibere. Hæc virtus nomine Religionis appellatur à queisdam, quia ea, quæ in Dei cultum cedunt *relegata* sunt ac seperata ab vsu communi. Alij asserunt, dici à *relegendo*, quia sæpe relegenda, ac resoluenda sunt, quæ ab Dei cultum pertinent. Alij existimant, à *reeligendo*, quia iterum Deum eligimes, quem peccando reieceramus. Lactantium sequor, qui *l.4. de vera sapient. c.28.* docet, *Religionis* nomen à *religando* deriuari, quia Religione Deo vnimur, ac religamur, lege D. Augustinum *l.1. de vera relig. c. vlt.*

2 *Religionis definitio.*

Religio est Virtus moralis, quæ Deo tanquam omnium Creatori, ac Domino debitum cultum, & honorem exhibet. Est *Virtus*, quia eius obiectum, & materia circa quam versatur, est cultus Deo debitus, quæ est valdè Honestati, rationique conformis. Est virtus *moralis*, & non Theologica, quia non respicit Deū, vt immediatū obiectū, sed eius cultum, & reuerentiā. Omnes Doctores, cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 4.

3 *Religionis obiectum,*

Deus nō est proximū Religionis obiectū, sed remotū quodāmodo, & indirectū, diciturq; Obiectū *Cui*. Obiectū verò materiale huius virtutis sūt actiones humanæ, quibus referimus honorē, ac reuerentiā Deo: & cōprehenduntur nomine diuini cultus, quia in virtutibus moralibus iidē actus externi, qui ab internis fiunt, secundū se sūpti, & vt priores in ordine intentionis sunt taliū virtutū materia. Obiectū autem formale Religionis est, reddere Deo cultū debitū; quia munus iustitiæ est reddere debitū: Religio autem est pars potestatiua iustitiæ. Quoniā autem duplex est debitū legale, & morale, debitū Religionis propriè est morale, fundatur enim in honestate virtutis, quod prius est debito legali. Su. *to.2. de Rel. l.1. c.3.7. & 9.* Caiet. *2 2. q.81. a.2. 3.4. & 5.* Filliuc. *tract.23. cap.1. q.2.* Lessi. *l.1. cap.36. num.10.* Becan. *2. 2. quæst.81. quæst.2.*

4 *Quomodo Religio ab aliis virtutibus distinguatur.*

Religio distinguitur ab iis virtutibus, quæ hominē rectè cōponunt in se ipso: seu nō ad alterū, vt à Tēperātia, Fortitudine. Distinguitur etiā ab omnib. ijs, quæ hominē disponūt in officiis ad proximū, vt à misericordia & Iustitia particulari. Quia Religio disponit hominē ad Deū. Distinguitur præterea à virtutibus Thelogicis A. Fide quidē quia Fides est virtus intellectus, Religio affectus: sæpè tamen Fides vocatur Religio, quia est Religionis fundamētū, ac regula. A spe, & Charitate, quia hæ virtutes immediatè attingūt ipsū Deū tanquā proprium obiectum Religio verò nō versatur immediatè circa Deū sed circa Dei cultum, id est circa signa interna, vel externa; quibus Deus honoratur, & colitur. Sylui. *1. 2. q.81. a.2.* Suar. *l.3. c.1. n.2.* Less. *l.1. c.36. du.2. n.7.* Filliuc. *tr.23. c.1. q.4.* Becan. *2. 2. q.81. q.1.*

5 *Actus aliarū virtutum ad Religionem spectare possunt.*

Omnes actus omniū virtutū aliquo modo possūt ad Religionis virtutē spectare, quatenus ab ea imperari possunt, seu in cultum, & gloriam Dei referri. Quia cū homo est rectè affectus per Religionem erga gloriam, & cultum Dei potest facile excitari ad exercendos actus aliarū virtutum in eum finē, vt gloriam Deo afferant. Proprij autē illi sūt Religionis actus, seu ab ea proximè dicuntur, qui peculiariter continēt quādam subiectionē creaturæ erga Deū supremum omnium Dominū. Vndè iuxta diuersitatē eorū, quæ Deo ab homine subiiciuntur, diuersi sunt Religionis actus. Triplex verò est bonū hominis, quo per Religionē Deo subiicitur: primum est bonū mētis spirituale, & hoc subiicitur Deo per actū deuotionis, quæ nihil est aliud quā feruor, & promptitudo voluntatis ad diuinū cultū: quæ nascitur ex cōsideratione diuinæ excellētię, seu affluentiæ bonorū, quæ perenniter ab ea in nos dimanant: & ex consideratione nostræ miserię, quā ex nobis ipsis gerimus. Subiicitur etiā bonum mentis nostræ Deo per Orationem, quę est applicatio nostri desiderij apud Deū, vt aliquid ab ipso impetremus. Præterea subiicitur Deo per actū vouēdi, & iurāndi, ac per Sacramētorum vsum. Alterum bonum est externum corporis nostri, & hoc Deo per externam adorationem subiicitur. Omnes Doct.

CAPVT II.

De Oratione vniuersim.

6 *Orationis definitio.*

ORATIO est *actus rationis practica desiderij animi coram Deo explicatus, vt aliquid ab ipso impetretur.* Dicitur *actus rationis*, quia oratio elicitiue est ab intellectu seu ratione, supposito actu voluntatis mouētis. D. Basil. *orat. in Tulit. oratio*, (ait,) *est boni cuiusdā petitio, quæ à piis ad Deū effunditur.* Additur *practica*, quia desiderū animi nō pandimus coram Deo, vt illud cognoscat, sed vt moueatur ad rem, quam cupimus, præstandam. Laym. *l.4. tract. 1. cap. 1. num. 1.* & omnes.

7 *Est necessaria necessitate medij.*

Oratio ad Deū homini viatori necessaria est necessitate medij ad salutem, secundùm ordinarium à Deo præscriptū modum homines adultos saluandi. Quia & rerum naturis, & suaui prouidentiæ ac gubernationi Dei rationalium creaturarum cooperationem exigentis congruit, vt posteà quam homines Deum authorē, & infirmitatis suæ adintorem agnouerunt, eius necessarium auxilium quærant, desiderent, & humiliter petant. Suar. *tom. 2. de Relig. l.1.*

l. 1. cap. 28. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 2.

8 *Est necessaria necessitate præcepti.*

Oratio est necessaria ad salutē necessitate præcepti diuini, ac naturalis. Quia Christus Dominus profatur, *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Mat.* 28. Deus enim iubet, vt ad salutē nostram cooperemur, adhibentes medium humilis subiectionis, & cultus per petitionē eorū, quæ nobis ab ipso sūt necessaria. D. Tho. 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. Durand. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 12. Medi. *de orat. quæst.* 9.

9 *Quo tempore orandi nec-sitas urgeat.*

Determinari nequeunt tempora, quibus præceptū orādi per se, & ex Religionis virtute obligat. Necesse tamē est, vt nō nimis diù ab oratione desistamus 1. *Thessal.* 4. *sine intermissione orate.* Quia continuum cum hostibus nobis spirituale est bellum. Suar. *l.* 1. *c.* 30. *n* 15. & 16. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5. *a.* 1. Lessi. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 11. Valen. *to.* 3. *d.* 6. *quæst.* 2. *pun.* 3. Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. Per accidens autem, siue ob occurrentem aliquem euentum plures orandi obligationes, saltem ex Charitatis virtute prouenientes ab his, aliisque Doctoribus annumerantur, nempè: si gravis tētatio sit sperāda, si eximium à Deo beneficium ad salutem necessarium sit homini consequendum. Si mortis propriè immineat periculum. Si communitas in magno sit constituta periculo. Si proximus in spirituali necessitate sit constitutus, vt si quis videat duos ad duellum properantes, nec aliter impedire possit. Sed huiusmodi obligatio rara est. Quia conari ad proximum à peccato liberandum non tenemur, nisi probabilis spes sit securæ liberationis. Sylvest. *v. Oratio. q.* 8. Nauar. *sum. c.* 13. *n.* 18. Suar. *citat. c.* 30. *in fine*, Lessi. *n.* 11.

10 *Peccatores nisi possunt orare.*

Peccatores benè orare possunt, & orātes exaudiuntur. D. August. *tr.* 44. *in Ioa.* si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittēs, & pectus suum percutiēs diceret: Domine propitius esto mihi peccatori. Apud *Mat.* 7. Dominus: Omnis qui petit *accipit.* Addit Auct. Impers. in Mat. *sine iustus sit, siue peccator.* Pergit D. Tho. *in* 4. *dist.* 14. *q.* 4. *a.* 16. *Modo adsint hæ quatuor conditiones, vt pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseuerantèr.* Tunc Deus secundum misericordiam suam etiam peccatores ad se accedere incipientes exaudit. Neque obstat illud Cœci: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit. Ioa.* 9. Nam strictum id est Cœci, qui nondum perfectè instructus, & S. Spiritus inunctus erat. Gabr. *lect.* 59. & 63. & omnes communiter.

Animæ in Purgatorio constitutæ pro se orāt. Quia cū pœna afficiantur graui quidē ex igne, & graviori admodū ex desiderio Deum aspectādi, Deo hunc affectum humili petitione explicant saltem vt exitet fidelium in terris existētium animos ad suffragia pro illis ferēda. Alens. 4. *p. q* 91. *membr.* 4. Valen. *to.* 3. *d.* 6. *q.* 1. *pun.* 6. Lessi. *l.* 2. *c.* 37. *dub.* 5.

11 *Beati pro nobis orant Angeli, & homines.*

Sancti in superis pro nobis orant, etiam in particulari. Assertio est de fide. Ioach. 1. Angelus afflictionem populi miseratus, ita Dominum deprecatus est: *Domine exercituum vsque quo tu nō misereberis Ierusalem, & Vrbium Iuda, quibus iratus es?* Vbi D. Hieron. Angelus, qui interpellat pro Israēl occasionē accipit pro populo deprecandi. Legimus *Luc.* 15. gaudiū esse in cœlo, si peccator ad pœnitentiam reuertatur: cur, nisi quia Angeli; aliique beati desiderij sui ac voti compotes fiunt? Hinc colligitur Beatos in cœlo rectè à fidelibus inuocari, vt opē à Deo, cui coniuncti sunt, impetrēt. Cyril. *in l. Num. c.* 31. *n.* 26. Euseb. *de præpar. Euang. l.* 13. *c.* 7. Basil. *hom. in* 40. *Mart.* & alij passim.

12 *Christus Dominus orat, vt homo.*

Christus, vt homo etiam nunc in cœlis orat Patrē suum cœlestē pro nobis. *Ioan.* 14. Ego, inquit, *rogabo Patrē, & alium Paraclitū dabit vobis*, & *Hebr.* 9. *saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellādū pro nobis.* Sua. *in* 3. *p. to.* 1. *d.* 45. *sect.* 2. Vasq. *de ador. l.* 1. *d.* 4. *c.* 1. *n.* 51. Less. *l.* 2. *c.* 37. *du.* 5.

13 *Pro damnatis, nefas orare.*

Pro damnatis nefas orare. Quia in statu sunt, quo neque dilectionis Dei, aut hominum, neque fructus ex oratione nostra possunt esse capaces. D. Greg. *l.* 4. *Dialog. cap.* 44.

14 *Pro beatis fermè non oramus.*

Pro Beatis, in cœlo fermè non oramus, sed potiùs vt ipsi Deū pro nobis exorēt. Quia orationibus nostris ipsi non indigēt: sed nos eorū precibus indigemus. Porrò nihil obstat quominus Sācto gloriæ accidētalis augmentum desideremus, & à Deo petamus. Ideò *fermè* dixi Suar. *de orat. l.* 1. *c.* 14. Innocent. III. *ad c. Cum Marthæ. de celebr. Missar.* ex Aug. *ser.* 17. *de v. Apost.*

15 *Oramus salubriter pro defunctis.*

Pro animabus in Purgatorio existētibus, vt à pœnis eripiantur, salubriter nos orare ex Fide est certū. 2. *Machab.* 12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Lege D. August. *l. de cura pro mortuis, c.* 11.

16 *Et pro omnibus viatoribus.*

Pro omnibus hominibus viatoribus seu in genere, seu sigillatim rectè orare possumus. Quia omnes indigēt auxilio, & gratia Dei: Ergo omnibus à Deo auxiliū desiderare, ac petere possumus, quandiu eius capaces sunt. Sed etsi aliquis obstinatissimus peccator appareat, nefas tamen est, eum à communibus orationibus tanquam reprobū excludere. Suar. *l.* 1. *de orat. c.* 15. lege D. Tho. *q.* 83. *a.* 7. *ad* 3.

17 *Quæ bona homini absolutè sunt petibilia.*

Verū bona illa spiritualia, quib. per se homo malè vti non potest, absolutè à Deo sūt postulanda ita, vt eis opposita nefas sit petere. Quia homo viator quā maximè desiderare, ac petere debet finē vitæ æternæ, & media eò per se conducentia: quæ autem ipsis opposita sūt detestari, ac aufugere. At ad vitā æternā per se conducūt spiritualis gratiæ auxilia, virtutes tum supernaturales, tum etiam morales acquisitæ, earumque actus. Patet ex Dominica Oratione, in qua cōstituto fine, quē in primis desiderare, ac petere debemus, videlicet Dei gloria, & nostra beatitudine, deinceps oramus quæ tanquam media ad hūc finē cōducere possūt, nobis impertiri: mala autē impedientia auerti. Suar. *l.* 3. *de orat. c.* 8. Est autē dominica Oratio omnium aliarū Orationū sanctarum exemplar, aut compendium. D. Augustino fante, *Epist.* 162. *ad Probam, c.* 12. *Qualibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis format, nihil aliud dicimus, quam quod in istâ Dominica oratione positum est, si rectè, & congruenter oramus.*

18 *Quæ sunt, indifferentia ad bonum vel malum vsum, possunt peti si expediat.*

Quæ hominis bona absolutè sunt. ita tamen vt eis malè vti possit, puta scientiæ, & artes, corporis vita, sanitas, membrorum integritas, à Deo absolutè, seu nulla expressa conditione tum nobis ipsis, tum aliis rectè petimus. Quia eiusmodi bona sunt naturales perfectiones hominis. Ergo per se, & absolutè appetibilia sunt secundum rectam rationem, & consequenter à Deo tanquā authore rectè, & congruenter efflagitantur. Suar. *l.* 3. *de Orat. c.* 17. *n.* 2. ex Augustino.

19 *Licitum est interdum petere temporalia mala.*

Licitum est interdum ob bonum finem petere temporalia mala, scilicet corpori mortem, ægritudinem, dolorem, &c. Quia licet hæc sunt

sunt mala hominis secundum naturam, ideóque ea ratione non appetibilia: tamen in ordine ad finem altiorem virtutis, ac beatitudinis consequendæ indifferentia, ideóque aliquibus pro ipsorum constitutione ad animi perfectionem vtiliora, consequenter à Deo interdum possunt saltem sub conditione expressa, aut subintellecta si ita expedire iudicet, peti. Laym. *l. 3. tr. 1. c. 1. num. 5.*

20 *Diuitiæ, honores, possunt peti conditione ea adhibita, si petenti expediat.*

Quæ omninò indifferentia sunt, vt abundantia diuitiarum, honores, dignitates ob bonum finem sicuti desiderari, ita & à Deo peti possunt: quamvis ob periculum abutendi huiusmodi rebus non debent peti sine adhibita conditione si petenti expediat. Ptiorem propositionis partem probo. Quia hoc ipso quod hæc bona secundum se indifferentia sunt per intentionem finis boni cohonestantur, bona appetibilia reddunturr, ideóque rectæ orationis materia. Suar. *l. 3. de orat. cap. 17. assert. 5.* Posteriorem verò. Quia ea bona, suppositâ hominis imbecillitate, assolent comparata non tam ad salutem, quam ad animi pernitiem inseruire: Vndè Dominus ob maiorem spiritualis vitæ perfectionem illa contemnere, & abijcere nos edocuit. Valent. *tom. 3. d. 6. quæst. 2. pun. 5.*

21 *Peti bonum, à Deo petere rē obnoxiam peccato.*

Qui à Deo petit rem peccato obnoxiam, lethaliter delinquit etsi actio, ad quam auxilium à Deo postulatur, tantùm sit venialiter mala. v. gr. si ores Deum, vt proximum leui mendacio decipias. Quia Dei irrogatur iniuria. Lim. *l. 3. tr. 1. c. 1. n. 6.*

22 *Veniale est petere lucrum ex ludo si honestus finis desit.*

Si quis rem indifferentem, v. gr. lucrum ex ludo ad vlteriorem honestum finem non referendæ, à Deo petat non exercet orationis Religiosæ actum, sed delinquit, quamvis non semper mortaliter. Quia non petitur à Deo concursus ad peccandum, quæ est grauis irreuerentia, sed auxilium ad rem indifferentem, cuiusmodi oratio bona, ac decens non est. Suar. *l. 3. de orat. c. 23. n. 5.*

23 *Vis orationis ad impetrandum,*

Si debitæ conditiones adsint, oratio habet vim indubitatam, & infallibilem, *Mar. 24.* Dominus: *Dico vobis, omnia quæcumque, orantes petitis, credite, quia accipietis.* Quatuor autem conditiones sunt: Vt petantur quæ necessaria, seu vtilia sint ad salutem. Vt sit oratio pia, videlicet actus virtutis Religionis, per quem homo se Deo tanquam Domino, ac adiutori suo subiicit. Vt oratio fiat pro se ipso, non pro aliis. Quia vt Deus conferat gratiam seu donum, quod petitur, debet homo esse dispositus ad recipiendum: hæc autem dispositio est in libera potestate orantis, si pro se petat; non item si pro alio postulet. Denique vt perseueranter oremus, id est, non statim ab oratione desistamus, si nos non exaudiri arbitremur: sed iteratò sæpius, ac instanter petamus, iuxta Christi monitum: *Luc. 18. Oportet semper orare, & non deficere*, Maximè autem hæc perseuerantia necessaria est in peccatoris oratione iustificationem, & salutem suam postulantis. Quia is plerumque obicem ponit, quo minus statim ad Dominum conuertatur.

Laym. *l. 3. tract. 1. cap. 1. num. 10.*

* * *

CAPVT III.

De Horis Canonicis nonnulla præmitto.

24 *Oratio alia mentalis, vocalis alia.*

Oratio alia est interna, seu mentalis, quæ solo mentis fit affectu, alia externa, seu vocalis, cū internus animi actus voce explicatur. *Psal. 141. Voce meâ ad dominum clamaui.* Deindè alia est omninò priuata, quam quisque proprio nomine ad Deum profundit seu pro se ipso, seu pro aliis. Alia publica, quæ nomine totius Ecclesiæ seu fidelis populi fit à Ministris Ecclesiæ ad id deputatis: ideóque externa, & vocalis esse debet, vt populo innotescat. D. Tho. *q. 83. a. 10. corp.* Palud. *in 4. dist. 15. q. 5. art. 2.*

25 *Litaniæ, & Officium B. Virginis.*

Eiusmodi publicæ orationes sunt Litaniæ, de quarum antiquitate lege Baronium *anno 58. n. 111.* Et Officiū B. Virginis, quod propriè Canonicum, seu horarū Canonicarum nō appellatur. Etsi verò hæ preces ab Ecclesia institutæ recitari vtiliter possint à fidelibus quibuscūq; sine obligatione: habent tamen tunc rationem orationis priuatæ: publicæ verò orationis vim sortiuntur, quatenus à personis Ecclesiasticis recitantur cum obligatione, ac deputatione ad huiusmodi Officium orandi. Laym. *l. 3. tr. 1. c. 2. n. 1.*

26 *Horæ Canonicæ dicuntur à statis horis diuinis officiis derivatæ.*

Horæ Canonicæ dicuntur publicæ ac statæ preces horis diurnis ac nocturnis ex Sacrorum Canonum decreto ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ ad Deum persoluendæ: aliàs Officium diuinum, vel Ecclesiasticū, *c. 1. c. Dolentes de celebr. Miss.* Quia, præcipuum ac maximè proprium Clericorū munus est diuinis precibus apud Deum nomine Ecclesiæ insistere. Porrò consuetudo illa Ecclesiastica ad Ecclesiam conueniendi ac diu noctúque psallendi antiquissima est, & Apostolorum institutione ad nos vsque deriuata. Inde colligitur, quod omnium sæculorum Patres, aliíque scriptores eius mentionem fecerint. Lucian. *in philopatro.* Plin. *l. 10. Epist. 101.* Clem Roman. *l. 8. Apost. Constit.* Tertul. *in Apolog. c. 39.* & alij.

27 *Ecclesiastici Officij diuisio in nocturnum & diurnum.*

Ecclesiasticum Officium diuiditur in Diurnum, & Nocturnum *c. Dolentes*, ibi: *Præcipientes, vt Clerici Officium nocturnū pariter, ac diurnum quantum Deus eis dederit studiosè celebrent pariter ac deuotè.* Nocturno conuenit Matutinū cui ex Romanæ. Ecclesiæ cōsuetudine Laudes adiungūtur. Sex reliquæ Horæ diurno recitātur.

28 *Septem Horæ recolūt Christi D. Mysteria.*

Septem sūt Canonicæ Horæ. Hora enim noctis, cui nocturni cum maturinis Laudibus deputati sūt. Christus in mōte Olineti comprehēsus, atque illigatus est, idémque post noctis mediū victor resurrexit. Hora prima, siue orto iam sole sanctis mulieribus apparuit, Petrū aliósque Discipulos piscātes inuisit. Tertia hora ad Crucē damnatus fuit, eademque spiritus sanctus super Apostolos descendit. Sexta fuit Cruci suffixus. Nona spiritū efflauit. Vespertina in vltima cœna Eucharistiam instituit: eadēque hora, impetrata à Præside licētia, Ioseph corpus sacerrimū de cruce deposuit. Hora completorij, siue ad noctis initiū guttas sāguineas in oratione emisit, eiusque corpus fuit sepulchro mandatū. Hæc & alia Mysteria septem Ecclesiastici Officij sacræ recolunt Horæ. Ex Patribus.

CAPVT

CAPVT IV.

De iis, qui Horas Canonicas priuatim recitare tenentur.

29 *Clerici in maioribus cõstituti, Beneficiati & Religiosi tenentur Officium recitare, ex iure Ecclesiastico.*

CLERICI in maioribus Ordinibus constituti, Beneficiati, ac Religiosi professi Choro ex professione deputati tenẽtur horas Canonicas diebus singulis recitare: non quidem ex iure naturali, ac diuino. Quia licet Clerici, Beneficiati, ac Religiosi specialem obligationẽ habeant orandi pro populo, non tamen ex iure diuino habent obligationem orandi hac speciali forma, quæ Ecclesiastico iure indicta est. Suar. *to. 2. de Relig. l. 4. de orat. c. 16. n. 2.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 4 fine.*

30 *Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi tenentur.*

Et quidẽ Clerici presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi diuinum Officium tenentur recitare, licet autem ex iure scripto non satis conuincitur huiusmodi obligatio pro omnibus Clericis in sacris constitutis: illa est ex consuetudine firmata, quod sufficit. Moneo tamen debere Clericos ordines sponte susceptos non coactè. Quia hæc obligatio annexa est ordini spõte susceptο, si tamen liberè vtatur ordine accepto, tunc ad omnia illi annexa obligãtur. Quia per illum vsum liberum ordinem ratificat. Nauar. *de hor canon. c. 7. à n. 2.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 5. q. 1.* Suar. *l. 4. de orat. c. 16. n. 9.* Sa *v. Ordo, n. 24.* Sanch. *l. 7. de imped. d. 29. n. 7.*

31 *Non tenentur Clerici in minoribus constituti.*

Clerici in minoribus constituti hac obligatione non tenentur, neque ad Psalmos, neque ad Canticum graduũ, neque ad Officiũ B. Virg. ratione ordinis. Quia licet *c. si quis Presbyt. 92.* de quolibet Clerico Ecclesiæ deputato cauetur obligatũ esse ad horas Canonicas dicendas: manifestè loquitur textus de Clerico Ecclesiæ deputato per Beneficiũ nõ per Ordinẽ; nã si de deputatione, quæ ex precisa ordinatione procedit, loqueretur, sufficeret dixisse: *Quilibet Clericus*, absq; ad latione illorũ verborũ: *Ecclesiæ deputatus.* Vasq. *de Ben. c. 4. §. 1. dub. 2.* Lessi. *l. 2. c. 37. dub. 9. n. 4.* sufficienter hi suo muneri satisfaciunt, si Ecclesiæ in gradu accepto deseruiant.

32 *Beneficiati tenentur.*

Habẽtes Beneficia siue Curata, siue simplicia, tenentur horas Canonicas persoluere. Concil. Later. sub Leone X. *sess. 9.* Motus proprius Pij V. qui est 138. illius Pontificis editus anno 1572. duodecimo Kalendas Octobris, quẽ refert Nauar. *sum. c. 25. n. 121.* & Bonac. *de horis Canon. d. 1. q. 5. pun. 1.* Debet tamen qui habet Beneficium, liberè recepisse, non coactè, vt de ordinato dixi.

33 *Quia nomine Beneficij intelligitur.*

Nomine Beneficij intelligitur Episcopatus. Rectoria, Canonicatus, Dignitas, Præpositura. Quia hæc nullus dubitat verè, & propriè Beneficia esse. De Præstimoniis, Capellaniis, Vicariis, Pẽsionibus, ac Coadiutoriis solùm est dubitatio.

34 *Præstimonia est Beneficij cui recitandi obligatio.*

Ad hunc effectum *Præstimonium* comprehenditur. Quia est portio quædam ex Beneficij fructibus deducta, & adolescentibus assignata, vt in studiis sustententur, vt eruditi valeant Ecclesiæ deseruire, scio, probabile esse inter Beneficia non annumerari: non tamen est probabile, ad Officium Canonicũ non obligari. Quia ad hũc effectum sub Beneficiis id Pius V. comprehendit, *Declaramus, Præstimonia, Pensiones, & qualiacumque alia Beneficia etiam nullam omninò seruitutem habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi.* Vasq. *opusc. de Benef. c. 4. §. 1. dub. 3.* Suari. *de horis canon. l. 4. c. 22. n. 10.*

35 *Et Capellania collatiua.*

Beneficium est *Capellania collatiua*, id est, quæ Episcopi erecta est authoritate, & ab ipso confertur, etiam si laicorum patrimonio sit instituta, & ipsis nominatio, seu præsentatio reseruata. Quia habet omnes qualitates ad Beneficium requisitas. scilicèt, conferri à Prælato personæ Ecclesiasticæ, & ad Ecclesiasticum officium. Vasq. *opusc. de benef. c. 4. §. 1. dub. 4. n. 9.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 2. pun. 4. n. 6.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 3. 4. 5.* Garcia *de Benef. p. 1. c. 2. nu 81.* Idem dixerim, licèt Capellania sit ad nutũ amouibilis: & generaliter de quolibet Beneficio Manuali idem dicendum: Quia pro illo tempore, quo Capellaniam quis habet, habet ius percipiendi fructus, ac proinde habere beneficium ad huiusmodi effectum recitandi dicitur.

36 *Et Commẽda in commendatarij vtilitatem facta.*

Commenda est huic oneri addicta. Quia licèt Beneficium propriè non sit, subire tamen debet commendatarius illius obligationes. Intelligo de commenda in commendatarij facta vtilitatem; nam huiusmodi commendatarius habet ius percipiendi fructus quibus recitandi onus addicitur. Suar. *l. 4. de hor. can. c. 22. n. 15.* Vasq. *de Benef. c. 4. §. 1. dub. 3.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 2. pun. 4. n. 2.* Secus dixerim de commenda in vtilitatem Ecclesiæ, per quam non datur disponendi de fructibus potestas. Garcia *p. 1. c. 1. num. 106.*

Non comprehenditur *Vicaria* Beneficij vniti alicui Religioni aut Ecclesiæ Parochialis vacãtis, vt ex vi illius Vicarius recitare teneatur. Quia nõ reputatur iure, & re ipsa Beneficiarius, sed Beneficiarij substitutus. Garcia *p. 3. c. 1. num. 106.* Suar. *l. 4. de hor. can. c. 22. n. 15.*

37 *Non tenentur Pensionẽ habẽtes recitare Officium Canonicum, sed solummodo Officium paruum Deiparæ.*

Excluditur ab huiusmodi obligatione *Pẽsio*, quæ Beneficio imponitur in subsidium resignãtis Beneficium, vel ob aliam causam. Quia propriè Beneficium non est, cum non adsit ius percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum officium: sed potius est ius percipiendi fructus ab eo, qui titulum Beneficij possidet. Porrò huiusmodi pensionarius tenetur Officium parvum Deiparæ recitare. Quia ita in Bulla Pij V. præscribitur. Debet autem ille pensionem habere tanquam Clericus, vt hanc subeat obligationem. Tunc aliter dicitur pensione frui tanquam Clericus, cum necessariò debet esse tonsura prima initiatus, vt illam recipiat: Secus verò, quando pensio hanc non requirit qualitatem. Valen. *d. 6. q. 2. pun. 16. §. 2.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 4. q. 3.* Suar. *de Relig. to. 2. l. 4. c. 22. n. 6.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 2. pun. 4. n. 3.*

38 *Coadiutoriæ cum futura successione nõ obligatur ad horas Canonicas.*

Coadiutoria concessa alicui, assignata aliqua portione pro congrua, & cum futura successione non est Beneficium, ideóque ad horas canonicas non obligatur. Quia coadiutori datur potestas succedendi in beneficio post proprietarij obitum: Ergo non confertur illi Beneficium proprietarij: alias idem Beneficium in duobus existeret. Suar. *l. 4. de hor. can. c. 22. num. 9.* Azor. *l. 10. c. 4. q. 1.* Garcia *p. 3. c. 1. n. 109.* Bonac. *d. 1 q. 2. pun. 4. n. 14. & 16.*

39 *Nec Beneficiũ si nullos habeat fructus.*

Si Beneficium nullos habet fructus, Beneficium non est. Quia nullus adest ius percipiendi fructus ob aliquod Ecclesiasticum Officium: ac proinde in illo nulla recitandi obligatio erit. Garcia *p. 3. c. 1. n. 41.* Suar. *l. 4. de hor. can. c. 19. num. 6.*

40 *Beneficium habens alia onera annexa sufficientia ad congruã, licèt ea vnera alij exequenda dentur, obligatur.*

Si Beneficium habet alia onera annexa, vt Missas assistentiam in choro, &c. quæ si quis per se ipsum præstet, possit obtinere saltem tertiam partem sustentationis obligatus est, ad horarum recitationem, licèt aliis exequentibus ea munera donet. Quia hoc est per accidens, & non debet Beneficij naturam immutare. Suar. *l.4. de hor.can.c.21.n.10.*

41 *Et Capellania, cui adest annexum onus dicendi Missas, qua fruitur adolescens, licèt per alium, Missæ celebrentur.*

Si adolescenti concedatur Capellania, cui adest annexum onus dicendi aliquas Missas, pro quibus omnes fructus Beneficij insumit obligatus est ad recitationem. Quia fructus, quos consumit verè acquirit, & consequenter ei tribuuntur ob Missas dicendas, & Officium recitandum. Si enim habilis ille esset ad Missas dicendas, dubitari non potest, eum obligatum esse recitare ex vi Beneficij: Ergo etiam quando per alium hanc exequitur obligationem. Nam posse adhibere substitutum in aliqua obligationis parte non cum ab obligatione personali recitandi eximit, quam in alium transferre non potest. Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 31. num. 172.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 2. pun.4.n.20.* Azor. *p.1.l.10. c.4.q.8.*

42 *Et qui habet plura Beneficia tenuiaque sufficiunt ad sustentationẽ.*

Beneficiarius habens plura Beneficia tenuia quibus omnibus competenter possit magna ex parte sustentari, etiam si quodlibet insufficiens sit, tenetur recitare. Quia iã recipit ab Ecclesia iustum impensi oneris stipendium. Garcia. *p. 3.c.1.n.39.* Sicar. *l.4. de hor.can.c.21.n.12.* Bonac. *d.1.q.2 pun.4.n.18.*

43 *Beneficium, cuius fructus quia sua culpa non recipi re citare obligar.*

Si quis sua culpa Beneficij fructus non percipiat, vt quia est excommunicatus, suspensus, vel absens ab Ecclesia, vel alia via non vult inseruire Beneficio, neque illius possessionem capere: ad recitandum est obligatus. Quia ei non licet à Beneficio huiusmodi excutere obligationem: cum Beneficium ex parte sui stipendium pro illa suppeditet. Vasq *de Benef.c.4.§.1. dub.6.n.25.* Azor. *p.1.l.10.c.4.q.6.* Suar. *l 4. de hor.can.c.10.n.12.*

44 *Et qui pro aliquo tempore fructus copiosos non accipit.*

Qui pro aliquo tempore non accipit fructus copiosos Beneficij, (quos grossam vocitant) accipit tamen si assistat in horo aliáque munia Beneficij exercens distributiones quotidianas: debet recisare. Quia iam ratione Beneficij, ei stipendium pro impenso officio suppeditatur. Nauar. *c.7. de orat.n.39.* Lessi *l.2.c.34.n.173.* Suar. *c.10.n.3.4.7.9.& 11.* Garcia *p.3.c.1.n.61.* Vasq. *c.4.§.1. dub.6.n.27.*

45 *Et qui nullos percipit, sed sperat se accepturum.*

Recitare tenetur, qui de præsenti nullos percipit Beneficij fructus, sperat tamen, se in posterum recepturum. Quia spes firma orta ex iure ad fructus percipiendos æquiualet fructibus perceptis: aliàs ferè nullus Beneficiarius in primo suæ præsentationis anno obligatus esset recitare, cum regulariter fructuum perceptio soleat differri. Suar. *l.4.c.20.n.1.* citans Toletum, Medinam, Cordubã, & Nauarrum. Vasq. *de Benef.c.4.§.1. dub.6.n.26.* Vndè si statutum sit, vt nil Beneficiato concedatur ob seruitium anno primo impensum, sed omnes fructus illius anni ei reseruentur expendendi post mortem illius in fauorem recitare tenetur. Quia verè lucratur fructus, & spes illorum firma est sufficiens impensi Officij stipendium. Lessi. *l.2. c.34. n.170.* Bonac. *d.1. de hor.can.q.2.pun.4.n.22.* Azor. *l.10. c.4.q.4.* Suar *l.4. de hor.can.c.20.n.9.* Garcia *p.3. c.1.n.62.*

46 *Et qui Beneficium recipit ex resignatione cum obligatione eius muneri faciendi, & reddendi omnes fructus in pensionem resignanti, recitare tenetur.*

Qui Beneficium recipit ex resignatione cum obligatione eius muneri faciendi, & reddendi omnes fructus in pensionem resignanti, recitare tenetur. Quia ex hac acceptatione non impeditur accipere stipendium debitum pro Beneficij administratione. Nam voluntariè recipit Beneficium, & obligationem administrandi absque vllo stipendio, virtualiter cedit, & quasi donat stipendium administrationi debitum. Ergo dici potest ex stipendio ministrare, ac recitare. Vasq. *de Benef.c.4.§.1. dub.6.n.34.& 35.* Suar. *l. 4.c.20.à n.2.* Garcia *p.3.c.1.n.54.* Bonac. *d. 1. de hor.can.q.2.pun.4.n.21.*

Ex resignatione cum obligatione satisfaciendi eius, munera licèt fructus non percipiat.

47 *Si fructus ut prædecessoris consensu fuerint reseruati, non est recitandi obligatus.*

Si fructus Beneficij ex prædecessoris resignantis id in te consensu fuerint reseruati, de obligatus eris recitare. Quia tunc verè Beneficium non possides, sed tantùm illius titulum, cum non possideas ius percipiendi fructus, nec in tua fuit potestate illud possidere. Garcia *p.3. c.1.n.58.* & alij apud Bonac. *d.1.q.2.pun.4.n.21.*

48 *Qui vi, vel fraude impeditur fructus percipere non tenetur.*

Si per vim, fraudem, vel aliam iniustam viã à consecutione fructuum impediaris, nec spem habeas, tibi esse aliquando restituendos: non teneris hoc titulo recitare. Quia obligati non potes ad Officium nisi ob stipendium acceptum, vel recipiendum. Garcia alios referens *p.3.c.1.n. 45.* Nauar. *de orat.c.7.n.23.& in sum.c.15.n.103.* Valent. *d.6.q.2.pun.10.§.* Azor. *p.1.l.10. c.4.q. 6.* Lessi. *l.2.c.34.n.168.*

49 *Habens plura Beneficia quorum quodlibet inducit recitandi obligationem non tenetur bis in die recitare.*

Habens plura Beneficia quorum quodlibet inducit recitandi obligationem non tenetur bis in die recitare. Quia ea videtur esse intentio Ecclesiæ non multiplicare obligationem, sed eã nouo titulo imponere. Suar. *d.4. de hor. can.c. 18.à n.1* Bonac. *d.1.q.2.pun.4.n.27.* Henriq. *l.5. §.6.lit.Q.* Azor. *p.1.l.10.c.4.q. 10.* Certè obligatio esset ferè impossibilis si habes decem Beneficia simplicia, (vt contingere posset) quorum quodlibet huiusmodi obligationem induceret, teneretur decies quotidiè recitare.

50 *Habens Beneficium, & pensionem obligatus satisfacit, si Officium Canonicum semel singulis diebus recitet, nec tenetur Officium Deiparæ recitare.*

Habens Beneficium, & Pensionem obligatus satisfacit, si Officium Canonicum semel singulis diebus recitet, nec tenetur Officium Deiparæ recitare. Quia obligatio ad hoc officium, quod pensionarius habet est sub conditione, quod officium canonicũ non recitet. Nauar. *consil.22. de celebr. Missar.* Suar. *l.4.c.22.n.6.* Garcia alios referens *p.3.c.1.n.116.*

51 *Qui duplex Beneficium habet, hic non delinquit, si vnum omittendo.*

Omittens diuinum officium, quod ob plura Beneficia recitare tenetur non perpetrat duplex piaculum, sed vnum grauius quidem. Quia eadem est res præcepta vno & alio titulo, & sub eadem ratione. Bonac. *d.1. de hor.can. q.2.pun.4.n.27.* Garcia *p.3.c.1. n.124.* Salas *1.2. tr.13.d.4 sect.2.n.27.* Azor. *p.1.l.4.c.2.q.6.*

52 *Religiosi professi accumulo deputati choro recitare tenetur ex consuetudine præscripta.*

Religiosi professi choro deputati, tenentur recitare officium canonicum, non ex aliquo iure positiuo scripto, neque ex vi professionis neque ex eleemosynis fidelium: sed ex præscripta consuetudine. Idem dixerim de Monialibus choro addictis. At Religio quæ ex suo instituto choro non est addicta non obligat suos alumnos officium diuinum recitare, nisi in sacris sint constituti, Vasq. *de Benefic. c.4.§. 1. dub. 11.* Bon. *d. 1. de hor. can.q.2.pun.2.n.1.* Suar. *to.1. de Relig.l.4.c.17.n.6.* Valen. *d. 6. q. 2. pun. 10. §. 2.*

* *
*

CAPVT

CAPVT V.

De Officio, quod Clerici, Beneficiati ac Religiosi recitare tenentur.

53 *Omnes tenentur recitare Officium Romanum aliquibus personis exceptis.*

OMNES hi tenentur iuxta formulam Breuiarij Romani Pij V. & Clementis VIII. recitare, exceptis iis, in quorum Ecclesiis, vel Conuentibus duceptis annis ante Pium V. aliud Breuiarium fuerit institutum, vel consuetudine approbatum. Quia sic cauetur in Bulla Pij V. & Clementis VIII. initio Breuiarij Romani præfixa: in qua omnes aliæ formulæ recitādi abrogantur, & irritantur. Porrò hi excepti poterunt ex consensu Episcopi, & totius seu maioris partis Capituli Breuiarium Romanum admittere, suo antiquiori excluso, eadem Bulla permittente. At si Monasterium fuerit exemptum sufficit sui Prælati, & Capituli consensus. Suar. *l. 4. c. 23. n. 4.* Bonac. *d. 1. q. 3. pun. 2. n. 4.* Reginal. *l. 18. n. 168.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 11. q. 1.* si autem semel ex consensu Episcopi, aut Prælati, & Capituli Breuiarium Romanum fuerit admissum, nullatenus licebit ad priſtinum vlterò redire. Quia iam per illam Romani Breuiarij receptionem cessatum fuit antiquum, & vrget Pij, ac Clementis decretum Suar. *n. 5.* Bonac. *n. 2.*

54 *Clericus habens Beneficium, ratione cuius debet Romanum officium recitare, si commoretur in Diœcesi Mediolanensi (V. gr.) vbi viget Ambrosianum recitatur, potest Romano vti.*

Clericus habens Beneficium, ratione cuius debet Romanum officium recitare, si commoretur in Diœcesi Mediolanensi (V. gr.) vbi Ambrosianum recitatur, potest Romano vti. Quia ex habitatione Mediolanensi non desinit Romanus esse Beneficiatus. Potest etiam se Ambrosiano accommodare. Quia per habitationem diuturnam Clericus Mediolanensis essi se censetur. Suar. *l. 4. c. 23. n. 6.* Palaus *p. 2. d. 2. pun. 2. n. 5.* Bonac. *d. 1. q. 3. pun. 1. n. 5. & 6.*

55 *Quia Episcopus de Sancto extra Kalendarium instituere recitationem quadam adiecta conditione.*

Episcopus potest constituere, vt totus Clerus suæ Diœcesis festiuitatem sancti alicuius celebret, cum iuxta Breuiarij Romani rubricas de alio sancto, aut de Feria recitandum erat: dummodo ille sanctus signetur in Patronum totius Diœcesis: vel sit eiusdem naturalis, vel eius corpus, seu insignes reliquiæ in ea requiescunt. Quia hæc constitutio aduersa non est Pontificiis constitutionibus, imò conformatur constitutioni Gregorianæ id concedenti.

56 *Quando non possit constituere generali, sed particulari quæ?*

Si sanctus Patronus non sit Diœcesis, nec illius naturalis, nec in ea corpus aut insignes reliquiæ existant, non Potest Episcopus constitutione perpetua id statuere. Quia esset aduersa Gregorianæ constitutioni. *De aliis verò (ait) sanctis etiamsi sint naturales, aut Patroni alterius Diœcesis, etiamsi illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius Diœcesis requiescant: non celebretur officium proprium sed seruetur ordo Breuiarij Romani.* Decreto autem particulari, & ex causa vrgenti, per modumque dispensationis, id fieri posse ab Episcopo, crediderim. Quia solum obstare potest lex generalis lata à Pontifice recitandi illa die de alio sancto, aut de Feria: sed Episcopus potestatem habet dispensandi in Pontificiis legibus præcipuè cum causa vrget, & non patet ad Pontificem aditus: ergo in hac generali lege dispensare. Palaus *p. 2. d. 2. pun. 2. n. 12.*

57 *Alia lingua quàm latina recitat, satisfacit obligationi sed deliquit sæpè id grauiter.*

Qui Officium diuinum alia lingua quàm latina recitat, facit satis obligationi. Quia formulam Romanam quo ad substantiam retinet. Sed grauiter delinquet, si aliquoties id gerat. Quia generalem Ecclesiæ ritum & morem parui pendit, illum peculiari suæ deuotioni postponens. Etsi publicè faciat, quia populo scandali, ac erroris exhibet occasione Bellarm. *l. 2. de ver. Dei, c. 15. & 16.* Suar. *to. 2. de Relig. c. 7. n. 8.* Sa *v. Horæ, n. 10.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 3. pun. 1. n. 15.*

58 *Venialiter peccat qui addit, vel demit minimum quid in officio Canonico.*

Venialiter saltem delinquit qui aliquid addit vel diminuit, in Officio canonico. Quia in Bulla Pij V. præcipitur, nullam esse gerendam additionem vel diminutionem. Certe mortale crimen erit, si vel minimùm addatur, vel detrahatur animo, vt perpetuò sic duret. Quia licèt respectu diuini Officij illa sit leuis additio, vel demptio, est tamen grauis ausus illam minimam partem ritui Ecclesiæ quasi perpetuo addere, vel diminuere, vsurpando iurisdictionem & nouum ritum, cultumque introducendo. Suar. *l. 4. de hor. can. c. 15. n. 15.* Filliuc. *tr. 23. c. 6. q. 11.* si autem addatur aliquid non tanquam pars diuini Officij, sed concomitanter, & per accidens ad maiorem diuini cultus solemnitatem, peccatum non erit. Quia hac ratione honestatur cantus qui inter vnum & alium Psalmum solet ad organum, aut musicum instrumentum fieri. Bonac. *d. 1. q. 3. pun. 1. n. 21.*

59 *Qui addit partem notabiliem peccat, sed implet præceptum.*

Præcepto recitandi facit satis, qui notabilem partem non diminuit. Et qui addit partem notabilem delinquet ob additionis irreuerentiam sed præcepto satisfaciet. Quia totum, quod præcipitur, recitat, etsi aliis præcibus admixtum. Palaus *p. 2. d. 2. pun. non. 16.*

CAPVT VI.

De modo, quo Officium canonicum est recitandum, vt satisfiat præcepto.

60 *Recitandum est Officium studiosè, & deuotè ex Innocentij præscripto.*

INNOCENTIVS III. *c. Dolentes. de celebr. Missa*, præcipit in virtute Sanctæ obedientiæ & sub pœna suspensionis omnibus ad recitandum obligatis, vt diuinum Officium diurnum pariter & nocturnum, quantum eis Deus dederit, *studiosè celebrent pariter, & deuote.* Ad studiosam celebrationem requiritur, ne verba omittātur, ne truncentur, & mutilentur, ne interrumpantur. Ad deuotam verò cerebrationem necessaria est debita intentio, & attentio. Omnes Doct. cum Glos. *ad c. Dolentes.*

61 *Omissio verborum in magna quantitate sit lethalis, in leui, venialis est.*

Si omissio verborum in magna quantitate sit, est mortale. Quia cum magna quantitas omittitur, reliqua quæ dicuntur possunt nō dicta reputari: Porrò huiusmodi omissio verborum fit, cum verba priora vesiculi vltimis coniungūntur, inter mediis omissis. Hoc autem modo dicta vel nullam, vel impropriam significationem habent. Scio tamen, aliquando ob inadnertentiam, balbutionem aut inolitam consuetudinem, ratò quidem posse excusari, si verò in

leui quantitate fiat, leue erit piaculm. Lessi. *l.2. c. 37. dub. 10. n. 56.* Palaus *p. 2. d. 2. pun. 3. n. 2.*

62 *Mutilatio syllabarum plerumque venialis.*

Truncatio, vel mutilatio verbi, quod fit abſorbendo ſyllabas ſi voluntariè fiat, ſolum erit veniale, nullum ſi inuoluntariè. Quia rarò ob ſyncopen ſyllabarum verborum ſenſus euaneſcit: ſi verò tanta eſſet truncatio ſyllabarum, vt ſenſus periret, idem dixerim, quod de omiſſione verborum proximè dictitaui. Suar. *l. 4. de hor. can. c. 25. n. 6.*

63 *Interruptio officij ſi de cauſa venialis, cum cauſa nulla eſt culpa.*

Interruptio officij abſque cauſa extra chorũ animo non repetẽdi, lethalis non eſt. Quia non impedit quominus quis verè recitet illam horam, & præcepto ſubindè ſatisfaciat: ex diſcretis namque illis recitationibus vna integra hora componitur. Leſſi. *l. 2. c. 37. dub. 10. n. 57.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 3. pun. 2. §. 1. n. 27.* adiicientes, nos à piaculo excuſari, ſi aliqua cauſa iuſta ſubſit intercidendi Pſalmos à lectionibus, vel vnum ab alio Pſalmo. Quia Pſalmus quilibet, imò quilibet verſus ſuam completam ſignificationem habet.

Iam verò circa attentionem, ea requiritur, quæ ad orationem eſt neceſſaria, & ſufficiens: quare ſi quis ſolum ad verba attendat cum intentione ſaltem generali colendi, ac laudandi Deum, præcepto ſatisfacit. Vnde ſi recitet dum lauat (v. gr.) manus, aut ſe veſtibus induit, ſi mens nimis non diſtrahatur, implet præceptum. Quia poteſt habere Deum colendi intentionem externis occupatus. Vaſq. *de Benef. c. 4. §. 1. a. 1. dub. 5.* Sotus *l. 10. de iuſt. q. 5. a. 5.* Bonac. *d. 1. q. 3. pun. 2. n. 12.*

64 *Sufficit virtualis intentio.*

Sufficit intentio virtualis, quæ in eo conſiſtit, vt quis voluntatem gerat faciendi rem præceptam. Quam voluntatem habere cenſetur, cum conſueto more quis Breuiarium ad recitandum aſſumit. Garcia *p. 3. c. 1. n. 209.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 3. pun. 2. §. 2. n. 10.* Suar. *de orat. l. 3. c. 3. n. 6.* Leſſi. *l. 2. c. 37. dub. 11. n. 71.* Nauar. *de orat. c. 25. n. 8.*

65 *Qui ſolus recitat, non tenetur ita proferre verba, vt ſe ipſum audiat.*

Qui ſolus recitat, non tenetur verba proferre ita altiori voce, vt ſe ipſum audiat. Quia præceptum ſolùm eſt de vocali cum Deo locutione: At cum Deo rectè loqui poteſt verbaliter quin ſe audiat, efformans verba quæ Deus percipiat. Eſt tamen neceſſarium verba ita clarè proferre, vt ſeipſum audire poſſet, niſi aliquod adeſſet impedimentum. Quia verba quæ auditu percipi nequeunt, non videntur verba, ſed quidam motus in gutture, qui potius ſunt inchoatio verborum, vel conatus ad loquendum. Suar. *l. 4. c. 7. n. 6.* Filliuc. *tr. 23. c. 3. n. 117.* Azor. *l. 10. c. 11. q. 4.* Reginal. *l. 18. n. 174.* Valen. *d. 6. q. 2. pun. 10. §. 4.* Medin. *C. de orat. q. 7.*

66 *Recitantes cum ſocio debent ſe inuicem audire.*

Qui cum ſocio recitat, debet ita verba proferre, vt ſocius audiat, ſi ipſe obligatus ſit recitare: aliàs præcepto non ſatisfaciet: & ecntrà ſocius ita debet verba proferre, vt alter etiam percipiat. Quia oratio alterius in tantum poteſt alteri eſſe communis, in quantum illam percipit. Palaus *p. 2. d. 1. pun. 3. n. 7.*

67 *Et alternatim verſus Pſalmorum dicere, non ſic neceſſarium reliqua.*

Qui cum ſocio recitat, debet alternatim Pſalmorum verſus proferre: reſponſoria autem, antiphonas, capitulum, lectiones & orationes etſi ſolus ſocius dicat, alter ſatisfaciet attendens Quia ſæpè in choro, cui priuata recitatio ſe accommodat dicuntur ab vno, reliquis audientibus. Satius autem & deuotius erit partiri laborem Silueſt. *V. Hora, q. 7.* Suar. *l. 4. c. 25. n. 5.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 3. §. 1. n. 11.*

68 *Non ſatisfacit, qui non expectat integram ſocij prolationem.*

Non ſatisfacit obligationi, qui integram ſocij prolationem non expectat. Quia inde ſequeretur, ſi ſocius ſuum verſiculum proferret, quando alter profert ſibi competẽtem, eum ſatisfacturum conſequens eſt falſum quia ſimultanea recitatio aliena eſt ab Eccleſiæ conſuetudine. Tollet. *l. 2. c. 13. n. 9.* Bonac. *d. 1. q. 3. pun. 2. §. 1. n. 3.* Reginal. *l. 18. tr. 2. n. 146. & l. 4. c. 10. n. 87.*

69 *Qui recitat animo non ſatisfaciendi præcepto, ſatisfacit.*

Qui recitat animo non ſatisfaciendi præcepto, ſatisfacit. Quia rem præceptam geſſit, illeque animus procedit ex errore, quo exiſtimat. ſe poſſe impedire præcepti impletionem, dum præceptum exequitur. Tenetur tamen tempore præcepti ab hac voluntate ceſſare, & iudicare ſe præceptum impleuiſſe, aliàs id voluntate violabit. Tempus autem præcepti eſt diei naturalis terminatio. Palaus *p. 2. d. 2. pun. 3. n. 10.* & alij.

70 *Peccat recitans ſine attentione.*

Qui ex obligatione horas recitat, præcepto non ſatisfacit, ſi ad verba ſaltem virtualiter non attendit, animum repetendi non gerens. Qui autem ex deuotione, ſi animum habet orandi peccat venialiter. Quia irreuerenter Deum alloquitur: ſi verò non intendit orare, ſed mentem diſtrahere, & prauis cogitationibus diuertere, nullum piaculum committit. Reginal. *l. 18. n. 149.* Suar. *l. 3. de orat. c. 4. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 11. q. 12.* Bonac. *d. 1. q. 3. pun. 2. §. 2. n. 7.* Leſſi. *l. 2. c. 37. dub. 11. n. 67.*

CAPVT VII.

De tempore, ordine, loco, corporis habitu, ac ſitu ad diuini Officij recitationem.

71 *Tempus inte, gur dist. ſub mortali. Debent ſub venialis recitare aſſignata horis, ſi non ex cauſa iuſta.*



VNCTIS diebus diuinum officium eſt recitandum tum ex c. *Dolentes. de celebr. Miſſar. Bulla Pij V.* tum ex recepta conſuetudine. At cũ dies incipiat à media nocte antecedentis diei, & media nocte ſequentis terminetur intra huius temporis latitudinem tenetur Clericus in ſacris conſtitutus, beneficiatus & Religioſus profeſſus choro addictus ſub mortali totum officium recitare. Cui obligationi ſatisfacit quacumque hora perſoluat. Erit autem veniale præuenire vel poſtponere horas abſque cauſa, v. gr. dicere Primam verſpertino tempore, mane Completorium. Quia ordo præſcriptus ab Eccleſia peruertitur. Prima, Tertia, Sexta, & Nona tribus horis poſt ſolis ortum dicendæ, nec veniale erit, ſimul dicere. Quia iam obtinuit vſus. Poſt meridiem hora ſecunda Veſperæ, & completorium celebrari debent, poſſunt autem ſimul celebrari. Doctores communiter.

71 *Poteſt transmutari Nocturnus recitatus.*

Officium Matutinum cum Laudibus ex recepta conſuetudine pridie ad Veſperam, poſtquam in Eccleſiis Cathedralibus Veſperæ, ac completorium ſint abſoluta poſſunt præueniri: quod ex receptiori ſententia eſſe aſſolet hora quarta pomeridiana imo tertia cum dimidia. Leſſi. *2. cap. 37. dub. vltim. num. 78.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 3. pun. 3.* Suar. *l. 4. cap. 26. n.*

26. *n.* 14. Palaus *p.* 2. *d.* 2. *pun.* 4. *n* 3.

73 *Non tenetur quis quo die incipit recitandi obligatio totum officium dicere*

Non debent eo die, quo incipit recitandi obligatio Clerici, beneficiati, aut Religiosi, integrum Officium persoluere, sed solum ab ea parte, à qua obligatio in cepit. v. g. accepere Ordinem sacrum, beneficium, aut professio nem hora vndecima ante meridiem? nō tenentur recitare Matutinum, nec Laudes, nec Primam, nec Tertiam: sed ad summum sextam, & reliquas horas. Quia ab illa hora vndecima incepit obligatio. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 27. *n.* 8. Bonac. alios referens *d.* 1. *q.* 2. *pun.* 5. *n.* 9. si vero antequam Ordinem, beneficium aut professioné quis accepit horas illius diei recitauit, non satisfacit obligationi superuenienti. Quia non potest esse satisfactio obligationis, vbi nulla est obligatio. Bonac. *pun.* 5. *in fine.* Palaus *p.* 2. *d.* 8. 2. *pun.* 4. *n.* 3.

74 *Ordo seruandus sub venia.*

Quoad ordinem autem, si quis officium sequentis diei incipiat, antequam officium præsentis finiat, (v. gr. Matutinum Feriæ secundæ priusquam vesperas Dominicæ celebret,) & rationabilis causa non adsit, venialiter delinquit. Quia regulariter id fieri nequit, nisi vel vnū aut alterū officiū notabiliter anteponatur vel post ponatur tēpore consueto & ab Ecclesia præscripto, Suar. l. 4. *de hor. can. c.* 24. *n.* 3. si autem quis horarum ordinem illius diei peruertat, prius recitans Primam (v. gr.) quam Matutinum. Vesperam quàm Primam &c. absque rationabili causa, venialiter delinquit. Quia inuertit ordinem ab Ecclesia præscriptū, leui quidem materia. Suar. *n.* 4. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *pun.* 4. *n.* 1.

75 *Quocumque non indecentibus loco & corporis habitu quo libere citari potest.*

Quocumque in loco quis recitet, præcepto satisfacit. Quia nullus speciatim est ab Ecclesia assignatus. Qui autem in loco minus decenti distractioni exposito recitat, venialiter delinquit. Quia irreuerenter se gerit. Sedere verò, cum standum est, vel stare, aut sedere cum est flectendum ex Rubricæ præscripto, si absque contemptu fiat, nullum peccatum est. Quia nō videtur præceptum sed consilium maioris reuerentiæ gratia. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 3. *pun.* 5. & 6. Palaus *p.* 2. *d.* 2. *pun.* 4. *n.* 7.

CAPVT VIII.

De peccato non recitandi officium, aut partem omittendi.

76 *Grauis obligatio est, notabilem officij partem & qua tilla sit.*

CLERICI in sacris, Beneficiati, & Religiosi professi chori deputati, tenentur diebus singulis horas canonicas recitare: & partem notabilem omittere grauis culpa est. Porrò quælibet hora parua, aut pars illi æquiualens notabilis pars est, & nō aliud. Quia communis sententia est, vnum esse præceptum de septem horis canonicis recitandis: sed posita vnitate præcepti leuem materiam iudico, quæ quātitatem horæ paruæ non attingit, cum non attingat duodecimam materiæ præceptæ partem. Lessi. *l.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9. *num.* 52. Palaus *p.* Bonac. *dict.* 1. *quæst.* 5. *part.* 1. *numer.* 2. *d.* 2. *pun.* 5. *n.* 1. Porrò vnico præcepto totum officium præscribi, & ad multiplicationem horarum præcepta non multiplicari, constat ex *c. Dolentes, de celebr. Miss.* vbi officium nocturnum pariter & diurnum præcipitur, & ex Bulla Pij V. & ex horarum institutione, quæ vnicum officium continet. Certè præcepta absque manifesta ratione non sunt multiplicanda.

77 *Omittens omnes horas vnicum peccatum grauius tamen committit.*

Vnde omittens vna die omnes septem horas vnicum peccatum committit, grauius tamen, quàm si vnicam horam omitteret. Quia omissionis malitia crescit, aut minuitur ex maiori aut minori obligationis quantitate. Garcia *de Benef. p.* 3. *c.* 1. *n.* 132. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 25. *n.* 18. Bonac. *d.* 1. *q.* 5. *pun.* 1. *n.* 8. Nauar. *de or. a. c.* 11. *n.* 60. Vasq. *de Ben. c.* 4. §. 1 *a.* 2. *dub.* 5. *n.* 7.

CAPVT IX.

De causis excusantibus ab Officij Canonici recitatione.

78 *Impotentia ex obliuione excusat.*

IMPOTENTIA, repentina occupatio, & dispensatio ab horarum canonicarum recitatione excusant. Et quidem impotentia simpliciter excusat. Quia impossibilium non datur obligatio. *l. Impossibilium ff. de reg. iur.* Hæc impotentia potest aut ex obliuione, aut ex ignorantia, aut ex infirmitate. Ex obliuione naturali, & inculpabili non est culpabilis omissio. Quia peccatū debet esse voluntarium. Si quis autem experiatur, se obliuisci, quando hora consueta nō recitat, debet aliquod memoriæ excitamentum adhibere. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 18. *n.* 4. Bonac. *d.* 1. *q.* 6. *pun.* 3. *n.* 9.

79 *Qui dubitat an recitauerit recitare debet.*

Qui dubius est num recitauerit? obligatus est ad recitandum. Quia possidet præceptum, à cuius obligatione soluti non potest satisfactione dubia. Nauar. *de orat. c.* 20. *n.* 30. Bonac. aliis relatis, *d.* 1. *q.* 6. *pun.* 3. *n.* 11. Nisi dubium aliqua ratione probabili deponat. Qui autem certus sit se recitasse, dubitet tamen, an antiphonam, Psalmum, vel quid simile dixerit: deponere potest dubium, credens, recitasse. Quia non præsumitur omissum, quod in ordinario cursu & quasi naturali sequela recitatur. Suar. *l.* 4. *de hor can. c.* 26. *n.* 20. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 12. Nauar. *de orat. c.* 11. *n.* 29. Bonac. *citat. n.* 12. Filliuc. *tr.* 23. *c.* 8. *q.* 2.

80 *Impotentia ex ignorantia quando excusat.*

Deinde potest prouenire impotentia ex ignorantia, primo si sit inuincibilis ignorantia legis, vt si ignoret quis inuincibiliter, se obligatum esse recitare. Quia transgredi voluntariè obligationem non potest, qui obligationem ignorat. Secundo si sit ignorantia facti, quia nescit recitare. Sed huiusmodi ignorantia vix potest inculpabiliter contingere: siquidem cum Beneficium, aut ordinem sacrum quis recipit, debet agnoscere se esse indispositum, vt obligationi susceptæ satisfaciat. Huic tamen obligationi fiet satis, si officium recitare quoad substantiam sciat, etsi perfectam Rubricarum notitiam non habeat: hæc enim continua recitatione capiuntur.

81 *Excusat impotentia ex infirmitate.*

Excusat impotentia quæ prouenit ex infirmitate. Hac de causa cœcus excusatur: surdus minimè. Quia necessarium non est ad priuatam recitationem se ipsum audire. Ægritudo autem quartanæ, tertianæ &c. tunc excusat, cum laborans non potest absque graui nocumento

cumento recitare. Quia iugum Domini est suave : secus si cum leui nocumento queat. Quia leuis molestia non præualet, vt graue præceptum omittatur. Denique excusat carentia Breuiarij. Quia est medium necessarium ad recitationem Breuiarium habere. *conueniunt omnes Doctores.*

82 *Excusat occupatio quæ omitti aut differri nequit sine graui incommodo.*

Secundum caput excusationis est repentina & necessaria occupatio, impediens recitationẽ, quam quis omittere, aut differre non potest absque graui sui aut proximi iactura in vita, honore, vel fortuna. Vnde excusantur publicam lectionem facientes intra certum horarum terminum in alicuius Cathedræ aut Canonicatus oppositione, non solum quando oppositio geritur, sed etiam quando in scientiæ ostentationem sepræparat ad legendum vt sic viam paret ad cathedram. Quia hæc voluntaria lectio necessaria in illa occasione reputatur. Item excusantur Concionatores, & Confessores, qui nec concionem, nec confessionem omittere possunt, aut in aliud tempus differre absque graui nota, & scandalo : neque simulcum illis valeant recitare. *Omnes fere Doctores.*

83 *Excusat dispensatio.*

Tertium caput excusationis est dispensatio, quæ si à Pontifice fiat, haud dubium esse validam. Quia in iure à se lato dispensat. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 28. *n.* 38. Bonac. *d.* 1. *q.* 1. *pun.* 2. *n.* 5. Ab Episcopo dari non potest Clerico, neque beneficiato. Quia inferior dispensare in superiori lege non potest, nisi iure aut consuetudine ei sit permissum quod in hoc casu non reperitur. Si autem adsit dubium, an in aliquo casu Clericus, vel beneficiatus recitare debeat, poterit Episcopus sententiam ferre. Suar. & Bon. *citati.* & alij apud ipsos. Prælati autem Religiosorum, quibus commissa dispensandi in legibus & consuetudinibus Religionis est facultas, poterunt cum Religiosis dispensare, si causa subsit. Regulariter autem solus Prælatus supremus huiusmodi dispensationem valet impertire. Quia sic videtur in Religionibus receptum. Bonac. *d.* 1. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 9.

84 *Impedimentum Censuræ non excusat.*

Spirituale impedimentum, scilicet excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis, non impedit horarum recitationem. Quia ex Ecclesiæ illato supplicio haud debet quis commodum reportare. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 28. Lessi. *l.* 1. *c.* 37. *dub. q.* Vasq. *de Benef. c.* 4. §. 1. *a.* 1. *dub.* 12.

CAPVT X,

De restitutione gerenda ab iis, qui culpabiliter Officium canonicum omittunt.

85 *Vnica pœna beneficium omittentis culpabiliter horas, restituere fructus.*

NEQVE ex lege, neque ex consuetudine alia pœna est præscripta omittẽtibus horarum recitationem nisi fructuum perceptorum restitutio. Quæ quidem indicitur à Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 9. §. *statuimus*, & declaratur, innouatur, & augetur à Pio v. in sua constit. quæ incipit, *Ex proximo Lateranensi*, edita 12 K. alend. octobris anno. 1571.

86 *Obligatus nõ est primis sex mensibus ab obtento beneficio, restituere.*

Exquibus primo infertur, beneficiatum Clericum obligatum non esse primis sex mensibus obtento pacificè Beneficio aliquid restituere, si recitationem omittat. Quia Concilium & Pontifex solum affirmant, sic omittentem peccare mortaliter, & nihil de restitutione dixere. Palaus *p.* 2. *d.* 2. *n.* 2. Filliuc. *tr.* 23. *c.* 10. *n.* 308. Lessi. *l.* 2. *c.* 34. *dub.* 31. *n.* 129.

87 *Post semestre primum tenetur, si culpabiliter officium omisit.*

Infero secundo, post primum illud semestre beneficiatum obligatum esse restituere fructus, quod post illud semestre perceperit, Quia ita in illis constitutionibus imperatur. Quod intelligo, si culpabiliter officium omittat. Namsi ex aliquo capite à culpa excusetur, nullam habet restituendi obligationem. Quia huiusmodi obligatio imponitur, quãdo cessat legitimum impedimentũ. Garcia *p.* 3. *c.* 1. *n.* 27. Lessi. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 181. & 183. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 5. *pun.* 2. *n.* 4. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 30. *n.* 17. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 14. *q.* 7. Reginal. *l.* 3. *n.* 44.

88 *Pro rata dierum, quos officium recitatum, vel partem omisit, gerenda restituito.*

Infero tertio, omittentẽ recitare post illud primum seneſtre obligatum esse, fructus correspondentes illis debus, quibus recitare omittit. restituere v. gr si vno die omisit Matutini recitationem cum Laudibus dimidiam partem fructuum illi diei correspondentem restituere debet : si vero reliquas horas, alteram dimidiam, pro singulis horis sextam partem. Quia sic expresse tradidit Pius v. Axor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 14. *q.* 7. Vasq. *de Benef. c.* 4. §. 1. *a.* 1. *dub.* 8. *n.* 41. Suar. *l.* 4. *c.* 30. *n.* 9. Garcia *de Benef. p.* 3. *c.* 1. *n.* 27. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 5. *pun.* 2. *n.* 8.

89 *Omittens partem levem alicuius horæ, restituere non tenetur.*

Infero quartò, omittentẽ partem leuem alicuius horæ, nullam habere restituendi obligationem. Quia non dicitur horam omisisse, & solùm pro omissione cuiuslibet horæ signata est à Pio V. restitutio. Nauar. *de orat. c.* 9. & 10. *n.* 4. Nauarra. *de restit. l.* 1. *c.* 2. *dub.* 3. *n.* 102. Filliuc. *tr.* 13. *c.* 10 9. 7. Reginal. 30. *n.* 44. Tolet. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 6. Suar. *l.* 4. *c.* 10. *n.* 13.

90 *Recitans sine vlla attentione restituere debet.*

Infero quinto, recitantem sine vlla attentione obligatum esse restituere eo modo, quo obligatus est, qui recitare omittit. Quia paria sunt sine vlla attentione recitare, & non recitare. Fructus quidem Beneficij acquiruntur ob recitationem præceptam, & ob illius omissionem amittuntur sed recitatio sine attentione non est recitatio præcepta, quia non est, oratio : ergo ex illa fructus non acquiruntur. Nauar. *de orat. c.* 13. *n.* 17. Bonac. 6. 1. *de hor. can.* 9. 5. *pun.* 2. *n.* 17. Lessi. *l.* 2. *c.* 37. *dub.* 11. *n.* 67. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 10. *n.* 14.

91 *Hæc restitutio facienda ante Iudicis sententiam.*

Sextò infero, beneficiatum hanc restituendi obligationem habere ante Iudicij sententiam. Quia in Concilio Lateranensi, & Bulla Pij V. expresse dicitur : *Fructus suos non faciat, & tanquam iniustè perceptos erogare teneatur.* Quæ verba indicant manifestè beneficiatum non acquisiisse illorum dominium, sed tanquam rem non suam illos retinere non posse. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 30. *n.* 2. Nauar. *sum c.* 25. *n.* 22. Nauarra *de restit. l.* 2. *c. n.* 195. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 5. *pun.* 2. *n.* 7. Filliuc. *tr.* 20. 311. Lessi. *l.* 1. *c.* 34. *dub.* 32. *n.* 183.

92 *Gerenda hæc restitutio fabricæ Beneficij vel pauperibus, hus qualibus.*

Octauo in fero gerendam huiusmodi restitutionem fabricæ Beneficij, vel pauperibus. Quia ita in his constitutionibus præscribitur. si quis eligat fabricæ expendere, poterit domum Beneficij reparare, agros, & vineas augere, & alia præstare, quæ in Beneficij cedant vtilita-

tem.

tem. Si autem eligat pauperibus restituere, poterit non solum pauperes loci, in quo est Beneficium, sed quoslibet alios subleuare. Quia hoc in constitutionibus illis non limitatur, sicut cauetur, non posse fieri restitutionem in alterius Ecclesiæ commodum. Porrò pauperum nomine quælibet pia opera in vtilitatem inopũ redundantia, & suffragia pro animabus Purgatorij intelliguntur. Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 5. pun. 4. n. 1.* Suar. *l. 4. de hor. can. c. 30. a. n. 18.* Palaus *p. 1. d. 2. pun. 1. n. 11.* Num autem sibi vere pauper beneficiatus possit restitutionem applicare *sect. 2.* discutietur.

93 *Potest beneficiatus ex communicatus, suspendi, ac Beneficio priuari.*

Infero nono, posse beneficiatum præter restituendi præfatam pœnam, post semestre excommunicari, suspendi, ac Beneficio priuari si intra quindecim dies postquam monitus est, bis saltem non recitauerit. Quia ita Lateranensis constitutio præscribit. Valq. *de Benef. c. 4. 1. dub. 8. n. 45.* Bonac. *de hor. can. d. 1. q. 5. pun. 2.* & alis.

94 *Idem de pensionariis, quod de beneficiatis asserendum.*

Decimo infero, asserendum de pensionariis officium Deiparæ non recitantibus mortaliter delinquere, si post obtẽtam pensionem id omiserint: & transacto semestri, obligatos esse integros fructus restituere. Quia nullum munus præter recitationẽ exsequũtur cuius ab integra restitutione valeant excusari. Colligit id ex cõstitutione Pij v. Suar. *l. 3. de hor. can. c. 31. fine* Bonac. *de hor. ca. can. d. 1. q. 5. pun. 1. n. 21.* Nauarra *de restit. l. 2. c. 1. n. 299. & alij apud ipsos.*

CAPVT XI.

De Oratione publica seu facta in choro officij Canonici recitatione.

95 *Ratione ordinis nullus Clericus obligatus est, horas in choro celebrare.*

NVLLVS Clericus ratione ordinationis tenetur officium diuinum publice in Ecclesia celebrare. Quia nullus est textus hanc Clericis ratione ordinis obligationem indicens, sed solùm Beneficij ratione. Nam *c. vlt. 92. & Clemen 1. de celebr. Miss. & c. 1. eodem tit.* loquuntur de Clericis Ecclesiæ deputatis ratione Beneficij: alias quilibet in minoribus constitutus obligatus esset, cum ratione ordinis Ecclesiæ deputatus existat. Nauar. *de orat. c. 4.* Azor. *l. 10. c. 11. q. 8.* Bonac. *de hor. can. q. 3. pun. 5. n. 5.* Suar. *l. 4. de hor can. c. 10. à n. 10.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 2. pun. 10. §. 6.*

96 *Nullus particularis Religiosus sub graui culpa adstringitur horas in choro celebrare.*

Per se loquendo nullus particularis Religiosus sub graui culpa adstringitur horas in choro dicere. Quia nec obligatur ex iure scripto, neque ex consuetudine, neque ex accepto stipendio. Nullus enim textus id præscribens inuenitur, nullam consuetudinem id ita grauiter indicentem agnosco, stipendium non ipse, sed communitas accipit non sub obligatione chori, sed in sustentationem Religiosorum, vt liberius Deo inseruiant, & pro benefactore precentur. Prælatus verò licet specialiter obligatus sit curare, ne officium diuinum in choro omittatur, non tamen specialiori obligatione adstringitur ibi assistendi, quam Religiosi reliqui: imo facilius quam alij potest ab illa assistentia ob occupationes sui muneris excusari. Infero à fortiori moniales choro non esse obligatas nisi iuxta obligationem Regulæ; quæ quidem & Religiosis, & monialibus non ad culpam, sed ad pœnam obligat subeundam. Suar. *l. 4. de hor. can. c. 10. n. 16. & 18.* Bonac. *d. 2. de hor. q. 1. pun. 1. n. 9.* Palaus *p. 2. d. 3. pun. 1 n. 12.*

87 *Canonici sub graui piaculo tenentur ego-ro intus esse, si distributiones accipiãt.*

Canonici seu Præbendati Ecclesiarũ Cathedralium, & Collegiatarum, quibus ob assistentiam in choro distributiones conceduntur, obligati sunt sub graui culpa officium diuinum in choro recitare iuxta cuiuslibet Ecclesiæ præscriptam consuetudinem. Quia hæ distributiones ea lege conceduntur, vt officium diuinum ibi celebretur. Fauet *c. fin. 92.* in quo pœna grauis imponitur ab hac obligatione deficientibus. Suar. *l. 4. de hor. can. c. 10. n. 17.* citans Syluestrum. Angelum, Armillam, Turrecrematam, & alios. Dixi *iuxta consuetudinem cuiuslibet Ecclesiæ præscriptam.* Variæ enim sunt Ecclesiarum consuetudines tùm in modo dicendi officium tùm in diebus, quibus dicendum est: & consequenter varia est Canonicorum obligatio. Nam in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis pinguibus singulis diebus totum officium publice canitur: in aliis verò vbi redditus sunt tenues, singulis diebus totum officium recitatur: in aliis nec totum recitatur Officium: in aliis solùm diebus Dominicis, & festiuis. Iuxtà hanc ergo consuetudinem Præbendati huiusmodi Ecclesiarum officium diuinum canere, vel recitare tenentur. Quia stipendium eis hac obligatione impertitur. Suar. *citat. n. 3.* Bonac. *d. 2. de hor. can. q. 1. pun. n. 2. & 3.*

90 *Qui chorã non adest, restituere tenetur.*

Non solum grauiter delinquit, qui sine legitima causa choro non adest: sed restituere tenetur, si distributiones assistentibus, seu legitimè impeditis vsurpet. Quia accipit id, quod suum non est. Item lethaliter delinquet, si ob eius absentiam Officium diuinum in choro omittitur, aut cum debita solemnitate non celebratur. Quia quilibet ex communitate tenetur onera, & obligationes communitatis subire. Suar. *l. 4. de hor. can. n. 13. n. 9.* & omnes ferè, Decidit enim *c. vnico, de Clerico non resid. in 6.* & Trident. *sess. 24. c. 12.*

99 *vno alterò die abesse, nrn constituit culpam grauem*

Certe vno vel altero die in anno abesse, non constituit culpam grauem v. gr. quatuor dierum absentia culpabilis leuis erit. Quia sic videtur apud timoratos esse receptum. Sylvest. v. Hora. q. 10. Vasq. de Benef. *c. 3. a. 7. dub. 1. n. 181.* Bonac. *d. 2. de hor. can. q. 2. pun. 2. n. 1.* Suar. *l. 4. de hor can. c. 13. n. 8.*

100 *Consuetudo ne introduci potest, vt Præbendati sola assistentia satisfaciant, & vt absens à choro, per alium substituat.*

Per se loquendo, omnes Canonici tenentur Horas canonicas in choro recitare iuxtà suarum Ecclesiarum vsum. Quia est personalis obligatio, quæ non potest in alios transferri. Vnde excluſa consuetudine, aut priuilegio non potest in sui locum alium substituere, qui deseruiat. At fundatione Ecclesiæ, statuto, consuetudine, & priuilegio obtineri potest, ne teneantur Canonici perse in choro psallere, sed satisfaciant, si ministris & capellanis psallentibus ibi assistant, & sua præsentia officia præstent, vt ferè in omnibus Hispaniæ Ecclesis Cathedralibus est consuetudo recepta. Quia hic modus fundationis statuti, consuetudinis, aut priuilegij turpitudinem non habet, sed potius decorem & splendorem specialem in Ecclesiæ ministris: nec contrarius est *capiti fin. 92.* neque Tridentino *sess. 24. c. 12.* Suar. *l. 4. de hor.*

hor.can.c.10.n.11. Azor.*p.1.l.10.c.11.q.5. & 6.* Lessi.*l.2.c.34.dub.33.n.184* Navarra *de rest. l.2.c.2.n.114.* Bonac.*d.1: de ho.can.q.3.pun.2.§.1. n.18.* Imò non solùm consuetudine, priuilegio, ac statuto induci potest Canonicum satisfacere, si choro assistat, priuatim recitans, sed etiam si absens à choro alium substituat, vt nomine ipsius assistat. Quia id nullam continet turpitudinem. Bonac. *citatus.*

101 *Cum est cantus figuratus sufficit assistentia.* Porrò quoties cantu, quem dicunt figuratum, diuinum Officium persoluitur, non tenetur Canonicus, suam vocem miscere, sed sufficit, si ibi assistat, Constat ex praxi, quia ille cantus necessarius non est. Bonac. *d. 1. de hor.can.q.1.pun.3.n.4.* Lessi. *l.2.c.34.dub.33.n. 185.& 186.*

102 *Si minuenda est debita solemnitas, debet canere.* Quoties vero officium diuinum omittendum est, vel minuendum in solemnitate solita, nisi Canonici cantent: canere tenentur, nec sufficit, si ibi tantùm assistant. Quia ipsis incumbit primo, & per se Ecclesiæ onera subire, & officia diuina ibi celebrari solita sustentare. Navarra *de restit. l. 2. cap. 2. num. 114.* Moneta *de distribut. q. 2. num.25.* Pesanti. *2.2. quæst. 62. art. 2. quæst. 4. num. 4. & 7.* Bonac. *dict. 1. de hor. canon. quæst. 3. pun. 2. §. 7. nnmer. 19.*

103 *Præbendati obligati ad canendum debet canere & attendere ad ea, quæ alter chorus canit* Obligati ad canendum Præbendati debent canere, nec satisfaciunt, si submissa voce recitent: & attendere ad ea, quæ alter chorus canit. Quia hæc necessaria sunt, vt Officium publicè alternatim persoluatur, & vnus chorus cum alio communicet. Bonaci. plures referens, *d.1.de hor.can.q.3. pun.1.§.1.num.17.* Lessi. *l.2.c. 33.n.184.* Suar. *l.4.de hor. can. cap. 12. num.9. & 10.*

104 *Qui partem suam canit, & aliorum, & si procuret, partem non percipit, lucratur.* Qui partem suam canit, & aliorum, & si procuret, partem non percipit, satisfacit, potestque distributiones percipere modo postea priuatim suppleat, quæ non percepit. Quia per eum non stetit, quo minus perciperet, & cum aliis in recitatione communicaret. Nauar. *de orat. c.11.n. 41.* Moneta *de distrib.p.2.q.2.n.47.* Suar. *l.4. de hor.can.c.30.n.15.* Bonac. *d.1.de hor.can. q.5. pun. 2.§.2.n.20.*

105 *Quæ dicuntur organo supplenda.* Versus, qui organo, seu musico instrumento dicuntur, debent ab aliquo voce exprimi: aliàs nos satisfiet recitandi officium obligationi, etiamsi obligatio assistendi choro impleatur. Suar. *l.4.c.14.n.15.* Bonac. *d.1. q. 5. pun.2. n. 12.*

106 *Qui ab vno choristerio seruit obligationi satisfacit.* Si dum alij recitant quis ex officio, vel superioris mãdato intersit thus præbẽdo, transferẽdo libros, satisfacit obligationi assistendi choro: debet autem priuatim postmodum recitare si propter ea munera à recitatione suæ partis, & ab attentione alterius impediatur. Vasq. *de Benef. c. 4.§.1. dub. 7. n.111.* Bonac. *d.1. de hor. can.q. 3.pun.2.n.13.*

107 *Decanus, & Canonici qui ex officio aliis ministeriis dant operam satisfaciunt assistẽtiæ obligationi.* Canonici Pœnitentiarij, qui dum officia diuina celebrantur, confessiones audiunt: & Decanus aliique Canonici, qui ex proprio officio aliis ministeriis incumbunt, satisfaciunt, obligationi choro assistendi. Quia reputantur, vt præsentes, & si priuatæ recitationi non satisfaciant. Bonac. relatis aliis. *d.1. de hor.can.q.3. pu§.2.num.14.* colligitur ex Tridentino *sess. 22. cap. 3.*

108 *Seruandus ordo & tempus ab Ecclesia præscriptus in publica horarum celebratione.* Seruandus ordo, & tempus ab Ecclesia præscriptum in publica horarum celebratione, ad quam non solùm substantiam, sed modum pertinere quis dubitet? Primò igitur Matutinum, & laudes, deinde Primam, postea Tertiam, reliquasque horas suo tempore oportet recitare. Certè hunc ordinem in recitatione publica inuertere, notabiliter anteponere, aut postponere absque graui, & publica causa crediderim esse mortale. Quia sic gerentes tollunt vniformitatem, quæ Ecclesiæ decorem specialem tribuit, & occasionẽ grauẽ offensionẽ, & scandalũ generã. di exhibent. Suar. *l.4. de hor. a.c.11.n.7.* Filliuc. *tr. 23. c.6.2.* Palaus *p.2.d.3. pun.5.n.1.* Quamvis rigorosum aliis videatur. *ordo & tempus ab Ecclesia præscriptus.*

109 *Locus est Ecclesia.* Locus non est alius ab Ecclesia ex *c.sin.92. c.1.& clem. 1. de celebr. Miss.* Porro in alio loco nisi necessitas grauis cogat, aut consuetudo legitime præscripta suadeat, poterit huic obligationi fieri satis. Bonac. *d.1. de hor. can.9. 3. pun. 1. n. 1.* & alij.

110 *Sedere in proprio stallo, aut vestes Canonicales ferre non est necessarium ex vi iuris communis, sed ex consuetudine locus esse potest.* Sedere in proprio stallo, aut vestes Canonicales ferre non est necessarium ex vi iuris communis. At si ex consuetudine, vel statuto Ecclesiæ cautum sit ne aliquis distributiones lucretur nisi talibus indutus vestibus ingrediatur, & in proprio sedeat stallo: illas non lucrabitur sed tanquam absens in choro est reputandus, qui his caret conditionibus. Quia huiusmodi consuetudo vel statutum rationabile est, & à Tridentino *sess. 24. c. 2.* approbatur. Garcia plures referens *p. 1. de Benef. c. 2. n. 327.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q.3. pud. 1. n. 1.*

111 *Pœna non assistentiæ choro ante iudicii sententiam incurritur.* Obligati autem sunt choro assistere sub pœna priuationis distributionum. ex Bonifacij VIII. *c.vnico de Clericis non resid.* constitutione. Quia distributiones donantur solùm choro præsentibus iuxta Tridentinum *sess. 24. c. 12. de reform.* Profecto sic absens illegitime ante Iudicis sententiam hisce distributionibus priuatur. Quia nullus retinere potest rem cuius dominium non potest acquirere, nec suam efficere. Moneta *p. 3. de distrib. q. 7. n. 8.* Bonac. *d. 2. de hor. can. q. 7. pun. 2. num. 2.*

112 *Alia pœna assignata.* Insuper si beneficiati vltra tempus à Tridẽtinò *vbis.* permissum, abfuerit pro primo anno & prima vice priuandi sunt dimidia parte fructuum, quos residendo lucraturi. Quod si iterum ea fuerint vsi negligentia, omnibus fructibus sunt priuandi. Crescente verò contumacia, non solum fructibus, sed & Beneficio sunt spoliandi sic Concilium. At hæc priuatio est proprie pœna, & non ipso iure lata, sed per Iudicem imponenda, vt constat ex verbis textus, & annotauit Rota *in caus. Cautiens. fructuum coram D.Orano 10. Aprilis, anno 1592.* Garcia *p.3.c.1.n.157.*

113 *Quid sub nomine Distributionum intelligatur.* Nomine autem distributionum quibus beneficiatus ob absentiam à choro priuatur, intelliguntur illi prouentus, quos acquirit ob continuam chori interessentiam sub fructuum nomine comprehenduntur annui redditus beneficiato ob Beneficij titulum concessi. Garcia *p.3.c.2.n.440.* Moneta. *de distrib. p. 1. q.6.* Bonac. *d.2.de hor.can.q.2 pun.1.n.2.* Tuschus *10.2. lit.D.consil.51.n.8.* Gonzal. *ad 8. Regul. Cancel. procem.§.7.n.154:* Vnde fit distributiones quotidianas à fructibus Beneficij distingui Trid. *sess. 24. c. 12.* Fructuum *intelligatur.*

Porrò

114 *Distributiones amissæ ob non residentiam, & fructus Canonicis interessentibus competunt. Apponuntur aliquot limitationes.*

Porro distributiones amissæ ob non residentiam competũt Canonicis actu interessentibus. Rota *in una Valentina emolumentorum coram Mantica* 14. *May* 1593. Garcia *p.* 3. *c.* 2. *n.* 446. Moneta *p.* 3. *q.* 6. *n* 20. Quia absentes amittunt ipso iure distributiones *ex c. vnico, de Cler. non resid.* & ex Trident. *sess.* 24. *c.* 12. Vbi distributiones solùm præsentibus conceduntur: Ergo illæ distributiones amissæ competere non possunt Canonicis præteritis, nec futuris: sed actu præsentibus. Ergo illis sunt applicandæ, quando fuerit facta diuisio. De fructibus verò, qui non ipso iure amittuntur, sed per sententiam condemnatoriam, dicendum est, illis Canonicis deberi, qui tempore, quo soluuntur, residet. Quia tunc Capitulum illos fructus acquirit, & consequenter Canonici tunc existentes: Ergo inter eos est diuisio facienda. Gonzal. *ad Regul.* 8. *Cancel. glos.* 37. *n.* 26. Garcia *citat. nu.* 429. Si autem patrimonium Ecclesiæ non sit inter fabricã, & ministros diuisum, tunc distributiones quotidianæ, quas absentes amittunt, secluſa in contrarium consuetudine, interessentibus accrescunt. Quia sic incitantur Canonici ad assistendum diuinis officiis, ob quam causam fuere distributiones assignatæ. Bonac. *dict.* 2. *quæst.* 7. *punct.* 1. *principio.* colligitur ex Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. Limitanda vero conclusio in primis, vt non procedat in distributionibus extraordinariis, & in propriis, quæ de redditibus alicuius Dignitatis, & Personatus constitutæ sunt. Hæ enim non accrescunt interessentibus, sed Ecclesiæ fabricę, vel alteri pio loco arbitrio Ordinarij applicandæ, Trident. *sess.* 22. *cap.* 3. Deinde vt non procedat in distributionibus, ex quibus cuilibet præbendato interessenti est signata determinata pars. Quia per hanc assignationem tacitè insinuatur, illa debere esse contentum, neque amplius lucrari posse: & tunc si abest, cedit illa portio Ecclesiæ, non aliis præbendatis. Tertio denique, vt non procedat in distributionibus amissis ob aliam causam præter absentiam à choro. Hæ enim distributiones non interessentibus, sed Ecclesiæ, si indigeat, vel altero pio loco arbitrio ordinarij sunt applicandæ. Quia ex nullo textu constat, interessentibus deberi. Garcia *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 146. Palaus *part.* 1. *d.* 3. *pun.* 8. *num.* 3. 4. 5. & 6.

CAPVT XII.

De causis excusantibus Beneficiatum à choro vt non obstante illius absentia distributiones lucretur.

115 *Pramitto Bonifacij decretum tres excusationis causas constituens.*

BONIFACIVS VIII. *c. vnico, de cler. non resid. in* 6. fatur excusare *infirmitatem iustam rationabilem corporis necessitatem, & euidentem Ecclesiæ vtilitatem.* Et subiungit: *Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, dominium non acquirat, nec faciat eas suas: imò ad omnium restitutionem, quæ contrà huiusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur.* Ergo solùm illi, quos infirmitas, rationabilis corporis necessitas, aut euidens Ecclesiæ excusat vtilitas, poterunt in absentia distributiones lucrari.

Absens ergo à choro ob grauem infirmitatem 116
non solùm fructus Beneficij, sed etiam distributiones quotidianas, quæ interessentibus conceduntur, lucratur. Quæ autem sit grauis infirmitas, arbitrio prudẽtis viri seu Medici periti relinquitur. Res agitur extra iudicialiter: si vero in iudicio agatur, arbitrio Prælati, seu iudicis relinquitur, qui ex Medicorum iudicio iudicare debet. Non autem huiusmodi priuilegio priuatur ille, qui sua culpa infirmitatem contraxit. Quia textus excluſit infirmos, qui causam ægritudini dedere, sed omnibus ob infirmitatem impeditis priuilegium lucrandi concessit. Sic ex Sacra Congregatione decisum refert Garcia *de Ben. p.* 3. *c.* 2. *n.* 363. Bonac. *d.* 2. *q.* 5. *pun.* 1. *n.* 7. Barbo. *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 53. *n.* 168. Moneta *p.* 2. *de distrib. q.* 6. *n.* 12. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 7. *q.* 11. Gutier. *l.* 1. *qq. Canon. c.* 1. *n.* 138. *Infirmitas iusta excusat.*

Lucratur præterea fructus, & distributiones, 117
qui rationabili corporis necessitate afficitur. Adest autem tunc huiusmodi necessitas, quando ex assistentia chori tibi imminet graue vitæ damnum, honoris, vel fortunæ. Quia Ecclesia, quæ pia mater est non vult suos obligare alumnos ad officia peragenda cum tam graui eorum incommodo: neque priuare emolumento eos, qui ex tam iusta causa officium omittunt. Plures ergo ex receptioti sententia casus expono, in quibus datur excusatio. Debentur distributiones eis, qui à choro abest eo quod Medici iudicio putat graue damnum sibi obuenturum, si domo egrediatur, & choro assistat: vt contingit in valetudinariis, & alias, qui medicinam, qua corpus expurgatur, sumunt. Bonac. *dict.* 3. *q.* 5. *pun.* 2. *num.* 4. Debentur ei, qui ex consilio Medici aliò se confert recuperandæ valetudinis gratia. Barbo. *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 53. *num.* 169. Debentur ei, qui causa recuperandi vires in infirmitate amissas, & ob cantum nimium defatigatus se à choro retrahunt, ille vt conualescat, hic vt aliquantisper recreetur. Bonac. *pun.* 2. *num.* 4. & 5. Debentur beneficiato, qui commode assistere non potest ex senectute. Quando autem hoc impedimentũ præstat arbitrio Medici relinquendum. Rugulariter septuagenariis inest. Bonac. *q.* 5. *pun.* 2. *n.* 6. Debentur ei, qui abest à choro, & à loco Beneficij ob timorem pestis grassantis in illo loco: modo Parochi non obest officium. Bonac. *n.* 7. Debentur habenti inimicum, cuius conciliationem facilè obtinere nõ possit, & á quo timet graue malum, si assistat. Id efficacius contingit, si in Vrbe grassatur bellum. Moneta *p.* 2. *de distrib. q.* 5. *n.* 72. Debentur ei, qui, ne alios peste inficiat, eo quod è loco non sano veniat, vi compellitur non assistere: vel alia via detineatur, quam vincere non valeat. Azor. *part.* 2. *l.* 5. *c.* 7. *quæst.* 10. *Excusat rationabilis corporis necessitas cuius vadimonium causa assequitur.*

Quid autem dicendum de eo, qui trusus in 118
carcerem, aut in exilium est immissus? si causam huic impedimento non dedit, etiamsi Iudex legitime eum condemnet, vt pote qui falsis testibus mouetur, distributiones acquirit. Quia corporali necessitate, quam excutere non valet, ab assistentia impeditur. *Excusat incarceratio, vel exilium, si culpa non adfuit.*

Aſt ſi dedit condemnationi cauſam etiamſi Iudex abſque ſufficientibus indiciis eum capi fecerit, vel condemnauerit, diſtributiones non lucrabitur. Quia tunc ipſi cauſa eſt abſentiæ. Couar. 3. *variar. cap.* 13. *num.*8. Bonac. *dict.* 2. *de hor. can. q.*5. *pun.*2.§.1.*n.*1. Garcia *part.* 2. *cap.*2. *num.* 364.

119 *Excuſat excommunicatio iniuſtè lata, ſecus ſi iuſtè infligitur.*

Quid verò de excõmunicato ſuſpenſo interdicto ſentiendum? ſi iniuſtè excommunicatus ſit, neque fructus neque diſtributiones amittit. Quia corporali neceſſitate impeditur ne diuinis officiis aſſiſtat grauiori timore nocumenti. Debet tamen, ſi commodè poſſit, abſolutionem procurare, & impedimentum iniuſtæ cenſuræ remouere. Moneta *de Diſtribut. part.* 2. *quæſt.*5. *num.* 43. Nauarra *de reſtit. cap.* 2. *numer.* 238. Bonac. *dict.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 2. *num.* 9. Si verò iuſtè excommunicatus ſit, diſtributiones non lucratur. Quia non ob neceſſitatem, ſed ob voluntatem malitioſam, qua in excommunicationem incidit, & perſiſtit, abeſt à choro. Verum ſi paratus ſit ſatisfacere, & abſolutionem petat, & denegetur, diſtributiones lucratur. Quia iam per ipſum non ſtat. Sylueſ. *v. Clericus* 4. *quæſt.*25. Sa *v. Beneficium, num.*50. Armil: *v. Clericus, num.*28. Henriq. *l.*7. *cap.*36. §.1. *& l.* 13. *cap.*3.§.3. Sayr. *de Cenſur. l. cap.*25. *num.*106. Profecto ſi iuſtè excommunicatus horis interſit, lucratur fructus, & diſtributiones officio correſpondentes. Quia licèt in huiuſmodi aſſiſtentia, delinquat, & ob hoc peccatum mereatur fructibus, & diſtributionibus priuari *c. Paſtoralis* §. *verum*, *de appellationib.* ipſo tamen iure priuatus non eſt: nullibi enim conſtat hanc impoſitam eſſe priuationem. Vaſq. *de Benefic. cap.* 4. §. 3. *dub.* 4. *num.* 229. Auila *de Cenſur. part.* 2. *cap.*6. *dict.* 6. *dub.* 1. Bonac. *dict.*2. *de excom. quæſt.* 2. *pun.* 4. *c.* 2. *num.* 2. Equidem in Hiſpaniæ Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis viget conſuetudo, vt quoties aliquis Canonicus excommunicatur, eo ipſo ſtatim notum ſit punctatoribus, vti illum extra numerum conſtituant.

120 *Idem fere dixerim de ſuſpenſione, & interdicto.*

Idem dixerim fere de ſuſpenſo. Si enim iniuſtè ſuſpenſus fuit ab officio Ordinis, & iuriſdictionis, à Beneficio, à diuinis officiis: diſtributiones recuperat ab iis, quibus fuerant applicatæ, vel à Iudice iniuſtè ſuſpendente, etiam ſi diuinis non interſit. Quia non debet abſque culpa affici pœna. Si autem iuſtè ſuſpenſus ſit, videndum eſt, cuius qualitatis ſit ſuſpenſio: nam ſi ſuſpenſus eſt à diuinis officiis, & illis aſſiſtat, lucratur fructus, & diſtributiones. Quia nullibi inuenitur, priuatum eſſe ipſo iure fructibus officio malè exercito reſpondentibus. Porro ſi à Beneficio ſuſpenſus ſit, priuatus manet fructibus, & emolumentis, quæ ex Beneficio profluunt, etiamſi officiis diuinis aſſiſtat. Quia redditur incapax ille acquirendi. Garc. *part.* 7. *cap.* 13. *num.* 92. *& cap.* 4. *num.* 58. Bonac. *dict.* 2. *de hor. canon. quæſt.* 5. *punct.* 2. §. 3. Idem proportione ſeruata, ſerendum de interdicto. Si enim ob iniuſtum interdictum quis priuatur diuinis aſſiſtere, priuandus non eſt diſtributionibus. Quia iuſta, & rationabili cauſa omittit aſſiſtere, timore ſcilicet maioris nocumenti, ſi contempta ea cenſura iniuſta diuinis ſe immiſceat. Si verò iuſtè interdictus eſt, ab Eccleſiæ ingreſſu, & conſequenter diuinis aſſiſtere: receptius eſt, eum diſtributiones lucrari, ſi aſſiſtat. Quia eſto peccet, præſtat officium, ob quod diſtributiones conceduntur. At ſi Eccleſia ſit ſpecialiter interdicta, neque tamen Interdicto cauſam dediſti, diſtributiones lucraberis. Quia per te non ſtat, quominus ibi diuinis aſſiſtas. Idem erit cum Eccleſia polluta eſt, ob quam cauſam officia in ibi celebrari non poſſunt Verum ſi generaliter Eccleſia eſt neque interdicta, neque tu cauſam dederis Interdicto, cum ibi poſſis celebrare diuina ſicut antea, & tenearis conditionibus in *c. Alma mater*, *deſent. excom. in* 6. relatis, diſtributiones lucraris, ſi diuinis aſſiſtas. Palaus *p.* 2. *d.*3. *pun.q.*§.2.*n.*10. & alij.

121 *Quid dicendum de tempore ceſſationis.*

Denique tempore Ceſſationis beneficiatus lucratur fructus Beneficij titulo correſpondentes, etiamſi cauſam dederit Ceſſationi, niſi per ſententiam illis priuetur. Quia non priuatur Beneficio. Diſtributiones autem minimè lucratur. Quia hæ correſpondent officio, quod illius culpa non exercetur. Si autem cauſam ceſſationi non dedit. Licitè diſtributiones obtinet. Quia legitima cauſa diuinis aſſiſtere impeditur. Si tamen qui cauſam ceſſationi exhibuit, ſoluendo non eſſet, crediderim, ex benignitate poſſe ei à Prælato diſtributiones, & alia emolumenta amiſſa applicari. Couar. *ad. c. Alma mater* §. 4. *num.*7. Moneta *de diſtrib. q.* 16. *num.* 36. Bonac. *d.* 6. Cenſur. *pun.* 3. *num.* 11. *& d.* 2. *hor. can. q.* 5. *pun.* 1. §. Suar. & alij, quos citat, & ſequitur Palaus *p.* 2. *d.*3. *pun.*9.§.2. *n.* 12.

122 *Quid de eo, cui beneficium ablatum, de depoſito, & verbaliter degradato*

Quid autem dicendum de eo, qui Beneficio priuatus eſt, vel depoſitionis, aut degradationis pœna afficitur? ſi ita priuatus eſt Beneficio, vt nullatenus illud retineat, ſed alteri ſit collatum, etiamſi hoc iniuſtè factum fuerit, diſtributiones non lucratur. Quia non habet ad illarum acquiſitionem fundamentum. Tenetur tamen qui iniuſtitiam commiſit, omnia damna reparare. Tandem cum depoſitio, & verbalis degradatio ſit quædam officij Eccleſiaſtici in perpetuum priuatio: à die depoſitionis, & degrationis fructibus, & diſtributionibus omnino priuatur. Bonac. *d.* 2. *de hor. can. q.*5. *pun.*2.§.9. Palaus *p.*2. *d.* 3. *pun.* 9.§. 2.*n.* 12.

123 *Abſentes ob Eccleſiæ vtilitatem lucrantur.*

Cæterùm tertiam cauſam excuſantem abaſſiſtentia diuinorum Officiorum expendo. Abſens ob euidentem Eccleſiæ propriæ vtilitatem fructus, & diſtributiones lucratur *c. Conſuetudinem, de cler. non reſid. in* 6. Vt autem conſtet, alicuius abſentiam in propriæ Eccleſiæ vtilitatem cedere non debet ille proprio iudicio niti, ſed ſapientum timoratæ conſcientiæ conſilio hæreſcere. Regula iter autẽ quoties quis à proprio Capitulo eſt electus ad aliquod negotium gerendum, quod ab ipſo iudicatum eſt Eccleſiæ vtile: fructus, & diſtributiones lucratur. Vnde immiſſus ad viſitanda Apoſtolorum limina: Ad Conciliũ generale, ſeu ad Principem, & legatum gratulationis cauſa: Aſſignatus ad ſumendas redditũm rationes: Ad iuriſdictionem aliquam illius Eccleſiæ exercendam, fructus, ac diſtributiones lucratur. Item qui præbẽdam habet, cui animarum cura incumbit, die Sacramenta miniſtrat, vel alia ad animarum curam attinentia exercet. Præterea qui viſitat Eccleſiam

Ecclesiam, verbi gratiâ Archidiaconus; quia visitando Ecclesiæ iura, & loca, ei inservit. Et qui ob iura Ecclesiæ suæ defendenda abest. Et qui pro defendendis proprij Beneficij iuribus recedit: quia huiusmodi defensio in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cedit. Certe obses datus ab Ecclesia, aut etiam repræsaliarũ causa captus, & detentus, quotidianis distributionibus priuari nó debet. Quia ob causam Ecclesiæ abest. Quod si perquiras, quanto tempore quis possit lucrari fructus, & distributiones absẽs ab Ecclesia pro negotiis eius expediẽdis: respondeo, toto eo tempore, quod in eundo, ac redeundo ad locũ negotij, & in illius expeditione consũpsit, proculdubio lucratur. Quia nõ solum negotij expeditio, sed & via ad illud gerendum, & reditus in propriam domum in Ecclesiæ cedit vtilitatem. Quanto autem tẽpore quis indigeat tum ad viam, tùm ad negotij expeditionem, prudentis arbitrio relinquendum. Hæc carptim ex Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 5. pun. 3. n. 14.* Garcia *de Benef. p. 3. c. 2. à 149.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 54. n. 159.* Palao *p. 2. d. 3. punt. 9. q. 3. à n. 1.* & aliis collegi.

124 *Capitularis assistentia requisiter non ob causa sufficiens, vt qui à choro absit.*

Enimuero difficiliores casus sigillatim enũcio. Regulariter loquendo Capitularis Congregationis assistẽtia nó est causa sufficiẽs, vt à choro absens distributiones lucretur. Quia non cedit in vtilitatẽ Ecclesiæ, sed in illius damnum, nempè in diuinorum officiorum imminutionẽ. Excipio casum extraordinarium, & Ecclesiæ valdè vtilẽ cui nec præueniri, neque postponi capitulũ ad horas possit. Quia tunc ei assistens in euidentem Ecclesiæ vtilitatem est occupatus. In ordinariis verò casibus non licet: cum decisione Clementis VIII. in suo Breuiar. 18. Ianuar. anno 1601. Capitula celebrari non possint tempore, quo diuina officia, & speciatim Missa maior celebratur. Garcia *1. p. c. 2. à n. 556.*

125 *Canonicus Pœnitentiarius pro præsente habetur & alij, qui ex superioris assignatione ei adiutores adiunguntur.*

Canonicus Pœnitentiarius dum in Ecclesia assistit paratus cõfessiones audire, ibique pœnitentes expectat, aut cum eis de rebus ad confessionem pertinentibus loquitur, præsens choro censetur, Trident. *sess. 24. c. 8.* Quia vtilitati Ecclesiæ prouidet. Idem dixerim, dum extra Ecclesiã Litaniæ ac Processiones habẽtur. Quia hæc publica recitatio sub nomine diuinorum officiorum, quæ in choro celebrantur, comprehẽditur. Sic decisum à Cardinalium Congregat. refert Garcia *p. 5. c. 4. n. 115.* Bonac. *d. 2. de hor. can. q. 5. pun. 3. §. 5. n. 4.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 55. n. 31.* Porrò alij Canonici, qui tempore diuinorum officiorum confessiones audiũt, si ex denotione gerant, haud pro præsentibus choro sũt habẽdi. Quia etsi hoc munus cedat in populi vtilitatẽ, cedit tamẽ in diuinorũ officiorũ imminutionem. At si ex assignatione Superioris huic incumbant officio vti Pœnitentiarius lucrantur. Quod etiam assero de illo, qui in locum Pœnitentiarij ob illius absentiam, vel mortem subrogatur. Quia subrogatus sapit naturam illius in cuius subrogaturlocum *l. si cum §. iniuriarum ff. si quis cautionibus.* Bonac. *citat.*

126 *Canonicus Magistralis cum in propria Ecclesia concionatur, aut legit, lucratur, dum legit, & contionatur, tota die præsente habetur.*

Canonicus Magistralis cum in propria Ecclesia concionatur, aut legit, lucratur, *ex c. vni de Cler. non resid. in 6.* Quia exequitur officium, & obligationem suæ præbendæ, quod non potest valde vtile Ecclesiæ non esse. Imo ex concessione Gregorij XIII. & Sacræ Congregationis declaratione, non solùm ea hora, qua legit, aut concionatur, sed omnibus illius dei horis præsens choro reputatur. Quia actionem magis laboriosam exercet, & quæ specialem præparationem requirit, Garcia *p. 3. c. 2. n. 19. q.* Moneta. *dedistrib. p. 2. q. 10. n. 17.* Bonac. *d. 2. de hor. can. q. 5. pun. 2. §. 6.* Barbo. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 56. n. 8.* In aliquibus Ecclesiis viget consuetudo, vt non solum eo die, quo Magistralis concionatur, pro præsenti habetur; sed etiam perocto dies concioni antecedentes. Quia reputantur necessarij, vt absq; graui defatigatione, officiũ pro vt decet, exerceat. Crediderim tamen, hanc consuetudinem extendi posse ad lucrandos fructus præbendæ; non autem ad quotidianas distributiones, nisi fortè in ipsis tota præbenda consisteret. Quia Gregorius XIII. dixit, distributiones quotidianas deberi concionanti, & legenti non solum hora, qua legit, seu conciotur, sed pro tota die, ex gratia inquam: extendere autem gratiam ad alias dies nimium videtur, lege Garciam citatum *num. 125.*

127 *Imo qui concionatur est octo diebus potest à choro abesse.*

Vicarius Episcopi, examinator Synodalis, Visitator Diœcesis &c. fructus lucrantur. Quia legitimam habent absentiæ causam. Non autem distributiones quotidianas, nisi priuilegio Pontificis; consuetudine legitimè præscripta, aut statuto à Pontifice confirmato, eis concedantur. Quia non sunt occupati in seruitio suæ Ecclesiæ propriæ, sed in seruitio Episcopi, aut Ecclesiæ in communi. Garcia citans Monetam, *p. 3. c. n. 154.* vbi refert priuilegiũ concessũ ad instantiãD. Caroli Ecclesiæ Mediolanensis præbendatis concessum. Bonac. *de hor. can. d. 2. q. 5. pun. 3. §. 8.* Barbo. *p. 3. de potest Episc. alle. q. 53. n. 161.* de examinatoribus loquens. Item debentur fructus, sed non distributiones duobus Canonicis ab Episcopo in sui obsequium assignatis, ac si præsentes choro essent iuxta *cap. De catero cap. Ad audientiam, de cler. resid.* Constat, eis deberi fructus. Quia legitima causa, qualis est seruitium Episcopi absunt. Quod vero distributiones non sunt eis debitæ, patet. Quia non sunt in Ecclesiæ propriæ vtilitatem occupati. Garcia *citat. num. 346.* Barbo. *vbi num. 142.* Gonzal. *ad Regul. 10. Cancel. glos. 6. num. 255.* Monuerim vero, Parochum nequaquam in familiarem Episcopi assumi posse vltra duos menses à Concilio permissos, neque in Vicarium, aut visitatorem assignari. Quia eius assistentia ita est vtilior Ecclesiæ, vt ex assistẽtia aĩ Episcopũ nequeat honestari. Pluribus Sacræ Congregationis decisionibus probat Garcia *p. 3. cap. 2. num. 40.* Barbo. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 53. num. 86.* Nomine vero Episcopi quilibet iurisdictionem Episcopalem habens intelligitur, & qui caput est Ecclesiæ Collegiatæ, vt Abbas, vel Prior. Hic assumere potest in sui seruitium duos ex præbendatis. Garcia *ibi n. 381.*

128 *Familiares Pontificis lucrantur fructus, non distributiones*

Familiares Pontificis absentes à choro fructus lucrantur. Quia est legitima absentiæ causa, & fortior, quam Episcopi seruitium, *c. Cum dilectus, de cler. non resid.* Non verò possent distributiones lucrari, nisi aliquo priuilegio, aut consuetudine præscripta legitimè muniantur. Garcia *p. 3. cap. 2. n. 383.* Moneta *part. 2. quæstion. 9. numer. 13.* Bonac. *d. 2. de hor. canon. q. 5. pun. 3. §. 1.* illi autem dicun-

tur Pontifici inseruire, qui sunt eius Capellani, Camerarij, secretarij, ac reliqui similes officiales. Et qui mandato ipsius in Curia commorantur, vel quibus expeditio alicuius negotij in vrbe, aut extra vrbem committitur. Bonac. *ibid.* Porrò ex priuilegio etiam distributiones quotidianæ conceduntur Auditoribus Rotæ ex Bulla Clementis VIII. Inquisitoribus, & Fiscalibus hæreticæ prauitatis ex Paulo III. & Pio V. Collectoribus generalibus Cameræ Apostolicæ, subcollectoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Fiscalibus, & Notariis in causa spoliorum & iurium Cameræ, eorũ officio durante ex Bulla Sixti V. Barbos. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 53. n. 155. 156. 165. 157.* Palaus *p. 1. d. 3. punct. 9. §. 8. 4 n. 1.*

129 *Docentes aut studentes Theologiam, aut ius Canonicũ in celebri vniuersitate fructus percipiunt, non distributiones.*

Docentes Theologiam, seu ius Canonicum in studio generali, seu celebri vniuersitate, & ibi studentes fructus lucrantur. *c. fin. de Magistris.* Debent autẽ docere ex vniuersitatis, seu Clauistri licentia; & etiamsi absque stipendio, & Cathedra legant, pro præsentibus habentur, quoad fructuum perceptionem. Quia in priuilegiis ab Eugenio IV. concessis Salmanticensi Academiæ, quæ iam sunt Complutensi, ac Vallisoletanæ communicata, solum expostulatur publicè in scholis docere. Quoad studentes autem monuerim, debere eos maiori anni parte in Vniuersitate commorari, ibique diligenter studere ius Canonicum, aut Theologiam. Probabile est autem consequi fructus, etiamsi ius ciuile ediscant. Quia *c. Luæ fraternitatis, de cler. non resid.* nulla est facta limitatio. Excipe, nisi sit Sacerdos, Archidiaconus. Decanus, Præpositus. Cantor, vel personatum habens: quia his studium iuris ciuilis, & medicinæ sub pœna excommunicationis est prohibitum *c. fin. nec clerici, vel Monach.* Moneta *p. 2. de distrib. q. 10. n. 19. 21.* Barbo. *p. 3. de potest. Episc. allegat. 26. n. 24. 25. & 28.* Profecto hi tam docentes, quam studentes distributiones non lucrantur. Quia ita habetur *c. licet, de præben.* & in constitut. Eugeniana Salmantinæ Vniuersitati concessa, Garcia *p. 3. c. 2. n. 113.* Bonac. *d. 2. de hor. can. q. 5. punct. 3. §. 2.*

130 *Pontifici priuilegio potest quis à choro abesse & fructus, ac distributionis lucrari.*

Profectò Pontificis priuilegio potest quis à choro abesse. Quia cum chori assistentia iure humano sit inducta poterit Pontifex in ea dispensare ex causa iusta, vt tam fructus, quam distributiones percipiat. Si autem ea causa legitima absit, dubito, an valeat quoad distributiones dispensatio. Quia hæ à fidelibus relinquuntur diuino Officio interessentibus. At fidelium voluntates haud potest Pontifex absque iusta causa mutare; non enim est illorum bonorum dominus, sed dispensator. Nullus verò præter Pontificem potest hoc priuilegium concedere. Quia inferior nequit in superioris lege dispẽsare. Porrò si concessum est priuilegium percipiendi fructus in absentia, non poterit quis ex vi illius indulti distributiones quotidianas percipere. Quia sub nomine fructus comprehenduntur illa, quæ ratione Beneficij beneficiato competunt: at distributiones non tam ratione Beneficij, quam personalis seruitij, & laboris mercedis beneficiato competunt. Gonzalez *Reg. 8. Cancel. §. 7. proœmij, n. 175.* Bonac. *d. 2. q. 5. pun. 4. n. 4.* Carol. Macig. *de hor. can. c. 81. n. 130.* Indultum verò de percipiẽdis distributionibus extendendum non est ad illas, quæ *inter præsentes* diuiduntur, quasque neque infirmi, neque alia legitima causa impediti lucrantur, quæ ob mortuoria, vel anniuersaria conceduntur. Quia hæ non sunt quotidianæ distributiones, cum non quotidie, sed aliquibus determinatis diebus conferantur non ex Beneficio, sed ex testatorum voluntate. Gonzal. *ibid. num. 177. & 206.* Bonac. *d. 2. q. 5. pun. 4. n. 6.* Ricci. *decis. 494. num. 8.*

131 *De priuilegio concesso Canonicis, vt recreationis gratia possint, trium mensiũ spatio non residere.*

Priuilegium à iure concessum Canonicis, ac præbendatis, vt possint tribus mensibus in anno recreationis gratia abesse non requirit aliam causam, præter leuamen à residentiæ obligatione. Vnde huius priuilegij vi potest Canonicus à choro abesse nonaginta dies siuè continuos, siue discretos. Declarauit autem sacra Congregatio non posse confici ex horis, quibus Canonici residentes absunt à choro dies, ex diebus, & horis sic collectis menses, absentiæ, de quibus in hoc decreto, vt autem possit hoc priuilegio frui, solum requiritur, quod teneatur per integrum annũ diuinis interesse, & possit distributiones lucrari. Quia Concilium *sess. 24. c. 12.* hoc priuilegium concedit Ecclesiis, quæ ingro anno residentiam expostulant. Garcia *p. 3. c. 2. n. 312.* Vndè si Canonicus concessionem Canonicatus accipiat in medio anni, non poterit tribus mensibus illo anno abesse, sed solùm vno mense cũ dimidio, Bona. *d. 2. q. 5. pun. 4. n. 9.* Quod si anno integro, vel maiori illius parte Canonicus abfuerit absque causa legitima non ideo ipso iure amittit priuilegiũ pro illis tribus mensibus concessum. Quia nõ datur hoc priuilegium iis, qui actu residẽt, sed obligatis ad residẽdum. Bonac. *ibid. n. 22.* Denique moneo, hoc priuilegium solummodo extendi ad lucrandos fructus, non distributiones. Quia *c. vnico de cler. non resid. in 6.* quotidianæ distributiones solùm conceduntur, si infirmitas, necessitas corporalis, aut euidens Ecclesiæ vtilitas interesserit. Barbo. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 54. n. 124.* Garcia *p. 3. c. 2. n. 249.*

132 *Si detur distributiones Canonicis, potest qui eas amisit, recipere.*

Profecto si tibi donentur distributiones amissæ ab iis Canonicis, qui illas possident, poteris illas licitè, & validè retinere. Quia Concilium non prohibuit donationem propriam, sed remissionem, vel collusionem. Nauar. *de orat. miscel. 59. n. 4.* Bona. *d. 2. de hor. can. q. 5. pun. 7. §. 2.* Suar. *to. 2. de Relig. l. 4. c. 30. n. 17.*

CAPVT XIII.

De Adoratione.

133 *Nomen, & definitio Adorationis.*

NOMEN adorationis commune est cultui exhibito Deo, Angelis & hominibus licet enim *Mat. 4.* pro cultu tantũ Deo exhibito vsurpatur, at *Gen. 19.* applicatur ad Angelorũ cultũ: vidit namque Loth duos Angelos, iuit eis obuiam, & adorauit. *& 3. pag. 1.* accipitur adoratio pro reuerẽtia hominibus facta. Definitur adoratio in genere, vt sit *submissio, & recognitio excellentiæ personæ adoratæ ex affectu illam sic recognoscendi.* Potest ergò Deo, & creaturis fieri. Quia in Deo, & creaturis excellentia digna adoratione reperitur. Si adoratio fiat Deo, erit submissio Deo tãquam Supremo Principi ex infinitè perfecto ex affectu illum sic recognoscendi. At si Angelo vel homini fiat, erit submissio prouenies ex recognitione

tione creatæ excellentiæ. *Conueniunt omnes.*

134 *Ex intentione adorantis & ex dignitate personæ adoratæ distinguitur?*

Ex his constat, adorationem ex intentione adorantis, & ex personæ adoratæ dignitate distingui: & licet personæ adoratæ Deus scilicet, & creaturæ in dignitate, & excellentia analogicè tantùm conueniant: non indè infertur, adorationes analogicè tantùm conuenire. Quia vtraque adoratio creata est, & supernaturalis, ac proindè non habent in se, vndè analogicam diversitatem habeant, sicuti amor Dei & proximi vniuocè conueniunt, etsi vnus respiciat increatam bonitatem, alius creatam. Suar. *to. 1. in d. 51. sect. 2.*

135 *Debet persona adorata esse adorante superior.*

Deindè constat, adorationem esse cultum, honorem, venerationem, & reuerentiã, quam adorans personæ exhibet adoratæ: at non omnis cultus, honor, veneratio, ac reuerentia est adoratio. Quia venerare, colere, & honorare æqualem, & inferiorem potes, non tamen adorare; est enim adoratio actus, quo te alteri submittis, & illius superioritatem recognoscis. Suar. *ibid. sect. 1. principio.* Vasq. *de adorat. d. 1. cap. 1.*

136 *Atribus virtutibus Theologicis adoratio distinguitur.*

Denique constat, adorationem à tribus virtutibus Theologicis distingui. Quia est actus virtutis moralis, & quia nõ respicit Deũ vt propriũ obiectũ, sed cultum submissũ, & veneratione diuinæ excellẽtiæ. Porrò Sãcti, quia adoratio increatæ excellẽtiæ, & creatæ omninò differũt, ad earũdistinctionẽ variis nominibus vtũtur, & adorationem Dei vocant *Latriam*, adorationem sanctorum *Duliam* appellant, & Virginis Deiparæ adorationem, *Hyperduliam* nominant, quia intra latitudinem creatæ excellentiæ omnium est eminentissima.

137 *Adoratio interna, & externa.*

Adoratio est duplex. Vna est interior, quæ per interiores mentis actus videlicet intellectus, & voluntatis exhibetur, quæ maximè ad Deum refertur. Alia est externa, quæ in exterioribus humilitatis, ac submissionis signis consistit, nempe in genuflexione, humiliatione, prostratione, manuum eleuatione. Certe vera Dei adoratio, omnisque latriæ actus principaliter est in mente, secundario autem in actione externa tanquam signo expressiuo internæ submissionis. Vnde si actus internus desit, quamvis adsit externus, non est vera adoratio, sed fictio adorationis, & irrisio; interna autem adoratio potest sine externa consistere. Clauis Regia *l. 4. c. 3. n. 4.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 4.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 2. n. 3.* Filliuc. *tr. 23. 22.*

138 *Adoratio absoluta & respectiua.*

Diuidi potest denuo adoratio in *absolutam*, & *respectiuam*. Absoluta est illa, qua quis vult rem adorare propter intrinsecam excellentiam quam habet. Respectiua verò ea dicitur, qua quis adorare vult rem propter aliud, id est, propter excellentiam quæ alicui personæ inest, ad quam talis res habitudinem, vel coniunctionem habet. Absoluta adoratio conuenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis est. Respectiua conuenit rebus ratione carentibus, vt imaginibus, quæ non propter se cultum, ac reuerentiam merentur: sed tamen respectiuè quatenus ordinem alicuius repræsentationis habent ad ipsum exemplar, seu propotypon, ita vt totus effectus internæ submissionis ad prototypon referatur, id est, ad eum, cuius est imago. Præterea Deus potest honorari dupliciter, primo in se ipso, secundo in sua imagine. Primo modo adoratur per se, & ipse est terminus adorationis sinè vllo alio. Secundo modo adoratur in alio, seu imago adoratur per aliud, & relatiue, & tunc ipsa imago est terminus adorationis, non quidem perse sed ratione rei repræsentatæ. Ideo in Tridentino *sess. 25.* dicitur, adorare imaginem, idem esse ac Christum adorare. Filliuc. *tr. 23. c. 1. q. 8.* Bonac. *to. 2. d. 3. q. 1. pun. 1. n. 4.* Laym. *l. 4. tr. 7. c. n. q. 10. & 11.* Vasq. *l. 2. de adorat. d. 8. c. 3.* Valent. *to. 4. d. 1. q. 14. pun. 2.* Viguer. *institut. c. 5. §. 5. vers. 12.*

139 *Cultu latriæ adoranda beatissima Trinitas, & singulæ Trinitatis Personæ Christus eius humanitas Verbo vnita, sanguis, ac corpus ab animo separatum.*

Cultu latriæ adoranda est beatissima Trinitas, & singulæ beatissimæ Trinitatis Personæ, Quia quælibet diuina Persona Deus est, cui debetur supremus cultus. Christus autem quatenus Deus, seu hic homo Christus in diuina, & humana natura subsistens eadem adoratione latriæ adorandus est, qua tota Trinitas, & singulæ Trinitatis Personæ adorantur. Humanitas verò Christi D. in quantũ est Diuinitati vnita latria est adoranda ratione hypostasis Verbi Dei, à qua & in qua sustentatur. Si verò humanitas Christi per se, ac præcisè consideretur, præcisa diuini verbi persona qualis nec est, nec vnquã erit: non adoranda esset latriæ adoratione, sed Hyperduliæ, tũ propter donorum, quibus adornatur, excellentiã tùm quia per se nõ habet excellentiã increatã, sed creatam. In praxi tamen Christus D. adorãdus est adoratione latriæ, quia ipsius humanitas semper est verbo diuino vnita: nam quod Deus assumpsit, nunquam dimisit. Idem dicendum de sanguine Dominico, & de sacerrimo cadauere in mortis triduo. Quia nec corpus nec sanguis fuere à verbo diuino separata. D. Tho. *3. p. q. 25. a. 1. & 2.* Sylui. *ibid.* Vasq. *in 3. p. d. 69. c. 3. & 4.* Filliuc. *tr. 23. n. 26.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 5. q. 7. & 8* Suar. *3. p. de incar. d. 53.*

140 *Eucharistiæ adoratione latria venerandæ. & quando præceptum eam adorandi obligat.*

Eucharistiæ Sacramentũ cum verè ac realiter contineat Christi corpus Latriæ adoratione est venerandum. Nec sub conditione adorandum est, si facta est consecratio sed absolutè: sufficit enim, adorantem ita affectum esse, vt non adoraret, si panis non esset consecratus. Quia credendum non est, aũt ministro defuisse voluntatem cõsecrandi, aut necessariam Sacramenti formam vel materiam abfuisse, cum oppositum nobis certò non constet. Caiet. *2. 2. q. 1. a. 3.* Vasq. *3. p. d. 105. c. 12.* Rodrig. *to. 1. sum. c. 8. n. 2.* Filliuc. *tr. 23. n. 27.* Valent. *to. 3. d. 6. q. 11. pun. 4.* Porrò non semper huius adorationis vrget præceptum, sed pro temporis opportunitate, cum sit præceptum affirmatiuum. Toties itaque obligat, quoties illius omissio posset irreuerentia vel contemptus censeri: quod maximè locum habet in sacrificãte, & communicante, & Missam audiente, dum post consecrationem Hostia eleuatur, in occurrente in irinere dum honorificè ad infirmos defertur, secluso autem formali contemptu, & scãdalo, eusmodi omissio ob negligentiam, inaduertẽtiam, necessitatem, occupationem, vel nullum est peccatum, vel ad summum veniale. *c. Sane, de celebr. Miss.* & omnes Doctores.

141 *Quæ Christũ D. re ipsa tetigerunt, vt Crux &c. cultu latriæ adorent effici.*

Latriæ cultu adorari debent illa, quæ Christum D. re ipsa tetigere, vt Crux, claui, lancea, præsepe, spongia, flagella, corona spinea, & alia huiusmodi: non autem secundum se, sed per ordinem ad Christũ, quocum fuere aliquo modo coniuncta. Illa verò, quæ Christũ D. ignominiosè tetigerunt nefariè, & impiè, nullum cultum

merentur, sed potius sunt execranda, qualis est sacrilega manus, quæ Dominū a apa percussit, & impij Discipuli labia. Quia vt ex contactu Christi res aliqua possit honorari debet sanctitatē ipsius aliquo modo participasse. D. Tho. 3. p. q. 25. a. 4. Suar. ibi. d. 56. sect. 1. Vasq. d. 100. c. 2. Azor. to. 1. l. 9 c. 5. q. 9. Bonac. to. 2. d. 2. q. 1. pun. 3. n. 6. Verum Deipara, Apostoli, Magdalena, aliique, qui Christum D. religiose, ac pie tetigerūt, non sunt propterea adoratione latriæ colendi. Quia per se possunt adorari, & honor latriæ, qui ipsis tribueretur ob Christi contactū, ipsis propter ipsos tribui videretur: cum tamen ipsi non sint huiusmodi adoratione colendi. D. Tho. citat. a. 4. Fillinc. tr. 23. n. 34.

143 *Crux ex qualibet materia constans cultu latriæ adoranda est. Quid dicendum de his Dominicæ Passionis instrumentis.*

Crux ex qualibet constans materia latria coli debet. Quia eo cultu non solùm Crux, qua Christus D. pependit digna est, eo quod eum tetigerit: sed etiam quatenus Crux est, nempe signum & imago Christi cruci suffixi. At verò reliqua Dominicæ Passionis instrumenta solùm merentur latriæ cultum, quia Christi corpus tetigerunt: quare si in alia materia consistant, cultu latriæ coli non debent. Quia non sunt signa, & imagines, quæ Christum repræsentent. Vnde hæc est differentia inter Crucem, quæ nunc ex auro, argento, ære, aut ligno conficitur, & alia Passionis instrumenta: quod hæ sint tantum eorum instrumentorum similitudines. Crux autem ipsius Domini patientis imago. D. Thom. 3. p. q. 25. a. 4. Valent. to. 4. d. . q. 24. punct. 3. Fillinc. tr. 23. n. 30. Bonac. to. 2. d. 3. q. 1. punct. 2. num. 8.

144 *Angeli, & homines beati & viuentes cultu Dulie venerādi.*

Duliæ cultu adorandi sunt S. Angeli, & Beati in cœlis regnantes: imò etiam multi homines in terris degentes digni sunt adoratione propter ipsorum sanctitatem & excellentiam Concil. Nicen. 2. a. 6. Trident. sess. 25. & in sacris legimus sæpè honorem fuisse exhibitū sanctis Angelis, & hominibus viuentibus, & vita functis propter sanctitatis excellentiam. Attamen quo ad huiusmodi cultum differentiam exponō; nam Sancti in Diuorum numerum ab Ecclesia relati, publico & solemni cultu nomine Ecclesiæ sunt adorandi: illi verò, qui nondum Sanctorum numero sunt coaptati, non possunt publicè adorari, illis autem cultus priuatus potest exhiberi non nomine Ecclesiæ, sed ex peculiari deuotione colentis. c. 1. & 2. *de reliquiis, & vener. Sanct.* Cultus autem publicus dicitur, non qui coram aliis exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab Ecclesia institutus exponitur. Claus Reg. l. 4. c. 3. n. 10. Fillinc. tr. 23. n. 31. Sanchez *sum.* l. 2. c. 43. n. 3. & 4. Vasq. 3. p. d. 97. c. 2. Bellarm. l. 1. *de Sanctis* c. 10. Suar. d. 55. *sect.* 1. Azor. to. 1. l. 9. c. 8. q. 8.

Inter numerum Sanctorum ad dictos, & nodum ad eum numerum relatos sanctos differentia.

145 *Cultus Sanctorum nondū canonizatorū priuatim permittitur.*

Verum duliæ cultu Sanctorum qui nondum addicti sunt ab Ecclesia Diuorū catalogo, imagines, in nostris domibus depingi, retineri, & adorari permittitur, non vero in Templo, vel in Altari inter aliorum Sanctorum imagines reponere cum hoc ad cultum publicum pertineat. Insuper licitum est pedes & manus ipsius sancti exosculari, capillos, aut vestes accipere, siue alij videant, siue non, modo scandalum absit. Præterea licèt cuicumque priuato homini in honorem eius nondum canonizati ipso natalis die ab operibus seruilibus abstinere, ac pridie ieiunare, aut ei votum offerre. Quia hæc omnia ad cultum priuatū pertinent. Sanch. l. 2. *sum.* c. 43. n. 6. & 7. Bellarm. l. 1. *de Sanct.* c. 10. Sylvest. *v. Reliquia* q. 1. Azor. to. 1. l. 9. c. 8. q. 8. Laym. l. 4. *tr.* 7. c. 5. n. 14. Bonac. to 2. d. 2. q. 1. *pun.* 2. n. 2.

146 *Cultus publicus eius eorum prohibitus.*

Non tamen licèt Sanctum nondum canonizatum publicè in Litaniis, aut diuino Officio inuocare: nec de eo publicum festum instituere, nec publicum ieiunium vel votum: nec publice eius reliquias adorandas proponere, aut templa, altaria vè eis dicare, neque de eo Missam dicere. Quia publicus hic cultus sancti nondum sanctorum Catalogo adscripti Pontifici reseruatur c. 1. *de reliquiis, & venerat. sanct.* Certè Vrbanus VIII. in congregatione generali S. Inquisitionis die 4. April. anno 1625. sub pœna Suspensionis comminatorie aliisque pœnis prohibuit, ne quis imagines eorum qui cum fama sanctitatis, vel Martirij ex hac vita migrarunt proponat cum laureolis, radiis vel splendoribus, aut libros continentes gesta, miracula, reuelationes, vel beneficia tanquam ipsorum intercessionibus obtenta publicet; aut tabellas seu imagines fictas, pictas vel sculptas appendat, aut lampades, seu lumina ad ipsorum sepulchra sine debita facultate accendat.

147 *Imaginū vsus sanctus potest. à licet Diū, & Angelū repræsentū.*

De fide est, Sacrarum Imaginum vsum licitum esse, si prudenter fiat. Trid. *ses.* 25. *Prudenter* si fiat supposui. Nam in adoratione imaginis non tantum illud cuius est imago adoratur, sed & etiam ipsamet imago: cum illud propriè adoretur, quod est terminus adorationis, seu materia circà quam adoratio versatur: tamen hæc adoratio non est absoluta, sed respectiua. Quia imago non colitur propter excellentiam propriam, qua caret; sed propter excellentiam illius, cuius est imago. D. Tho. 3. *p. q.* 25. a. 3. 4. & 5. Laym. l. 4. *tr.* 7 c. 5. n. 10. Suar. 3. p to. 1. d. 54. *sect.* 4. Valent. to. 3. d. 6. q. 11. Clauis Reg. l. 4. c. 3. n. 11. & alij. Dei, & Angelorum, qui sunt puri Spiritus imagines licitæ omninò sunt, Fide asserente. Quia licèt imagines adhiberi non possunt ad repræsentandum Deum, vt in se est, secundum propriam similitudinem, nec Angelos: possunt tamē Deus, & Angeli per quandam metaphoram, vel vt aliàs apparuere, manifestari. Vndè non damnatur imago, qua Pater cœlestis senex depingitur, & Spiritus Sanctus in columbæ speciæ. Depingitur ergo Deus in forma sensibili, non quod constet coloribus, sed quod in ea figra visus sit. Pinguntur etiam Angeli humana specie. Quia in hac forma se videndos exhibuere. Fingūtur autem iuuenes, aut pueruli, vt eorum vita perpetua exprimatur quę sēper viresceus obiicitur. Alæ autem eis apponuntur, quod sint Dei, à quo immittuntur, pernicissimi nuncij. Vasq. 3. *p. quæst.* 25. *art.* 3. d. 103. Sylui. *ibi quæ si.* 1. Azor. *tom.* 1. l. 9. *cap.* 7. q. 2. & 3. Bonac. *dict.* 3. *quæst.* 1. *pun.* 3. Sander. *de cultu imag.* l. 1. *cap.* 4. Bellarm. l. 2. *de imag. capite* 8. Caiet. *part.* 3. *quæstion.* 25. *art.* 3.

148 *Vna & eadē adoratione possunt imago & exemplar adorari.*

Porrò vna & eadem adoratione possunt imago, & exemplar adorari. Quia imago cum exemplari, & exemplar in imagine adoratur, & cultus imagini datus transit ad exemplar, quod refert imago, *Septima Synod. quæ est Nicæna* 11. Sic cum Christum D. aliúmve Sanctum apprehendimus tanquā in imagine nobis præsentatum illi cultū deferrimus ita, vt terminus adorationis sit solū prototis pon imago autē concomitāter se habeat tāquā acidēs quoddā, & quasi

personæ

personæ adoratæ vestimentum. Quemadmodum si Regem in speculo effulgentem videas, eique ibi reuerentiam exhibeas, vno moto & Regem colis & speciem, aut imaginem Regis, ipsum quidem Regem principaliter, imaginem verò concomitanter & per accidens. Halens. *p. 3. q. 30. memb. 3. art. 3.* §. 1. Suar. *3. p. tom. 1. d. 54. sect. 4. assert. 1.* Sylui. *3. p. quæst. 25. a. 3. quæs. 5.* ex D. Tho. *ibi a. 3. & 4.*

149 *Reliquiarum adoratio.*

De Fide est, reliquias absolutè esse adorandas, & deuotè custodiendas, vt decernitur in Conciliis Carthag. Brachar. & Trident. quando publicè exponuntur colendæ, & sumus Pontifex, aut Episcopus debitam diligentiam adhibuit, ad inquirendum, num vere sint reliquiæ Diui Canonizati, illasque approbauit: vel per traditionem, seu diuturnum Ecclesiæ vsum pro approbatis habentur. Vnde reliquiis eadem adoratio tribui potest, quæ personæ, cuius reliquiæ sunt, tribuitur, & quamvis propter se adorari, ac coli nequeant, cum sint irrationales: possunt tamen coli adoratione respectiua propter excellentiam, & sanctitatem personæ, cuius sunt reliquiæ. Nomine verò reliquiarum intelligo quidquid ex sanctorum ex hac vita decedentium reliquum mansit, siue sint ipsa corpora, siue carnes, ossa, dentes, capilli vngues, cineres, & pulueres, in quæ conuersa fuere cadauera. Item vestes, & varia vtensilia quibus superstites vsi fuere, vel linteamina, queis corpora fuere inuoluta. Verum ad reliquias priuatim venerandas sufficit priuatum testimonium vnius personæ fide dignæ aut alia probabilis ratio, seu coniectura, qua sufficienter moueamur ad prudenter iudicandum veras reliquias esse. Quia in adoratione, seu cultu priuato minus subest periculum, etsi interdum materialis contingat error, dummodo bona fide agatur. Posita enim probabilitate huiusmodi, licet hasce reliquias absolute adorare, nam adest moralis certitudo quæ sufficit ad prudenter operandum absque formalis erroris periculo: & quamvis fieri possit vt materialiter erretur, si contingat, veras non esse sancti reliquias: nullum tamen peccatum incurritur. Quia adorans bona fide procedit. Bellarm. *l. 2. de relig. c. 1.* Sanch. *l. 2. sum. c. 43. n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 7. c. 5. n. 15. & 16.* Azor. *to. 1. l. 9. c. 8. q. 2.* Suar. *in 3. p. to 1. d. 55.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 11. pun. 5. & 6.* Manu. *tom. 3. qq. Regul. q. 55. art. 1.* Bonac. *tom. 2. d. 3. q. 1. pun. 4.*

150 *Licitum est crucem reliquiis non approbatis ornatam in altari adorandam proponere.*

Licitum est Crucem variis reliquiis non approbatis ornatam in altari collocare, & populo adorandam proponere. Quia sic vsus obtinuit, & quia cum Crux in altari collocatur, non reliquiæ, sed Crux adoranda exponitur: quod verò vnus vel alius reliquias adoret, id est per accidens, & ad priuatum, non ad publicum pertinet cultum. Palaus *tom. 2. tract. 8. dict. 1. pun. 6. num. 11.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 43. numer. 17.*

151 *Cum reliquiæ ab vna ad aliam Diœcesim transferuntur, quid debeat Episcopus recipiens agere.*

Demùm quando reliquiæ sunt legitimè approbatæ vel Bulla Apostolica vel Episcopi Diœcesis à qua in aliam transferuntur testimonio: non esse Episcopi Diœcesis eas recipientis earum veritatem examinare, quæ iam legitimè est comprobata, ad eum autem pertinet, periculum facere, num sint hæ reliquiæ, quæ in literis Apostolicis aut testimonio Episcopi continentur, vt licentiam impertiat, eas in sua Diœcesi publicè collocandi. Bonac. *tom. 2. d. 3. de adorat. q. 1. pun. 4. n. 6.*

CAPVT XIV.

De Sacrificio.

152 *Quia sacrificium, & quæ eius conditio.*

SACRIFICIVM propriè est *actio, qua res aliqua sensibilis, per sui mutationem a legitimo ministro offertur Deo in nostræ recognitionem eius supremi dominij, & nostræ subiectionis.* Primò, dicitur *Actio*, quia omne Sacrificium est oblatio, qua supremum dominium, & nostram subiectionem testamur: Sed non quælibet oblatio est Sacrificium, sed illa, quæ in re oblata sensibili mutationem patitur. Tum quia *Sacrificare*, est verbum Græcum idem significans quod mactare, ac perimere. Tum quia hac ratione perfectius suprema potestas significatur, & exactius testamus Deum vitæ, & mortis esse dominum. Tum quia apud Ethnicos omnia sacrificia aliquam recipiebant mutationem. Tum & præcipuè, quia in lege naturæ & scripta nulla absque mutatione aderant sacrificia. Nam si viuentia sacrificabantur, vt animalia, id fiebat per occisionem. Si inanimata vt carnes occisorum, thus, sal, & farina munda per combustionem: aliæ, vt sanguis, vinum, per effusionem. Secundo, debet esse oblatio à legitimo ministro facta, id est à sacerdote: non enim quilibet potest dignitatem sacerdotalem vsurpare. Quia non est cuilibet commissa potestas sacrificandi: nam cum sacrificium sit cultus externus, & publicus quo præcipuè Deus colitur, & honoratur debet à ministro publico fieri: alias sacrificij rationem non habebit. Tempore legis naturæ ministri publici, & sacerdotes erant omnes primogeniti, vt multis probat Pererius *to. 1. in Gen. c. vlt.* Item quilibet pater familias authoritatem quasi Regiam habebat, & ideo sacerdotalem. Lessi. *l. 2. c. 18. dub. 2. n. 12.* Demùm speciali Dei instituto multi compulsi sunt ad sacrificandum, & consequenter sacerdotes fuere constituti, vt Abel, Noë, Iob, Melchisedech, Isaias, Iacob, & alij. Tertio debet fieri Deo talis oblatio. Quia soli vero Deo hic cultus debetur: testamur, inquam, illo Deum esse omnium Dominum, à quo omnia producuntur, pendent, & conseruantur: quod alteri, quam Deo haud potest conuenire. Quartò debet fieri in supremi dominij, & nostræ ad ipsum subiectionis recognitionem. Quia hic est præcipuus finis, ob quem Sacrificia fiunt. Et quia Sacrificium, quod vocabatur *Holocaustum* in quo res oblata igne absumebatur, hunc specialiter testabatur finem: ideò holocaustum in lege veteri præcipuum erat Sacrificiū. Alia præterea erāt Sacrificia pro expiatione peccatorum instituta, pro gratiis beneficij accepti gerendis, pro aliis de nouo impetrandis, quibus Sacrificantes implicitè saltem testabantur supremum Dei dominium si quidem eo ipso indicabant, solum Deum remittere peccata posse, ac beneficia conferre. D. Th. *2. 2. q. 93. a. 1.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 10. q. 15. & l. 10. c. 17. q. 8.* Valent. *2. 1. d. 6. q. 4. pun. 1.*

153 *Iure naturæ Sacrificium Deo debetur.*

Ex his infero, Sacrificium iure naturæ debitum esse Deo. Quia ei est debitum, vt creatura rationalis, corporalis, visibilis testetur dependentiam, quam à suo Creatore habet: & consequenter eius supremam maiestatem, ac dominium. Quo autem Sacrificio hoc fieri debeat, non est à natura inditum, sed Deus suo speciali instinctu, vel mandato designat. In lege naturæ Sacrificia instituit speciali impulsu, & instinctu: in lege veteri, & noua speciali mandato. D. Tho. communiter receptus 22. *q.*86. *a.*4.

154 *In lege naturæ & veteri multiplex Sacrificium: in lege noua vnicum est, Eucharistia.*

Sacrificium tam in lege naturæ quam veteri multiplex erat. *Gen.* 4. & 14. *leuit.* 1. *&c.* At aduentante lege Gratiæ, & instituto diuinissimo Eucharistiæ Sacrificio, omnia illa antiqua cessarunt. Quia illius vmbra erant, & figura. *Hebr.* 7. Trident. *sess.* 22. *c.* 2. & docent omnes Catholici. Præter hoc ineffabile Sacrificium nullum aliud in lege noua inuenitur. Continet enim virtutem infinitam ad placandum Deum pro peccatis, ad impetrandum beneficia, ad gratias pro beneficiis acceptis gerendas, ad Deum summè laudandum: ergo superuacaneum erat, alia Sacrificia instituere. Neque obstat, thus offerri, & adoleri in altari in significationem supremi dominij, & excellentiæ, nostræque ad Deum seruitutis, vt affirmemus, veram habere Sacrificij rationem. Non enim illam habere potest, dum à Deo pro re Sacrificanda non instituitur, & à Sacerdote electo & designato ad id munus, non offertur. Certe thuris oblatio in altari non pro Sacrificio, sed pro Sacrificij ornatu. & ad excitandam fidelium deuotionem, est ab Ecclesia instituta: neque Sacerdotes Euangelici sunt constituti Sacerdotes per ordinem ad thuris oblationem, sed solum per respectum ad Missæ Sacrificium. *Doctores communiter.*

CAPVT XV.

De vitiis virtuti Religionis oppositis, ac primum de Superstitione.

155 *Superstitionis nomen & quid sit.*

NOMEN superstitionis ductum est vel à vitio illorũ, qui olim apud Ethnicos nimij erant in precãdis diis vt sui filij sibi essent superstites: vel quod abiectis diis antiquioribus, suorum maiorum memoriam colerent: vel quod homines nimis timerent Deos supernè impendentes, & quasi superstantes. Generatim autẽ hîc sumpta, est falsa religio, seu vitiosus cultus veri, vel falsi Numinis: & iuxta D. Thomam 2. 2. *q.*9. 2. *est vitium Religioni oppositum secundum excessum*, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quam vera Religio; sed quia exhibet cultum diuinum cui nõ debet, vel eo modo quo nõ debet, Lessi, *l.* 2. *c.* 43. *n.* 1. Sylvest. *v. superstitit.* Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *p.* 5. *pun.* 1.

156 *Duæ superstitionis species.*

Dividitur superstitiõ in duas species, quæ sunt, superstitio cultus indebiti seu incongrui & superstitio ratione rei cultæ: illa est cultus peruersus veri Numinis, hæc est cultus falsi. Tam superstitio ex parte cultus indebiti, quam ex parte rei cultæ subdiuiditur in aliquas species. Superstitio cultus indebiti diuiditur in superstitionem cultus falsi vel pernitiosi, & in superstitionem cultus superflui. Cultus falsus est, & dicitur ratione falsæ significationis, vt si quis Deum colere vellet ceremoniis Iudaicis. Cultus superfluus est, cum præter Ecclesiæ morem ponitur religio in aliquibus circumstantis, aut rebus, in quibus non est ponenda, vt in numero, colore, situ &c. Idem dicendum est, quando cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ variantur. Tollet. *l.* 4. *c.*14. Suar. *to.* 2. *de Relig. l.* 2. *c.* 2. Sym. *l.* 4. *tr.*10. *c.*1. Sanch. *l.* 2. *sum. c.*37. Nauar. *sum. c.* 11. *n.* 24. Lessi. *l.* 2. *c.*. 43. *n.*5.

157 *Superstitio ratione rei cultæ in alias tres diuiditur species.*

Superstitio ratione rei cultæ diuiditur in tres alias species, *Idolotriam Diuinationem*, & *Vanam Obseruantiam*. Ve lenim colitur Diabolus ita vt honoretur tanquam Numen, & hæc est Idolatriæ species: vel vt occultum aliquod reuelet, & sic est Diuinatio: vel vt dirigat in operando, & sic est vana Obseruantia, & superstitiosa. His verò speciebus possunt adiici aliæ duæ: vna Magiæ, quæ licet referri possit ad vanam obseruantiam, tamen tanquam aliquid deterius potens quartam speciem constituere. Altera Maleficij, quod est vis ac potestas nocendi aliis, idéoque est etiam species quædam Magia deterior. Tolet. *l.* 4. *c.*14. *n.*5. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 6. Filliuc. *tr.* 84. *c.* 1. *n.*4.

158 *Quando peccatum est superstitio: quæ dicitur minus falsa?*

Superstitio illa, quæ dicitur cultus falsus v.g. quando quis diuino officio admiscet turpia, tanquã diuini officij partẽ, aut quando Fidẽ falsis miraculis confirmare cõtendit: aut quãdo falsa miracula prædicat: aut formam aut materiam Sacramentorum mutat sic, est mortale peccatum ex suo genere. Quia grauem infert in Deum irreuerentiam. Illa vero superstitio, quæ dicitur cultus superfluus, non est mortale, sed veniale piaculum, nisi ex contemptu fiat. Valent. 2. *d.* 6. *q.* 9. & 10. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 4. Nauar. *c.* 11. *n.*14. Tolet. *l.* 4. *c.* 14. *n.*5. Suar. *de Relig. l.* 2. *c.* 2. *n.* 23.

CAPVT XVI.

De Idololatria.

159 *Quid sit Idolatria, & quomodo dupliciter accipiatur.*

IDOLOLATRIÆ nomine significatur omnis falsorum deorum cultus, vt dæmonum, solis, lunæ, siderum, hominum, & similium. Vndè omnis cultus quo creatura instar Dei colitur, idololatria dicitur, & ab idolo nuncupatur, quod est alicuius falsi numinis effigies ad differentiam imaginis Dei, Angelorum, & Sanctorum, quæ nunquam idolum appellatur. Idololatria dupliciter accipitur. Primo speciatim & propriè pro cultu, quo creatura colitur loco Dei hoc autẽ fit nõ solùm Sacrificio, quod perse soli Deo debetur: sed etiam quouis alio signo honoris, quo alij excellentiam aliquam Deo propriam tribuimus. Secundo generatim & metaphorice pro omni peccato, quo quis mortiferè creaturæ inhæret. Quia id propter quod homo à Deo recedit vt ei adhæreat, censetur pluris quam Deum facere, ac subindè illud Dei loco habere, & ita est illi instar idoli. D. Tho. 2. 2. *q.* 94. *a.* 1. Azor. *to.* 1. *l.* 9. *c.*11. Lessi. *l.* 2. *c.*143. *dub.* 2. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 5. *pun.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 2.

160 *Ad Idololatriæ actum.*

Ad Idololatriæ actum tres actus debent concurrere.

triam tres actus solent concurrere.

currere. Primus est opinio diuinitatis, vel perfectionis Dei propriæ: nec refert habere hanc opinionem expresse, siue tacitè, qualem habet is, qui sciens idololatriæ falsitatem, nihilominus vult facere, quod cæteri idololatræ faciunt. Secundus est affectus reuerentiæ quo quis vult se illi tanquam Numini submittere. Tertius est externum signum, quo interior existimatio & submissio significatur. Reginal. *l.* 17. *n.* 147. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 57. *n.* 21. Valent 2.2. *d.* 6. *q.* 11. *pun.* 3.

161 De grauitate peccati huius.

Certè Idololatria propriè sumpta ex genere suo grauissimum est peccatum. Quia honorem diuinum, & Diuinitatem ipsam, quantum in se est, ad creaturam transfert: vnde potest dici lesæ Maiestatis diuinæ piaculum. Hoc peccatum est maximum inter ea, quæ cultui diuino, ac Religioni opponuntur. Quia si fiat ex perfecta notitia, & libertate, includit odium & blasphemiam quodam modo. Porrò in idololatria tripliciter delinquitur. Primo grauissimè ex infidelitatis errore. Secundo, ex diuino honore alteri attributo, quam vero Deo, etsi mentis infidelitas absit. Tertio externè tantum absque intellectus errore, & affectu creaturam vt Deum colendi. Ab hoc quidem crimine non excusat metus mortis. Quia tribuere creaturæ Dei cultum, est perse, & intrinsecè malum: imo neque ignorantia excusat. Quia recta ratio euidenter dictat, creaturam loco Dei non esse colendam. Laym. *l.* 4 *tr.* 10. *c.* 2. *num.* 5. Suar. *de. Relig. l.* 2. *c.* 6. *n.* 20. 22. & 22. Filliuc. *tr.* 24. *c.* 2. *q.* 8. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *dub.* 2. *n.* 10. Sylui 2. 2. *q.* 94. *a.* 3. ex D. Tho. *ibi.*

162 Ob idololatriam interdum simul, excommunicatio fertur.

Propter internam Idololatriam tantùm, nulla Ecclesiastica Censura incurritur: neque ob externam tantùm in foro conscientiæ: licet in foro exteriori ob præsumptionem contrarium sit dicendum. At ob Idololatriam internam simulet externam excommunicatio Bullæ Cænæ in hæreticos lata idololatra vulneratur. Nauar. *sum. c.* 11. *n.* 25. Syuest. *v. Hæresis* 1. *q.* 6.

CAPVT XVII.

De Diuinatione.

163 Quid diuinatio.

DIVINATIO dicta est, quasi Diuinitatis æmulatio, seu ostentatio. Quia per eam homo futura contingentia & alia occulta, ab humana cognitione remota, ac diuinæ scientiæ propria cognoscere affectat. Quarè Isa. 41. dicitur, *Annunciate, quæ futura sunt in futurum & sciemus, quia dij estis vos.* Cognitio verò ad solum Deum pertinens est cognitio certa futurorum contingentium, quæ videlicet à causa libera, & indeterminata dependent: item cognitio certa præsentium occultorum, vt cogitationum, & affectionum cordis. Porrò qui huiusmodi rerum cognitionem variis mediis aliunde quærit quam à Deo, conuincitur superstitiosus esse. Quia omnis vana occultorum inquisitio auxilio dæmonis nitatur, à quo quis vult erudiri aut expresse, aut tacitè saltem illum inuocando. Quamvis enim dæmones certò non possint futura dignoscere, dicuntur tamen illa aliquomodo scire, vel per experientiam: nam scit dæmon quando passim hoc aut illud assolet euenire: vel Dei permissu aliquid aliquando ab Angelo bono ediscit, quæ prædicere gestit. Prædicere etiam potest dæmon, quæ ipsemet est facturus. Nouit præterea multos naturales effectus, necessarios, qui tamen nobis contingentes apparent. Scripturas denique melius quàm homines intelligunt. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 1. & 2. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *dub.* 5. Reginal. *l.* 17. *n.* 163. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 38. *n.* 7. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 5. *pun.* 3. Filliuc. *tr.* 23. *c.* 3. *n.* 54. & 61. Delrius. *l.* 4. *magic. c.* 2. *q.* 2. *qui* ita definit: *Diuinatio est significatio occultorum ex pacto cum dæmone.* Dicitur *significatio*, quia instructio, seu prænotio occultorum per varia signa accidit.

Diuinatio dupliciter fieri solet. Primò per expressam dæmonis inuocationem, quando scilicet diuinator intendit inuocare dæmonem, & cum eo pactum inire: & hæc multis modis contingere potest, pro vt dæmon variis modis consulitur, aut consultus variis modis respondet. Contingit enim vel per apparitionem factam in figuris, seu assumptis corporibus: vel per signa apparentia in corporibus terrestribus, vt in ligno, ferro, lapide: vel per negromantiam, quæ fit excitando aliquem mortuum, qui respondeat, vel multis aliis modis per varias adinationes, vnctiones, figuras, specula, alàque signa, quæ ipse instituit, inuocari assolet dæmon à diuinis, vt occulta patefaciant: & ipse variis modis respondet, v. gr. per aëra, per ignem, per aquam, per somnia. Alterum genus Diuinationis est, in quo dæmon expresse non inuocatur, sed tacitè, scilicet cum quis vtitur mediis ad cognoscendum res occultas, quæ nullam habent virtutem eas res indicandi: vt contingit, quando quis diuinare vult per taxillos, aut chartas, vel per id, quod primo loco occurrerit aperienti librum: vel quandò quis vult diuinare ex inspectione dispositionis quarumdam rerum, aut numerorum, aut ex obseruatione vocis, vel cantus, aut ex manus lineis, ex fronte, coloribus, figuris, auium garritu, voce animalium, ex sternutatione, ex funeris occursu ex corrigeæ calcei fractione, &c. D Tho. 2. 2. *q.* 95. *a.* 3. Tolet. *l.* 4. *c.* 5. Filliuc. *tract.* 24. *cap.* 3. 4. & 8. Nauar. *sum. cap.* 11. *num.* 25. Suar. *tract.* 3. *de sursi. cap.* 8. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 12. *pun.* 2. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 5. *pun.* 3. *nu.* 5. Azor. *to.* 1. *l.* 9. *c.* 12.

164 Diuinatio fit per expressam & tacitam dæmonis inuocationem.

165 Diuinatio ex genere suo mortalis est.

Diuinatio peccatum est mortale ex suo genere, siue fiat cum expressa, siue cum tacita dæmonis inuocatione. Quia per diuinationem initur cum diabolo consortium, & homo subiicit se perpetuo Dei hosti, vt ab ipso occulta edoceatur. Vndè si diuinatio seriò fiat, non datur paruitas materiæ à mortali excusans, ob inuincibilem autem ignorantiam, vel ob aliam causam posset à lethali excusari Reginal. *l.* 17. *num.* 180 Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 38. *num.* 18. Suar. *tract.* 3. *de superst. c.* 10. *num.* 6. Nauar. *sum. cap.* 11. *n.* 8. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *num.* 53.

166 De diuinationis personis malitia.

Enim verò vt de diuinatione per sortes nonnihil attexam sors propriè est, cum aliquid fit, vt eius euentu consideratio aliquid fiat, aut innotescat. Tres sunt sortis species, *Consultoria Diuisoria, Diuinatoria.* Consultoria est, quando inquiritur, quid nam in aliquo arduo negotio sit agendum. Diuisoria, quando quæritur, quid

quid cui sit exhibendum Diuinatoria, quandò inquiritur, quid sit futurum. Certè sors diuisoria multis in rebus licita est, modo euentus non expectetur à dæmone, vel à Fortuna, tanquam aliquo Numine: sed simpliciter à Deo, & caueatur, ne alicui iniustitia fiat, neuè quidquam cõtra bonum publicum geratur: nec adhibeatur in electionibus Ecclesiasticis, imò neque in sæcularibus absque necessitate: & modo diuinà oracula non conuertãtur ad terrena negotia, veluti vtendo ad sortiendum Euangeliorum libro. D. Tho. 2.2. *q.* 95. *a.* 8. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 38. *n.* 56. Suar. *de Relig. to.* 1. *l.*2.*c.* 12. Reginal. *d. d. l.* 17. *n.* 174. sortes consultoriæ rarò sunt licitæ. Quia Deus non vult suam voluntatem sortibus indagari, sed Ecclesiæ, ac Sanctorum doctrina, ac petito à viris prudentibus consilio. Et sub anathemate in iure interdicuntur *c. sortes* 26. *q.* 5. At possunt esse licitæ in magnæ casu necessitatis, quando super re necessario agenda humanum iudicium non sufficit, concurrentibus his conditionibus: Prima, vt debita reuerentia ad Deum sortes mittantur. Secunda, vt seruetur modus proportionatus, nè scilicet Sanctorum reliquiæ, aut Euangelia ad temporaria lucra conuertantur. Tertia, vt non fiat sortitio pro Beneficiis, aut officiis Ecclesiasticis quæ per electionem debent impertiri. Azor. *p.* 1. *l.* 9. *c.* 21. Filliuc. *tr.* 24. *c.* 4. *q.* 11. *n.* 104. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *d.* 3. *q.* 5. *pun.* 3. *n.* 5. Sigismund. à Bononia *tr. de electione. dub.* 26. Demum sortes Diuinatoriæ sunt omnino illicitæ, ac superstitiosæ. Quia nec ex natura rei, nec ex Ecclesiæ instituto rei cognoscendæ seruiunt: Ergo sunt medium improportionatum, & admiscetur tacita dæmonis inuocatio. *c. si quis Episcopus*, 26. *q.* 5. D. Tho. 2.2. *q.* 65. *a.* 8. Sylui. *imbi concl.* 4. Portel. *de dub. Regul. v. Beneficia. n.* 11.

167 *Quandonam diuinatio à mortali excusatur.* Qui ioci causa ostendit, se velle futura diuinare excusari potest à lethali cum non adsit animus superstitiosus indagandi latentia, sed est potius vanitas, quam superstitio. Nec mortalis est Diuinatio per somnia, quando quis ex simplicitate fidem facile illis præstat, putans illa esse à Deo, vel tenuiter credit: aut quando quis credens somnium fortè esse à Deo, propter metum aut spem aliquid facit, vel omittit, seu cautius se gerit, dummodo aliud peccatum non intercedat. Quia hæc non est perfecta superstitio. Suar. *de superst. c.* 9. & 10. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 53. Valent. 2.2. *d.* 6. *q.* 12. *pun.* 4. Nauar. *sum. c.* 11. *n.* 37. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 6.

168 *Diuinatio tacita, vel expressa dæmonis inuocatione, sunt eiusdem speciei.* Cum taciti, & expressi eadem sit ratio, & differant tantum inter se sicut completum & incompletum, perfectum & imperfectum intra eandem speciem: hinc diuinatio cum tacita dæmonis inuocatione malitiam habet eiusdem speciei, quam habet Diuinatio cum expressa inuocatione gesta. In confessione tamen explicandũ est, nùm fuerit cum tacita, an cum expressa. Quia hæc al quando coniunctam habet hæresim, aut demonis adorationem, aut alia peccata explicanda necessariò: Reginald. *l.* 17. *n.* 174. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 38. *n.* 14. & 62. Suar *de superst. c.* 10. *n.* 2. Filliu. *tr.* 23. *n.* 72. Laym. *l.* 4. *tr* 10. *c.* 3. *n.* 4. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 28.

169 *Diuinatio siue per aërem, siue per ignẽ, &c. est eiusdem speciei in genere moris, quamvis in genere naturæ sit diuersæ.* Diuinatio siue fiat per aërem, siue per aquam siue per ignem, siue per astra, siue per somnia: est eiusdem speciei in genere moris, quamvis in genere naturæ sit diuersæ. Quia quouis modo fiat, continet priuationem eiusdem perfectionis, eandemque habet cum recta ratione oppositionem. Vndè non est opus exprimere in confessione rem, per quam facta est diuinatio: diuersitas enim rei non mutat confessarij iudicium, nec diuersam constituit speciem. Azor. *p.* 1. *l.* 9. *c.* 12. *q.* 3. Manu. *sum. c.* 51. *n.* 4. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 38. Sylui. 2.2. *q.* 95. *a.* 3.

170 *Qui diuinationem exercent, vel consulunt diuinos, non sunt ex hoc capite excommunicati.* Profecto qui diuinationes exercent, vel diuinos consulunt, non sunt hoc ex capite excommunicati, nisi eorum diuinationes manifestè contineant, aut sapiant hæresim. Quia iure Canonico nulla talis excommunicatio ipso facto incurritur: quamvis eodem iure tales anathemate percutiendos præscribatur. *c. Non oportet* 26. *q.* 5. Lessi. *l. c.* 43. *n.* 20. Sanch. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 91. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 12.

171 *Diuinus non tenetur restituere, qua diuinandi actione sunt.* Diuinus quidem pecunias, quas à consulentibus pro responsis petitis & acceptis à dæmone non tenetur restituere. Quia iuxtà communem restitutionis regulam, quis non tenetur restituere pretium, quod ob rem turpem gerendam accepit: At diuinus operam suam turpem exhibuit. & ideò pretium non tenetur reddere. Manu. *sum. de diuinat. c.* 7. *n.* 4. Fernand. *p.* 4. *c.* 6. §. 3. *n.* 4. Nauarra *de restit. l.* 2. *c.* 2. *n.* 117.

CAPVT XVIII.

De Magia.

172 *Duplex est Magia naturalis, & superstitiosa.* MAGIA est duplex, *naturalis* scilicet & *superstitiosa*. Naturalis *est ratio quædam operandi mira per causas naturales absque dæmonis ope*ra Hæc magia per se mala non est, licet sit periculosa. Quia sub specie occultæ operationis naturæ diabolus facile se admiscet, & ita occultæ virtuti causæ naturalis tribuitur, quod ipsius præstigiis agitur. Magia autem superstitiosa (quæ à quibusdam diabolica nominatur) est ratio quædam operandi mira per signa ope *dæmonum*. sicut enim magia naturalis causis naturalibus vtitur: ita hæc vtitur signis, quæ sunt naturales quidem causæ, sed hæc signa, & tota disciplina primum sunt à demonibus instituta, Filliuc. *tr.* 24. *c.* 7. Lessi. *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 1. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q. pun.* 5. *n.* 4. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c. à n.* 1.

173 *Magia ex genere suo peccatum est lethale, aliqui autem actus possunt esse venialis.* Magia ex genere suo peccatum est lethale. Quia continet tacitam, vel expressam dæmonis inuocationem, ac proinde societatem, ac benevolentiam erga illũ. Fieri tamẽ potest, vt aliqui actus magici à peccato mortali excusentur ratione ignorantiæ vt si quis ignoret, vel non aduertat tacitam illam inuocationem, cum hæc sæpe sit valde occulta. Ratione autem leuitatis materiæ præcisè non crediderim vnquam esse veniale. Quia quod in re parua, vel ludrica dæmon inuocetur, per se non minus crimen est, quam si id in magna fieret. Tolet. *l.* 4. *c.* 14. *n.* 12. Filliuc. *tr.* 24. *n.* 179. Lessi. *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 4. *n.* 26. Diana. *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 29. Sanch. *l.* 2. *sum c.* 38. *n.* 18.

174 *Quibus modis* Num aliqua opera ad magiam pertineant, tribus modis potest agnosci. Primo ex cognitione

ipsa agnosci, an aliqua operatio ad magiam pertineat.

tione causarum, nempè si expresse diabolus inuocetur: si preces adhibeantur, quibus falsa sunt permixta: si characteres, imagines, figilla, ligaturæ, specula, inunctiones, & similia, præter Ecclesiæ morem. Quia cum effectus, ad quem diriguntur, non possit expectari ex virtute talium causarum, vt quæ nullam in se habeant: nec etiam à Deo, cum nec ab ipso, nec ab Ecclesia quæ Spiritu Dei regitur, sint instituta, imò ab ipsa Ecclesia reprobantur: sequitur eum à malignis spiritibus expectari. Secundo, ex conditione operationis, vt cum repentè curatur equus, vel homo absque diuino miraculo. Tertio, ex conditione effectus, si hic industriam

Quid Magi, Deo permittente, agere frequenter possint.

superet humanam. Quia magi circa elementa multa possunt, Domino permittente, videlicet tempestates, grandines, tonitrua, fulmina, ventos excitare, iisque lædere, & euertere arbores, segetes, animalia, ædificia. Præterea circa corpora hominum & animalium multa valent efficere, vt illa celerrime de loco ad locum transferre, illa transformare, non quidem intrinsecè figuram mutando, sed extrinsecùs ex vaporibus illam circumponendo. Possunt etiam morbos inferre occultos, qui nulla arte medica valeant curari. Possunt curare morbos cunctos, qui naturalibus valent pharmacis ablegari, & omnes, qui ab actuali dæmonis nocumento pendent. Possunt thesauros occultos reserare, opes pelago abditas extrahere, licèt id Deus rarissimè permittat. Possunt Magi aliquo modo se inuisibiles efficere, vel translati alio, adstantibus non aduertentibus, vel aliquo corpore instar veli inter posito, quod simile sit corporibus adiacentibus. Possunt dæmones in hominem immittere, efficereque vt ab his obsideatur. Circà animam autem rationalem corpori coniunctam, omnia ea possunt Magi, (Dei permissione dæmonum opera, quæ ex corporis dispositione, & imaginatione pendent, vt inferre amentiam, ad amorem illicitum excitare, ad odium circa hunc, vel illum accendere. Lessi. *lib. 2. cap. 44. dub. 3.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 12. punct. 1.* Delrius *lib. 2. Magic. qq. q. 8.* Azor. *to. 1. l. 9. c. 25.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 40.* Suar. *de superst. l. 1. c. 15.* Tolet. *lib. 4. cap. 14.*

175 Magiæ frequenter alia crimina sunt adiuncta, de quibus Magi sunt à Confessariis, ac Iudicibus interrogandi, vt hæresis: multi enim ex iis non credunt, diabolum pœnis excruciandum æternis, aut esse damnatum, aut eos, qui ei adhærent esse damnandos: vt Apostasia: abnegant enim, Christum D. & sæpè Baptismo renunciât. Vt Idololatria: accipiunt enim diabolum loco Dei, eique sacrificia litant, aliosque honores deferunt. vt Blasphemia in Deum, in Christi D. humanitatem, in Beatissimam Virginem, in Dinos omnes. Vt sacrilegium: sæpè enim in suis incantationibus rebus sacris vtuntur, & interdum ipsa sacerrima Eucharistia. Vt Luxuria; ac nefariæ cum dæmone commixtiones. Vt damna proximorum. v. gr. homicidia, præsertim infantium, mortes animalium, segetum, vastationes, & similia: in quibus patet Magos, & Sagas dignos esse capitali supplicio, ac omnino è Republica eliminandos. De pœnis contrà Magos iure Ciuili, & Canonico impositis plura apud hos, quos cito Doctores. Suar. *de Relig. to. 1. l. 2. c. 19.* Reginald. *l. 17. n. 191.* Axor. *p. 1. l. 9. c. 26. q. 3.*

Magiæ frequenter solent additi hæresi, apostasia, idololatria, blasphemia, aliaque crimina.

CAPVT XIX.

De Maleficio.

176 Quid maleficium, & quotuplex?

Maleficium est ars, ac potestas nocendi aliis ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone. Duplex est, *amatorium* scilicet, ad turpem amorem excitandum, & *veneficum*, ad nocendum aliis. Amatorium quidem nullius voluntatem potest ad amandum cogere: obiectiuo tantum excitat, commouendo phantasmata, quibus voluntas afficiatur. Quia licet sint quædam rerum naturalium, nempe herbarum, & lapidũ vires & facultates, quæ concupiscentiæ flammam possint succendere; nulla tamen est in rebus naturalibus facultas ingenita, quæ suaptè natura, excitet, alliciat, seu accendat hominem ad amandum hoc, aut illud obiectum: vnde quod quis ad amandum hunc, vel illum hominem excitetur, ex dæmonis prouenit facultate, qui hominem aliunde ad amandum in vniuersum excitatum, allicit ad amorem circa hunc, vel illum. Porrò veneficium nocet alteri, vel in persona propria, cum lædendo, occidendo, aut sterilem reddendo, &c. *vel in sua substantia*, pecoribus, vineis, arboribus, &c. idque per tonitrua, aut pluuias, &c. Et in hoc etiam maleficio dæmon solus ad vocem malefici operatur: cum enim is vult alicui malum inferre, dæmon, qui exactè rerum omnium naturalium vim & naturam callet, clam applicat venena, inficit aërem, &c. Imo etiam ipse ingreditur corpora, & torquet homines. Si etiam maleficus intendat rebus nocere, dæmon excitat tempestates, cogit nubes, agros inundat, & grandine concutit, destruit vineas, fata populatur, tecta diruit. Clauis Regia *lib. 4. cap. 6. n. 23.* Tolet. *lib. 4. c. 16.* Filliuc. *tr. 24. c. 8. q. 1. & 2.* Reginald. *lib. 17. num. 175.* Azor. *p. 2. lib. 9 cap. 26. q. 1.*

177 Omnia maleficia ad quinque genera reuocantur.

Omnia maleficia ad quinque genera reuocantur. Primo ad dignoscendum occulta, & procul distita; vt consilia, & actiones personarum, quæ longe absunt. Secundo, ad morbos mirabiliter inferendos, causando homicidia, excitando dolores, vineas destruendo, fata animantia: subuertendo domos, arbores, &c. Tertio, ad inducendum sanitatem. Quartò ad falsas, & præstigiosas apparitiones, & actiones. Quintò, ad motus, vel mutationes rerum, & effectus mirabiles, ac communi hominum iudicio impossibiles. Vix enim aliquod maleficium potest reperiri, quod sub vno horum non contineatur. Syluest. *v. Maleficium. q. 5.* Claus Reg. *l. 4. c. 6. n. 13.* Bonac. *to. 1. d. 3. q. 5. punct. 5. n. 3.*

178 Maleficij remedia naturalia, & supernaturalia.

Enim verò remedia maleficij possunt esse, vel *naturalia*, quæ plerumque paruam vim habent. Quia diabolus facilè omnem illorum actionem eludit, si velit: tamen sunt adhibenda. Vel sunt *supernaturalia*, nempe Fidei feruentes actus, Baptismi susceptio. Confessio peccatorum. Eucharistiæ sumptio. Exorcismi Ecclesiæ, aqua lustralis. Diuorum reliquiæ, signum Crucis, Nominis IESV, ac Deiparæ inuocatio cum ieiunio & oratione. Talia sũt *moralia*, id est, quæ pertinent ad pactum cum dæmone dissoluendum, quando nocet ex pacto: quod fit amouendo signa magica,

gica, ad quorum præsentiam nocumentum diabolus irrogat. Certè per huiusmodi Ecclesiastica remedia non semper homines liberantur; vel quia obstat peccatum illius, qui curat, vel illius, qui curandus est: vel ob maius spirituale bonum illius, qui patitur. Sanch. *lib. 2. sum. cap. 41. n. 25* Reginal. *lib. 17. n. 183.* Lessi. *lib. 2. cap. 44. dub. 5.* Suar. *de Relig. lib. 2. cap. 17.* Filliuc. *tract. 24. cap. 8. q. 3.* Deltrius *lib. 6. Magiæ cap. 2. q. 3. sect. 3.*

179 *Haud licitū est, maleficorum, aliàs paratorum opera vti.*

Nullatenus est licitum, etiam pro re graui, & bono publico vrgente, maleficorum, alias paratorū, opera vti. Quia actio, quæ petitur, est intrinsecè mala, & consequenter pro nullo bono consequendo, aut malo vitando, licitum est ita operari, & proinde nec petere: esset enim peccato alterius cooperari. Tolet. *lib. 4. cap. 16.* Suar. *de Relig. lib. 2. c. 18. n. 3.* Nauar. *sum. cap. 11. num. 29.* Sanch. *lib. 2. sum. cap. 41. num. 5.* Vnde maleficos consulere, vel eorum spectaculis interesse, quæ arte diaboli fiunt, vel ad hoc exhibere pecunias, est peccatum lethale. *Deut. 18.* Et in vtroque iure graues constitutæ sunt pœnæ tam contra maleficos, quam contra eos, qui ipsos consulunt. Qui enim obseruant Ariolos, Haruspices, Incantatores, vel eorum Phylacteriis vtuntur, sunt ipso facto excommunicati, *cap. si quis 16. q. 5.* Et libri huius artis sunt comburendi ex indice Concilij Trident. Multi tamen à mortali in hoc casu excusantur ob iguorantiam. Quia nesciunt, ita à dæmone fieri. Nauar. *num. 31.*

180 *Non licet petere vt maleficus, vel alius vno maleficio a liud soluat.*

Non licet petere, vt maleficus, vel alius vno maleficio, aliud dissoluat. Quia hoc esset maleficium, & cum diabolo pactum inire, seu consentire saltem in illius pactum, quod minimè licet. Rogari tamen potest maleficus, vt maleficium modo licito soluat, ea gerendo, quæ sine ope dæmonis possunt præstari imo quisque ius habet tollendi, ac destruendi ligaturas, nodos, capillorum volumina, & alia signa malefica à maleficis hoc fine apposita: vt diabolus nocere desinat: etiamsi ex ablatione malefici signi, aliquod damnum malefico, aut alteri sequatur, eo quod dæmon ita cum ipso malefico pactum inierit. Quia ex parte tollentis hæc signa nulla intercedit dæmonis inuocatio, vel cooperatio ad malefici damnum. Quando autem dubitatur, an maleficus sciat modum licitum dissoluendi præsumitur solùm callere modum superstitiosum: & consequenter ab eo peti non potest maleficij dissolutio: sed prius interrogãdus est, nùm agnoscat modum licitum. Quia petere cum illo dubio, esset se exponere manifesto rem illicitam postulandi periculo: & esset illum ad nouum piaculum inducere. Sanch. *lib. 2. sum. cap. 41.* Sylui. *2. v. Maleficium, q. 8.* Tolet. *lib. 4. cap. 16.* Nauarr. *sum. cap. 11. num. 29.* Suar. *de Relig. tom. 1. l. 2. cap. 18.* Filliuc. *tr. 14. cap. 8. q. 4. & 5.* Laym. *lib. 4. tr. 10. cap. 4. num. 9.*

181 *Si petens scit, maleficiū licitè, ac illicitè posse maleficium soluere, licitum erit, ab eo petere.*

Profectò si petens certus sit, maleficum scire licitè, ac illicitè maleficium soluere: tunc licebit petere ab eo absolutè, vt maleficium soluat, quamvis præsumatur de eius malitia, fore, vt medio vtatur illicito. Quia quod petitur à maleficio, potest ab eo bene & & male geri: scandalum autem passiuum maleficus sua recipit ex malitia: illa enim petitio nec est mala, nec mali habet speciem: sed potius est bona, cum petens vrgenti necessitate præmoueatur, & non teneatur ab huiusmodi petitione abstinere, cum graui suo, aut alieno incommodo. Quia ex omnium sententia licitum est petere ab vsurario mutuum, & ab infideli iuramentum, quando petens eis indiget, quamuis exploratum ei sit fore, vt ille sub vsuris mutuet, & hic per falsos Deos iuret. Suar. *de Relig. tom. 2. lib. 1. cap. 18.* Lessi. *l. 2. c. 44. dub. 6.* Sanch. *de matr. lib. 7. d. 95. n. 11.* Diana *p. 5. tr. 7. resol. 15.*

182 *Quænam Confessarius debeat à maleficio interrogare.*

Confessarius in audiendis maleficorum, aut maleficarum confessionibus hæc præcipuè inquirere debet: An interceserit pactum aliquod cum dæmone, in quo promiserint, se abnegaturos Christum D. & Fidem Christianam abiuraturos? An Diabolum adorauerint? An actiones nefarias circa ineffabile Eucharistiæ Sacramentum exercuerint? An in tali peccato aliquam inierint hæresim, credendo Sacramenta Ecclesiæ esse inania? &c. Quonam modo perfecerint maleficium, num scilicet ex rebus sacris, aqua benedicta, Oleo sancto, cera benedicta, imò etiam ex sacerrimo Eucharistiæ Sacramento? & an crediderint illis rebus ad huiusmodi effectus inesse virtutem: tunc enim sacrilegij, & hæresis rei proculdubio essent. An personis, vel rebus damnum intulerint? quia tenentur ad restitutionem omnium damnorum, cum fuerint causa efficax damni. An expresè sacrificauerint dæmoni, vel cum eo rem cathalem inierint, vt solent Lamiæ, & Striges? Tolet. *lib. 4. cap. 16.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 2. cap. 17.* Sanch. *lib. 2. sum. c. 40.* Clauis Reg *lib. 4. cap. 6. nem. 5.* Bonac. *tom. 2. d. 3. q. 5. punct. 5. num. 11.*

CAPVT XX.

De vana Obseruatione.

183 *Quid obseruatio vana? & eius à diuinatione differentia.*

OBseruatio vana dicitur, cum aliqua fiunt, vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vllam vim habent: v. g. cum ex consideratione alicuius fortuiti euentus coniicit quis aliquid prosperi, vel aduersi, & inde suas moderatur actiones. Certè superstitio vanæ Obseruationis hoc à superstitiosa diuinatione differt, quod diuinatio referatur tota ad singularum rerum occultarum cognitionem indebito modo consequendam. Obseruatio vero superstitiosa refertur vlterius ad obtinendas alias commoditates siue animi, siue corporis: nempè ad potiendum nuptiis alicuius puellæ, ad sanitatem, vitæ prorogationem, cognitionem linguarum, artem aliquam difficilem ex tempore addiscendam, ad consequendam miram in disputando subtilitatem sine exercitio: uon tamen diabolus verè ipsis scientiam confert infusam, sed ipse in illis loquitur, & mouendo eorum imaginationem, illis persuadet, quid loquantur: cuius signum est, quod quando conuertuntur, & diabolo renunciant, ad pristinam redeunt ruditatem. Vnde hæc Obseruatio vana mediis inutilibus minimè à diuina prouidentia constitutis procurat præfatas commoditates, & varias corporum immutationes, & vt à dæmone opera nostra dirigantur: vt quando adhibentur preces vel voce, vel scripto, vel appensæ collo, concurrentibus aliis varijs cir cum-

circunstantiis, ex quibus appareat, preces illas minimè ad Deum referri, quasi ab illo expectetur effectus: sed ad dæmonem saltem tacitè & implicitè inuocatum. D. Tho. 2.2. q. 96. art. 1. Sanch. l. 2. sum. c. 40. n. . Lessi. l. 2. c. 43. dub. 10. n. 61. Filliuc. tr. 24. c. 6. q. 1. Valent. 2.2. d. 6. q. 15. pun. 2. Azor p. 1. l. 9. cap. 22. Bonac. to. 2. dist. 3. q. 5. pun. 4. Nauar. sum. c. 11. n. 31. Layman. l. 4. tr. 10. cap. 4. num. 6.

184 *Tres sunt species, Ars notoria obseruatio sanitatum obseruatio euentuum. Quid Ars notoria.*

Vanæ obseruationis tres sunt species ad quas omnes reduci possunt. *Ars notoria*, *Obseruantia sanitatum*, & *Obseruantia euentuum*, siue fiant cum expressa, siue cum tacita dæmonis inuocatione. Ars notoria est superstitio, qua quis credit, se consequuturum scientiam absque labore per quædam ieiunia, orationes, inspectiones figurarum, ignotorum verborum prolectiones, & alia similia vana, & inefficacia: & hæc superstitio est peccatum lethale ex suo genere. Quia saltem tacitè diabolus inuocatur, eique potestas infundendi subito animæ scientiarum habitus attribuitur, quod solius est Dei. Licitum tamen est, vti scientia ope dæmonis acquisita, modo conseruatio, ac vsus illius scientiæ non pendeat à dæmone. Quia cognitio seu scientia ex se bona est, & peccatum, quo acquisita fuit, pertransiit. Suar. *de superst. l. 2. cap. 17. num. 1.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 41. & 42.* Layman. *l. 4. tract. 10. cap. 4. num 6.*

185 *Quid obseruatio sanitatum.*

Obseruatio sanitatum est, quando adhibentur aliqua verba, vel alia signa, aut cæremoniæ inanes ad hominum, vel animantium morbos curandos, sistendum sanguinem, mitigandum dolores, ad conseruandam vitam, seu valetudinem: ad se præstandum contra læsiones hostium, vel casus fortuitos immunem; &c. Hùc etiam pertinent superstitiosi illi effectus, qui actiuitatem causæ naturalis applicate exuperant, & qui fiunt sine motu locali, & quando statim euanescunt. Bonac. *tom. 2. dist. 3. quæst. 5. punct. 4. num. 7.* Lessi. *l. 2. cap. 43. dub. 10. num. 63.* Filliuc. *tract. 24. numer. 157.* In dubio autem, an effectus sint à causa naturali, an verò vires eius excedant? præsumendum est à causa naturali prouenire. Quia dubium est in partem mitiorem explicandum. Suar. *de superst. l. 2. cap. 15.* Layman. *l. 4. tract. 10. cap. 4. num. 6.* Clauis Reg. *l. 4. cap. 6. num. 2.* Sanch. *sum. l. 2. cap. 40. num. 44.* Eodem etiam pertinent omnia periammata, amuleta, breuia, inuolucra, reliquiæ, verba sacra, preces scriptæ, quæ gestantur à queisdam, ne possint lædi, aut nè sanguis profluat, aut ob alios fines huiusmodi, si contineant aliquas circumstantias parergas tanquam necessarias. Sylui. 2. 2. *quæst. 96. art. 4.* Nauar. *sum. cap. 11. num. 34.*

186 *Tres regulæ ad effectum superstitiosum dignoscendum.*

Equidem tres regulas assignarim ad affectum superstitiosum dignoscendum. Prima est quando media inutilia adhibentur tanquam necessaria ad illum effectum, verbi gratiâ si tot Crucis signa tanquam necessaria adhibeantur. Secunda, ex modo operandi, præsertim ex distantia loci. Tertia, quando effectus superat causarum naturalium actiuitatem: seu quando constat, effectum non posse aliunde prouenire quam à solo bono, vel malo spiritu. Delrius Magiar. *l. 2. cap. 5. & 6.* Suar. *de superst. l. 2. cap. 15. num. 14.* To-

let. *l. 4. cap. 14.* Sanch. *l. 2. sum. c. 40. num. 43.*

In his, & similibus obseruantiis est superstitio mortalis ex genere suo, si animus sit huiusmodi circumstantias adhibendi, tanquam ex se efficaces ad effectum à Deo impetrandum, nempè sanitatem, seu rerum suarum incolumitatem. Dupliciter autem potest accidere, vt hæc vana Obseruatio sit veniale piaculum. Primo, propter ignorantiam vincibilem, non crassam. Secundo, si hisce vanitatibus quis det operam non quasi efficacibus, sed tantùm vànis ex leuitate quadam. Nauar. *sum. cap. 11. num. 37.* Lessi. *l. 2. cap. 43. dub. 10. numer. 64.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 40. numer. 43.* D. Antonin. *p. 2. tit. 12. c. 1. 1. §. 13.* Filliuc. *tr. 24. numer. 161.*

187 *Quando est mortalis, quando venialis huiusmodi obseruatio.*

Ex paruitate autem materiæ non est in Obseruationibus huiuscemodi veniale piaculum. Quia huius delicti deformitas consistit in hoc, quod quis sibi, vel dæmoni tribuit effectum Dei proprium, quando causa adhibita non est ad eum sufficiens. Deinde quia expresse aut tacitè commercium cum dæmone initur: quælibet verò harum deformitatum secundum se abstrahendo à quantitate materiæ, est admodùm grauis, Puto tamen dari paruitatem materiæ excusantem à mortali posse, quoties non interuenit pactum expressum cum dæmone; v. gr. si quis seme lioco, & ad experiendum effectum curiositatis causa, faciat annulum super filum circumagi, Valen. 2.2. *dict. 6. q. 13. pun. 3.* Sanch. 2.2. *sum. cap. 40. numer. 44. & 47.* Azor. *p. 1. l. 9. cap. 25. q. 2.* Suar. *de superst. l. 2. cap. 15. numer. 25.* Nauar. *sum cap. 11. numer. 36.*

188 *Ex paruitate materia non est in his obseruationibus, veniale peccatum.*

Haud sunt simpliciter de superstitione damnandi homines, seu familiæ aliquæ, quæ dant operam quibusdam morbis medendis, vt affecto canis rabidi morsu. Quia nulla sufficienti ratione probari potest, horum officium esse superstitiosum, quamquam tales personæ ab Ordinariis diligenter sunt examinandæ, priusquam hoc munus exercere permittantur. Inspiciendum enim est, an hoc remedijs naturalibus exerant, vel ex gratia gratis data, vel ex pacto cum dæmone: nam in his facile enenire potest dæmonis deceptio. Confessarij autem magnam adhibeant circumspectionem in iis absoluendis, qui ad sanandos morbos remediis externis vtuntur, virtuae naturali carentibus ad effectus huiusmodi, quamvis publicè permitantur. Delrius *l. 4. q. 41.* Sanch. *l. 2. sum c. 40. n. 44.*

189 *Non sunt simpliciter damnandi qui hac arte vtuntur sed diligenter à Confessario examinandi.*

Denique Obseruantia euentuum est, quando fortuitò aliquid occurit, ex quo sibi vel alteri aliquid aduersi, vel læti coniectat, & inde suas moderatur actiones, obseruans loca, verba audita, tempora, vel occussus hominum aut animalium v. gr. si domo egredienti vulpes, aut canis occurrat, aut cadauer, &c. indeque occasionem sumat credendi, negotium, aut diem sibi futurum infaustum, aut exitiale. Filliuc. *tr. 24. c. 6. q. 8.* Bonac. *to. 2. d. 3. q. 5. pun. 4. numer. 2122. & 23.* Lessi. *l. 2. c. 43. n. 66. &* 66. Clauis Reg. *l. 4. cap. 6. n. 5.*

190 *Quid obseruatio euentuum?*

* *
*

C CAPVT

CAPVT XXI.

De Blasphemia.

191 *Blasphemia quid.*

BLASPHEMIA *est locutio falsa contra Deum, sanctos, aut res sacras per modum contumeliæ.* Dicitur locutio, vt comprehendat blasphemiam, & vocalem. Quia sicut in Fide duo sunt, assentiri articulis Fidei, & eos corde vel ore pronunciare: ita in infidelitate duo sunt, dissentiri veritati reuelatæ, & dicere intus, vel foris contraria Fidei: prima duo pertinent ad Fidem, ac Fidei professionem: alia duo ad infidelitatem, & Blasphemiam. Dicitur *falsa*, quia omnis Blasphemia aliquid falsitatis habet, siue ex vi enunciationis, siue ex intentione blasphemantis, siue ex modo elocutionis. Verbi gratiâ Deus nostra non considerat. Deo pœniteat. Vtinam hoc Deus ignoraret, &c. Quamuis enim in oratione imperatiua, & optatiua non possit esse falsitas, vt docent Philosophi: intentio tamen loquentis, & modus loquendi in actu exercito quandam inuoluunt falsitatem. v. gr. Deum posse tangi pœnitentia, Deum posse aliquid ignorare. Dicitur. *Contra sanctos, aut res sacras.* Quatenus scilicet ad Deum pertinet: tunc enim talis Blasphemia vltimo tendit in Deum, atque adeò est einsdem speciei cum Blasphemia immediata. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. Valent. *ibi, dict.* 1. *quæst.* 13. *punct.* 1. Bannez *quæst.* 13. *art.* 1. *notat.* 2. Sanch *l.* 2. *sum. cap.* 32. *num.* 6. Tolet. *l.* 4. *ca.* 13. Filliucius *tract.* 25. *num.* 6. & 9. Nauarr. *cap.* 12. *num.* 80. Reginald. *l.* 18. *num.* 195. & 196.

192 *Est contra Religionem, & contra Fidem.*

Blasphemia propriè, & formaliter est contra Religionem, & laudem Dei. Quia est quædam contumelia verbalis in Deum, vel in sanctos. Pressius tamen vsurpando Blasphemiæ nomen pro verbo contumelioso continente, vel sapiente hæresim, Blasphemia Fidei opponitur iuxta D. Thomam citatum. Vt quando Caluinista dicit, Christum in Eucharistia non esse adorandum, quia ita sentit: Hic actus est directè imperatus ab infidelitate, seu hæresi; ac confessioni Fidei contrarius. Similiter si quis dicat Deiparam, non esse Virginem animo abnegandi Fidem saltem exterius, licèt interius non ita sentiat. Quia significatio contraria Fidei, quæ est in ipsa materia, seu verbis, est directè volita: ideo enim profert blasphemus huiusmodi verba, vt per ea significet, res ità se habere, & se ita credere. Lessi. *l.* 2. *c.* 45. *dub.* 5. *n.* 25. Nauar. *sum. c.* 12. *n.* 82 Filliuc. *tr.* 25. *n.* 11.

193 *Blasphemiæ peccatum in intellectu cõsistit.*

Blasphemiæ peccatum, sicuti & hæresis in intellectu consistit: quamvis requirat prauam voluntatis dispositionem, seu affectionem formalem, vel virtualem: exterioribus autem verbis, seu signis manifestatur, magisque consummatur. Vnde si quis nutu, vel alio facto externo: v. g. in cœlum expuendo, Deo inferat contumeliam hoc peccatum non erit à Blasphemia distinctum, sed ad eam reducendum. Suar. *to.* 3. *de Relig. tr.* 3. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 3. Lessi. *l.* 2. *c.* 45. *dub.* 5. Filliu. *tract.* 5. *num.* 16.

194 *Duplex est, hæreticalis, & simplex.*

Blasphemia est duplex, alia *hæreticalis*, alia *simplex*. Hæreticalis est illa, quæ Fidei articulis directè opponitur, seu qua aliquid asseritur Fidei contrarium, nempè quando quis intellectu his, quæ corde vel ore dicit, assentitur, tribuendo Deo aliquid, quod ipsi non conuenit: v. gr. improuidũ, iniustũ esse: tunc autẽ blasphemus huiusmodi hæreticus est, pœnisque hæreticorũ subiacet. Simplex autẽ Blasphemia seu non hæreticalis dicitur illa, quæ nec formaliter, nec virtualiter continet falsitatẽ contra Fidei veritatem: quales sunt Blasphemiæ illæ, quæ per modos optandi, imperãdi, aut imprecandi proferũtur: seu illæ, quæ fiũt nominãdo aliquid, quod reperitur in Deo verè sed per modum contumeliæ, & irrisionis: vt si quis nominet membra Christi (calamus ipse horret) pudẽda. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 32. *n.* 11. & 56. Azor *p.* 1. *l.* 9. *c.* 28. *q.* 1. & 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 6. *n.* 7. Suar. *to.* 2. *de Relig. c.* 5. *n.* 8. Filliuc *tr.* 25. *n.* 16. Tolet. *l.* 4. *c.* 13. *n.* 8.

195 *Non est Blasphemia ira enunciare aliquid Dei quod sit verum, si contra Deum nõ tendat indignatio.*

Haud est propriè Blasphemia in ira vel rixa cum aliquo quidquam explicite vel implicite de Deo enunciare, quod sit verum, v. gr. *Corpus Dei, Vulnera Dei, Dei Sacramenta*: si effectus indignationis contra Deum non tendat, sed tantum contra hominem, vel animantia, queis aliquis irascitur. Vnde tale peccatum potius est irreligiositas, quã Blasphemia: & subinde veniale est: quamuis ob scandalum, vel periculum blasphemandi formaliter fieri possit mortale Nauar. *sum. cap.* 12. *numer.* 85. Caiet. *v. Blasphemia.*

196 *Ordinarie Blasphemia est mortale peccatum. Potest tam ẽ fieri veniale.*

Frequentius Blasphemia est peccatum mortiferum. Quia ex natura sua grauẽ Deo infert iniuriam grauius quidem idololatria, periurio, voti violatione, ac sacrilegio. Potest tamen esse veniale ex indeliberatione, & inaduertentia: vt cum aliquis ira percitus, non aduertit verba Blasphemiæ quæ profert. Suar. *to.* 2. *de Relig. tr.* 3. *l.* 1. *c.* 6. Nauar. *c.* 12. *n.* 84. Filliuc. *tr.* 25. *n.* 10. At si homo ita Blasphemare esset assuetus, vt nec curaret correctionem, in statu mortalis peccati esset ob culpam præcedentem, id est, quia non abstulit occasionem peccati vnde ipsi indirectè, & in causa Blasphemia voluntaria censeretur. Laym. *l.* 4. 10. *c.* 6. *n.* 3. Sanch. *l.* 3. *sum. c.* 5. Tolet. *l.* 4. *c.* 11. Ratione autem paruitatis materiæ non videtur, fieri posse veniale peccatum. Quia non datur paruitas materiæ in Blasphemia: cum Deo grauem inferat iniuriam; nisi ita ioco proferatur, vt reputetur minimè Deo irriuerentiam afferre. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 8. *pun.* 3. *n.* 2. Reginald. *l.* 18. *n.* 198 Diana *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 3.

197 *Non est Blasphemia, aliquid de Deo dicere, si irrisio non adsit*

Aliquid falsi de Deo dicere ioco aut alio fine, nõ ex indignatione, Blaphemia non est: e cõtra vera dictitare de Deo irrisorie, aut cum indignatione, est plane Blasphemia. Quia tunc in actu exercito & implicitè significas, Deum indignationem, aut irrisionem mereri. Valent. *to.* 3. *d.* 1. *q.* 3. *pun.* 1.

198 *Omnes Blasphemiæ, quæ hæresim non continent, sunt eiusdem speciei.*

Omnes Blasphemiæ, quæ hæresim non continent, sunt eiusdem speciei tàm contra Deum, quam contra sanctos. Quia quæcumque Blasphemia sit, repugnat Religioni, qua tribuitur Deo cultus: At Religio, qua tribuitur cultus Deo & sanctis propter Deum, est eiusdem speciei. Ergo. Attamen si Blasphemia procedat ex odio, vel desperatione, vel infidelitate: id erit in Confessione explicandum. Quia etsi ipsa Blasphemiæ malitia per se sit eiusdem rationis tamen accedi noua, ac distincta malitia, ex motiuo, à quo procedit. Item est explicandũ an

an procedat ex odio in Deum volita: an indirectè, vti fit in damnatis: & an fuerit directè. Hæreticales verò Blasphemiæ inter se differunt; vnde in Confessione esset dicendum: Tot Blasphemias hæreticales protuli: & tot non hæreticales. Caiet. *v. Blasphemia.* Azor. *lib. 9. cap. 28. quæst. 10.*

An qualitas Blasphemiæ necessario sit in confessione aperiendæ

Qualitas autem Blasphemiæ explicanda necessariò non est, in sententia nostra probabiliori, circumstantias non mutantes speciem non esse necessariò in Confessione aperiendas. Scio ex aliorum mente adhuc aperiendam esse Blasphemiæ qualitatem. Quia hæc non est solùm aggrauans circumstantia, sed in hac duplex intercedit malitia, vna contra personam, quæ contumelia afficitur, cum sit per se honore digna, & adoratione Duliæ: altera quatenus redundat in Deum, & ipsi censetur principaliter fieri. Clauis Reg. *lib. 6. cap. 13.* Reginald. *l. 18. n. 101.* Suar. *de Relig. tom. 2. tract. 3. lib. 1. num. 29.* Sanch. *lib. 2. sum. cap. 32. n. 29.* Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 12.* Quid sentiam proprio Problemate exponam.

199 Blasphemiæ pœna præscriptæ.

Plures pœnæ blasphemis præscriptæ, Iure ciuili morte plectuntur, aliquando triremibus, exilio, linguæ plectuntur absciſſione. Iure canonico olim blasphemantibus erat constituta pœnitentia solemnis, Clericus deponi iubebatur, laicus autem anathemate percuti. Verum hæ pœnæ modo non videntur vsu receptæ. Nonnullis tamen in Prouincis solet Blasphemia notoria quoad absolutionem assolet reseruari. Reginald. *lib. 8. n. 102. & 103.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 18 q. 9.* Tolet. *cap 13.* Suar. *de Relig. tom. 2. tract. 3. lib. 1. cap. 7. num. 2.*

200 Crimen hoc est mixti fori.

Mixti fori est Blasphemiæ crimen, ideo tam per Ecclesiasticum Iudicem, quam per sæcularem puniri potest, & datur locus præuentioni. Inquisitores autem hæreticæ prauitatis possunt de eo cognoscere, quando continet, aut sapit hæresim. Clauis Reg. *l. 6. c. 13. n. 10.* Filliuc. *tr. 25. n. 35.* Azor. *lib 9. c. 18. q. 10.* Diana *p. 4. tr. 8. resol. 9.*

201 Quomodo Confessarius se gerere debeat cum iis, qui blasphemandi turpantur consuetudine.

Monuerim, eos, qui assueti sunt, maleficia in Deum, vel in Diuos iactitare, non esse simpliciter à Confessione sacramentali arcendos: sed ab ea ad tempus deberi seiungi, vt interim prauam consuetudinem exuant, & aliqua ex parte deponant. Si verò absolutio commodè differri non possit, & signa manifesta detestationis huius sacrilegæ dederint impietatis, absoluantur, impositâ salutari pœnitentia agnata quidem criminis grauitate: Azor. *lib. 9. c. 18. q. 18.* Sancius *in select. d. 20. n. 7.*

CAPVT XXII.

De Tentatione Dei.

202 Quid sit Tentatio Dei

Tentatio Dei est actus contra Religionem, quo quis absque iusta causa aliquid dicit, vel facit, ad capiendum experimentum de diuina perfectione, vt de potentia, de sapientia, de iustitia, de misericordia, de voluntate, de aliisque Dei attributis. Dixi hoc peccatum *contra Religionem esse*, quia est quædam contra Deum irreuerentia velle de ipsius perfectione experimentum sumere absque iusta causa, relictis mediis ab eo institutis. Quia nullus præsumeret, Deum tentare, si de eius excellentia certus esset; At quippiam agere ex incertitudine de Dei excellentia, ad diuinam irreuerentiam proculdubio pertinet.

Quamuis ergò quod quis Deum tentet, possit ex alio vitio prouenire, nempe ex incertitudine Fidei, ex defectu Spei, ex præsumptione, ac similibus: ipsa tamen Dei tentatio directè ad irreligiositatem pertinet. D. Tho. *2. 2. q. 97. a. 1.* Sylui. *ibi* Nauarr *cap. 11. sum. num. 40.* Sanch. *lib. 2. sum. c. 34. num. 1.*

203 Tentatio Dei expressa, vel tacita.

Dupliciter potest quis Deum tentare, vel *expresse*, vel *tacite*, seu interpreratiuè. Tentat expresse, qui dicit, aut facit aliquid ea intentione, vt experimentum capiat de Dei bonitate, vel potentia, siue pro se, siue pro aliis: verbi gratiâ, qui à Deo petit miraculum, vel qui se præcipitem agit in puteum, vt experiatur, an se Deus lædi permittat. Tentat tacitè, qui aliquid gerit absque intentione expressa capiendi experimentum de diuina perfectione: illud tamen quod agit, ex se, & suaptè natura ad nihil aliud referri potest, quam ad sumendum documentum de aliqua Dei perfectione: verbi gratiâ, cum quis, relictis mediis naturalibus à Deo ordinatis, ægritudine pressus vult sanitati restitui: vel qui relicta scala, vellet è turri per aëra descendere. Certè ad tacitam hanc, seu interpretatiuam Dei Tentationem requiritur, vt effectus expectetur, vel petatur à Deo. Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib 1. cap. 3.* Lessi. *ib 1. cap. 45. num. 3.* Layman. *lib 4 tract. 10. cap. 5.* Reginald. *l. 17. n. 226.* Filliuc. *tract. 22. num. 261.*

204 Tentatio Dei formalis peccatū lethale.

Verùm Tentatio Dei expressa & formalis, regulariter loquendo, si fiat absque iusta causa, peccatum est lethale. Quia est quidam Dei contemptus. v. gr. si proueniat ex crassa ignorantia, vel ex dubitatione earum rerum, quas homo scire debet. Et quando coniungitur cum aperto vitæ periculo, aut grauis læsionis. Et quando adest periculum scandali. Et si ex curiositate quis petat miracula, quia notabilis irreuerentia est, cum Deo agere quasi cum curiositatem fauore. Suar. *com. 1. tract. 3. l. 1. c. 2. n. 16.* Sessi. *l. 2. c. 45. dub. 1.* Tolet. *lib 4. c. 19.* Sanch. *lib. 2. sum. cap. 34. num. 5.*

205 Etiam est mortale, te Martyrio temere offerre.

Ex his deduco, Dei Tentationem esse mortalem, te Martyrio temerè, & absque iusta causa offerri. (Tunc autem iusta adest causa, quando Martyrium est sub præcepto, vel sub consilio.) Quia est in re grani, & pronocantur infideles absque causa ad mortaliter delinquendum. Quod si aliquando sese Martyres supplicio offerebant, id erat obtinendæ Fidei ex graui necessitate, & diuini instinctus excitatione. D. Thom. *2. 2. q. 124. a. 1. ad 1.* Caie. *ibid.* Nauar. *sum. cap. 11. n. 41. & 51.* Sylueſt. *v. Martyrium.* Mortalis etiam est Dei Tentatio, si quis sine præuia meditatione, nec coactus iusta causa prædicare contendat, sperans fore, vt Deus sibi dicenda inspiret, dummodo animo Dei tentandi id gerat: secus si non eo animo, nec scandalum nec aliquod detrimentum notabile sequatur: tunc enim erit veniale. Præterea venialis erit Dei Tentatio, ratione inconsiderationis, aut ignorantiæ non crassæ. Ratione paruitatis materiæ, seu periculi, cui se quis exponit. Vt in leui morbo nolle medicinis vti, sperando vanè salutem à Deo, non petito miraculo. Nauar. *citat.* Lopez *p. 1. Instruct. cap. 41.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 34. num. 16.*

Et prædicare sine præuentione sperans quid à Deo accepturum, si fiat animo Deum tentandi.

Ratione inconsiderationis, & ignorantiæ, venialis est.

206 Quanam sit iusta causa Deum tentandi.

Iusta causa, Deum tentandi pro aliis est vel *necessitas*, vel *vtilitas*. Necessitas quidem, cum non apparet facultas viam Dei aliter manifestandi: quomodo Elias Deum tentauit, vt populus incredulus eum reciperet, & Prophetas Baal comminueret. Vtilitas verò, cum

speratur probabiliter fructus in his, in quibus Deum manifestari volumus: vt quando quis petit miraculum ad infidelium conuersionem. Hoc autem non nisi admodum est gerendum: quia miracula petenda non sunt, nisi vel ex diuina reuelatione, vel ex instinctu Spiritus sancti interno, vel nisi necessitas & vtilitas omninò euidens fuerit: alioqui temerè attentat facere miracula se, fidémque suam ludibrio exponit. D. Thom. 2.2. *quæst.* 124. *art.* 1. *ad* 3. Layman. *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 5. *num.* 2. Tolet. *lib.* 4. *c.* 19. *n.* 8. Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *c.* 1. *q.* 7. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 45. *num* 5.

207 *Explica in Confessione, an Tentatio Dei fuerit expressa, an tacita.*

In confessione explicandum, num Tentatio Dei fuerit expressa, num tacita. Quia Tentatio Dei expressa differt specie à tacita, seu interpretatiua: procedere enim solet ex principiis, & causis moralibus longè diuersis, & diuersimodè diuinæ reuerentiæ aduersatur. Tum etiam, quia exigitur manifestatio intentionis, qua factum est opus, quo tentari Deus dicitur: quando enim tentatio expressa procedit ex dubio de aliquo Dei attributo, tunc esset coniuncta malitia lethalis contra fidem. Suar. *tom.* 1. *tract.* 3. *l.* 1. *cap.* 3. *num.* 6. Sanch. *libr. sum. c.* 34. *n.* 11. Reginald. *lib.* 17. *num.* 227.

CAPVT XXIII.

De Sacrilegio.

208 *Quid Sacrilegium.*

Sacrilegium dicitur à *sacris legendis*, id est suffurandis. Vnde primò videtur impositum ad significandum furtum rei sacræ: postea tamen extentum est ad significandam omnem iniuriam, aut violationem rei sacræ. Rectè ergo sacrilegium definitur, *Violatio rei sacræ*. Res sacra vocatur, quæ ad Dei cultum peculiari modo est dedicata. Hæc autem dicitur violati, quando indignè, seu contra reuerentiam Deo in rebus ipsi dicatis debitam tractatur. Suar. *lib.* 3. *de sacrileg.* Lessi. *lib.* 2. *cap.* 45. *um.* 6. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. ex D. Thom. 2.2. *q.* 99. *a.* 1.

209 *Tres sunt Sacrilegij species: Contra personas sacras, contra loca sacra, contra res sacras.*

Tres Sacrilegij species distinguo. Primam *contra personas sacras*, secundam *contra loca sacra*, tertiam *contra res alias sacras*. Et nullum existimo sacrilegium esse, quod ad tria hæc reduci non possit. Nomine personarum sacrarum veniunt Clerici, & Religiosi, siue sint professi, siue non. Nomine locorum sacrorum intelligitur Templum authoritate Episcopi consecratum, Monasteria, Hospitalia, & alia loca, consecratione Episcopali Deo dicata. Nomine rerum sacrarum signantur Sacramenta, vasa sacra, vestes sacræ, & alia huiusmodi. Ideo committitur sacrilegium violando ea, quæ vel significant sacra: vt sunt sacra verba; vel repræsentant sacra: vt sunt imagines Christi Domini, & Sanctorum; vel adhibentur tanquam instrumenta in sacris administrandis: vt sunt calices; vel efficiunt sanctitatem, vt sunt Sacramenta. Azor. *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 27. Filliuc. *tract.* 24. *num.* 222. Bonacin. *tom.* 2. *d.* 3. *quæst.* 6. *punct. vnic.* Nauarr. *summ. cap.* 27. *num.* 98. Reginald. *lib.* 19. *num.* 57.

210 *Quatuor modis contingere potest Sacrilegium contra personam.*

Quatuor modis contingere potest Sacrilegium contra *personam*. Primò inferendo manus violentas in Clericum, vel Religiosum aduersus priuilegium Canonis, *cap. si quis suadente*, 17. *q.* 4. quod ex motiuo virtutis Religionis Ecclesiasticis, ac Deo sacratis personis est concessum. Malitia autem huius sacrilegij primario oritur ex Ecclesiæ, Religionis motiuo, prohibitione: vnde sublata etiam excommunicatione, esset, remanente prohibitione, Sacrilegium. Secundo patratur, personas Ecclesiasticas subiiciendo sæcularis fori indicio, aduersus priuilegium exemptionis illarum. Et hoc Sacrilegium diuersum est à percussione: vnde si Iudex tanquam priuata persona feriat Clericum, vel tanquam Iudex illum violenter detineat, non satisfaceret confessioni dicendo generatim, se manus violentas in Clericum iniecisse: sed debet exprimere, se id gessisse iurisdictionem exercendo, quæ iniuria longè est diuersa, ideóque censuræ multiplicantur. Tertiò perpetratur Sacrilegium per impositionem tributi exigendo iniustè à Clericis temporaria bona; quia fit contra immunitatem Clericis concessam: fiet ergo peculiaris iniuria, & consequenter distincta Sacrilegij erit species. Quartò committitur luxuriosè violando Corpus sacratum continentiæ perpetuæ voto. Quod intelligendum est tam de persona, quæ aduersus proprium votum fornicatur, quam de altera, quæ turpitudinis est complex. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. Filliucius *tract.* 24. *num.* 217. Layman. *lib.* 4. *tract.* 16. *cap.* 7. *num.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 45 *num.* 12.

dis potest contingere sacrilegium contra personas sacras.

211 *De Sacrilegio contra loca sacra.*

Ad secundam speciem sacrilegij attinet quidquid contra sanctitatem loci sacri geritur. Profectò locus sacer censetur ille, qui publica est ad sacrificium Missæ, vel alia Ecclesiæ Sacramenta, aut diuina Officia celebranda, authoritate dedicatus: tametsi necdum consecratus, aut benedictus sit. Priuata verò Oratoria non consecrata, nec benedicta, aut eremitoria inter loca sacra numerari non debent, etiamsi Episcopus dederit Missam in eis celebrandi facultatem: quapropter neque Ecclesiastica immunitate huiusmodi priuata Oratoria gaudent. Porrò locus sacer latius patet, quam Ecclesia. Nam locus sacer censetur quicumque ad vsum pium, & religiosum publicè destinatus, ac veluti Deo dicatus est, ideóque profanis vsibus deputari amplius non potest. Vndè inter loca sacra annumerantur Monasteria & Xenodochia Episcopi authoritate erecta. Ecclesia verò appellatur locus, qui ab Episcopo consecratus, aut alia ratione, verbi gratiâ, Crucis erectione deputatus est ad publica Officia diuina, & Sacramentorum vsum. At iuxtà priuilegiorum extensionem nomine Ecclesiæ in fauorabilibus veniunt etiam Monasteria, Xenedochia, & alia pia loca. Sylueest. *v. Hospitale*, *num.* 4. Sà *v. Ecclesia*, *num.* 1. Couarruu. 2. *resolution. cap.* 20. *num.* 4. Layman. *l.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 6.

Patratur sacrilegij genus id fit, quod iure prohibetur in ea gerendum.

212

Patratur Sacrilegium quoties id fit, quod iure prohibetur sacro in loco, seu in Ecclesia gerendum. Prohibita autem ad tria capita possunt reuocari. Primum est, gerere in ea actum, quo ipsa polluitur. Secundum, vti Ecclesia tanquam communi loco ad actum profanum exercendum. Tertium loci sacri immunitatem violare. Suar. *lib.* 3. *de sacril. cap.* 4. Filliuc. *tract.* 29. *num.* 235.

213 *Quinque actus quibus Ecclesia polluitur, homicidium occisio effusio sanguinis seminis, sepultura excommunicati, & infidelis.*

Ad primum caput reuocantur quinque actus prohibiti in Ecclesia, quibus polluitur. Primus est hominis occisio, quæ sit culpabilis. Secundus est humani

humani sanguinis effusio, potest enim adesse effusio absque homicidio & hoc sine illa, vt si homo suffocetur. Tertius est, effusio humani seminis. Quartus excommunicati vitandi sepultura. Quintus sepultura non baptisati.

De homicidio. Profecto quoad primum vt homicidium Ecclesiam violet, debet esse voluntarium, & iniuriosum, & intra ipsam Ecclesiam patratum, & consummatum. Hinc excluditur homicidium casuale, inuoluntarium, supra Ecclesiæ tectum, vel circa ipsius parietes factum. Violaretur autem Ecclesia per mortem rei in ea à Iudice executioni datam. Quia talis mors non solum est iniuriosa Ecclesiæ, sed etiam reo, qui ius habet, tali in loco non interfici. *cap. Proposuisti, de consecr. cap. vni. de consecr. in 6. cap. Consuluisti, de consecr. cap. Ecclesiam de consecr. d.* 1. Reginal. *l. 9. n.* 117. Suar. *3. p. d.* 8 *sect.* 4. *de Euchar.* Graf. *l. 2. c.* 48. *n.* 24. *&* 25. Coninch. *q.* 93. *a.* 3.

De sanguinis effusione. *dub.* 1. Quod ad secundum, debet sanguinis effusio esse iniuriosa: vnde si fiat ad sui defensionem cum inculpatæ tutelæ moderamine, vel ab amente, vel à furioso, vel à puero nondum vsu ratiocinis prædito, vel casu à tegula aut lapide excidente, non polluitur Ecclesia. Quia effusio illa non est iniuriosa. Præterea requiritur aliqua sanguinis abundantia, & non sufficiunt duo, vel tres guttæ. Polluitur etiam Ecclesia, si vulnus exeratur in ipsa, & sanguis extra profluat: è contra autem non polluitur, cum aliquis extra Ecclesiam vulnus accipit, & in illa postmodum sanguinem emittit. Nec violatur, quando in illa existens aliquis telo, vel sclopeto, seu armis missilibus vulnerat, percutit, aut confodit eum qui extrà versatur: nec circumstantiam Sacrilegij tunc confiteri tenetur. Quia non consummatur peccatum percussionis, aut occisionis in loco Sacro. Diana citans Marchinum, Fagundes, Sa, & alios, *p. 6. tr. 6. resol.* 24. Nec Sacrilegium erit, si vnum occidas, aut vulneres in loco Sacro, quem nec formaliter, nec virtualiter intendebas occidere, vel vulnerare, intendendo tamen alium. Quia occisio respectu illius fuit inuoluntaria, & casualis. Vnde talis nec irregularitatem incurret *cap. si quis de homic. volunt.* Suar. de censur. *dict.* 22. *sect.* 1. Fagund. *de præcep. 2. l.* 4. *cap.* 4. *numer.* 15.

De effusione seminis. Quoad tertium actum, scilicet seminis effusionem humani, polluitur Ecclesia si venereus actus in loco Sacro illicitè fiat, vel licitè vt in connigatis, absque necessitate. D. Tho. *2. 2. q.* 154. *a.* 10. Azor. *3. p. 3. cap.* 27. *q.* 8. Lessi. *l.* 4. *cap.* 3. *dub.* 12. *numer.* 84. Per desiderium libidinosum, vel contactum turpem absque pollutione, non patratur Sacrilegium, nisi quando desiderium tenderet ad gerendam copulam in loco Sacro: vel contactus turpis esset cum periculo pollutionis. Quando verò absolutè desideratur fœmina in Templo, nec distinguitur, an copula desideretur habenda in Templo, vel extra, non est Sacrilegium. Quia desiderium illud iudicandum est secundum communem modum concupiscentiæ, qui quidem est, vt extra templum fiat: secus si habuit desiderium, seu intentionem gerendi in Ecclesia copulam. Quia hæc intentio est eiusdem rationis cum actu externo, qui habet specialem sacrilegij malitiam inconfessione exprimendam: cum actus ille si executioni daretur, Ecclesiam pollueret. Ratio autem cur per contactum turpem absque pollutione non committitur sacrilegium, est, quia Ecclesiæ violatio non est de iure naturæ: si enim esset, quocumque peccato mortali violaretur: sed de iure positiuo: Ergo solum violabitur in casibus à iure expressis: atqui in iure solum exprimitur sanguinis, ac seminis effusio Nauar. *sum. c. 16. n.* 3. Sanch. *l. 9. de matr. d.* 15. *n.* 10. *&* 11. Nanu. *to.* 1. *sum. c.* 206. Filliuc. *tr.* 30. *n.* 133. 2. *2. d.* 6. *q.* 15 *pun.* 1. Quoad quartum, quando sepelitur excommunicatus vitandus, illius ossa proiicienda sunt à loco Sacro, modo ab ossibus fidelium possint distingui. Si post cadauera dissoluta ossa proiicienda, quomodo, sepeliri sine Ecclesiæ pollutione possunt? Bonac. *de matr. d.* 4. *pun. vlt. n.* 22. Denique circa quintum seu non baptizati sepulturam moneo, Ecclesiam non pollui, quãdo in ea Cathecumenus ante susceptum Baptismum sepelitur. Quia decessisse cum flaminis lauacro præsumitur. Porrò filius potest sepeliri cum matre quæ parturiens, haud orto filio, moritur. Quia tunc filius pars matris censetur: secus si sit natus, & non dilutus. Sylui. *3. p. q.* 83. *a.* 3. *q.* 1. & alij. Polluta Ecclesia censetur etiam pollutum cœmeterium illi cõtiguum. Quia cœmeterium cõsecratum priuilegio eodẽ, quo Ecclesia, gaudet, accessoriũ enim sequitur principale. At cœmeterio polluto, non censetur polluta Ecclesia. Quia minus nobile nobilius non trahit. Adnoto, adesse discrimen inter Ecclesiæ pollutionem. Nam polluta Ecclesia, etiã omnia polluũtur altaria, quæ in ea erigũtur: quemadmodum vice versa altare pollui non potest, quin etiam corpus Ecclesiæ violatum censeatur. At vero si Ecclesia execretur combustis, aut corruentibus parietibus, vt denuo debeat consecrari: non ideò etiam alteria consecratione, vel reconciliatione aliqua indigent: sicuti vice versa altare per fractionem enormem execratur, seu consecrationem amittit, sine ipsius Ecclesiæ execratione. Sylvest. *V Altare. q.* 11. Polluta autem Ecclesia, non censetur altare portatile pollutum. Quia non videtur habere tantam cum Ecclesia connexionem, sicut altare fixum Lezana *to. 3. vers. Altare numer.* 22. & alij. Ecclesiæ pollutæ reconciliatio fieri debet vel per Episcopum, si Ecclesia erat consecrata: vel etiam per simplicem Sacerdotem, si tantum benedicta, Sylvest. Nauar, & Tolet. apud Sylvium *3. p. q.* 83. *a.* 3. *q.* 1. Monuerim, tum Ecclesiam censeri pollutam, vt indigeat reconciliatione, quando causæ memoratæ sunt publicæ vel per eiudentiam rei vel per confessionem aut probationem iuridicam. Quandiu autem sunt occultæ, nulla opus est reconciliatione. Plura *to. 3. tradidi.*

De sepultura excommunicati vitandi.

De sepultura non baptizati.

Polluta Ecclesia consequitur pollutio cœmeterium non è contra

Differentia est inter Ecclesiæ pollutionem, & execrationem.

Reconciliatio Ecclesiæ polluta.

214 Profecto ad secundum caput reducuntur tres actus forenses prohibiti fieri in Ecclesia ob eius reuerentiam geri. Primo Placitum, vbi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur. Secundo Mercatus. Tertio Furtum siue sit rei Sacræ, siue non. Præfatis actibus possũt adiungi alij, v.g. Seditio cum qua cõiunctæ esse solent cõclamationes, & impetus: Concilia sæcularia, & Parlamenta. Vana fœda, profana colloquia, indecẽtiaque cõuiuia *Omnes communiter.* Ad caput hoc reuocatur primo, Ecclesiam

Actus forenses fieri in Ecclesia prohibiti.

infringere, aut suis bonis spoliare. Certe effringentibus & spoliantibus Ecclesiam præscripta est pœna excommunicationis ipso facto. Non tamē hæc excommunicatio incurritur per alteram solùm actionem, sed per vtramque nempe per fractionem, & spoliationem: *c. si quisquis* 17. *q.* 4. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 6. *pun.* vni. *n.* 12. secundo, in domibus Ecclesiarum placita non agere sæculares ministros, neque hospitium sibi vendicare. Tertio, diruta Ecclesia, non posse ad vsus profanos conuerti eius materiam. Quarto, delinquentes, qui ad illam confugiunt per vim extrahere, exceptis casibus in iure permissis. *cap.* 1. *de immunit. Eccl. cap. ligna de consecr. dist.* 1. *cap. Desiniuit. cap. Miror.* 27. *q.* 4.

215 *De Sacrilegio contra res Sacras.*

Ad tertiam sacrilegij speciem pertinent ea peccata, quibus aliæ res sacræ temerantur. Primo contingit abutendo sacramentis, vel ea indignè administrando, in mortali, vel conferendo indignis, vel indignè recipiendo, vel alia ratione conculcando, proiiciendo &c. secundò profanando vasa sacra, vel Calices, vel Sacras Vestes. Tertio violando imagines, quatenus vsurpantur ad diuinum cultum, vt agunt hæretici. Quarto abutendo Sacræ Scripturæ sententiis ad superstitiones, ad facetias, ad amatoria, ad stabiliendas hæreses: eodem pertinet musica lasciua vel profana rebus diuinis adhibita. Quinto, si reliquiæ sanctorum indecorè habeantur si dissipentur eo animo, nè debito cultu honorentur. Sexto, si dies sacri operibus seruilibus, vel aliis prohibiti violentur. Septimo denique, si decimæ quæ ab Ecclesia consecratæ sunt diuino cultui, non soluantur. D. Tho. 2. 2. *q qq. a.* 3. Valent. 3. *p. dist.* 6. *q.* 15. Lessi. *l.* 2. *cap.* 45. *dub.* 3. *numer.* 25. Filliuc. *tr.* 24. *num.* 241.

Scio præcepto 1. Decalogi attribui materias de Fide, Spe, & Charitate, de Decimis, de Beneficiis, de Religionis statu, de Immunitate Ecclesiæ de Simonia, &c. Has autem fauente Numine propriis in locis euoluam.

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto primo Decalogi Problemata.

CAPVT XXIV.

Circa Oratione in communi.

PROBL. I.

Religio, qua Deus colitur distinguitur, & non distinguitur à Religione, qua Sancti coluntur.

116 *Non distinguitur.*

NON distinguitur. Quia charitas, qua amatur Deus, & qua proximus propter Deum amatur, eadem est: Ergo etiam erit eadem Religio, qua Deus, & Sancti propter ipsum vel oratione vel reuerentia coluntur. Sic Marsil. 3. *q.* 8. *a.* 11. *in fine.* Probabile reputat Lessi. *l.* 2. *cap.* 36. *dub. num.* 16.

217 *Distinguitur plane.*

Distinguitur quidem. Quia vbi est diuersa ratio formalis cultus, ibi est cultus diuersus diuersaque virtus: sed in cultu exhibito Deo est diuersa ratio formalis à cultu sanctis exhibito, qua sancti sunt: nam Deus ob excellentiam increatam colitur, sancti verò ob excellentiam creatam, & participatam: Ergò. Ita D. Tho. 2. 2. *q.* 81. *a.* 4. *& q.* 103. *a.* 3. Bonac. Richard. Gabri: Durand. & alij *in* 3. *dist.* 9. Suar. *l.* 2. *de habitu Relig. c.* 5. *num.* 4. Lessi. *bitat.* Palaus *to.* 2. *d.* 1. *n.* 6.

218 *Eligo hanc communiorem planè sententiam.*

Eligo communem opinionem hanc, asseroque cultum sanctis exhibitum ob sanctitatem ipsis inhærentem pertinere ad diuersam Religionis virtutem ab ea, ad quam pertinet cultus Deo exhibitus, vel exhibitus sanctis, quâ Deum repræsentant. Quia non obstat hanc sanctorum excellentiam dicere ordinem intrinsecum ad diuinam non enim attingit, vt dicitur, ordinem sed quatenus in se est, quoddam bonum excellens reddens hominem dignum honore. Licet enim quælibet creatura intellectualis dicat ordinem ad Deum: nihilominus tamen potest per se esse digna aliquo honore distincto ab eo, quo Deus est dignus, quia habet excellentiam ab illo distinctam. Hinc colligo differentiam, quæ est inter reuerentiam exhibitam imagini Christi, & reuerentiam exhibitam sanctis, quatenus tales sunt. Nam quando imago Christi adoratur, & colitur, non adoratur, & colitur ob aliquam excellentiam ipsi inhærentem: sed ob excellentiam, quæ in prototipo, & exemplari reperitur, & quatenus illud respicit, ita vt exemplar sit, quod formaliter adoratur, & cui nos formaliter submittimus; imagini autem materialiter tantùm. At sanctus, quâ sanctus est, habet propriam excellentiam distinctam ab excellentia diuina quæ illum dignum honore efficit: ac proinde petit distinctam virtutem, vt honoretur, ab ea, quam ipse Deus requirit.

PROBL.

PROBL. II.

Possumus, & non possumus animabus Purgatorij nos commendare, & ad illas orationem fundere.

219 *Non possumus quia otiosum est.*

NOn possumus. Quia inutiliter id geremus, cum incertum sit, ipsas ibidem existentes pro nobis orare, neque nostras orationes cognoscere. Posita autem hac incertitudine otiosum esse videtur, ab illis aliquid postulare, vt potè quæ non intelligunt petitionem. Sic Sylvest. *v. Oratio*, Navar. *de orat. cap. 1. num. 22.* Relato D. Tho. Paludan. & Alens. Inclinat. Suar. *l. 1. de orat. cap. 10. num. 25. iuncto num. 27. & 28.* Azor. *part. 1. l. 6. cap. 30. quæst. 4.* Valent. *2. 2. dict. 6. quæst. 2. punct. 7.*

220 *Possumus quia non est otiosum.*

Possumus quidem. Quia probabilius est, animas in Purgatorio constitutas pro nobis orare, nostrasque orationes cognoscere. Ergo inutile non erit, nec otiosum, preces ad ipsas dirigere. Ita Palaus *tom. 2. d. 1 punct. 4. n. 7.* Bonac. alios referens, *d. 1. de hor. canon. quæst. 1. punct. 1.* & alij.

221 *Hoc mihi probabilius.*

Hoc probabilius esse reor existimans animas in Purgatorio existentes nostras preces media reuelatione dignoscere custodis Angeli sui vel nostri. Vndè sentientem in hac oratione fructum, aut deuotionem haud ab ea amouendum existimo. Nam si cognoscunt, quomodo gratitudinis ergo, non ad Deum pro orante precabuntur, cum ferè nunquam eas oramus vt pro nobis precentur, nisi nostris fusis pro earum liberatione precibus?

PROBL. III.

Animæ in Purgatorio commorantes possunt, & non possunt, pro nobis orare.

222 *Non possunt orare.*

PRo nobis orare non possunt. Quia nostras necessitates non agnoscunt, & quia licet agnoscant, sunt in statu potius satispatiendi, quam impetrandi, magisque debent ab aliis auxiliari, quam aliis auxilio esse. Sic D. Tho. *q. 83. art. 11. ad 3.* Alens. *part. 4. q. 91. memb. 4.* Navar. *in enchir. de orat. n prælud. num. 16. & 29.*

223 *Orare possūt.*

Possunt pro nobis orare. Quia pœnæ, quam animæ in Purgatorio existentes patiuntur, impedire eas non potest ab oratione pro nobis instituenda: tum quia æquo eam animo sustinent, tum quia nos feruenti charitate prosequuntur, nec desiderium, quod in hac vita degentes nostræ habebant salutis, est illis imminutum; tùm quia vident, se hac oratione summè Deo placere. Ita Bellar. *l. 2. de Purgat. cap. 15.* Medi. *quæst. 5. de orat.* Valent. *2. 2. dict. 6. quæst. 2. punct. 6.* Lessi. *l. 2. cap. 37. dub. 5. num. 23.* Suar. *l. 1. de orat. c 11. n. 19.* Palaus *tom. 2. d. 1. pun. 5. num. 8.*

224 *Hoc mihi ità probabilius.*

In confirmationem Problematis secundi hanc addidi quæstionem, propabilioremque hanc duco sententiam. Quia licèt animæ in Purgatorio commorantes sunt in sanctis patiendi, & nostro indigent auxilio, & orationibus: hoc tamen non tollit, quominus etiam ipsæ valeant nobis correspondere. Quod si dicamus, nostras necessitates non agnoscere, nec orationes percipere: (quod suprà abnegaui) inde solùm infertur, non posse pro nobis specialiter orare, hoc est, pro speciali necessitate: at non infertur, orare non posse in genere pro nobis, petendo à Deo vt nobis impertiat, quod suæ voluntati, & diuinæ gloriæ magis est consonum, nostrasque petitiones exaudiat, si id videat expedire. Vnde laudabilem admodum reor deuotionem illorum, qui vt aliquid à Deo impetrent animæ saluti, aut licitæ corporis commoditati congruens ad animas in Purgatorio existentes Deo charissimas, profusis orationibus: & suffragiis accurrunt: docet enim experimentum (testis loquor) efficacissimam apud Deum esse earum intercessionem.

PROBL. IV.

Vt infallibiliter à Deo impetremus, quod postulamus, necessarium est, & necessarium non est, vt pro nobis ipsis ea oratio fiat.

225 *Non nihil præmitto.*

VIdimus *sectio.* 1. quatuor conditiones apponi à D. Tho. *2. 2. q. 83. a. 15.* vt apud Deum sit efficax oratio, nempè necessariam esse vel vtilem ad salutem, piam perseuerantem, & pro nobis ipsis profusam. Circa hanc quartam conditionem, do quæstioni, an necessarium sit ad hoc vt infallibiliter impetres, vt pro te ipso exores?

226 *Necessarium est.*

Necessarium est. Quia Christus Dominus *Ioa. 16.* dixit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Vbi D. August. *tr. 102. in Ioa.* innuit, vt *nobis* detur, pro nobis esse postulandum. Vnde illa promissio infallibilis *Dabit* intelligenda est, cum pro nobis oramus: *Dabit vobis.* Sic D. Tho. vbi suprà, & probabile existimat Palaus *to. 2. d. 2. pun. 7. n. 9.*

227 *Non est necessarium.*

Necessarium non est. Quia aliis in locis est facta absolutè promissio absque ea limitatione. Mat. 7. *Omnis, qui petit, accipit: & qui quærit inuenit. Ioa. 14. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam.* Et quia hac via commendatur diuina misericordia, & liberalitas, cum non solùm audiat orantes pro se, sed etiam pro aliis. Ita Palaus *citat.* Toletus *in Ioan. c. 16. annot. 30.* Valent. *d. 6. q. 2. pun. 4.*

228 *Probabiliorè hanc sententiam existimo.*

Hoc non solùm existimo satis probabile, vt ait meus Palaus, sed & probabilius. Quia quæ aliis donantur, ob meam petitionem, mihi donantur iuxtà illud Pauli. *Act. 27. Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Vnde sic expono illum locum Ioannis: *Si quid petieritis Patrem*, seu pro vobis, seu pro aliis, *dabit vobis*; quia vobis datur quodcumque pro oratione vestra alij accipiunt. Porrò sic excitamur; ad charitatem mutuam exercendam, cum sciamus, posse nos postulata efficaciter consequi æque pro aliis, ac pro nobis, si ex parte aliorum non sit resistentia: hoc enim semper requiritur, sicut etiam requiritur, cum pro nobis oramus.

PROBL. V.

Stantibus quatuor conditionibus, quas D. Thomas requirit ad orationis efficaciam, Deus petita ex iustitia concedit, & non concedit ex iustitia.

219 *Ex iustitia concedit.* STantibus conditionibus illis, quas D. Tho. 2. 2. q. 83. a. 15. scilicet vt sit oratio necessaria, seu vtilis ad salutem, piam, perseuerantem, & pro nobis, (aut pro aliis probabiliter) effusa, Deus ex iustitia petita concedit. Quia Deus promisit rectè petenti se concessurum postulatum: ergo de iustitia. Nam iustitia petit, vt vnicuique ius suum seruetur: sed quilibet petens rectè ius habet fundatum in diuina obtinendi quod postulat, promissione. Ergo sic Medina *tr. de orat. q. 18. fine.*

230 *Non concedit ex iustitia.* Concurrentibus his quatuor conditionibus non concedit Deus, ex iustitia, petita, sed ex fidelitate. Quia petitio est solum conditio, vt promissio habeat effectum, & vt talis expostulatur, non autem expostulatur vt opus recompensandum postulati concessione; ad obligationem autem iustitiæ necessarium erat, vt Deus postulata concederet in recompensationem petitionis, sicuti concedit gloriam in meritorum recompensationem. Ita Valent. 2. 2. *d. 6. q. 2. pun. 4.* Suar. *l. 1. de orat. c. 27. n. 4.* Palaus *p. 2. d. 2. pun. 7. num. 10.*

231 *Eiusdem sententis.* Existimo dicendum minimè ex iustitia Deum implere postulata. Quia non concedit in compensationem petitionis, sed postulat petitionem vt conditionem suæ promissionis: Vnde efficitur non obligari ex iustitia, sed ex fidelitate. Exemplo humano est manifestum. Nam si promitto dare eleemosynam cuilibet inopi à me postulanti, non ideo obligatus essem de iustitia implere, sed solum ex fidelitate, seu Religione in Deum.

PROBL. VI.

Oratio oblata pro pluribus quo ad impetrationem, prodest, non prodest æque singulis, ac si pro singulis offerretur.

232 *Prodest æquè singulis.* CErtè quoad satisfactionem cum limitata sit, manifestum est, non æque prodesse. Quoad impetrationem autem prodest æquè singulis. Quia hæc in benignitate Dei infinita, eiusque promissione fundatur. Sic nonnulli Recentiores, quorum sententiam Castro Palaus probabilem esse putat *tom. 2. disp. 2. punct. 7. num. 11.*

233 *Non prodest æque singulis.* Non prodest æque singulis. Quia esto impetratio in benignitate, & misericordia diuina principaliter, fundetur: fundatur etiam in ipsius met petitionis congruitate. Quod abunde conuincitur ex eo, quod feruens oratio aptior est ad impetrandum, quam tepida: sed petitio pro pluribus applicata non æquè congruit singulis, acsi pro singulis funderetur. Ita Nauar. *de orat. c. 10. n. 48.* Couar. *rel. Alma mater 1. part. §. 4. num. 9.* Azor. *tom. 1. l. 9. quæst. 7.* Suar. *l. 1. de orat. cap. 27. num. 6.* Medi. *C. de orat. quæst. 21.* Pala. *citat.*

234 *Probabilius hoc mihi.* Hoc probabilius reor. Quia petitio pro pluribus applicata non æque congruit singulis ac si pro singulis esset; nam singuli in petitione illa communi confusè, & indistinctè intelliguntur. Secus in petitione speciali. Certè Ecclesia sæpè orat pro aliquo peccatore speciali, quod consultum non esset, si orando pro omnibus peccatoribus æque illi prodesset.

PROBL. VII.

Præceptum orationis obligat, & non obligat, cum per contritionem, aut Sacramentum ad gratiam nos volumus disponere.

235 *Nonnulla suppono.* PRæmitto tempus huius obligationis non esse quodlibet instans, vitæ siue physicum, siue morale, vt aliqui hæretici relati à D. August. *hær. 53.* asseruere. Quia hoc est regulariter impossibile. Vnde huius obligationis tempus prudentis arbitrio est determinandum. Aliqui autem euentus à Doctoribus enumerantur, in quibus videmur obligati exorare. Primus, cum agnoscimus, nos aliqua grauissima tentatione vrgeri, quæ in periculo consentiendi constituit, ad cuiusque victoriam extraordinario Dei auxilio indigemus omnino ex charitate tenemur orare, vt à Deo tali auxilio donemur. Quia debemus apponere medium ad illius conueniens impetrationem. Idemque & eadem ratione dixerim de opere admodum arduo, vt de Martyrio. Secundus, quando proximus in maxima spirituali necessitate versatur, & moraliter existimamus alia via præter orationem non posse succurri, & orationem effectum habituram. Quia ex charitate proximo debita tenemur, eius bonum spirituale procurare, cum facilè possimus: alias non tenemur. Sic Lessi. *l. 2. c. 37. dub. 3. n. 12.* Nauar. *l. de orat. c. 3. n. 14.* Non tamen requiritur, vt certò agnoscamus, orationem profuturam, sufficit, si cum magna probabilitate id opinemur. Suar. *l. 1. de orat. c. vlt. n. vlt.* Alia vero à Doctoribus asseruntur, quæ problematice defendo. Quæsierim ergo, num præceptum orationis obliget, cum per contritionem, aut Sacramentum ad gratiam nos volumus disponere?

236 *Obligat.* Obligat quidem. Quia speciali Dei indigemus auxilio ad effectum gratiæ recipiendum, quod precibus impetrandum. Sic Lessi. *citatus.* Valent. 2. 2. *d. 6. q. 2. pun. 3.* & probabile reputat Palaus *to. 2. d. 2. pun. 8. n. 4.*

237 *Non obligat.* Non obligat. Quia auxilio ordinario adiuti, possumus nos ad recipiendam gratiam disponere, quin oratione aliqua præueniamur. Ita Suar. *l. 1. de orat. c. vlt. n. 17.* Palaus *vbi sup.*

238 *Idem asser.* Existimo P. Lessij, & Valentiæ venia, primam sententiam regulariter veram non esse. Quia ex cogitatione diuinæ offensæ possumus ordinario auxilio adiuti, nos ad gratiam disponere.

* *
*

PROBL.

PROBL. VIII.

Cum primum rationis incipit vsus tenemur, & non tenemur oratione vti.

238 *Tenemur.* Tenemur profecto. Quia tunc ad Deũ tenemur conuerti, ac proinde ipsum orare, vt nos ad conuersionem disponat. Sic Syluest. *v. oratio. q.* 8.

239 *Nõ tenemur.* Minimè tenemur. Quia illa obligatio de conuersione ad Deum in primo rationis vsus instanti, non est adæquatè firma. At esto, firma esset, ea potest absque oratione geri. Ita Valent. *2. 2. dict. 6. quæst. 2. pun. 3.* Lessi. *l. 1. cap. 37. dub. 3.* Suar. *l. 1. de orat. cap. 30. n. 18.*

240 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam quæ repugnantia inueniri potest in eo, quod excitati per fidem, moueamur immediatè ad volitionem Deo seruiendi, eiusque implendi præcepta. Excitari autem per fidem priusquam conueuienter oremus, necessarium reor. Quia orationem fides antecedit, iuxta illud Pauli *Rom.* 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Vt autem excitemur ad fidem vt illam Deo seruiendi volitionem foueamus, oratio necessaria non est.

PROBL. IX.

Præceptum orationis instat, & non instat, cum ex obligatione Sacrum audimus.

241 *Instat planè.* INstat præceptum. Quia tunc saltem tenemur orantibus assistere, & mediis illis orare. Sic Syluest. *v. oratio, q.* 8.

242 *Non instat.* Minimè instat. Quia sufficienter satisfacimus publicæ obligationi orandi pro populo, si Sacro cum debita deuotione, ac reuerentia assistimus. Ita Palaus *tom. 2. dict. 2. pun. 8. num. 4.* & alij.

243 *Ad rem non est Syluestris sententia.* Profecto Syluestris sententiam ad rem non esse reor. Quia in præsenti non inquirimus de obligatione orationis publicæ, sed priuatæ, ac personalis. Concedo namque, nos satisfacere obligationi publicè orandi pro populo, dum debita detenrione assistimus: at nullo modo satisfacimus obligationi priuatè orandi, cum vrget tentatio, & in peccandi periculo sumus constituti, & in aliis euentibus. Hæc enim priuata oratio pro cuiuslibet necessitate imponitur: quæ cum diuersa in singulis reperiatur, diuersum tempus expostulat: ac proinde conueniens non erat, vt solum tempus sacrificij, quod omnibus commune est, omnes obligaret. Monuerim, sæpè nos ab obligatione orandi in præfatis casibus excusari, quia obligationis inuincibiliter obliuiscimur, cum nec agnoscimus tentationis grauitatem, nec ad periculum huiusmodi repellendum, orationis necessitatem, vt Suarius *l. 1. de orat. cap. 40. num. 18.* annotauit.

PROBL. X.

Qui orationem omittit, quando orare tenetur, peccat, & non peccat contra Religionem.

QVæsierim, nùm orationem omittens, quo tempore tenetur orare, non solùm peccet contra illam virtutem, ad cuius conseruationem oratio necessaria reputabatur, sed etiam contra Religionem? v. gr. tentatione quis periculosa vrgetur aduersus castitatem, orationem omittit, qua debebat à Deo auxilium, ad tentationem vincendam, obtinere, succumbit: peccat nè hic solùm contra castitatem, an etiam contra Religionem? 244 *Satum quæstionis expositio.*

Solùm contra castitatem delinquit. Quia solùm ex periculo violandi castitatem culpabilem eum egit orationis omissio. Sic Lessi. *l. 2. c. 37 dub. 3. fine.* 245 *Solum delinquit contra castitatem.*

Non solùm contra castitatem, sed etiam contra Religionem peccat. Quia cum quælibet virtus sua tempora determinata habeat in quibus obliget, & Religio obliget, ad exhibendum Deo cultum media oratione tempore propriæ necessitatis & alienæ: efficitur planè eum peccaturum aduersus Religionem, si eo tempore orationem omittat. Ita Suar *l. 1. de orat. c. 29. à n. 8.* cum d. Tho. *q. 88. a. 3. ad 2.* Palaus *to. 2. d. 2. pun. 8. n. 6.* 246 *Etiam delinquit contra Religionem.*

Hanc sententiam probabiliorem reor si speculationi sit hærendũ: at si praxi geram morem probabiliorem reputarim primam. Raro enim cuinam acto tentatione venim in mentem ille ad Religionem respectus: sed solum contra castitatem se reum esse ducit, cũ orationis debitæ omissio eum efficit, à tentamine superari. 247 *Auctoris resolutio.*

CAPVT XXV

Circa priuatam Horarum Canonicarum recitationem.

PROBL. XI.

Episcopus potest, & non potest obligationem recitandi Horas Canonicas, Clericos solùm in minoribus constitutos

VIdimus *sect. 1.* Clericos in minoribus constitutos ab obligatione recitandi Horas Canonicas omninò eximi: non obstante textu *c. si quis Presbyter.* Quia loquitur de Clerico Ecclesiæ deputato per Beneficium, non per oidinem. Si enim de deputatione, quæ ex præcodinatione procedet, loqueretur, sufficeret, ducere: *Quilibet* Clericus absque additione illorum verborum, *Ecclesiæ deputatus.* Quæsierim verò an Episcopus possit Clericis in minoribus censtitutis hanc obligationem imponere? 248 *Nonnulla suppono.*

cMinimè potest. Quia non videtur licere Episcopo onus perpetuum ordinatis imponere, quod à Pontifice non est præscriptum enim ei licet 249 *Non potest id Episcopus.*

licèt Clericis suæ Diœcesis grauare specialius sine speciali causa, quæ in præsenti non apparet. Sic Sotus *l.10.de iust. quæst.5.art.3.* Valent. *2.2.disp.6.q.2.punct.10.§.2.* Azor. *l.10.cap.5.q.4.* Lessi. *l.2.cap.37.dub.9.n.46.* Suar. *l.4.de orat.cap.16.fine.*

250 *Potest id planè.* Potest profectò. Quia hoc præceptum non derogat legem vniuersalem, & ex alio capite est de re honesta, & quæ potest ab ordinatis impleri. Ergo nulla est causa, ob quam Episcopo potestas hoc præceptum imponendi suis subditis denegetur. Consequentia est legitima. Antecedens probo. Nulla enim est lex vniuersalis, quæ positiuè, hoc Clericos eximat ab obligatione, sed solùm lex, quæ de his horis recitandis fertur, quæ quidem illos non comprehendit. Ergo impositio eius obligationis, alicui legi vniuersali non contradicit. Deinde est obligatio de re honesta, & quæ facilè potest ab ordinatis impleri, si sint in ætate ad Beneficium requisita constituti. Sicuti possent, & deberent, si beneficiati essent: ergo. Adde consuetudine introduci posse hanc obligationem, vt Suarius Lessius, & Azorius fatentur: Ergo & ex authoritate Episcopi, quæ inferior non est authoritate Clericorum consuetudinem introducentium. Ita Nauar. *de hor.canon.cap.7.* Bonac. *de hor.can. d.1.q.2.punct.3.num.2.* Palaus *tom.2.d.3.pun.1.§.1.num.4.*

251 *Huic hæreo sententiæ.* Ego quidem huic hærens sententiæ, concedo Episcopum Clericos suæ Diœcesis grauare absque speciali causa specialiter non posse; at hæc contingenter, & raro potest existere; verbi gratiâ si videret, expediens esse ad frænandam Clericorum distractionem, hoc illis onus imponere. Concedo, non posse Episcopum limitare, neque extendere tempus, & ætatem ordinandorum, quia derogaret legem vniuersalem tempus & ætatem determinantem; at aptè potest, imponere Clericis id onus, quia in huiusmodi impositione nulla legis fit derogatio, sicut nullam Episcopus legem derogat, cum præceptum de nouo festo seruando sua in Diœcesi præscribit. Cæterum etsi hoc ita sit, nullibi credo tale præceptum vel consuetudinem esse. Imò probabilius existimo, cum Episcopus ordinandis iniungit, aliquos Psalmos, ac Litanias recitare, nolle sub graui culpa obligare, sed ex quadam honestate, & decentia, vt in materia de Ordine tradidimus.

PROBL. XII.

Beneficium, cuius fructus exigui sunt, obligat, & non obligat ad Horarum recitationem.

252 *Non obligat.* QVando fructus sunt adeò tenues, vt non sufficiant ad bonam partem moderatæ Clerici sustentationis, recitare non tenetur ex vi Beneficij. Quia Beneficium tenue reputatur in iure pro non Beneficio: nam fructus exigui nulli reputantur, iuxtà illud. *Parum pro nihilo reputatur.* Fauet quæ textus *in cap. Is, cui de præbend. in 6.* vbi potestatem habens conferendi Beneficia alicui, non potest illud eidem conferre, si Beneficium habeat sufficiens: tacitè autem indicatur illud solum non esse Beneficium, cum habenti insufficiens benè possit conferri. Et quia Beneficium, quod nullos habet fructus non obligat ad horarum recitationem, non enim est Beneficium verum, sed fictum nec potest ad onus obligare, cum non det commodum. Non enim potest obligare ad seruiendum altari, quem non valet ex altari cõgruam sustentationem impertire sed Beneficium tenue non valet beneficiatum sustentare: Ergo nec valet obligare ad seruiendum altari in horarum recitatione. Sic Sotus *l.10.de iust.q.5.a.3.* Manu. *to.1, sum.cap.140.n.3.* Vega *p.1.c.128.casu 14.* Petr. de Ledes. *to.2.tr. 9.c.4. concluf. 6.diff.c.4.* Lessi. *l.2.c.35. dub.31.n. 169.* Vasq. *de Benef.c.41.dub.5.* Malder. *de virtutib.tr.10.c.2.dub.3.*

253 *Obligat quidem.* Tenetur recitare. Quia Beneficium habens tenues fructus verè est Beneficium, nam est ius percipiendi fructus ex speciali titulo: Sed Beneficio absque vlla distinctione pinguis, vel tenuis annexum est onus recitandi ex Concil. Lateran. & ex Bulla Pij v. Ergo Beneficium tenues habens fructus ad horarum recitationem. Ità Suar. *l.4.c.21.num.3.* Garcia *p.1.c.1.n.49.* Bonac. *d.1.de hor.can.q.2.pun.4.17.* Azor *p.1.l.10.c. 3.* Valent. *2.2.d.6.q.2.pu.10.§.7:* Couar. *l.3.var c. c.13.n.8.§.12.* Nauar. *de orat.cap.7. num.17.* Palaus *to.1.n.3.pun.1.§.2.n.9.* & alij innumeri apud ipsos asserentes esse communem sententiam.

254 *Hanc præfero sententiam.* Cui quidem adhærens illius Syllogismi minorem, & consequentiam existimo patere: maiorem autem probo. Nam Beneficium tenue reddit beneficiatum eodem modo exemptum, ac priuilegiatum, sicut Beneficium pingue. Item suspensus à Beneficio, tã est suspensus à Beneficio tenui, quam à pingui: Ergò Beneficium habens tenues fructus verè est Beneficium, ergo subest onerì recitandi.

PROBL. XIII.

Si beneficiatus impediatur per vim, vel fraudem à consecutione fructuum Beneficij: est, & non est obligatus, hoc titulo horas recitare.

255 *Quid certum supponit.* Certum est, si per vim, fraudem, vel aliam iniustã viã beneficiatus impediatur à consecutione fructuũ, nõ esse obligatũ hoc titulo recitare. Quia obligari nõ potest ad officium, nisi ob stipẽdium acceptum, aut recipiendum. Azorio asserente *p.1...10.c.4.q.6.* Lessio *l.2.c.35.n.* 168. & aliis. Quæsierim autem, num hoc verum solummodo sit, si impediatur à consecutione fructuum quasi in perpetuum, ita vt spem non habeat acquirendi vllos ex Beneficio aliquo tempore prouentus;

256 *Si solummodo, si de obligatione recitare si spe recuperandi in perpetuum ri- manetur.* Hoc solummodò verum est in eo casu Vndè si gerat spem, posse aliquando fructus recuperare, tenetur ad horarũ recitationem. Quia accipens Beneficium, ea videtur conditione accepisse, vt siue minuantur fructus, siue crescant siue pereant, dummodo habeat spem recuperandi teneatur oneribus illius satisfacere. Nam contingere potest prioribus annis tot fructus accepisse, posterioribus esse acceptum, vt sufficientes sint tam fructus accepti quam in posterum recipiendi inducere pro illo tempore

Inter

intermedio recitandi obligationem. Sic Suar. *lib. 4. de Relig. c. 20 n. 15. & 16.*

257 Obligatus est recitare, vtiàm in perpetuum recuperandi nō priuetur spe. Hoc verum est etiam extra illum casum. Vnde beneficiatus pro eo tempore, quo in eius potestate non est situm, fructus vllos habere ex Beneficio, nec certò sperat sibi restituendos: non tenetur recitare. Quia cum eo tempore nullum detur ei stipendium, nec certo speret se accepturum, imponi ei non poterit recitandi obligatio: Ergò necessarium non est, vt deobligetur ad onus horarū, spe carere in perpetuum recuperandi fructus. Ita Vasq. *opusc. de Benef. c. 4. §. 1. dub. 6. n. 31. & 32.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 2. puncl. 4. num. 25.*

258 Hic probabilium reor. Probabilem satis censeo esse Suarij sententiam. Probabilius autem reor, admittendam non esse; quia opponitur communi sententiæ expressè asserenti, beneficiatum deobligatum esse ab horarum recitatione pro eo tempore, quo in eius potestate non est, fructus vllos habere ex Beneficio, nec certò sperat habiturum. Profectò beneficiatus dupliciter potest priuari fructibus per rapinam: nempè postquam illos obtinuit, vel antè illorum assecutionem; si priuetur postquam illos obtinuit, certum est, esse obligatum recitare. Quia iam Beneficium ei concessit pro munere exhibendo stipendium; at si ante illorum assecutionem, priuetur à fructibus recipiendis, pro toto illo tempore, quo impeditur sine certa spe recuperationis, censeo deobligari tam à recitatione horarum, quam ab alio quouis ministerio, nisi fideles, vel Episcopus præfatos fructus alia via suppleant, pro illo tempore necessaria suppeditando. Verùm si ob sterilitatem annorum nullos fructus Beneficium redderet, & Episcopus vel fideles non supplerent defectum: beneficiatus obligatus non est recitare. Quia pro illo tempore dici non potest Beneficium habere, sed solum titulum, qui insufficiens est, ad obligationem inducendam. Neque obstat, successu temporis abundantes fructus esse colligendos, aut annis superioribus esse collectos. Quia illi fructus suo tempori correspondent, dantúrque pro officio exercendo illo tempore, non pro alio.

PROBL. XIV.

Si vigeat in aliqua Ecclesia consuetudo, vt primo, vel secundo anno possessionis Beneficij, nullos fructus beneficiatus acquirat, neque post mortem illi reseruentur: debet, & non debet eo tempore horas recitare.

259 Non nihil suppono. SVppono, si vigeat in aliqua Ecclesia huiusmodi consuetudo, vt primo, vel secundo anno non acquirat beneficiatus fructus, nec ei post mortem reseruentur; sed vel fabricæ, vel beneficiatis antiquis distribuantur: eam omninò esse contrariam Extrauag. Ioan. XXII. *Suscepti. de elect. & sub tit. Ne Sede vacante inter communes.* Quibus cauetur, ne beneficiatus priuetur omnibus fructibus, sed potius dimidia pars ei applicetur. Et Tridentino *sess. 14. cap. 14.* & Constitutioni Pij V. quæ est in Bullario 106. & incipit, *Durum.* In quibus reprobantur consuetudines applicandi fructus antiquis beneficiatis à nouo beneficiato acquisitos, tanquam speciem Simoniæ, aut auaritiæ redolentes. Igitur dubitarim, an si vigeat consuetudo præfata in aliqua Ecclesia, non obstantibus hisce decretis, debeat beneficiatus recitare?

260 Debet recitare. Debet quidem. Quia sic recipiens Beneficium voluntariè illius suscipit obligationem: debet enim choro assistere, (v.g.) & Sacramenta ministrare, si Beneficium curatum est: Ergò etiam debet recitare: nam recitatio est vna ex præcipuis obligationibus, & quæ aliarum est fundamentum. Sic Lessi. *lib. 2. cap. 34. n. 177.* Suar. *lib. 4. cap. 20. num. 6. & 14.* Garcia *cap. 1. num. 76.* Azor. *lib. 10. cap. 4. q. 4.* Nauar. *de orat. cap. 9. num. 30.* Bonacin. *d. 1. de hor. can. quæst. 2. punct. 4. num. 23.* Palaus *tom. 2. d. 3. punct. 1. §. 2. num. 19.*

261 Recitare non debet. Minimè debet recitare, nec assistere choro, nec alia munera exercere, si distributionibus quotidianis priuetur. Quia tunc videtur irrationabilis illa consuetudo, & per quandam quasi moralem violentiam beneficiatum obligari ad illa munera exercenda, vt in sequentibus annis possit fructibus Beneficij potiri. Ita Palaus, asserens hanc sententiam esse probabilem, eiusque probabilitatem præfatos Doctores profiteri, *vbi suprà*:

262 Primam eligo & confirmo sententiam. Ego equidem primæ sententiæ, vt probabiliori hos secutus adhæreo. Quia si illi fructus, & distributiones antiquis beneficiatis distribuuntur, eáque de causa nouo beneficiato non applicantur, at tunc obtinet ius, & spem, vt fructus beneficiatorum post se ingredientium sibi applicentur: Ergò ius illud, & spes pretio est æstimabilis, & reputari potest, vt stipendium ei concessum, vt hac via obligetur ad recitationem. Præterea si fabricæ, vel piis operibus applicentur, hac applicatione ille excusatur ab obligatione tantundem exhibendi in fabricæ reparationem, vel in opera pia eius Beneficij: Ergò exempti ab huius obligationis loco stipendij esse potest, ac proinde recitandi obligationem inducere.

PROBL. XV.

Solus titulus Beneficij cum spe possessionis, & fructus, sufficit, & non sufficit ad inducendam recitandi obligationem.

263 Sufficit plane. SVfficit planè. Quia is, cui Beneficium est collatum, & ab ipso acceptatum, verè beneficiatus est, & verè dicitur Beneficium habere, ex *cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* & tradit Mandos. *reg. 2. Cancel. q. 13. n. 5. & reg. 16. q. 39. nu. 2.* Rebuff. *in concord. tit. de collat. §. Volumus.* Tusch. *concl. 38. lit. P.* At Cõcil. Later. & Pius V. obligant ad recitãdũ eum, qui Beneficium habet. Ergò à die, qua accipit titulum Beneficij, recitare tenetur. Sic Nauar. *de orat. cap. 7. n. 28. & 29.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 167.* Garcia plures referens *p. 3. de benef. c. 1. a. n. 92. & 102.*

264 Non sufficit. Non sufficit solus titulus cum spe habendi possessionem: sed est insuper necessaria possessio, nisi per illum stet quominus illam habeat. Quia obligatio recitandi est grauis, & onerosa: Ergò non debet extendi, sed limitari. Ergò debet limitari ad habentem beneficium perfectè, propriè,

propriè,& cum omni rigore. Hic autem solùm est,qui possidet: Ergò. Ita Suar.*lib.4.cap.18. à num.7.* Flamini. *de resignat. lib. 1. quæst. 9. num.15.*

265 *Eos sequor.* Existimo, beneficiatum recitare debere, si per eum stat, quominus possessionem habeat. Quia non est æquum eius culpa priuare Beneficium debito obsequio. Deinde fructus ante possessionem Beneficij non semper debentur beneficiato,sed varius est vsus pro Regionum varietate.Ergo obligatio, quæ generalis est,comprehendere solùm debet eos, quibus per se,& necessariò fructus debentur, qui sunt Beneficij possessores.

PROBL. XVI.

Ad inducendam recitandi obligationem, necessarium est,& non est,possessionem Beneficij esse pacificam.

266 *Requiritur pacifica possessio.* NOn solum est necessarium habere Beneficij possessionem,sed requiritur, esse pacificam.Quia æquum non est,beneficiatum obligare ad certum onus, sine certo stipendio. At cum Beneficium litigiosum est, non est certum,stipendium applicandum esse possessori,siquidem sæpè contingit,possessorem vinci, & à possessione deturbari. Ergo non sufficit possessio nisi sit pacifica.Sic Ceuallos *pract.9. q.643. num.vlt.*Vegap.1.*sum.c.*128.*casu* 18.*fin.* Manu. *tom.1.sum.cap.*145.*n.*1. Henriq. *lib.*13. *cap.*13.. §. 2.

267 *Non requiritur possessio pacifica.* Non est necessarium, possessionem esse pacificam,sed sufficit,habere possessionem, si lite non obstante beneficiatus ministrat Beneficium,& sperat morali certitudine,sibi esse fructus applicandos saltem seruitio debitos. Quia tunc iustissimum est, vt subeat onus, cum speret,se commodum esse recepturum.Secus verò dicendum si hæc certitudo moralis deficeret. Ita Lessi.*lib.2.cap.*34.*num.*172.Petr.de Ledesm. *tr.9.c.4.concl.6. diffic.*10. Zerola *v.Beneficium*, §.4.*n.*8.Bonac.plures citans,*d.*1. *de hor.c.n.q.*2. *punct.4.num.*26.Palaus *tom.*2. *d.*3. *punct.*1. §.2. *num.*14.

268 *Auctoris sententia.* Cum his opinor,adiiciens habentem Beneficij titulum, & impedimentum ab illius possessione capienda,vel lite,vel alia de causa sibi inuoluntaria,non esse obligatum recitare. Quia fructus non sunt omninò certi, sed contingentes ob contingentiam possessionis: & non est iustum subire onus certum pro incerto stipendio. Ex quo à fortiori infero, si duo super aliquo Beneficio litigarent,& neuter esset in possessione, neutrum ad recitandum teneri. Quia neuter habet propriè, & in rigore Beneficium. Aliàs omnes litigantes tenerentur recitare ratione vnius Beneficij, quod minimè dicendum. Mecum Suarius *lib.4. cap.19. num.9.& 10.* & Garcia *part.1. cap.1. num.101.* relatis Paludano, Soto,, & Beia.

* *
*

PROBL. XVII.

Habens Beneficium iniustè, vel impediens iniustè alium ab illius possessione: tenetur, & non tenetur horas recitare.

269 *Recitare tenetur.* REcitare tenetur. Quia per iniuriam priuat Ecclesiam obsequio: Debet ergo recitare. Sic Suar.*lib.4.cap.*19. *num.*10. Bonac. *d.*1. *q.*2. *punct.4.num.*28

270 *Non tenetur recitare.* Non tenetur recitare. Quia beneficiati non sunt obligati ex iustitia ad horarum recitationem, sed ex præcepto Ecclesiæ: neque impedientes hanc recitationem censentur iniustitiam patrare contra Ecclesiam,sed ad summum contrà beneficiatum. Ergò non sunt obligati recitare. Ita Palaüs *tom.2.d.2 punct.2.§.2.n.*30. Garcia *p.3.c.1.n.*120.quamuis *n.*90.contrarium docuisse videatur.

271 *Hoc probabilius puto.* Hoc probabilius puto asserens, obligari solummodò ad dimittendum Beneficium, & à lite iniusta cessandum.Aliàs quoties quis alium impediret Missam audire,ieiunare, vel quodvis aliud opus præceptum, deberet eadem ipse ex iustitia præstare; quod nullus asseruit.

PROBL. XVIII.

Religionum consuetudo recitandi horas canonicas,obligat,& non obligat sub graui piaculo Religiosos, & Monales,ne illas omittant.

272 *Quæstionis status.* DIxi *sect.* 1. Religiosos choro deputatos obligatos esse ex consuetudine horas recitare, idemque de Monialibus choro addictis asserui.Vnde deduxi, Religiosos Ordinis illius, qui ex instituto choro non est addictus, obligatos non esse recitare nisi sint sacris initiati. Quæsierim vero, num hæc consuetudo obliget sub graui culpa Religiosos, & Moniales, ne diuinum Officium omittant?

273 *Non obligat.* Non obligat. Quia non videtur ita recepta hæc consuetudo,vt ex vi præcepti obliget. Sic Caiet.*sum.v.Horæ Canonicæ* Et quia ex præscripto Regulæ ad id tenentur, quæ non videtur tam grauè obligationem inducere. Sic Medina *in Instruct.cap.*19. Sà *v.Horæ canonica*, id esse piobabile reputat.Aragon.2.1.*q.*82.*a.*11.*dub.*4. & Angel. *v.Horæ*, *num.* 10. existimant, Religiosum omittentem bis, vel ter priuatim diuinum Officium mortaliter non delinquere.

274 *Obligat omninò.* Obligat omninò.Quia consuetudo recitandi Officium est instar Clericorum in sacris cunctis ordinibus choro addictis recepta. Ergò sicut non est probabile, Clericos omittentes,vel semel diuinum Officium, non peccare lethaliter:ita nec est probabile Religiosos, & Moniales non delinquere mortaliter si omittant. Ita *omnes Doctores* præter eos,quos pro prima sententia retuli. Lege Palaum *tom.*1. *d.*2.*punct.*1. §.3.*num.*4.

275 *Hoc mihi ferè certum.* Hoc mihi ferè indubitatum scienti, aliquos recentiores minoris notæ contrariæ opinioni adhæsisse,

ad hæsisse, quos lubens reprehendere ausus fuerim, cum consuetudinem vim habentem præcepti non attendant, ansamque præbeant, lauandi habenas in hac parte, vnde non leue Religionis prouenit nocumentum. Et fortè ob hanc causam in summa Manuelis Sa nostri edita Romæ expuncta fuere illa verba, quibus prima sententia probabilis esse iudicabatur.

PROBL. XVIII.

Religiosus ex dispensatione Pontificis extrà Claustrum degens tenetur, & non tenetur Horas recitare, si dispensatio in perpetuum sit.

276 *Non tenetur.* COnueniunt Doctores obligatum esse recitare, si pro aliquo determinato tempore Pontifex dispensarit. Quæsierim vero, an teneatur, si dispensatio in perpetuum sit? Non tenetur. Quia dispensatus, vt perpetuò extrà claustrum viuat, à choro est liberatus. Ergò etiam liberatur ab obligatione priuatim recitãdi, quæ loco obligationis ad chorum succedit. sic Sotus *de iust. l.* 10. *q.* 5. *a.* 3. Bonac *d.* 1. *de hor. can. q. pun.* 2. *n.* 4. *p.* Azor. 1. *l.* 10. *c.* 6. *q.* 8.

277 *Contra hos opinor.* Tenetur quidem. Quia obligatio recitandi in Religioso non oritur ex eo, quod ipse personaliter obligatus sit choro interesse, sed ex eo quod statum habeat choro deputatum. Aliàs qui ex dispensatione Pontificis, vel Prælati Regularis à choro in perpetuum esset exemptus, obligatus non esset, horas priuatim recitare: quod videtur absurdum. At dispensatus in perpetuum, vt extra claustrum degat, non mutat Religiosi professi chore deputati statum: vt de se constat: Ergò recitare tenetur. Ita Suar. *l.* 4. *de hor. canon. cap.* 17. *numer.* 8. Palaus *to.* 2. *d.* 2. *pun.* 1. §. 3. *n.* 4. & alij communiter.

Cum his opinor. Nam si exemptio perpetua ab assistentia in choro eximit Religiosum ab onere perpetuo recitandi, quia hæc obligatio priuatæ recitationis loco publicæ succedit: cur exemptio pro determinato tẽpore ab onere recitandi pro illo tempore non liberabit? Addo, Religiosum non esse regulariter obligatum sub graui culpa choro assistere: Ergò obligatio recitandi nõ commẽ suratur ex hac obligatione, sed ex statu choro assistentiæ deputato.

PROBL. XIX.

Tenentur, & non tenentur recitare Religiosi eiecti, fugitiui, & ad triremes damnati.

278 *Non tenetur.* NOn tenentur. Quià hi videntur esse extra statũ qui choro deputatus sit. Sic Bonac. *dict.* 1. *de hor. canon. q.* 1. *pun.* 2. *num.* 6. Lessi. citatus à Palao *vbi infra* adhæret loquens de ieicto, vel ad triremes damnato, & Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 8. *n.* 11. Secus de fugitiuo, & differẽtiæ. signant rationem. Quia eiectus non potest ad Monasterium redire, etsi velit: fugitiuus potest.

Tenentur omninò. Quia ex eo quod Religiosus sit extra Monasterium, non est extrà statum choro deputatum: non enim est extrà statum Religiosum, in quo anteà aderat. Nam ob fugã, aut eiectionem. Religiosum statum amittunt. Alias cum iter ageret, aut peregrinaretur, vel quoties extra Monasterium degeret, dici posset extra statum esse Regularẽ. Ergo apostasia, vel eiectio à Monasterio Religiosum à recitandi obligatione non soluit, sicut nec ab aliis oneribus, quæ professioni ex consuetudine sunt annexa, possuntque in illo statu impleri. Ità Nauar. *c.* 5. *de orat. n.* 10 Azor. *l. c.* 10. 6. *q.* 5. 6. & 8. *Suar. l.* 4. *de hor. can. c.* 17. *n.* 9. Palaus *to.* 2. *d.* 2. *pun.* 2. *n.* 5.

279 *Tenetur omninò.* Hoc probabilius reor. Quia si dictites eos Religiosos fugitinos, eiectos, vel ad triremes damnatos, licet non amittant Religiosum, statum, quẽ antea habebant amittere tamen chori deputationem, quæ Regulari annectitur statui non vt cumque, sed ex consuetudine: quæ consuetudo non videtur extendi ad eiectos, fugitiuos, aut damnatos triremibus: sed solum ad illos qui in Monasterio commorantur, vel ex licentia Prælati extra Claustrum existunt. Contrà. Quia non videtur cum fundamento dici, hanc consuetudinem annecti Regulari statui illorum solummodò qui in Monasteriis, vel extra de Prælati licentia commorantur: & ad fugitiuos, eiectos, & damnatos non extendi. Quia æquum non est, vt commodum ex crimine reportent. Dixi *per se* hosce Religiosos sub obligatione recitandi comprehendi, vt indicarem, per accidens excusari posse vt sæpe eiecti, & damnati ad triremes excusantur ob impotentiam moralem recitandi, & nè Religioni, & sibi dedecus afferant, si se esse Religiosos manifestent.

PROBL. XX.

Ordinatus ad titulum patrimonij potest, & nõ potest officium recitare secundum formam, quæ illi magis libuerit.

280 *Non nihil suppono.* SVppono ex *sect.* 1. omnes esse obligatos recitare iuxtà Breuiarij Romani Pij V. & clemen VIII. formam: exceptis solum iis, in quorum Ecclesis, vel Conuentibus ducentis annis antè Pium V. aliud Breuiarium fuerit institutum, probatum. Quæsierim autem, num quis ad titulum patrimonij ordinatus possit officium recitare iuxtà formam, quæ ei magis libuerit.

281 *Potest quia id* Potest profecto. Quia nulli Ecclesiæ addictus est vt debeat eius consuetudinis morem gerere, Sic Angel. *V. Hora, n.* 12.

282 *Non potest.* Minimè potest. Quià ex eo quod non sit Ecclesiæ vlli addictus quæ consuetudinem habeat ducentis annis antiquiorem præcepto, & constitutioni Pij V. efficitur, tunc obligatum esse recitare iuxtà formam præceptam à Pio V. quæ omnes Clericos, beneficiatos, & Religiosos compræhendit, exceptis solùm qui sũt illius Ecclesiæ, in qua viget præfata cõsuetudo. Ita Suar. *de hor. can. l.* 4. *c.* 23. *n.* 4. Lessi

l. 2. cap. 37. num. 75. Bonac. *dict. 1. de hor. can. q. 3. pun. 2. n. 4.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 11. q. 1.* Reginal. *l. 18. n. 68.*

287 *Hoc mihi certum non nulla adijcienti*

Hoc mihi certum credenti Angeli sententiam haud posse defensari. Addidi enim, hos exceptos posse ex consensu Episcopi & totius capituli, admittere, excluso suo antiquiori, Breuiarium Romanum; vt ex Bulla Pij constat. si tamen Monasterium fuerit exemptum, non requiritur Episcopi consensus, sed sui Prælati & totius Capituli sufficit. Lessi. *citat. n. 74.* Cum autem exigitur totius capituli consensus, non debet intelligi consensus omnium singulorum, ita vt nullus dissentiat: quia hoc ferè impossibile: sed sufficit consensus maioris partis capituli? quia in rigore & propriè vniuersi capituli consensus est. *l. 4. cap. 11. numer. 4.* At si semel ex consensu Prælati & Capituli Breuiarium Romanum fuerit admissum, nullatenus licebit, ad pristinum redire, sed necessariò Romanum est retinendum. Quia iam per illam abrogatum fuit antiquum: & vrget Pij, ac Clementis præceptum: Suar. *numer. 4.* Bonac. *numer. 2.*

PROBL. XXI

Pij V. & Clementis VIII. præceptum sub graui culpa obligat, & non obligat, diebus singulis iuxta formam Breuiarij Romani recitare

286 *Non obligat sub graui culpa, vt aliquando nō liceat alia forma recitare.*

PEccatum mortale non est vno vel altero die eam formam omittere recitando iuxtà formam Breuiarij Dominicanorum, Cisterciensium, aut aliarum Ecclesiarum. Quia substantia præcepti est, septem horas Canonicas dicere: modus autem, vel forma huius, vel illius Breuiarij ad ritum, & cultum specialem pertinet, cuius omissio vno vel altero die facto grauis non videtur. Sic Nauar. *sum. cap. 19. n. 217.* Reginal. *l. 19. n. 171.* Rapha. de la Torre *de Relig. conuer. 8. in princ. de hor. can.* Vasq. *de Benefic. c. 5. §. 1. a. 2. dub. 1. n. 57.*

287 *Obligat sub mortali.*

Est peccatum mortale, obligatū recitare iuxta Breuiarij Romani formam vel vna die iuxtà formam alterius Breuiarij recitare. Quia omnes conueniunt, quemlibet obligatum esse singulis diebus Pij V. officium recitare, nisi ex consuetudine ducentorum annorum excusetur: sed hæc materia grauis est: Ergo grauiter obligat. Ita omnes alij Doctores relati, & referendi circa hanc materiam, quia post Pij V. & Clementis VIII. constitutionem scripsere, teste Palao *to. 2. d. 2. pun. 1 n. 2.*

288 *Hanc eligo sententiā.*

Hanc eligo sententiam. Quia aliæ formulæ recitandi omnino causantur, & abrogantur ad effectum satisfaciendi præcepto: Ergo recitare per ipsas, idem erit, ac non recitare. Certè præceptum est non solum de recitandis septem horis, sed de recitandis more & formula à Pio V. præscripta, vt ex Bullæ verbis constat. Attamen non ideo certam adeò hanc sententiam existimo, vt contrariæ abnegem probabilitatem. Etsi enim meus Ferdinandus de Castro Palao hanc quasi certā statuat, quia materiam esse grauem. existimet, sine scrupulo quis sese poterit tot doctissimis primæ sententiæ assertoribus accomodare

PROBL. XXII.

Potens recitare alià formula præter eam quæ Breuiario Romano præscribitur, potest, illa omissa, per Breuiarium Romanum recitare,

289 *Potest quidem.*

POtest quidem. Quia consensus Episcopi, & Capituli ad omitendum Breuiarium antiquum, & assumendum Romanum requiritur pro vsu chori, vt colligitru ex illis verbis: *Dummodo Episcopus & vniuersum Capitulum in eo consentiat, vt id in choro, dicere, & psallere possint, permittimus.* Ergo pro vsu priuato cuilibet videtur permissum, absque consensu Episcopi, & Capituli sic Sa *v. Horæ*, *in vtroque edit. numer. 6.* Caiet *V. Horæ §. 2.* Reputat probabile. Suar. *l. 4. cap. 23. nu. 9. 2.* Lessi. *cap. 37. numer. 74.* Bonac. *dict. 1. de hor. can. q. 3. pun. 1. numer. 5.*

290 *Non potest.*

Non potest. Quia de his exemptis nil Bulla Pij V. determinat, sed illos dispositioni, & ordinationi iuris communis relinquit. Sed ius commune quemlibet arctat ad recitandum officium suæ Ecclesiæ, vt constat ex *cap. De his cap. Placuit. 12.* Ergo. Ita Suar. Bonac. & Lessi. *citati.* Valent. *2. 2. dict. 6. q. 2. pun. 1. §. 3.* Gracia. *p. 3. cap. 1. numer. 155.* Palaus *to. 2. dict. 1. pun 2. n. 3.*

291 *Hanc sententiam probabiliorē puto.*

Probabilem satis reor primam sententiam, secundam verò probabiliorem. Quia Episcopus seu Prælatus iis Clericis sibi subditis præscripit, ne alio officio vtantur: quod proculdubio gerere potest. An non D. Carolus Mediolanensis Archiepiscopus omnibus suæ diœcesis Clericis præceptum imposuit, vt officio Ambrosiano vterentur? Certè hoc præceptum conforme est Bullæ Pij V. quæ consuetudines recitandi antiquiores ducentis annis suo in robore, ac fortitudine linquit. Obligat ergò tale præceptum, vt potè de re liciat, & honesta.

PROBL. XXIII.

Si Clericus beneficiatus Mediolanensis, vbi Breuiarium Ambrosianum viget, Romam pergat, tenetur, & non tenetur: inibi non Romano, sed Ambrosiano Breuiario vti.

292 *Non tenetur Ambrosiano Breuiario vti.*

NOn tenetur Ambrosiano Breuiario vti, sed Romano vti potest. Quia præceptum, vel statutum, seu lex Mediolanensis extra diœcesim existentes non obligat. Et quia quis sese moribus illorum, quibuscum viuit etiam transeunter potest cōformare, si alias impeditus non sit. Sic Palaus ex Suario & aliis *to. 2. dict. 2. pun. 2. n. 3.*

293 *Tenetur vti Breuiario Ambrosiano.*

Tenetur Ambrosiano Breuiario vti, nec potest se Romani, formulæ conformare. Quia in tantum ab hac obligatione eximi potest, quatenus Mediolanensis beneficiatus Romæ adest, vbi Romanum Breuiarium viget: sed Religiosus v. gr. Dominicanus, aut cistercien

ſtercienſis Romæ degens debet ſui Ordinis Breuiario vti, nec poteſt Romano: Ergo Mediolanenſis Clericus debet Ambroſiani Breuiarij formam ſectari. Ita aliqui moderni. Et probabile exiſtimat Palaus *vbi ſupra*.

294 *Probabilius reor, debere vti Romano.*

Ego quidem non probabilius eſſe Mediolanenſem Clericum non ſolum poſſe Romano vti Breuiario, imò & debere. Quia ſtatutum, vel præceptum Diœceſanum extra Diœceſim non extenditur, vt *tractatu de Legibus tom.* 1. expreſſi. Ergò ſtatutum, ſeu præceptum, quo ligantur Mediolanenſes Clerici ad recitandum iuxtà Breuiarij Ambroſiani extrà Mediolanum non extenditur: Ergo vti debent Romano. Neque obſtat Dominicanos, aut Ciſtercienſes Religioſos Romæ exiſtentes debere vti ſui Ordinis Breuiario. Quia hæc obligatio prouenit ex vi profeſſionis, & voti, cuius iuriſdictio vbique extenditur. At Mediolanenſis iuriſdictio ſiue ſit ex conſuetudine, ſiue ex lege, non poteſt extrà Mediolanum extendi. Alias Mediolanus Antiſtes haberet Romæ iuriſdictionem, quod eſt impoſſibile.

PROBL. XXIV.

Religioſi exempti vtentes Romani Breuiarij formulâ, poſſunt, & non poſſunt, ſeſe Diœceſanis feſtiuitatibus conformare, omiſſo officio Feriæ, vel Sancti, quod à Romana Eccleſia die illa præſcribitur.

295 *Seſe conformare non poſſunt.*

SEſe conformare non poſſunt. Quia omnes Religioſi ſeruare tenentur morem in Breuiario præſcriptum: At Si Religioſi conſtitutionibus diœceſanis non eximuntur ab huiuſmodi obligatione, cum illis non ſubdantur. ergo. Id confirmo: Nullus ſæcularis clericus tenetur alterare officium à Romana Eccleſia præſcriptum, & recitare de ſancto illius diœceſis: ſed poteſt, omiſſo illius officio, recitare de ſancto, vel de Feria, de qua vniuerſalis recitat Eccleſia: niſi fuerit Patronus Eccleſiæ propriæ, vel diœceſis, vt conſtat ex Bulla Gregorij XIII. *appoſita officio SS. Hiſpan.* ſed hac conceſſione non videntur Religioſi comprehendi, Quia non exprimuntur: & priuilegium derogans iuri communi non debet extendi ad alias perſonas præter expreſſas, cum ſtrictè ſit interpretandum. Neque valet dicere. Religioſos eſſe ſatis expreſſos cum dixit Gregorius: *Vnamquamque Eccleſiam*, eo quod illud *Vnamquamque* vniuerſale eſt, quod omnes Eccleſias comprehendit. Non, inquam, valet. Tùm quia paulo inferiùs intendens Religioſos obligare, vt inde, quo Feſtiuitas Patroni totius diœceſis, ſe conforment, illos exprimit. Ergo cum in aliis feſtiuitatibus nullam de Religioſis faciat mentionem, Religioſi non poterunt conformari. Tùm, quia loquens Gregorius de ſpecialibus feſtiuitatibus, quas in tota Hiſpania volebat generaliter celebrari, ſubiunxit: *Volumus, quòd feſtiuitates ſequentes ſint in tota Hiſpania generales, ita quòd omnes Eccleſiæ, & Religiones exiſtentes in illa Prouintia recitent de illis.* Expende illud: *omnes Eccleſiæ, & Religiones*, ſi enim ſub verbo *Eccleſiæ* Religiones comprehenderentur, fruſtra Pontifex illas exciperet. Sic docti *Neotherici*, quorum ſententiam ſatis probabilem eſſe reor.

Poſſunt ſeſe conformare. Quia priuilegium Principis, & maximè conceſſum Regno, vel Prouinciæ late eſt interpretandum vt in materia *de legib. to.* 1. expoſui. Ergo priuilegium conceſſum à ſede Apoſtolica, vt Eccleſiæ illius diœceſis de talis ſancto recitent, omnes Eccleſias, etiam Regulares ſub forma Breuiarij Romani recitantes comprehendit. Et quidem lata interpretatio, quam priuilegium habere debet, hanc petit extenſionem. Ità plures Moderni Palao hærentes *to.* 2. *d.* 2. *pun* 2. *n.* 9. 296 *Seſe poſſunt conformare.*

Probabiliorem hanc puto ſententiam, quam ex ipſa Gregorij Bulla confirmarim. Ibi enim conceditur omnibus Eccleſiis, vt poſſint recitare officium illius ſancti, qui vel illius diœceſis eſt naturalis, vel eius Eccleſiæ, aut diœceſis eſt Patronus, vel eius corpus, ſeu notabiles reliquiæ in eâ Eccleſia, aut diœceſi requieſcunt. Sed in hac conceſſione Religioſorum Eccleſiæ ſub forma Breuiarij Romani recitantes comprehenduntur: quia nulla eſt ratio, quæ eos à tali eximat conceſſione: cum eis onerosa non ſit, ſed potius onus alleuet, & voluntati eorum vſus priuilegij huiuſce remittat. Profecto exceptio, quam Gregorius facit de feſtiuitate Patroni, & aliis generalibus, potius firmat præfatam conceſſionem. Aliud enim eſt, Religioſos obligari ad recitandum de aliquo ſancto, aliud poſſe, ſi velint, de illo recitare. Vt autèm Religioſi cenſerentur obligati in conſtitutione obligante ſæculares Clericos deberent exprimi: verùm vt cenſerentur comprehenſi in conſtitutione priuilegium, & facultatem concedente, non erat opus expreſſione, quia in conceſſione huius facultatis eſt fauor, at in expreſſione obligationis eſt rigor. Concedo igitur, de ſolâ feſtiuitate Patroni, aliiſque generalibus obligatos eſſe Religioſos ſe cum Clero ſæculari conformare; quia ſolùm prò iis feſtis eſt expreſſa obligatio: poterunt tamen ſi velint, in reliquis feſtiuitatibus ſe conformare. Et hoc indicarim eſſe decentius, Deo gratius, populo vtilius. 297 *Hoc probabilius exiſtimo idque vberius expono.*

PROBL. XXV.

Epiſcopus poteſt, & non poteſt conſtituere, vt omnis Clerus ſuæ Dœceſis feſtiuitatem alicuius ſancti celebret, cùm iuxta Breuiarij Romani rubricas de alio ſancto, vel de Feria erat recitandum

CErtum mihi, ſi Diuus ille ſignetur in diœceſis totius Patronum, vel illius diœceſis eſt naturalis, aut eius corpus, vel notabiles reliquiæ inibi requieſcunt: poſſe Epiſcopum obligare Clericos ſuæ diœceſis, 298 *Quidcertum ſuppono*

vt de illo officium persoluant. Quia hæc constitutio aduersa non est Pontificiis constitutionibus, sed potius conformis: conformatur enim constitutioni Gregorianæ concedenti, vt de huiusmodi Diuis possit officium recitari. Itaque quæstio procedit de sancto, qui nec est Patronus diœcesis, neque in ea natus neque illius corpus aut notabiles reliquiæ in ea diœcesi venerantur. An, inquam, de hoc possit Episcopus statuere, vt Clerici suæ diœcesis officium recitent?

299 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia eiusmodi statutum esset aduersũ Gregorianæ constitutioni. *'De aliis vero sanctis* (ait Pontifex) *etiamsi sint naturales, vel Patroni alterius diœcesis, etiamsi illorum corpora, vel notabiles reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius diœcesis requiescant: non celebretur officium proprium, sed seruetur ordo Breuiarij Romani.* At Episcopus derogare non potest suæ constitutione constitutionem Pontificiam ex *c. Maiores, de Baptismo. & c. inferior, de maior. & obedient.* Ergò. Sic Doctores communiter.

300 *Potest quidẽ.* Potest quidem. Quia solum obstat lex illa generalis lata à Pontifice recitandi illo die de alio sancto, vel de Feria, sed Episcopi potestatem habent dispensandi in legibus Pontificiis, præcipuè cum vrget causa, & non patet aditus ad Pontificem: Ergò poterit hac in generali lege dispensare. Sic bonæ notæ Neoterici, antiquorum authoritate, & experimento fulti.

301 *Auctoris placitum.* Ego quidem sic quæstioni satisfacio. Sic de decreto generali loquamur, de quo planè prima sententia loquitur, certum mihi, haud posse Episcopum id expedire, propter Gregorij constitutionem. At si de decreto aliquo particulari sermo procedat, existimo posse Episcopum, vna vel alia vice statuere, vt de aliquo sancto à sede Apostolica canonizato recitetur, si vrgens aliqua causa occurrat, quæ Pontificem consuli non permittat. Et quidem priuilegia, & facultates, quæ à sede Apostolica expostulari assolent, sunt pro recitatione perpetua. Ergo signum est pro temporali ab Episcopo fieri posse.

PROBL. XXVI.

Satisfacit, & non satisfacit præcepto recitandi, qui die, quo recitandum est de Feria, recitat de Diuo: & è contrà.

302 *Satisfacit omninò.* SAtisfacit omninò. Quia præceptum impletur quoad substantiam, etiam si in modo deficiatur, substantia enim præcepti est, vt quis recitet iuxtà formam Breuiarij Romani, & non alterius. Modus autem accidentalis est, vt hoc die de sancto recitet, & altero de Feria. Sic Caiet. *v. Horæ*, §. 3. Syluester *eodem verbo, q.* 12. Sa *ibid. numer.* 6. Probabile reputant Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 2. *pun.* 10. §. 3. Lessi. *l.* 2. *c.* 37. *n.* 77. Valq. *de Benef. c.* 4. §. 1. *dub.* 2. Vaga *p.* 1. *c.* 118. *c.* 17.

303 *Minimè satisfacit.* Non satisfacit præcepto, qui omittens feriale officium de sancto recitat, vel loco officij de sancto, recitat de Feria. Quia præceptum non solũ de std recitando in genere secundum formam præscriptam à Pio v. sed de recitando tali die de sancto, & tali die de Feria: hoc namque in forma præscripta continetur. Aliàs non solum non esset peccatum mortale illius omissio, sed nec veniale: quia non potest esse peccatum veniale, vbi non est materiæ præceptæ violatio. Quod si fateare (vt fatendum est) mareriam præcepti esse hanc particularem recitationem, & illam omittens, recites aliam, quæ præcepta non est, non videris præcepto satisfacere. Ità Suar. *to.* 2. *de Relig. l.* 4. *cap.* 11. *num.* 6. *& cap.* 23. *numer.* 12. *&* 14. Filliuc. *tr.* 23. *c.* 8. *numer.* 186. Aegin. *l.* 18. *num.* 177. Bonac. *dict.* 1. *de hor. can. q.* 3. *pun.* 2. *num.* 17. Palaus *to.* 2. *d.* 2. *pun.* 2. *n.* 18. Garcia *p.* 4 *cap c. n.* 150. Bellarm. *to. contro. 3. cap.* 18. &alij apud ipsos.

304 *His hæreo Doctoribus.* His hærendum dixi. Quia si verum esset, nos tantùm esse obligatos recitare secundum quamlibet Breuiarij Romani formulam, & non secundum formulam quolibet die occurrentem, satisfaceremus præcepto recitandi si officium de Resurrectione quolibet die Quadragesimæ & Dominicæ per annum diceremus. Consequens autem durum videtur, cum totum illud officium matutinis precibus dici non æquiualeat. Abnego itaque præceptum secundum substantiam esse tantum recitationem iuxta hanc, vel illam formam. Quia quolibet die est distinctum præceptum iuxta ritus recitandi distinctionem. Attamen licet hanc sententiam veriorem existimem, concedo lubens contrariam satis probabiliter posse sustineri, à virisque doctis, ac timoratis executioni mandari.

PROBL. XXVII.

Interrumpere officium absque causa extra chorum, est & non est mortale.

305 *Mortale est.* MOrtale est, nisi fiat animo repetendi: Quià recitationes illæ non sunt continuæ sed discretæ, & in vnum cohærere non videntur. sic Nauar. *sum. cap.* 16. *nnmer.* 75. Medina *de ora. q.* 6. Angl. *de ora. q.* 5. *dific.* 5. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *cap.* 8. *q.* 5.

306 *Mortale non est.* Non est mortale. Quia interruptio non impedit, quominus quis recitet omnia cuilibet horæ pertinentia: Ergò neque impedit, quominus præcepto recitandi illam horam satisfaciat. Ità Lessi. *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 10. *numer.* 57. Bonac. *dict.* 1. *de hor. can. q.* 3. *pun.* 2. §. 1. *num.* 27. Palaus *to.* 2. *d.* 2. *pun.* 3. *n.* 3. &alij communiter.

307 *Hoc longè verius est reor.* Hoc longè verius esse reor. Neque obstare crediderim, recitationes illas non esse continuas, sed discretas; nam ex discretis recitationibus vna integra hora potest componi. Imò existimo si aliqua causa iusta subsit intercidendi Psalmos à lectionibus, vel vnum ab alio Psalmo, à peccato intercidentem excusari omninò. Quia quilibet Psalmus, imo quilibet versus suam perfectam significationem ab alio distinctam gerit.

PROBL.

PROBL. XXVIII.

Mortale est, & non est mortale, Missam dicere, priusquam Matutinum recitetur.

309 *Est mortale.* MOrtale est. Quia est præceptum à Pio V. latum in principio Missalis, vbi in virtute sanctæ obedientiæ præcipit Missam dicere iuxta ritum Missalis absque additione, vel diminutione, aliàve mutatione alicuius cæremoniæ ibi præscriptæ: sed vna ex cæremoniis inibi præscriptis est, Missam dicere, Matutino cum Laudibus absoluto: Ergo est obligatio grauis id gerendi. Addo, inter defectus in Missa contingentes computari Matutinarum precum computari omissionem. *c.* 10. *de defect. in Ministro.* Sic Nauar. & alij, quos in materia *de sacrif. Missæ tom.* 3. expressi.

310 *Mortale non est.* Mortale non est. Quia nullum de hac re extat præceptum. Nam Pius V. præceptum tulit seruandi ritum circa Missæ celebrationem, nec nouum inducendi. At sub hoc generali præcepto non comprehendit Matutini recitationem: quia Matutini recitatio non est ritus aliquis Missæ, sed ad Missam præsupponitur. Neque illa præsuppositio est sub præcepto. Alias vacare orationi aliquantulum, sub præcepto esset, cum in illis rubricis caueatur. Ita Suar. *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 2. *num.* 81. Valent. *to.* 3. *d.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. §. 4. Vasq. *de Benef. c.* 4. §. 1. *a.* 1. *dub.* 3. *n.* 65. Bonac. *pluribus relatis, d.* 1. *de hor. can. q.* 3. *punct.* 4. *num.* 11. & alij.

311 *Hanc sententiam admodum verosimilem esse puto.* Hoc mihi longè verius. Quia aliqua in rubricis non vt præcepta, sed vt consilia (quale hoc esse existimo) præscribuntur. Neque obstat, inter defectus in Missa contingentes computari omissionem Matutinarum precum. Quia solùm est defectus leuis, vel procedit ex antiquorum Canonistarum placito. Neque item obstat, dari aliquando priuilegium dicendi Missam non recitato Matutino. Quia hoc dari potest, tum ad tollendos scrupulos, tum vt peccatum veniale vitetur. Quod sine dubio sæpè contingit, quando absque rationabili causa Missa dicitur, non præmissa Matutini recitatione; quia ita est consuetudo recepta, & quia Matutinum hora consueta, & ab Ecclesia præscripta haud fuit recitatum.

PROBL. XXIX.

Obligatus horas Canonicas recitare tum ratione Ordinis, tum ratione Beneficij, tum Religiosi Ordinis causa: perpetrat omittens, & non perpetrat tria peccata.

312 *Tria peccata perpetrat.* TRia peccata perpetrat. Quia beneficiatus omittens horas peccat contra debitum sui officij, ratione cuius tenetur horas canonicas recitare: sed quoties quis debitum sui muneris omittit peccat contra iustitiam: Ergo beneficiatus Clericus, qui ex sacro Ordine ad idem obligatur omittens horas, dupliciter delinquit contra Religionem saltem, & contra iustitiam. De Religioso autem choro deputato idem potest geri argumentum. Sic Sanch. *lib.* 9. *de matr. d.* 15. *num.* 6. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 5. *punct.* 1. *num.* 4. aliis relatis.

313 *Nõ perpetrat tria peccata.* Non perpetrat triplex peccatum, sed vnũ. Quia Clericus, beneficiatus, Religiosus ad horas recitandas solùm tenetur ex vi præcepti Ecclesiastici: Ergo cum vnicum præceptum sit, vnicum peccatum committitur. Ita Henriq. alios referens *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 5. *n.* 6. Garcia *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 14. & 124. Palaus *tom.* 2. *d.* 2. *punct.* 5. *num.* 1.

314 *Hoc teneo, & confirmo.* Hoc teneo, & confirmo. Quia ordo Clericalis, Beneficium, & Religio non obligant ex se ad harum horarum recitationem, sed ad summum obligant Clericos, beneficiatos, & Religiosos speciales pro populo preces fundere. Ergo in omissione horarum non perpetrant iniustitiam. Neque obstat, Beneficium propter officium dari, id est, sub onere, & obligatione officij; quia non datur sub obligatione iustitiæ, sed Religionis; quæ obligatio non ex Beneficio, sed ex præcepto ratione Beneficij imposito ortum habuit.

PROBL. XXX.

Subdiaconi, & Diaconi tenentur, & non tenentur horas recitare, sola ex antiqua consuetudine, quæ vim præcepti habet

315 *Non tenetur ex sola antiqua consuetudine.* NOn tenentur recitare ex sola antiqua consuetudine. Quia Clerici in sacris constituti iure diuino tenentur ad aliquid quotidie Deo precandum. Sic Panorm. *ac cap.* 1. *de celebrat. Missar.* Angl. *Horæ, q.* 6. Turrecr. *ad cap. Eleutherius, dist.* 92. Et quia ad diuinum Officium recitandum tenentur iure Canonico, & Ecclesiastico habito. *cap.* 1. *de celebrat. Missar.* Sic communiter Canonistæ, & alij apud Bonacinam, quos sequi ipse videtur *dist.* 1. *de hor. can. q.* 2. *punct.* 3. *num.* 1. Machad. *lib.* 4. *part.* 1. *tr.* 7. *docum.* 14. *num.* 1.

316 *Ex sola consuetudine tenentur.* Ex sola antiqua consuetudine recitare tenentur, præcepti vim obtinente. Quia est textus expressus duobus in locis repetitus, *cap.* 1. *de celebrat. Missar. & cap. Presbyter* 91. Qui quidem textus de solis Sacerdotibus loquitur, quos obligat ad recitandum, nulla de Diaconis, aut Subdiaconis facta mentione. Ergò hi sola consuetudine tenentur recitare. Ita Nauar. *de hor. can. cap.* 7. *num.* 2. Caiet. *v. Horæ.* Hugolin. *de offic. Episc. part.* 1. *cap.* 12. §. 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. Marchin. *tract.* 2. *part.* 6. *c.* 12. *diffic.* 1. Trullench *lib.* 1. *in Decal. c.* 7. *dub.* 12. §. 2. *num.* 1. & alij apud ipsos.

317 *Idem affirmo.* Profectò quia textus de solis Sacerdotibus loquitur, ideo probabilius existimo Subdiaconos, & Diaconos non tam iure humano scripto, quam lege naturali diuina determinata per vniuersalem consuetudinem, quæ vim habet præcepti ad horas recitandas obligari cœpisse.

* *
*

PROBL. XXXI.

Subdiaconus suæ ordinationis die tenetur, & non tenetur totum diuinum Officium recitare.

318 *Tenetur quidem.* TOtum diuinum Officium recitare tenetur: Quia obligatio recitandi totum officium Clericis in sacris constitutis præscribitur: sed prima illa die verè Subdiaconus est constitutus in sacris: Ergò tenetur totum officium recitare. Sic aliqui antiqui, quos Machado *to.1.l.4. l.4.p.1.tr.7.docum.14.n.2.* asserit citari ab Azorio *p.1.l.10. c.13. q.17.* Ast ego Azorium citatum perlegens, nullum inibi Auctorem afferre comperi. Attamen credo, doctum Machado alibi apud Azorium, vel apud alium, bonæ notæ Doctorem id inuenisse, & solùm in nomine, aut in cita aberrasse,

319 *Non tenetur.* Non tenetur totum officium recitare. Quia ab illa hora, qua initiatur sacris, quæ vndecima assolet esse, incipit obligatio. Ita Homobon. *in consult.casu.consil.vol.2.part.5.responsi.240.* Diana *part.4.tract.4. resol.238.* Palaus *tom.2. d.2. punct.4.num.3.* citans Suarium, & Bonacinam. Machad. *vibis.* Azor. Manchin. & alij penes ipsum Narbo. *tom.2.hora.11. n.10.* Leand. *tr.6. de ordi.d.15.q.9.*

320 *Nec mihi certum.* Si quis Subdiaconatum accepit, vel professionem emisit hora vndecima antè meridiem, non tenetur Matutinum, Laudésque illius diei recitare, nec Primam, ac Tertiam: sed Sextam, & reliquas horas. Quia licet illa die incipit in sacris constitui, seu Religiosus professus esse: sed non die tota Clericus in sacris, vel professus extitit; vnde ex illo diei onere Clerico in sacris constituto, vel Regulari professo præscripto, humeris solum addicenda est pars oneris diarij, quæ reliquis diei horis respondere videbitur. Et hæc est omnium planè Doctorum certa resolutio. Attamen Problem. proximo quid circa hoc caput opiner, vberius exponam.

PROBL. XXXII.

Subdiaconus die, qua in sacris constituitur tenetur, & non tenetur vllas illius diei horas recitare.

321 *Tenetur aliquas illius diei horas recitare.* TEnetur ab ea hora, quæ in choro ea temporis instantia assolet cani, officium recitare, nempè à Sexta, vel à Nona, vel à Vespertinis precibus, si circa Vesperam ordinatus fuit. Quia ab hora sacri Ordinis accepti, incipit recitandi obligatio. Sic Marchin. *tract.2.p.6. cap.2.diffic.1.num.11.* Azor. *part.1. lib.10.c.13. q.17.* Suar. *tom.2. de Relig.lib.4. cap.17. num.8.* Trull. *lib. 1. in Decal.cap.7.dub.13.* Filliucius apud ipsum Bonac. *d. 1. de hor. can.* Sanch. *in consil.part.2.lib.7.cap.2.dub.7.* Portò Oliuerius *de hor.can.lib.2.cap.39.num.21.* docet, in tali casu Subdiaconum satisfacere incipiendo à Vesperis illius diei, licet hora vndecima ordinatus fuerit. Quia Ecclesiæ mens non censetur, velle tyronem ad paruas aliquas horas diei currentis adstringere.

222 *Nullus illius diei tenetur recitare horas.* Non tenetur ab ea hora, quæ in choro ea temporis instantia, qua ordinatur, canitur, neque à Vesperis recitare: & vt differtius dicam, nullam ordinationis die tenetur diuini Officij horam explere. Quia probabile est, eum, qui quauis ex causa non potest maiorem officij partem, in qua saluatur officij Ecclesiastici forma, recitare, non teneri recitare minorem: v.gr. qui non potest recitare horas ante meridianas, non tenetur recitare Vesperas, nec Completorium. Quia omnes horæ vnicum diuinum Officium reputantur, in quo Ecclesia recolit, quæ Christo Domino sua in Passione acciderunt. At cum huiusmodi repræsentatio saltem in minori parte non saluetur, ad eam non tenebitur. Sic Torre *contr.7.de hor.can.* Sed sic est, quod iuxta communem opinionem qui sacris initiatur, non tenetur ea die Matutinum, nec Primam, nec Tertiam, nec Sextam, imò (secundum aliquos) Nonam tecitare, quæ quidem est maior pars officij. Ergò probabile erit, nec ad recitandam minorem partem, Vesperas scilicet, & Completorium ea die teneri. Ita Trull. *lib. 1. Decal.cap.2.dub.6.num.1.* Leand. *tract.6.n.13. quæst.10.* Nec reprobat Diana *part.10. tract.11. resol.16.*

325 *Primam sententiam amplectar, seruando tamen vbique eam vere probabilitate existimans vberius confirmo.* Ego quidem existimo, primam sententiam omnino esse amplectendam. Quia Subdiaconatus ad Officium diuinum ratione Ordinis ad recitandum diuinum Officium obligatur: Ergo à sacro Ordine susceptо, statim tenetur recitare. Nec crediderim Oliuerio. Quia Ecclesiæ pietas non minus prona videtur esse debere ad Vesperas & Completorium, quam ad Nonam, vel ad Sextam cuius instantia fuit ille ordinatus: Ergo si cogit Vesperas & Completorium eius diei recitare, cur non Sextam, & Nonam? Nihilominus tamen, quia video quamplures Subdiaconos ordinationis die iniquè sese ab onere recitandi excutere. Operæpretium duco secundæ sententiæ probabilitatem tueri, vt plurima valeam eorum piacula excusare. Certè qui annum vigesimum primum implet manè hora nona alicuius vigiliæ, non tenetur, etiamsi possit, illius diei ieiunium implere solùm ratione, quia præceptum ieiunij totam respicit diem, vt indiuiduum obiectum? vndè qui exemptus est à ieiunij obligatione per aliquam diei partem, totaliter à totius diei obligatione liberatur. Ergo similiter in nostro casu. Quia omnes horæ canonicæ sunt vnica oratio, & habent vnicam rationem obiecti totalis: Ergo qui liber est à maiori parte horarum, liber erit ab omnibus. Consequentia patet. Antecedens probo. Quia præceptum ieiunij respicit totum diem integrum, vt indiuiduum obiectum: non enim præcipitur dimidio die, aut quarta parte diei ieiunare, sed die toto. Ergo qui exemptus à ieiunio fuerit per aliquam diei partem, totaliter illo die liberabitur: cum præceptum huiusmodi, vel totum diem, vel nullam partem illius debeat comprehendere.

* *
*

PROBL.

PROBL. XXXIII.

Si quis, Subdiaconatu suscepto, nequeat ob carentiam Breuiarij, aut alias ob causas recitare officium: tenetur, & non tenetur alias preces æquiualentes persoluere.

325 Non nihil supponó. SVppono peccare mortaliter eum, qui ad sacros promouetur Ordines, antequam Breuiarium habeat, ediscatque diuinum officium recitare: nisi bona fide putet, se statim post Ordinem, aut Beneficium susceptum habiturum Breuiarium pretio emptum, vel commodato, aut dono acceptum, vt docet Azor. *l.* 10. *cap.* 13. *quæst.* 18. Suar. *l.* 4. *de hor. canon. cap.* 28. *num.* 6. Quæsierim vero, num qui inculpabili Breuiarij defectu, vel alias ob causas nequeat, recitare officium, teneatur alias æquiualentes preces persoluere?

326 Tenetur recitare preces æquiualentes. Tenetur quidem. Quia cum Ecclesiæ consuetudoid onus Clericis imposuerit ad spirituale exercitamentum, & ad otiosi tatis vtile[?] medicamen: qui nescit recitare, aut non potest, alia exercitamenta spiritualia tenetur substituere. Sic Angel. *v. Horæ, num.* 9. Sylvest. *inibi, quæst.* 4. *dicto* 5. profatus. Qui sine culpa non habet librum, & similiter carens visu, aut huiusmodi, excusentur, si horas, non dicunt: modo suppleant per Psalmos, vel Parer noster, & huiusmodi. Et Sa *v. Horæ num.* 3. *Qui nescit* (inquit) *recitare officium, dicat saltem Rosarium, seu Coronam, vt vulgo appellant.*

327 Minimè tenetur. Minimè tenetur. Quia non est præcepta aliarum precum: sed diuini officij recitatio. Ita Reginal. *l.* 18. *cap.* 13. *num.* 184. citans Suarium, Nauarrum, & Sylvestrum, sed hunc male, cum contrariæ sententiæ sit assertor. Machado *to.* 1. *l.* 2. *part.* 3. *tract.* 3 *docum.* 1. *num.* 6. afferens Filliucium, Garcia Malderum.

328 Idem existimo asserendũ. Qui ob aliquod iustum impedimentum horas Canonicas recitare non potest, non tenetur, aliquid aliud quod possit, verbi gratiâ officium Deiparæ, vel Rosarium dicere. Quia nullum ius proferri potest obligans eum, qui per se nequit horas Canonicas recitare, vt recitet per alium, vel in compensationem eleemosynam elargiatur, vel quid aliud simile gerat. An qui die præcepti ieiunare non valet, tenetur in compensationem ieiunij, aliud pium opus exerere? Minimè quidem. Ergo nec præceptum recitationis Canonicæ aliis precibus compensare.

PROBL. XXXIV.

Peccant, & non peccant lethaliter Clerici in Sacris constituti, qui diuinum officium cum voluntaria mentis euagatione recitant.

329 Non peccant lethaliter. MInimè peccant lethaliter. Quia Ecclesia nequit actus internos imperare cum nec possit illos cognoscere, nec iudicare ergo attentio non potest cadere sub Ecclesiæ præcepto: ergo quamuis voluntariè desit mortale non erit. Sic Durand. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 12. *num.* 6. Palud. *ibi, q.* 5. *a.* D, Antonin, 3. *p. tit.* 13. *cap.* 4. §. 8. Sylvest. *v. Horæ, q.* 11. Medina *c. de orat. q.* 25. Coninch. *de Sacram. q.* 84. *a.* 6. *numer.* 182. Valerus *v. Horæ dif.* 1. Diana *p.* 2. *tr.* 12. *resol.* 2. multos sciscitans.

330 Lethaliter peccant. Lethaliter delinquunt. Quia ad satisfaciendum præceptum recitandi horas canonicas necessariò nequiritur interior aliqua attentio, vel ad Deum, vel ad sensum verborum, vel ad sola verba: Ergo, hac deficiente, qui recitat, lethaliter delinquit: neque enim verè orat, sed psittaci in morem verba profert. Antecedens probo ex *Clement.* 1. *de celebrat Missar.* Vbi Clement v. strictè præcipit, vt officium diuinum studiosè pariter, & deuotè recitetur: at deuotio internam includit attentionem. Ita Nauar. *do orat. c.* 13. *n.* 28. *& in sum. c.* 25. *n.* 133. Sotus *l.* 10. *iust. q.* 1. *a.* 5. Suar *to.* 2. *de Relig. l.* 3. *c.* 4. *& l.* 4. *c.* 16. *n.* 22. Vasq. 1. 2, *to.* 2. *d.* 160. *n.* 30. *&* 31. Diana *citatus* asserens hanc sententiam esse probabiliorem. Sa *v. Horæ Canonicæ, n.* 19. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 3. *pun.* 2. *numer.* 4. Sanch. *to.* 2. *Consil. l.* 7. *c.* 2 *dub.* 30. *n.* 1. *& dub.* 18. *n.* 7. *&* 9. Marchin *tr.* 3. *p.* 6. *c.* 12. *dif. fic.* 2. *num.* 3. Leand. *tr.* 6. *d.* 13. *q.* 13. Trull. *l.* 1. *in decal. c.* 7. *dub.* 17.

331 Primam sententiam non improbo, secundam amplectior. Satis probabilem primam reor esse sententiam, sed secundam longè probabiliorem. Quia recitatio diuini officij debet esse actus humanus: Ergo cum mentis aduertentia, necessaria quidem ad Ecclesiæ præceptum implendum. Quia licet directè, & immediatè non possit actus internos imperare: potest tamen indirectè & concomitanter præcipiendo debitam, & humanam diuini efficij externam recitationem.

PROBL. XXXV.

Recitans priuatim officium, debet, & non debet, ità illud exprimere, vt se ipsum exaudiat.

332 Debet necessariò audire. DEbet quidem. Quia recitans ita voce submissa, vt a se audiri non possit, potius dicetur mente, quam voce exorare: at Ecclesia vocalem præscribit Clericis orationem. sic Medina *Cod. de orat. quæst.* 7. Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 7. *n.* 6. Reginal. Diana *p.* 10. *tr.* 12. *resol.* 3 1. & alij apud ipsos.

333 Necessariò non debet. Non debet necessariò sic pronunciare officium, vt se ipsum audiat. Quia verè dicitur ore, & voce preces fundere, siue ab alio, vel à se audiri possit, aut non possit: iure enim solummodò cogitur voce, & ore, & non tantum mente precari. Ità Axor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 11. *q.* 4. Nauar. *de orat. c.* 20. *n.* 14. Leand. *p.* 2. *tr.* 12. *resol.* 11. Filliuc. *tr.* 13. *n.* 117. Trull. *l.* 1. *in Decal. c.* 7. *dub.* 11. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 3. *pun.* 2. §. 1. *numer.* 4. Molfesi. Tolet. & alij apud Leandrum.

334 Licet sententiam scrupulosorum, gratis non sustineo. Licet primam sententiam longè veriorem esse existimem, scrupulosorum gratia secundam asserо in praxi sustinendam. Quia cum recitans officium solus, id getat ad se excitaudum, & mente ac corpore Deo seruiendum, sufficit, efformare verba eaque audire, & intelligere

saltem quoad forum interius, licet quoad exterius non possit probare, se illa dixisse. Certè sic orantes, vocaliter orare existimo, vt comprobat ferè communis fidelium vsus: nullo enim præcepto aut iure probatur contrària assertio. Nã præceptũ non ad audiendum, sed ad dicendum obligat: & alio ex capite oratio ore, ac voce fieri potest, etiamsi ab ipso recitante non audiatur. Alias enim surdastri tenerentur altissima à se audienda voce recitare, aut dici orationem vocalem non gessisse,

PROBL. XXXVI.

Officium sola mente recitans, satisfacit. & non satisfacit obligationi.

335 *Satisfacit quidem.* SAtisfacit quidem. Quia perfectior est oratio mentalis, quæ maiorem connotat animi attentionem, sic quidam Doctores, quos presso nomine refert Sa *v. Horæ Canonicæ, n.* 11. fatus: *Qui solus mentaliter officium dicit ob maiorem deuotionem, quidam excusant.* Nauar. *ad c. quando, & in sum. c.* 19. *n.* 87. asserens esse probabile, satisfacere præcepto recitandi, qui sola mente recitare ea, quæ secretò in Breuiarij regulis recitari iubentur.

336 *Non satisfacit.* Minimè satisfacit. Quia cum Clerici ex solo Ecclesiæ præcepto horas dicere teneantur, & Ecclesia non imperet nudos actus internos, de quibus iudicare non potest, vtrum fiant, nec ne: sed actus externos, quos potest in iudicium vocare: fit, vt exterrno actu officium persoluere teneantur. Ita Medina *C. de orat. q.* 7. Arag 2.2.*q* 83. *a.*12. Sanch. *te.* 2. *Consil. l.*7.*c.*2.*dub.*8. Lublin. *v. Horæ Canonicæ n.*4. Bonac. *de hor. can. d.*1.*q.*4. *pun.*1.*n.*1. Sa *citat.* Nauar. *de orat. c.*17.*n.*37. *n.*37. Reginal. *l.*18.*n.*174. & alij communiter.

337 *Primam sententiam tutam non esse reor.* Mihi equidem tutum non videtur, sola mente horas Canonicas recitare ob rationem præfatam. Cui addiderim, in Concilio Basilensi *sess.*21. præscriptum fuisse vt horæ Canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec syncopatè dicantur; sed integra voce pronuntientur: quod quidem decretum mentali recitationi omninò aduersatur. Licet autem mẽtalis oratio ob agnatam animi attentionem perfectior sit vocali: non ea ab Ecclesia Clericis iniungitur, sed vocalis imperatur.

PROBL. XXXVII.

Regulares ex speciali priuilegio possunt, & non possunt priuatim totum diuinum officium mentaliter exprimere.

338 *Minimè possunt.* MInimè possunt. Quia priuilegium de mentali recitatione Regularibus à Leone X. concessum *anno* 1516. *indict.* 4. *die* 19. *Aprilis, anno* 4. *Pontificatus eius.* fuit oraculũ factum eminentissimo Cardinali Laurentio tit. Quatuor coronatorum. At hoc priuilegium non valet post oraculorum reuocationem factam tàm à Gregorio XV. quã ab Vrbã VIII. *anno* 1631. *die* 20. *Decembr. qua quidem reuocantur* omnia, ac singula priuilegia facultates, licentiæ, & gratiæ quæcumque viuæ vocis oraculo concessæ. Sic Cyprian. Capucinus *l.*1. *in cap.*3. *Regulæ*, Lezana *tom.*1.*cap.*12.*n.*13. Diana *part.*10.*tract.*11.*resol.*1. & quidam alius doctus Pœnitentiarius S. Ioan. Lateranens. quem refert Tho. Hurtado *citandus.*

339 *Possunt planè.* Possunt planè. Quia hoc priuilegium licet viuæ vocis oraculo de facto fuit concessum Fratribus Minoribus à Leone X. vt asserunt Manu. *tom.*1.*qq. Regul. quæst.*32. Miranda *sum. quæst.*39.*art.*17 Villalob. *sum. tom.* 1. *tract.* 24. *diffic.* 10. *num.* 11. Sed hoc priuilegium non est reuocatum à Gregorio, aut ab Vrbano: Ergo possunt Regulares eo vti, & mentaliter recitando diuini officij oneri satisfacere. Minorem probo: Quia vt Lezana ipse concedit *tom.*1.*cap.*3.*mm.*22 huiusmodi viuæ vocis oraculum est declaratio iuris communis *c. Dolentes de celebr. Missar.* At viuæ vocis oracula declaratiua iuris communis, aut alicuius Bullæ, non sunt derogata: ergo. Ita Manu. Miranda, & Villalob *citati.* Sanctorus à Melsi. *in comment. Minor. statuto* 2.*dub.*3. Tho. Hurtado *tom.* 1.*tract.*3.*cap.*1. *resol.*9. Leand. *tract.dict.*1.*q.* 19. Ioan. de la Cruz *l.* 2. *de statu Relig. cap.*8. *num.* 2.

340 *Probabile hoc esse iudicant, illud mihi ego.* Scio, meum amicissimum Antonium Diana non audere, huius sententiæ adstruere probabilitatem. Ast ego eruditissimi viri venia, crediderim sine ausus periculo posse sustineri opinionem tot virorum grauium fultam authoritate. Mihi tamen primam veram, communem nulli obnoxiam trepidationi lubens eligo iudicans, nunquam timorati Religiosi in mentem subiisse hoc priuilegio vti, pensi vt hodierni obligationi satisfaceret.

PROBL. XXXVIII.

Longissima diuini officij interruptio absque causa gesta, est, & non est lethalis.

341 *Lethalis est.* LEthalis est. Quia adeò diuinum discontinuat officium, vt vnicum dici nequeat, cum diuersum actum faciat interpositio, *argum. l. Continuus, in princip. ff. de verborum oblig.* Sic Angl *de orat. quæst.*5. *diffic.*5. Marchin. *tract.* 2. *part.*6. *cap.*1. *diffic.*4. Ioan. de la Cruz *sum. p.* 1. *prac.*3. *art.*3. *dub.*4. *concl.* Comitol. *l.*1. *respons. quæst.*66. *num.*1. Raguci. *de offic. canon. in choro, quæst.*14. *num.*4. Molfes. *tom.*1. *tract.*5. *cap.*2. *numer.*38. Reginal. *l.*18. *num.*162. Suar. *tom.*2. *de Relig. l.*4, *cap.*24. *num.*10. Vasq. *opusc. de Benefic. cap.*4. §. 1. *dub.*6. *num.*109. Azor. *part.*1. *l.*10. *cap.* 8 *quæst.*5.

342 *Lethalis non est.* Non est lethalis. Quia continuatio non est de essentia seu substantia singularum precum. Nam de illo qui cum maxima etiam interruptione persoluit officium verificatur, intra eandem diem id recitasse, opusque ab Ecclesia præscriptum gessisse. Ergò plenè satisfecit. Ita Aragon. 2.2. *quæst.*83. *art.*12. Less. *l.*2. *cap.*37. *dub.*10. *num.*57. Filliuc. *tract.*23. *cap.*9. *quæst.*7. *num,*202. Bonaci. Naldum citans *dict.* 1. *de hor. canon. quæst.*3. *punct.*2. §. 1. *num.*28. Fernand. *par.* 3. *cap.*13. §. 7. *num.*5. Vega *tom.*1. *cap.*128. *casu* 1.

Villalob

Villalob. *tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 11. *num.* 4. *concl.* 3. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 4. Trull. *l.* 1. *Decal. cap.* 7. *dub.* 15. *num.* 11.

343 *Huic hæreo sententiæ.* Hanc sententiam communiorem planè, probabiliorem esse iudico. Quia totum debitum proculdubio soluitur, licet traditio crebriùs interfecetur. Voluntariam autem huiusmodi, (hoc est sine causa) interruptionem à veniali piaculo incurrendo non libero, propter irreuerentiam.

PROBL. XXXIX.

Veniale est, & non est veniale dicere Matutinum vespere, & laudes sequentis diei auroràs & si honesta causa non adsit

344 *Venialis culpa est.* SI non adest honesta causa, venialis culpa est. Quia Matutinum, & laudes tanquam vnius horæ officium habentur. Sic Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 8. *quæst.* 4.

345 *Non est venialis culpa.* Licet honesta causa non adsit, nullum peccatum est laudes sic à Matutinis nocturnis separare. Quia ita vsus tulit antiquus, vt colligitur ex *cap.* 1. *de celebr. Missar.* Ita Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *cap.* 9. *num.* 9. *&* *cap.* 24. *num.* 9. Bonac. *dict.* 1. *de hor. canon. quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 11. citans Bellarminum, Toletum, Graffium, Reginaldum, & alios inter quos est Azorius. Qui quidem licet primæ sententiæ sit assertor videtur tamen non parum in secundam inclinare.

346 *Hoc longè probabilius.* Quam probabiliorem longè iudico. Quia non solùm olim diuidi solebant Matutinæ laudes à nocturnis, vt Francoli. testatur *tract. de hor. canon. cap.* 1. *num.* 13. *&* *cap.* 5. *num.* 9. ex Durando, & Vualdensi, quos citat. Sed & nunc Ecclesia diuidit in nocte Natalis Dominici, quia Missæ Sacrificium interponit: & in quibusdam Religiosorum domiciliis media nocte Psalmi nocturni concinuntur: & deinde sub auroram Matutinę laudes celebrantur. In hoc enim consuetudo iuri potest derogari. Qui igitur huic publicæ recitationi morem gesserit dum priuatim officium dicit, nullius piaculi iudico fore reum.

PROBL. XL.

Recitandi Officium Canonicum obligatio incipit, & non incipit à media nocte antecedentis diei, & vsque ad mediam noctem diei subsequentis producitur.

347 *Non incipit à media nocte, sed à vespere.* NOn incipit à media nocte diei antecedentis media diei subsequentis nocte terminanda: sed à vespere diei huius (verbi gratiâ) vsque ad mediam diei crastini noctem. Quia sic decreuit Alexander III. *cap.* 2. *de feriis.* Pro quo est etiam Concilium *in cap.* 1. *de feriis.* vbi Glossa à Felino commendata *in cap. consuluit de offic. delegat.* Sic Nauar. *de orat. cap.* 3. *num.* 60. his verbis. Rectè dictum à S. Thoma *quodlib.* 5. *art.* 8. quod quantum ad horarum recitationem vnusquisque dies incipiat à sua vespera; pro quo est Concilium in *cap.* 1. *de feriis,* & decretum Alexandri III. Sequitur tertio, verum esse dictum Caietani, diem quoad horas recitandas durare vsque ad mediam noctem: & incipere à vesperis: quæ insignis est præfatorum textuum declaratio. Sic ille. Molfes. *in sum. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 59. Faber *dist.* 24. *quæst.* 1. *dict.* 1. *num.* 148. Et Trullench *citandus,* ait esse probabile.

Obligatio recitandi officiū diuinū nō incipit à vespera huius diei media nocte alterius terminanda: sed à media incipit huius diei nocte vsque ad mediam diei alterius noctem duratura. Quia in communi omnium sententia Ecclesiasticum officium in mediâ nocte terminatur. Ergo media etiam nocte debet incipere subsequens officium. Deinde quia numerus horarum Canonicarum incipit à nocturnis vigiliis: sed tempus huiusmodi vigiliis à iure deputatum est media nox. Ergo à media nocte, & non à vespera incipit obligatio, media item nocte diei sequentis terminanda. Ita Azor. *l.* 10. *cap.* 9. *quæst.* 5. 6. 7. *&* 8. Sylvest. *v. Hora, quæst.* 9. *dicto* 6. Bonac. *dict.* 1. *de hor. canon. quæst.* 3. *pun.* 3. *num.* 2. Trullench *l.* 1. *Decal. cap.* 7. *dub.* 10. *numer.* 3. Gauant. *tom.* 2. *Thesau. sect.* 1. *cap.* 5. *titul.* 6. *num.* 2. Villalob. *tract.* 24. *differ.* 12. *num.* 4.

348 *Non incipit à vespera, sed à media nocte.*

Probabilius hoc mihi. Quia diuinum officium singulis diebus est recitandum ex *cap.* 1. *de celebr. Missar.* sed dies, iuxta communem Ecclesiæ vsum, incipit à media nocte antecedentis diei vsque ad mediam subsequentis.

349 *Hanc eligit sententiam.*

PROBL. XLI.

Hora secunda post meridiem terminata, dictisque vesperis, & Completorio: potest quis, & non potest statim recitare Matutinum, & Laudes diei sequentis.

NOn potest. Quia nondum diei sequentis incipit obligatio, quæ quidem (vt vidimus) vel à media nocte, vel à vespertina circa noctem inchoatur instantia. Ergo qui ea recitat Matutinum hora, recitat ante obligationis tempus, nempè pridie, quam debebat recitare. Sic Nauar *de orat. not. ab.* 3. *num.* 77. asserens, solum posse recitari Matutinum diei sequentis dimidia hora ante solis occasum, Filliuc. *tract.* 23. *num.* 275. Sa *v. Horæ, num.* 17. Gauant. *sect.* 1. *cap.* 5 *titul.* 6. *num.* 6. Suar. *l.* 4. *cap.* 27. *num.* 14. docent, posse duntaxat, hora tertia, vel quarta post meridiem, legendus D. Tho. *quodlib.* 5. *a.* 18. & Henriq. *l.* 9. *cap.* 24. *n.* 7. *lit. P.* idem asserentes.

350 *Non potest statim recitare.*

Potest profectò. Quia multis in locis hæc viget consuetudo, vt post horam secundam pomeridianam, terminatis vesperis, & Completorio, statim hora tertia nondum audita, Matutinum, & laudes recitentur. Ratio est, quia tempus illud cum sit iam vespertinum, pertinet, ad diem sequentem. Ita Trull. *l.* 1. *in Decal. cap.* 7. *dub.* 18. *num.* 8. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 4. Sanch. *tom.* 2. *consil. l.* 7. *cap.* 2. *dub.* 37. *numer.* 4. citans D. Thom. Vigueri. & Turrecrem. Didac. Narbo. *tom.* 2. *Hora* 4. *à n.* 5. *vsque ad* 12. Leand. *tract.* 6. *dict.* 13. *quæst.* 23.

351 *Statim recitare potest.*

Ego

352 *Auctoru resolutio.*

Ego autem existimo posse recitari Matutinum, & Laudes diei crastini hora secunda post meridiem, (etiamsi nondum recitatæ Vesperæ, ac Completorium fuerit, si adsit causa sufficiens, quæ si desit, præceptum implebitur, sed veniale incurretur piaculum.) Quia cum hora illa secunda sit vesperarum tempus (vt dixi) pertinet ad sequentem diem, & qui tunc recitat, censetur, sequenti die recitare. At si quis ante horam secundam Matutinum diceret, non satisfaceret præcepto; quia tempus illud antè Vesperarum instantiam ad diem præcedentem plane pertinet. Scio quemdam Magistrum, quem presso nomine, memorat Trullench, addidisse, nec mortaliter delinquere, nec obligandum esse ad recitandum iterum qui statim post horam duodecimam hodiernam Matutinum diei crastinæ saltem in Quadragesima recitaret. Quia cum eo tempore Vesperæ ante prandium dicantur, videtur iam dies sequens incepisse. Quod minime admiserim, nisi legitima consuetudine id roboraretur. Quia horam illam nullatenus ad sequentem diem reor pertinere. Secundam autem horam ad diem sequẽtem spectare, ex Thoma Sanchez, Trullench, & aliis didici. Quia iam est Vesperarum instantia.

PROBL. XLII.

Vt pridiè possit quis Matutinum, & Laudes licitè recitare, requiritur, & non requiritur aliqua honestans causa.

353 *Causa requiritur.*

CAusa requiritur Quia agnata ad Matutini, ac Laudum recitationem hora est mediæ noctis instantia: Ergo, vt ea ipsa hora non recitentur, aliqua debet causa rationabilis subesse. Sic Bonac. *dict. 1. de hor.canon. quæst. 3. pun. 3. num.* 10. Cauant. *to. 2. Thesau. sect. 1. c. 5. tit. 6. numer. 6.* Suar. Filliuc. & Marchin. à Bonacina citati: Causæ autem à Doctoribus assignantur, vt deuotius quis oret, vel studiis mane det operam, vel quia non poterit mane aliis negotiis impeditus, commodè recitare.

354 *Non requiritur causa.*

Nulla specialis causa requiritur. Quia consuetudo recepta pro causa sufficit. Ita Henriq. & Trull. quos refert, ac sequitur Leand. *tract. 6. dict. 13. quæst. 24.* Diana *part. 10. tract. 11. resol. 17. & tract. 26. resol. 46.* Caram. *in Theol. Moral. dict. 114. num. 1419.*

355 *Eiusdem sumentis.*

Profecto consuetudine ab Ecclesia approbata inductum est, posse vespere præcedentis diei Matutinum ac laudes recitari ob difficilem mediæ noctis recitationem, quod erat proprium illius tempus. Nullam itaque præter consuetudinem huiusmodi causam desiderari reor, vt quis licitè, possit Matutini ac laudum recitationem sic anteuertere.

* *
*

PROBL. XLIII.

Incipit quis hodiernum officium paulò antè mediam noctem sequentis diei recitare, & post perfectam mediam illam noctem prosequitur, & absoluit. Hic implet, & non implet recitandi præceptum.

356 *Non implet præceptum.*

NOn implet. Quia onus horas Canonicas recitandi est diei, vt omnes fatentur: Ergo die transacto, præterit onus ei affixũ. Nequit igitur illi fieri satis in die altera sequẽti, in qua iã instat noua recitandi obligatio. Sic communiter Doctores. Azor. *l. 10. cap. 9. quæst. 6.* Nauarr. *sum. cap. 25. num. 97. & de orat. cap. 3. num. 59.* D. Antonin. *part. 2. tit. 13. cap. 4. §. 4.* Syluest. *v. Horæ, quæst. 9.* Caiet, *sum. v. Horæ.* Villalob. *tract. 24. diffic. cap. 2. num. 4.* Bonac. *dict. 1. de hor. canon. q. 3. punct. 3. num. 2.*

357 *Præceptum implet.*

Implet quidem. Quia admodum est probabile, omnes septem horas Canonicas vnicam esse orationem, vnico præcepto præscribi, & omnes vnius obiecti talis præcepti rationem habere. Ergo probabile etiam erit, eum, qui eas ante mediam noctem incepit, etiam si post illam perficiat. Patet consequentia. Quia quæ res indiuidua incepta tempore apto, optime finiri potest, imò & debet si res est præcepta, tempore consequenti proximo. A simili confirmo. Etiam datur præceptum, ne quis post meridiem Missam celebret: & tamen licitè potest quis circa meridianam instantiam incipere, etiamsi præuideat, se eam non posse nisi post meridiem terminare: vt praxis, & communis Doctorum apud Henriq. *l. 9. cap. 24.* fert sententia. Ergo quamvis detur præceptum recitandi diuinum officium à media in mediam noctem, poterit quis saltem absque graui culpa vsque ad mediam noctem paulo minus differre, & absque interruptione post mediam noctem illud perficere. Ita Leand. *tract. 6. dict. 13. quæst. 25.* sequutus Basilium Legion. *tract. de hor. canon.* Fr. Francisc. à Sancto Iuliano. F. Francisc. à Conceptione Theologiæ apud Salmantinam, & Complutensem Academiam Magistros.

358 *Hanc sententiam probabilẽ esse reor, sed contrariam retineo.*

Existimo hanc sententiam satis esse probabilem. Quia licitè, quis potest, Matutinum diei crastinæ recitare post vesperas non solum ratione consuetudinis (vt fert communis sententia: sed etiam quia Matutinum tempus pro tempore diei sequentis reputatur, vt probabiliter superius tradidi. Vnde licet in rei veritate, diuerso in die recitem Matutinum censeor in eodem recitare. Ergo similiter potest asseri probabiliter, eum qui incipit officium hodiernum paulo ante mediam noctem dicere, & post mediam terminat noctem, hodie recitare censebitur. Consequentia patet. Quia sicut vespertinum tempus trahit ad se diem sequentem: ita etiam tempus illud nocturnum vndecimæ ac dimidiæ horæ (verbi gratiâ) in quis incipit recitare officium hodiernum, trahit ad se potiori iure partem aliquam diei sequentis, in quo possit adimplendo præceptum officium perficere. An non datur præceptum annuæ confessionis, & adeo annexum anno, vt si completo, quis confessionem

nem non gesserit, illud violet? Ita plane. Nihilominus tamen potest quis saltem sine lethali expectare vltimam horam, in qua annus finitur, & in illa incipere confessionem, eamque post exactam illam horam perficere, & per hoc annuæ confessionis præceptum adimplere. Ergo similiter quamvis detur præceptum recitandi officium hac in die, poterit quis absque graui piaculo vltimam horam eius expectare ad illud inchoandum, & prosequendo sine interruptione, ipsum in sequenti hora alterius diei perficere: & sic præceptum recitandi officium implere. Attamen mihi primam sententiam retineo, quam tenendam, & edocendam vnicè iudicarim.

PROBL. XLIV.

Veniale est, & veniale non est horas recitare, dum necessitati corporeæ miseriæ eas operam succurrendæ.

359 *Veniale est.* CIrca locum, vbi liceat, aut non liceat horas canonicas recitare, video ferè ab omnibus hanc agitari quæstiunculam, à qua ob vocabulorum indecentiam volui abstinere: attamen ne singularitatis scrupulosæ incuser, quæsierim, num veniale incurrat piaculum, qui dum ventri purgando dat operam recitat officium? Incurrit quidem. Quia loco decenti recitandum esse officium iure præscribitur. Sic Sotus *l. 10. de iust. q. 5. art. 4.* Lublin. *vers. Horæ, num. 30.* dubius tamen: *Orare,* (inquit,) *dum natura cedit sine culpa forsam esse non potest.* Inclinat Bonac. *dist. 1. de hor. canon. quæst. 2. punct. 5. num. 6.* quos sequuntur Martin. à Sanct. Ioseph, Hieronymus Garcias, Vulpe, & Palaus à Diana *citando* relati.

360 *Non est venia.* Minimè incurrit. Quia potest quis inibi, laudabiliter quidem, mente orare: Ergo & voce. Nec enim maior indecentia in vna quam in altera oratione reperitur. Ita Sanch. *tom. 2. consil. l. 7. cap. 1. dub. 44.* Nauar. *cap. Quando cap. 5. art. 8.* Angl. *de orat. fol. 329.* Trull. *l. 1. in Decal. cap. 7. dub. 20.* Diana *part. 10. tract. 11. resol. 11.* Meleandro, Fausto, Caramuele, & aliis citatis.

361 *Cum hic opinatur.* Quis dubitet, te posse illa succurrendi naturæ instantia, alias vocales preces exprimere ad eleuandam mentem in Deum, & ad distrahendam ab immundis cogitationibus? Cur ergò non poteris officium Canonicum recitare. Certe, teste Lublino, dum D. Bernardus illo in communi loco exoraret, diabolo cachinanti respondit: *Quod inferius exeritur, tibi cedit, quod verò superius Deo præsentatur.* Attamen licèt id sine piaculo posse geri censeam, inibi mentaliter orantes laudo, voce proferentes alias orationes commendo, at eos, qui recitandi præcepto implendo dant operam moneo, nonnullam subolere indecentiam, eo in loco, ea in actione, haud cogente necessitate, tantum opus exercere.

* *
*

PROBL. XLV.

Mortale est, & mortale non est, longius officium in breuius commutare, (verbi gratiâ) officium de Feria, aut de Sancto in per-breue de Resurrectione officium.

MOrtale non est. Quia probabile est, non incurrere lethalem culpam qui vnum officio pro alio priuatim sine causa recitat, verbi gratiâ de Conceptione immaculata, quando recitandum erat de Sabbato: vel de SS. Trinitate, dum recitandum erat de Dominica: vel de quouis alio Sancto in Breuiario Romano à sede Apostolica approbato appositò: Ergo mortale non erit, officium Resurrectionis dicere eo die, quo ritè erat de Feria recitandum. Et quia qui officium Resurrectionis dicit præcepto satisfacit diuinum officium recitandi quoad substantiam, licet quoad modum minimè: Ergo cum violatio præcepti quoad modum mortalis non sit, nullatenus erit mortale officium Resurrectionis loco officij Ferialis, seu alicuius sancti dicere. Antecedens probo. Quia probabile est, substantiam præcepti recitandi officium consistere, vt recitentur septem horæ Canonicæ iuxta Breuiarium Romanum: modum autem, vt tali in die de tali, aut tali, Diuo, vel Feria recitentur. Ergo qui recitat Resurrectionis officium, recitat officium iuxtà Breuiarij præscriptionem, qua ad substantiam præcepti, & consequenter lethali piaculi reus non erit. Adde grauis nota Doctores absolutè & sine exceptione officij dicunt mutationem officij in aliud, etiam dedita opera, non esse lethalem. Lessi. *l. 2. cap. 37. dub. 12. numer. 77. Itaque* (ait) *substantia præcepti seruatur, quodcumque officium Breuiary concessi dicatur.* Azor. *part. 1. l. 10. cap. 19. quæst. 2. Iuris est Canonici, vt septem preces horariæ recitentur: quod verò hoc officium, aut illud persoluatur, non attinet ad substantiam legis, siue præcepti.* Cajet. *vers. Horæ, §. Quoad secundum. Non est,* (inquit) *præterea reus peccati mortalis commutans qualitatem horarum. Puta soluens de sancto quas deberet soluere de Feria.* Sylvest. *vers. Horæ, quæst. 10. Si vera mutatio officij fiat in fraudem vt dicatur officium breuius, secundum Archidiaconum, non est absque graui peccato. Non tamen intelligas mortale; quia determinatum officium non est in præcepto.* Sic Caramuel. *qui dist. 109. numer. 1387.* de more ausus dicere: *Si quis semper recitet officium Resurrectionis, adimplebit præceptum quoad substantiam, & solùm quoad modum venialiter peccabit.* A cuius sententia omnes, quos legi, Doctores timoratæ conscientiæ recedunt. Vnus Leander *tract. 6. dist. 11. quæst. 28.* probabilem esse hanc sententiam affirmat profatus. In facti autem contingentia, non auderem certè sic officium absque contemptu formali, vel virtuali permutantem, lethali culpa damnare. Nec consilium præbere alicui (addidit timoratus, & doctus Pater) de tali officij permutatione, nisi forte illis, qui iustè, vel iniustè sunt valde occupati: ideóque pro ma

362 *Mortale non est.*

magnitudine officij diuini exterriti nullum recitant. Melius enim est securiusque aliquod officium, & si breue, recitare, quam nullum.

363 *Est mortale.* Est quidem mortale. Quia non tantùm præscribitur in Breuiario officij quo ad substantiam recitatio, sed etiam quo ad modum, vt constat ex Bulla Pij V. inibi apposita. Et quidem grauis res est non seruare formam recitandi à Pontifice indictam: sicut esset res grauis lethali iaculo obnoxia non seruare Ceremonias circa Missam à Pontifice traditas. Ita Vasq. *opusc. de Benefic. cap.* 5. §. 1. *dub.* 1. *num.* 60. Reginal. *l.* 8. *cap.* 6. *num.* 171. Suar. *de Relig. tom.* 2. *l.* 4. *cap.* 23. *num.* 11. Nauarr. *de orat. cap.* 19. *num.* 212. Tolet. *l.* 2. *cap.* 23. Bonac. *disp.* 1. *de hor. can. quæst.* 3. *punct.* 1. *numer.* 7. Garcia *tom.* 1. *part.* 3. *cap.* 1. *numer.* 150. Sanch. *tom.* 2. *Consil. l.* 7. *cap.* 2. *dub.* 25. *num.* 1. fatur: *Quia si quis velit omni tempore dicere Paschale officium, quia breuius est, sine dubio grauiter peccaret.* Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 7. *num.* 216. *si quis vellet* (ait) *omni tempore dicere officium Paschale, quia breuius, ex omnium sententia peccaret mortaliter.* Diana, qui pro mira eruditione nullum non perlegit Auctorem, & mitius (vbi inconueniens non apparet: opinari curat, sic *part.* 5. *tract.* 5. *re* 26. loquitur: *Notandum secundò, in mutatione officij pro officio dari paruitatem materiæ, vt si semel aut iterum quis diceret officium de sancto, quando dicendum est de Feria. Ita Baldellius, tom.* 1. *l.* 5. *dist.* 24. *numer.* 5. *sed ego semper puto in tali casu non adesse peccatum mortale, nisi dicatur officium Resurrectionis.* Et *part.* 19. *tract.* 11. *resol.* 6. citans, & refellens Leandrum, idem affirmat.

364 *Hoc mihi indubitatum.* Hoc mihi indubitatum credenti, neque quoad substantiam impleri præceptum, cum extra octauam Resurrectionis illus probreue officium recitatur. Quia speciali benignitate Ecclesia in pœnosæ Hebdommadæ compensationem indulsit, & tanta solemnitas perbreui illo officio coleretur. Vnde extra id tempus nec substantiæ recitationis morem gerit, qui hoc officium maximè quoad Matutinum, recitat. Nec possum non mirari Caramuelis (quem meo in examine subtaxaui) ridiculum ausum sine vllo fundamine excogitatum. Vt enim confirmaret, posse te continuò Resurrectionis recitare officium asseruit, Sapientissimum pariter ac Sanctissimum P. Franciscum Suarium huius perbreuis recitationis vsum fuisse leuamine. Nec enim potuisset tot volumina scribere, tot distrahi occupationibus, nisi officium Resurrectionis recitaret. Quam extra rem propositio; quam mei Suarij pietati contraria, qui quidem omnis miræ doctrinæ pelagum priùs intra silentij claustra contineret, quam cogeretur aliquid de communi Ecclesiæ præscriptione detrahere: prius de somno, de vita eriperet, quam de rituali recitatione auferret. Scio, aliquos ex priuilegio posse officium commutare, nempè Regulares, qui lectionibus sacræ Theologiæ, aut sacrorum Canonum vacant, aut continuis confessionibus; quia sic indultum fuit PP. Theatinis S. Syluestri de Vrbe à Clemente VII. vt refert Hieron. Rodig. *resol.* 20. *num.* 6. quo asserit vti posse Fratres Minores Absit tamen, vt Suarius huiusmodi vsus fuerit indultorum: testes enim oculati asseruere, precipuum adeò Suarij munus fuisse tempus Sacrificio Missæ, ac horarum recitationi, vt videretur, nulli alij occupationi operam nauaturum. Concludo, Leandri venia, primam sententiam omninò esse improbabilem.

PROBL. XLVI.

Qui citra contemptum vna, vel altera die omittit officium recitare: delinquit lethaliter, & lethaliter non delinquit.

NOn delinquit lethaliter. Quia vna aut altera omissio citra contemptum respectu obligationis anni totius quasi materiæ paruitas reputatur. Sic Henricus Angl. quem refert, ac sequitur Angelus *vers. Hora, nu.* 10. & Aragon. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. *dub.* 5. ac Rodriguez, *sum. part.* 1. *cap.* 141. *num.* 3. citati à Bonac. & Machado vbi infra. 365 *Nō delinquit lethaliter.*

Lethaliter delinquit. Quia cum diuini officij recitatio sit singulorum dierum onus, qui totum omittit officium non materiæ, paruitatem, sed totam materiam omittit, violans omninò præceptum. Quemadmodum, qui tota in Quadragesima die vno aut altero non ieiunaret, ob paruitatem materiæ non excusaretur à graui piaculo: quia sic totius Quadragesimæ imperatur ieiunium, vt singulos dies præceptum comprehendat: onus namque totius Quadragesimæ singulorum dierum est onus. Ita Tabie. *vers. Hora, num.* 18. Sylues. *quæst.* 12. *dicto* 5. Nauar. *sum. cap.* 23. *num.* 96. & 97. Sanch. *tom.* 2. *consil. l.* 7. *cap.* 2. *dub.* 1. referens Merinam, Sandoual, & Franc. de Los Sanctos. Bonac. *disp.* 1. *de hor. canon. quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 1. Machad. *l.* 2. *p.* 3. *tract.* 2. *docum.* 2. *num.* 1. 366 *Lethaliter delinquit.*

Hæc sententia certissima est. Quia qui vel vnica die horas omittit, transgreditur Ecclesiæ præceptum habitum *in cap. Dolentes, de celebr. Missar.* cuius transgressio in re graui, etiam citra contemptum: est mortalis. Primam ergo sententiam omninò falsam esse crediderim: nec à tot Doctoribus obfirmari, nam Manuel Rodriquez nullatenus illud asseruit, sed solummodo edocuit, mortale non esse, vno aut altero die officium præuertere, recitando scilicet de vno sancto horas in die, quo Breuiarium præcipit, vt officium de Feria recitetur. Aragonius verò loquendo de Monacho choristà, qui sacris non est initiatus, affirmat semel aut iterum officium diuinum omittere, lethale piaculum suo iudicio non esse: quod omninò extra rem. 367 *Hæc sententia certissima.*

PROBL. XLVII.

Peccat, & non peccat lethaliter, qui vnam integram horam recitare omittit.

LEthaliter non peccat. Quia diebus singulis vnitum solummodo virget præceptum, quod suam admittit materiæ paruitatem: sed omissio vnius horæ est parua materia ad integrũ diuinum officium comparata: Ergo non peccat lethaliter, qui vnicam horam recitare omittit. sic Marchin. *tract.* 2. *de ord. par.* 6. *cap.* 12. *diffic.* 23. *num.* 4. Sotus *l.* 10. *de iust. quæst.* 3. *art.* 6. Probabile 368 *Lethaliter non peccat.*

babile ducit Martin. de S. Ioseph, *Man. confes. tom. 1. l. 2. tract. 9. de orat. num. 5.* citans Caramuelem, & alios.

369 *Peccat lethaliter.* Peccat lethaliter. Quia vnius integræ horæ omissio non est leuis materia, etiam ad totum officium comparata. Certè paruitas materiæ pensanda est non exintegra hora ad totum reliquum officium, sed intra horam eandem. Nam præceptum recitandi, totum officium, & singulas horas integrè comprehendit. Ità Doctores communiter legendus Diana *part. 10. tract. 16. resol. 28.* vbi cum Lezana, & alis asserit oppositam sententiam esse improbabilem. Mox referam Auctores, qui hanc partem tuentur.

370 *Hic vnicè verum reor, & expono quæ via huius omissionis materia culpam mortalē constituat.* Profectò veram vnicè hanc sententiam esse existimo, quam vberius exponam, indicans, quanta huiusce omissionis materia culpam constituat mortalem. Moneta quidem *tr. de quotid. distrib. part. 2. quæst. 3. num. 33.* asserit, decimam partem vnius horæ, etiam minimæ, omissam, esse sufficientem ad mortale. Nauar. *cap. 25. num. 38.* Azor. *l. 10. cap. 7. quæst. 3.* Villalob. *p. 1. tr. 24. diffic. 10. n. 1.* Malder. *2. 2. tr. 10. c. 2. dub. 3.* & alij putant omissionem tertiæ partis vnius horæ minoris culpam lethalem esse. Antonin. Diana *p. 2. tr. 12. resol. 41.* afferens Fernandez. Bellochium, Vegam, & Reginaldum existimat dimidiam partem horæ paruæ esse notabilem. Cæterum probabilius putarim, omissionem vnius integræ horæ paruæ (non tertiam aut dimidiam partem eius) culpam mortalem constituere: Quia pars infrà horam paruam modica videtur, ac leuis ad mortale constituendum: vndè omninò reiicio Monetæ opinionem. Ita Lessi. *l. 2. cap. 37. dub. 9. num. 52.* Palaus *tom. 2. d. 2. punct. 5. num. 1.* Bonac. *d. 1. de hor. canon. q. 5. punct. 1. num. 2.* Hæc de horis minoribus intellige solùm, nam loquendo de maioribus dixerim, illam esse partem notabilem, quæ vni horæ minori æquiualet.

PROBL. XLVIII.

Omittens priuatim recitare Litanias Rogationum diebus, perpetrat, & non perpetrat mortale piaculum.

371 *Non perpetrat.* NOn perpetrat. Quia Pius V. expressit in Bulla suo Breuiario nouo affixa, vt qui sequuntur illud recitando priuatim non teneantur nisi ad officium maius illius. Ergo non tenentur Litanias tribus diebus antè Ascensionem, vel die D. Marci recitare. Sic Diana *part. 2. tract. 12. resol. 41.* Carol. Macig. *de hor. canon. cap. 29.* Vasq. *opusc. de Benef. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 1. num. 58.* Molfes. *tom. 1. tract. 5. cap. 1. nu. 56.* Homobon. *in consult. ac. casuum consc. vol. 2. p. 5. respons. 244.* Machad. *l. 2. p. 1. tr. 11. 2. docum. 1. num. 5.* Murchin. *t. 2. c. 12. diffic. 12.*

372 *Perpetrat omninò.* Omittens Litanias tam in diebus Rogationum, siue fiat processio generalis, siue non, lethale perpetrat piaculum. Quia hisce diebus apponuntur Litaniæ cum officio maiori, & in rubrica officij diei præscribuntur. Ità Diana prudens mutauit sententiam *part. 4. tract. 3. resol. 226.* Lezana *in sum. qq. Regul. cap. 12. num. 23.* Palaus *tom. 1. d. 2. punct. 2. num. 13.* Tanner. *2. 2. d. 5. q. 1. dub. 5. numer. 140.* Gauant. *ad Rubr. to. 2. sect. 6. cap. 16. numer. 3.* Suar. *to. 2. de Relig. l. 4. cap. 25. numer. 7.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 3. pun. 3. numer. 13.* Sylui. *in addit. ad Binsfeld. p. 4. cap. 8. §. 5.* Trull. *l. 1. Decal. cap. 7. dub. 14. num. 9.*

Probabilius hoc iudico. Quia tribus diebus Litaniarum ante Ascensionem Breuiarium indicit iis, qui tenentur officium Canonicum recitare, simul Litanias dicere, sicut præcipit die Commemorationis defunctorum fidelium, eorum officium celebrare. Tam igitur reus erit grauis piaculi qui Litanias præscriptas diebus Rogationum omiserit, quàm qui Defunctorum officium præfata die non recitauerit. Sanch. *tom. 2. consil. l. 7. cap. 2. dub. 27.* videtur in oppositam sententiam aliquantulum inclinare dum ait: *Qui sequuntur hoc Breuiarium nouum Pij V. recitando priuatim, non tenentur regulariter nisi ad solum officium maius. Quia Pius V. sic expressit in Bulla, quæ habetur initio Breuiarij.* Ideo Leander *ex parte* Thomam Sanchez oppositam docere sententiam: immeritò quidem: illico enim contrariam: asserens, nullum inclinationis huiusce signum expressit. *Dixi* (adiicit ille) *regulariter, quia tribus diebus Litaniarum antè Ascensionem tenentur omnes, qui tenentur ad horas sub peccato mortali recitare Litanias.* Nec oppositum docuit meus Gabriel Vasquez: (vt Diana asseruit) loquitur enim de Litaniis, de quibus Pius V. Motu proprio initio Breuiarij agit, vt expressè ipse profitetur. At Pius solum in illo Motu loquitur de Litaniis, quæ in Feriis sextis Quadragesimæ cum Psalmis Pœnitentialibus dicuntur, vti Gauant. annotauit.

373 *Hoc probabilius iudico.*

PROBL. XLIX.

Mortale est, & mortale non est Litanias D. Marci solemni non recitare.

374 *Mortale non est.* NOn est mortale. Quia licèt in fine Breuiarij, vbi ponuntur Psalmi Pœnitentiales, habetur, vt in die D. Marci Litaniæ dicantur: at in Rubrica officij diei id non dicitur, vt de Litaniis dicendis tribus diebus Rogationum expressè annotatur. Sic Recentiores aliqui, quos, presso nomine refert Sanch. *to. 2. Consil. l. 7. cap. 2. dub. 27.* Diana *p. 2. tr. 12. resol. 42.* Marchin. *tr. 2. cap. 12. d iffic. 11.* & alij.

375 *Est mortale.* Mortale est. Quia in Rubrica officij diei S. Marci habetur expressè Litanias eo die recitandas. *Hodie qui non interfunt processioni Litaniarum, dicant illas priuatim post Matutinum cum suis precibus, & orationibus sine Psalmis pœnitentialibus: etiam si hoc festum tranferatur in aliam diem.* Ita Gauant. *to. 2. sect. 6. cap. 16. numer. 3.* Sanch. *to. 2. Consil. l. 7. c. 2. dub. 27.* Tanner. *2. 2. d. 5. q. 1. dub. 5. numer. 140.* & alij.

376 *Mihi hoc probabilius.* Hoc probabilius mihi. Miror autem Thomam Santium suam sententiam dum exponeret, & probaret asseruisse, in Rubrica festi D. Marci non præcipi Litanias dici, sed in fine

Breuiarij moneri : cum contrarium euidenter conſtet. Monuerim tamen, hanc obligationem Litanias recitandi die D. Marci, & trium dierum Rogationum procedere in Prouincia vel Oppido, vbi fit generalis proceſſio: at vbi non ſit, non auderem damnare ad mortalem Litanias omittentes. Quia Rubrica Breuiarij videtur loqui, vbi geruntur Proceſſiones. Mecum Santius *vbi ſ.* & docti iuniores Magiſtri ab ipſo inibi memorati.

PROBL. L.

Delinquit, & non delinquit lethaliter, qui ſecunda Nouembris die officium Defunctorum non recitat.

377 *Non delinquit lethaliter.*

NOn delinquit lethaliter. Quia Pius V. in Bulla Breuiario affixa non obligat ad dicendum Defunctorum officium in Rubricis Breuiario ſtatutis, & abſolutè loquitur, nec diſtinguit, nec excipit hoc officium in die 2. Nouembris: At vbi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. Pretio ff. de public. in rem actam. l. Non diſtinguemus ff. de recept. arbitr.* Et quia in Rubrica appoſita in Breuiario die 2. Nouembris non inueniuntur vlla verba præceptiua obligantia ad dicendum Defunctorum officium; ſed ſolum ibi dicitur quod *dicto Benedicamus Domino, dicuntur Veſperæ defunctorum:* Sicuti in Feria 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ dicitur in Rubrica: *Poſt Veſperas dicuntur Veſperæ Defunctorum.* Ergo ſi eadem ſunt verba, eadem erit aut obligatio, aut deobligatio. At Rubrica Feriæ 2. poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ ſub mortali non obligat; cur igitur Rubrica diei 2. Nouembris ad mortale obligabit? Et quia Rubrica appoſita Breuiario in die D. Marci, & in diebus Rogationum iuxta opinionem probabilem ad mortale non obligat, ad recitandum Litanias extra chorum, aut Proceſſionem. Ergo neque Rubrica appoſita in Breuiario die 2. Nouembris obligabit ad officium Defunctorum recitandum. ſic doctè & eruditè de more Diana *part. 4. ad calcem tr. 8.* licèt ipſe non audeat omnino huic menti ſubſcribere. Subſcribunt tamen aliqui, quos tacito nomine memorat Molfeſi. *tom. 1. ſum. tr. 5. cap. 1. n. 57.* & quidam Societatis Ieſu Theologus in quadam collatione domeſtica, vt ipſi Dianæ teſtatus eſt vir grauis admodum noſtræ Societatis. Leander etiam *tr. 6. d. 13. q. 33.* Hanc ſententiam tribuit Machado, eo quod eam vltimo loco conſtituat.

378 *Lethaliter delinquit.*

Delinquit lethaliter. Quia die 2. Nouembris Defunctorum officium cum officio maiori apponitur, & præſcribitur dicendum in Rubrica, vt officium illius diei proprium. Et quia omnes obligati ad horas Canonicas dicēdas, recitant illa die Defunctorum officium: Ergo ſaltem ex cōſuetudine adeſt illius dicendi obligatio. Ita Tanner *2. 2. d. 5. quæſt. 1. dub. 5. numer.* 148. Palaus *tom. 2. d. 2. punct. 2. num. 13.* Suar. *de Relig. tom. 1. l. 4. cap. 25. num. 8. & 9.* Laym. *l. 4. tract. 1. cap. 5. num. 4.* Sanch. *tom. 2. Conſil. l. 7. cap. 2. dub. 27. num. 1.* Trull. *de hor. canon. dub. 2. num. 12.* Armil. Vega. Ioann. Suar. Tolet. Gauant. Graffi. & alij quos & Me citato, Diana citatus affert, & ſequitur.

Ego quidem eandem probabilitatem habere exiſtimo primam ſententiam quam habet illa, quam *Problem.* 49. expreſſi: eodem enim fundamine vtraque nititur. Aſt minime à cōmuni recedendum mihi exiſtimanti officium defunctorum die 2. Nouembris eſſe illius proprium, vt conſtat ex Kalendario & Martyrologio, vbi nomen, quod Eccleſia tribuit illius diei feſtiuitati eſt, *Commemoratio Defunctorum.* Ergo officium magis proprium illius diei eſt Defunctorum officium: nam per nomen feſtiuitatis explicatur, de qua agi officium debet. Et ideo quando duo ſignantur officia pro aliquo Die, magis intentum erit ab Eccleſia quo nomini feſtiuitatis correſpondet. Quod in caſu noſtre probatur. Nam quando Eccleſia diſpenſauit cum Sacro ordine D. Dominici, vt vnum tantùm officium in die 2. Nouembris diceret, deſignauit Defunctorum officium relicto officio de Octaua. Igitur (vt appoſitè arguit Diana) ſignum euidens eſt, officium Defunctorum magis eſſe illi diei agnatum Monuerim Pellizarium *tr. de Monial. cap. 6. q. 8. numer. 17.* aſſeruiſſe haud eſſe improbabile, omittentem officium vtrumque die 2. Nouembris vnicum patrare peccatum Quod non improbo, dummodò grauius quidem eſſe, non abneget.

379 *Auctoris reſolutio.*

CAPVT XXVI.

Circà cauſas quæ à recitatione Horarum priuata excuſant.

PROBL. LI.

Degradatio eximit, & non eximit Clericum à recitandi horas obligatione.

SPirituale impedimentum Cenſurarum, ſcilicèt, excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis, non eximere Clericum à recitandi obligatione ex recepta omnium ſententia *ſect. 1.* vidimus. Quæſierim verò an Degradatio eximat? Eximit quidem. Quia Clericum deponit ab officio, & Beneficio, & ab omni Clericali priuilegio. Sic Sa *v. Hora, n. 2. in edit. Complut.*

380 *Eximit quidem.*

Minimè eximit. Quià non oportet, illum ex ſua culpa commodum reportare. Ita Suar. *l. 4. de hor. ca. c. 28.* Bonac. *d. 1. de hor. ca. q. 6. pun. 1. 2. & 3.* Tolet. *l. 1. ſum. cap. 14.* Valent. *to. 3. diſt. 6. q. 2. pun 10. §. 7.* Leſſi. *l. 2. cap. 47. dub. 9.* Azor. *p. 1. l. 1. cap. 13.* Vaſq. *de Benef. c. 4. §. 1. a. 1. dub. 12.* & alij communiter.

381 *Non eximit.*

Exiſtimo, hanc vnicè veram eſſe ſententiam contrariamèqu pa rum habere probabilitatis, quam quidem Emanuel Sa non abſolutè edocet, ſed in eam inclinat.

382 *Hæc mihi vnicè vera.*

PROBL.

PROBL. LII.

Qui ob ægritudinem, aut superuenientem occupationem haud potest totum officium recitare: tenetur, & non tenetur, illius partem dicere.

383 *Non tenetur.* NOn tenetur. Quia est vnicum præceptum, quod si impleri non potest omnino, cessat eius obligatio. Sic aliqui Doctores, quos presso nomine memorat meus amicissimus Ferdinand. de Castro Palao *t. 1. d. 2. punct. 6. num. 4.* Qui quidem vrget argumentum. Neque enim (ait) dicendum est, te esse obligatum ad partem, & non ad totum, quia obligatio ad partem non est distincta ab obligatione ad totum, aliàs essent præcepta distincta. Ex. gr. Qui non potest Missæ integræ assistere, non tenetur ad illius partem, nempè ad audiendum Euangelium: & qui non potest tota die ieiunare, non tenetur, mane aut Vespere seruare ieiunium; quia obligatio ad partem non est distincta ab obligatione ad totum. Cum autem in præsenti vnica sit ad omnes horas obligatio, si obligationem totius officij implere non vales, cessat ad partem obligatio.

384 *Tenetur placè.* Tenetur quidem eas horas, quas commodè possit, recitare, siuè sint maior pars officij, siue minor. Quia hoc præceptum etsi vnicum sit, est tamen de diuidua materia, & quæ plures partes habet inter se non connexas. Non enim Prima dependet à Tertia, neque Tertia à Matutino, aut Laudibus: Ergo obligatio recitandi vnam horam impleri potest, etiamsi eidem obligationi, quoad alteram partem fieri satis non possit. An non qui non potest soluere totum debitum, obligatus est, soluere partem, quando pars solui independenter valet à toto? Verum hoc in nostro casu contingit, cum quis possit recitare Vesperas independenter à Primæ recitatione. Imò ad illas recitandas potest quis obligari, quin ad Primam fuerit obligatus; nempè si Subdiaconatum Meridiei suscepisset instantia. Ita Suar. *lib. 4. de hor. canon. cap. 28. à num. 22. & 27.* Valent. *d. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 7.* Garcia *de Benefic. cap. 5. num. 226.* & alij.

385 *Auctoris placitum vberius expositum.* Quid circa hæc opiner expono. Assero in primis, nullatenus te esse obligatum recitare illam horam, cuius notabilem partem recitare non potes, aut licitè potes omittere: verbi gratiâ, non teneris dicere Matutinum, si impotens sis, lectiones recitare. Quia exclusis lectionibus Psalmi non constituunt substantialiter Matutinum iuxta formam à Pio V. præscriptam. Cum autem præceptum sit de recitatione Matutinarum precum iuxtà formam præscriptam à Pio, & hoc sine lectionibus impleri nequeat; efficitur te ad Psalmorum recitationem non esse obligatum. Suar. *lib. 4. de hor. canon. cap. 28. num. 10. & 26.* Ioann. Santi. *select. d. 15. num. 2.* Deinde potens recitare maiorem officij partem procul dubio ad illam tenetur: verbi gratiâ, qui potest dicere Laudes cum Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis, & Completorio: has tenetur recitare, licèt Matutinum non possit. Quia sunt partes distinctæ præcepti, quarum vna ab alia non pendet. Suar. & Garcia *vb supra.* Denique existimo, te obligatum non esse officium recitare, si maiorem illius partem non possis. Quia maior pars trahit ad se minorem. Et quia ita videtur esse consuetudine receptum, ne infirmi, ac debiles, vel alias impediti scrupulis diuexentur. Quod sine dubio contingeret, si potens sine notabili damno quamlibet horam recitare, ad eam recitandam teneretur. Manu. *tom. 1. sum. cap. 144.* Garcia *parte 3. cap. 1. n. 226.* Suar. *to. 2. de Relig. lib. 4. c. 28. à n. 22.* Palaus *vbi supra.*

PROBL. LIII.

Si Medicus dubius est, num æger maiorem officij partem possit sine graui incommodo recitare: debet, & non debet ille recitationi illius maioris officij partis dare operam.

386 *Non nihil præmitto.* SI dubius quis sit, an maiorem officij Canonici partem absque notabili valetudinis nocumento possit dicere, debet sese Medici iudicio conformare. Quia peritis in arte est credendum. Quod si Medicus asserat ægro nocituram recitationem, eo ipso liber ægrotus ab hac erit obligatione. Quid si Medicus dubius sit, an ei sit grauiter nocitura recitatio?

387 *Debet recitare.* Debet quidem recitare. Quia præceptum, & eius obligatio est certa, & causa excusans dubia: Prævalet ergò præcepti obligatio. Sic Suar. *lib. 2. de Relig. lib. 4. de hor. canon. cap. 28. num. 21.*

388 *Recitare non debet.* Recitare non debet Quia non tenetur quis grauis damni se periculo exponere ob præcepti Ecclesiastici executionem. Ita Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 6 punct. 1. n. 4.* Palaus *tom. 2. d. 2. pun. 6. num. 10.*

389 *Hoc probabilius reor.* Probabilius hoc reor. Quia periculum illud grauis damni causa est certa, non dubia, qua stante præceptum Ecclesiasticum obligare non potest: esset enim rigorosa obligatio, & ab Euangelij suauitate aliena.

PROBL. LIV.

Qui caret visu, aut Breuiario, memoriter autem fideliter tenet maiorem officij partem: tenetur, & non tenetur eam recitare.

390 *Non tenetur.* NOn tenetur. Quia accidentarium est, quod id memoria teneatur. Nec videtur iustum ei hoc onus imponi, quod non ei imponeretur, qui memoriæ hasce non retineret horas. Sic licèt subdubitans Sotus *lib. 10. de iust. q. 5. a. 3. concl. 2.*

391 *Tenetur omninò.* Tenetur omninò. Quia memoria retinens maiorem officij partem, iam valet præceptum implere, & sine difficultate, imò maiori facilitate, quam si opus esset ei perlegere.

Ita Palaus *p.1.d.2.punct.6.n.11.* Nauar. *cap.11. de oratio.11.* Suar. *lib.4.de hor.c.m.c.28.num.10.* Valent. *tom.1.d.6.q.2.punct.10.§.7.* Bonac. *d.1. de hor.can.q.6.punct.2.n.6.* Azor *p.1.l.10.cap.13. quæs.5.*

392 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia qui tempore interdicti accidentarium est, te Bullam Cruciatæ habere qua conceditur facultas sacrum audiendi. At illa facultate posita non est accidentarium, sed necessarium, te præcepto audiendi Missam obligari, vt fert verior sententia: Ergo similiter in præsenti, accidentarium est quem memoria retinere officij maiorem partem, sed necessarium, eo posito, præcepto satisfacere.

PROBL. LV.

Impotens est quis recitare solus, potest tamen cum socio, quem habet ad manum: tenetur hic, & non tenetur officium dicere.

393 *Non tenetur.* NOn tenetur. Quia recitare cum socio priuilegium est, quo quis non esse videtur ad vtendum adstrictus. Sic Ioan. Santi. *select.d.15. num.2.* Garcia *p.3.cap.1.num.14.* Lessi. *lib.2. c.37.dub.9.n.54.* vtitur distinctione. Si solitus quis sit socium adhibere; tenetur: secùs si solitus non sit. Excipit Garcia *num.215.* Nisi antea quis gratis haberet socium, & postea non inuenit nisi cum stipendio.

394 *Tenetur omnino.* Tenetur omnino, si facile habere potest, siue antea vsus illo fuerit, siue non: hoc enim per accidens est ad obligationem inducendam. Quia obligatur ex præcepto Ecclesiæ recitare; sed hoc præceptum facilè implere valet adhibendo socium: Ergo tenetur illum adhibere. Debet enim adiicere media ad implendum præceptum, quæ ei difficilia non sint. Ita Nauarr. *de orat. c.11.num.13.* Azor. *lib.10.q. cap.13.quæs.3.& 6.* Manu. *tom.1.sum.cap.144. num.1.* Bonacin. *d.1. de hor. canon. quæst.6. punct.2. num.8.* Suar. *lib.4. de hor.can. cap.28. num.13.* Valent. *d.6.q.2.punct.10.§.7.* Reginald. *lib.18.num.185.*

395 *Idem opinor.* Idem opinor. Sed limitarim conclusionem. Nisi surdaster sit, & absque magna vociferatione audire non possit: tunc enim socium adhibere non teneretur; quia esset nimis onerosa obligario. Deinde nisi vsus socij gratis habeatur: nó enim quis obligatus est quærere pro stipendio socium, quia huiusmodi stipendiaria inquisitio non est medium ex consuetudine, neque ex legislatoris intentione. Excipe nisi beneficiatus sit, quia Beneficium propter hoc officium datur. Cum ergo ex iustitia ad illud officium obligetur, obligatur enim moderatos sumptus facere ad obligationis huius executionem. Secus erit, si Sacerdos simplex, seu Religiosus sit. Quia horum obligatio non est ex iustitia, sed ex Religione.

* *
*

PROBL. LVI.

Sciens, Vespere impediendum se esse à recitatione: tenetur, & non tenetur manè recitare.

396 *Non tenetur.* NOn tenetur. Quia quælibet hora suo tempori correspondet. Ergo quousque illud accedat non vrget illius obligatio. Et quia si illo tempore, quo ex præcepto Ecclesiæ hora recitanda est, legitimè es impeditus, cessat illius recitandæ obligatio. Quia horas anteponere, vel postponere, solum tibi ex priuilegio conceditur, non ex obligatione. Sic Sà *in edit. Complut. v. Hora, num.1. Nec tenetur* (ait) *ad horas, qui vrgenti negotio est impeditus. Huic enim sufficit, recitare horas temporis non impediti.*

397 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem recitationem anticipare. Quia præceptum recitandi horas obligat non solum illo tempore, cui horæ specialiter correspondent, sed etiam toto integro die: nam in qualibet illius parte recitans, obligationi satisfacit. Ergo si in aliqua diei parte quis impeditus est exequi præceptum, & in alia exequi illud potest: obligatur planè præcepto pro illa parte diei, qua expeditus est. Ita Sylvest. *v. Hora, q.vlt.* Graf. *p.1.l.2.c.54.* Bonac. *alios referens d.1. de hor.can.q.6.punct.2.n.2.* Valent. *2.2. d.6.q.2.pun.10.§.7.* Azor. *p.1.lib.10.c.13.q.15.* Palaus *tom.2.d.2.p.6.num.16.*

398 *Hoc tenet, & confirmo.* Fateor quidem, quamlibet horam suo tempori correspondere, quatenus habet specialem significationem, & institutionem, ob quam non licet absque causa, anteponere, vel postponere. At quatenus præcepta est, toti integro diei correspondet. Vnde obligamur recitare, ea temporis parte, qua fuerimus ab occupatione illa expediti. Equidem priuilegium est anteponendi, vel postponendi horas, cum suo tempore recitari non possunt: vel quando suo tempore possunt recitari. At quando tempore Vespertino, v.gr. recitari nequeunt, non est priuilegium, sed obligatio anteponendi. Vnde obligatus quis erit recitare mane, si scit toto Vespere esse impediendum. Cæterum circa primæ sententiæ fundamentũ monuerim, verba illa, quæ ex P. Emanuele Sà expressi ex correctione Magistri Sacri Palatij esse expuncta.

CAPVT XXVII.

Circa pœnam non recitanti priuatim beneficiato appositam.

PROBL. LVII.

Primo semestri beneficiatus habet, & non habet restituendi fructus aliquam licet non ita rigidam obligationem, horas omittens.

399 *Nonnulla præmitto.* VIdimus *sect.1.* nullam aliam pœnam esse impositam ipso iure omittentibus horas

horas præter fructuum perceptorum restitutionem. Cum autem solus Clericus beneficiatus fructus ex Beneficio percipiat, solus ipse hac pœna potest obligari, statuta quidem in Concilio Lateran. sub Leone X. *sess. 9. §. Statuimus.* Quam constitutionem Pius V. innouauit decreto edito 12. Kalend. Octobr. anno 1571. Ex his constitutionibus constat, beneficiatum Clericum obligatum non esse primis sex mensibus ab obtento pacificè Beneficio, aliquid restituere, etiamsi officium omittat. Quia Concilium, & Pontifex solùm affirmarunt, sic omittentem peccare mortaliter, & nihil de restitutione addidêre. Igitur quæstioni do, an primo illo semestri beneficiatus omittens horas, habeat restituendi fructus obligationem?

400 *Habet aliquam restituendi obligationem.*

Habet quidem, licèt non ita rigidam, ac haberet semestri transacto: post illud enim tenetur restituere pro rata fructus perceptos, etiamsi alia officia, & munera obeat: at illo primo semestri non ita rigidam obligationem habet, sed iuxta officium positum mitigare restitutionem potest. Quia solum obligatur ex iure naturali, quod intactum videtur relictum, nam Beneficium propter officium datur. Sic Suar. *de hor. can. cap. 19. num. 7.* Vasq. *1. 2. d. 160. num. 3. & d. 168. num. 14.* Menoch. *de arbitr. cent. 2. cas. 429.* Couar. *3. variar. c. p. 13. num. 10.* Valent. *2. d. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 8.* Azor. *p. 1. l. 10. cap. 14.*

401 *Nullam habet obligationem restituendi.*

Nullam habet restituendi obligationem. Quia Ecclesia antè Concilium Lateranense non concessit Beneficium & illius fructus sub conditione, vt officium diuinum recitaretur: sed ab summum sub onere, & obligatione illud recitandi: alias cum Parocho concedit Beneficium, & fructus, esset facta concessio sub conditione, vt sacramenta ministraret: ac proindè si in illorum ministratione negligens esset, deberet fructuum restitutionem agere: quod equidem non est in vsu. Item omittens officium absque culpa, non posset fructus facere suos, quia sunt sub illa conditione collati. Ità Garcia *par. 3. cap. 1. num. 7. & 10.* Filliuc. *tract. 23. cap. 10. num. 308.* Bonac. *d. 1. de hor. can. quæst. 5. punct. 2. n. 9.* Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 31.* Nauar. *c. 21. de orat. num. 38.* Vasq. sibi contrarius *de Benef. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 8.* Palaus *tom. 2. d. 2. punct. 7. num. 3.*

402 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Nam Ecclesia optimè potuit beneficiatum ab obligatione restituendi liberare illo primo semestri, etiamsi illam ex iure naturali haberet. Tùm vt ostenderet erga beneficiatum nouum suam liberalitatem, ac benignitatem, quem ob difficultatem operis timebat sæpè non ingrè satisfactorum suo officio. Tùm ob priuationem omnium fructuum, quam subsequenti tempore faciebat, cuius rigore affatim prima benignitas compensababatur. At ita factum esse præsumo. Quia Concilium Later. & Pius V. solùm affirmant, beneficiatum illo primo semestri non recitantem mortaliter delinquere, & restituendi omittunt obligationem. Igitur illi non est imponenda. Nec enim sunt obligationes absque manifesta ratione multiplicandæ.

PROBL. LVIII.

Omittens vno, vel altero die horas Canonicas tenetur, & non tenetur, aliquid restituere.

NOn tenetur. Quia ex benignitate Ecclesiæ præsumitur, ob tam exiguam debiti officij omissionem non velle beneficiatum ad restituendum obligare. Quemadmodum præsumitur, famulum omittentem vno vel altero die inanno debitum seruitium exemptum esse ab obligatione restitutionis ex quadam benigna congruitate: ne dominus nimius videatur exactor. Sic Sotus *l. 10. de iust. quæst. 5. art. 5.* Medina *sum. l. 1. cap. 14. §. 1.* Ludo. Lopez *tom. 1. Instr. cap. 245 & tom. 2. cap. 105.* Vega *sum. par. 1. cap. 36. casu 1. & 2. & cap. 128. casu 18.* 403 *Non tenetur.*

Tenetur omninò. Quia expressè id Pius V. imperauit. *Statuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, ninò. omnes Beneficij, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si diuiderentur: qui vero Matutinum, tantum dimidiam: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum eius diei amittant.* Ergò omittens vno aut altero die horarum recitationem minimè à restitutionis obligatione excusatur. Ita Azor. *part. 1. l. 10. cap. 14. quæst. 7.* Lessi. *l. 2. cap. 34. numer. 176.* Bonac. *d. 1. de hor. canon. quæst. 5. punct. 2. num. 8.* Suar. *de hor. canon. l. 4. cap. 20. numer. 9.* Vasq. *de Benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 8. num. 43.* Garcia *part. 1. cap. 1. num. 27.* Palaus *tom. 2. d. 2. punct. 7. num. 7* & alij. 404 *Tenetur omnino.*

Scio meum Filliucium *tract. 21. cap. 10. q. 8.* docuisse, primam sententiam esse probabilem. Ego autem authoritate tot virorum videns eam fuisse idem affirmo. Nam si ratione solùm duci vellem, audiendos non esse Doctores illos affirmarem. Neque enim vrget, famulum omittentem vno vel altero die in anno debitum seruitium exemptum esse ab obligatione restitutionis ex quadam benigna congruitate, ne dominus rigidus exactor videatur: vt dicamus, omittentem recitationem obligatū non esse restituere. Quia hoc in casu suam voluntatem dominus expressit. Si autem Ecclesia hanc voluntatem satis non expressisset, id præsumi poterat. 405 *Hoc mihi probabilius.*

PROBL. LIX.

Qui possidet tenue Beneficium, & partem notabilem alicuius horæ omittit, tenetur, & non tenetur aliquid restituere.

NOn tenetur, si fructus Beneficij leues sint, eo quod illud sit tenue. Quia non est præsumendum, Ecclesiam cum eo rigore suos 406 *Non tenetur.*

Ministros obligare velle. Sic Suar. *l. 4. de hor. canon. cap. 30. num. 9.* Tolet. *l. 2. cap. 2. num. 6.*

407 *Tenetur omninò.* Tenetur quidem, etiam si fructus correspondentes leues sint. Quia omittens partem notabilem alicuius horæ, absolutè dicitur illam omittere: sicut absolutè dicitur omisisse Missam, qui partem notabilem non audiuit, sed pro cuiuslibet horæ omissione est debita restitutio inxtà Pij V. constitutionem, etiamsi fructus correspondentes leues sint. Ergo etiam est debita restitutio pro cuiusvis partis notabilis omissione. Ità Garcia *part. 3. cap. 1. n. 27.* Palaus *tom. 2. d. 2. punct. 7. num. 5.* Bonac. *de hor. can. d. 1. quæst. 5. punct. 2. num. 13.*

408 *Hoc mihi probabilius.* Hanc sententiam probabiliorem reor. Paucitas enim fructus à graui restituendi obligatione excusabit, non à leui. Quemadmodum furtum leuis materiæ à graui, non à leui restituendi obligatione excusat.

PROBL. LX.

Omittens partem leuem alicuius horæ, tenetur, & non tenetur, aliquid restituere.

409 *Aliquid restituere tenetur.* ALiquid restituere tenetur. Quia cuilibet parti horæ sua pars fructuum correspondet, sicut integræ horæ integra fructuum quantitas: sed omissa hora perditur integra quantitas fructuum illi correspondens: Ergo omissa parte leui amittitur leuis pars fructuum illi correspondens. Non enim apparet titulus, ob quem retineri possit: hic namque solùm erat illius horæ partis recitatio. Sic Bonac. *d. 1. de hor. canon. quæst. 5. punct. 2. numer. 11.* Qui ob hoc argumentum contrariam sententiam ex animo non approbat.

410 *Non tenetur aliquid restituere.* Nihil tenetur restituere. Quia non dicitur integram horam omisisse, & solùm pro omissione integræ horæ cuiuslibet à Pio V. signata est restitutio: Ergo hic tacitè est excusatus. Ità Nauarra *l. 2. de restit. cap. 2. dub. 2. num. 202.* Nauarrus *de orat. cap. 9. fine, & cap. 10. numer. 42.* Tolet. *l. 2. cap. 12. num. 6.* Suar. *de hor. canon. l. 4. cap. 30. num. 13.* Reginal. *l. 30. num. 44.* Moneta *tract. de distribut. part. 2. quæst. 4. num. 42.* Filliuc. *tract. 23. cap. 10. quæst. 7.*

411 *Hanc sententiam, vnicè veram esse puto.* Ego equidem hanc sententiam vnicè crediderim esse veram. Nam si ex leui omissione obligatio restituendi oriretur ferè nullus esset, qui intra paucos dies obligationem grauem restituendi non haberet: quia pauci inueniuntur, qui diebus singulis integras horas studiosè ac deuotè recitent. Vndè etsi omissioni leui cuiuslibet horæ fructuum pars leuis correspondeat: at multis omissionibus leuibus grauis fructuum debita erit quantitas. Ne igitur affirmem animos recitantium ità illaqueari, assero, pro leui omissione cuiuslibet horæ nullam esse obligationem restituendi, licèt quantitas fructuum illi omissioni leui correspondens, grauis sit. Nec tam vrgens mihi, sicut Bonacinæ contrariæ sententiæ fundamentum. Quia quantitas fructuum non diuiditur inter singulos Psalmos, aut versiculos ita, vt cuilibet Psalmo, aut versiculo sua pars correspondeat: sed in singulas diei horas. Vnde si hora dicitur, & diminutè dicta sit ob leuem partem omissam, quantitas illi correspondens acquiritur; quia horæ per modum vnius correspondet.

PROBL. LXI.

Quis partem leuem singulis in horù omittit, cuius omissio comparatione totius officij diei grauis quantitas censeri potest: Hic obligatus est, & non est obligatus restituere.

412 *Obligatus est restituere.* REstituere est obligatus. Quia præceptum de diuino officio recitando non est multiplex pro multiplicatione horarum, sed vnum pro toto diei officio. Sed qui grauem partem officij omittit, absolutè officium omisisse censetur: Ergò tenetur integrè restituere: Sicut si grauem quantitatem alicuius horæ omitteret. Sic quidam graues Doctores in manuscriptis, quorum sententiam censeo esse probabilem, censet & Palaus *vbi infrà.*

413 *Non est obligatus.* Non est obligatus restituere. Quia probabile admodum est, pro qualibet hora suum distinctum præceptum latum esse. At in hac sententia corruit omnino contrariæ in nostro casu fundamentum. Quia tunc omissiones non coniunguntur. Sicut omissio in officio vnius diei non coniungitur cum omissione in alterius diei officij. Ita Moneta *de distribut. part. 2. quæst. 1. num. 22.* Filliuc. *tract. 23. cap. 10. quæst. 7.* Palaus *tom. 2. disp. 2. part. 7. numero 7.*

414 *Probabilius hoc mihi.* Probabilius hoc mihi, etiamsi admittam, vnicum esse totius officij recitandi præceptum. Quia ita est vnum præceptum, vt virtualiter sit multiplex, & obligatio restitutionis singulis horis est annexa. Vnde si quælibet hora per se sumpta nullam inducit restituendi obligationem: neque illam inducet quatenus vnicum quoddam officium constituit. Officium enim inducere non potest obligationem restituendi, nisi partes illius officij diuisim inducerent.

PROBL. LXII.

Recitans sine vlla attentione, tenetur, & non tenetur, restituere.

415 *Non tenetur.* OBligatus non est restituere. Quia pœna restitutionis imponitur iis, qui diuinum officium dicere omittunt: non autem iis, qui negligenter, aut distractè dicunt. Sic Tolet. *l. 2. capit. 11. d. 4.* Cordu. Medi. Henriquez relati à Garcia *citando.*

416 *Tenetur plane.* Restituere tenetur eo modo, quo obligatur is, qui recitare omittit. Quia paria sunt recitare sine vlla attentione, & non recitare,

recitare. Fructus enim Beneficij acquiruntur ob recitationem præceptam, & ob illius omissionem amittuntur: sed recitatio sine attentione, non est recitatio præcepta, quia non est oratio. Ergo ex ea fructus non acquiruntur. Ita Nauar. *cap.* 13. *de orat. numer.* 17. Suar. *de Relig. to.* 2. *l.* 4. *de hor. canon. cap.* 30. *numer.* 14. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 11. *q.* 5. Garcia *p.* 3. *c.* 1. *n.* 186. Nauarra *de re it. l.* 1. *c.* 22. *n.* 240. Lessi. *l.* 2. *c.* 37. *dub.* 11. *n.* 67. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 5. *un.* 2. *n.* 17.

417 *Hi hæreo*

His hæreo. Quia si pœna restitutionis imponitur iis, qui officium omittunt: censetur iis qui attentione nulla adhibita recitant, omninò esse imposita, quia nullatenus comperiuntur recitasse. Affero itaque pœnam restitutionis impositam esse ei, qui sine vlla attentione diuinum recitat officium.

PROBL. LXIII.

Excusatur, & non excusatur beneficiatus ab integra, ob horarum omissionem, restitutione, si Beneficium alia munera habeat annexa, nempe curam animarum.

418 *Excusatur.*

EXcusatur quidem. Quia Pius V. solum dixit in Bulla, omittentem recitationem prorata obligarum esse restituere omnes Beneficij, seu Beneficiorum fructus, qui illis diebus omissionis corresponderent; sed hoc limitati potest, vt intelligantur fructus, qui recitationi corresponderent, non verò aliis muneribus à beneficiato exhibitis. Ergo sic explicandum. Tum quia sic iuri naturali obligario restituendi à Pio imposita esset conformior: tum quia rigor huius pœnalis constitutionis temperaretur: tùm quia durum est, beneficiatum Parochum, & Capellanum eadem obligatione teneri, qua tenetur simplex beneficiatus, cui nullum onus præter recitationem est Beneficio annexum, Sic Tolet. *l.* 2. *cap.* 12. *dicto.* 2. Lessi. *l.* 2. *cap.* 34. *num.* 172. Bonac. *d.* 1. *de hor. canon. q.* 5. *p. nc.* 2. *numer.* 2. Vaiq. *de Restes. cap.* 46. *n.* 1. *dub.* 7. *numer.* 38. Medi. *in expl. . . prec.* 6. 11. Manu *sum. p.* 1. *cap.* 164. *numer.* 4. Lopez *p.* 2. *instruct. cap.* 95. Sa *V. Beneficium, n.* 58. Henriq. *l.* 12. *c.* 18. *§.* 2.

419 *Non excusatur.*

Minime excusatur. Quia Pius V. in sua constitutione eodem modo de Beneficio cum cura, & sine cura loquitur: & de vtroque dicit, omnes Beneficij, seu Beneficiorum fructus, qui illis diebus, in quibus omittit recitare, corresponderent, si diuiderentur, suos non facere. sed tanquam iniustè pereceptos restituere debere. At qui Beneficium sine vlla cura habet obligatus est omnes integrè restituere: Ergò etiam qui Beneficium curatum possidet. Ita Valent. 1. 2. *disp.* 6. *q.* 1. *pun.* 10. *§.* 8. Azor. *l.* 10. *cap.* 14. *q.* 6. Palaus *to.* 1. *disp.* 2. *pun.* 7. *numer.* 8. Nauarra *l.* 2. *de resti. cap.* 2. *a numer.* 81. *& a numer.* 196. Suar. *l.* 5. *de hor. can. c.* 10. *a n.* 6. Garcia *p.* 3. *cap.* 1. *n.* 185. *& sequent* Malder. *de Virtutib. tr.* 10. *c.* 2. *dub.* 4. *vers. sequitur.* Reginal. *l.* 30. *n.* 46.

420 *Prima sententia ad hæreo.*

Fateor, me in hanc sententiam admodum inclinare, & decreuisse ei adhærere. At legens meum Gabrielem Vazquez 1. 2. *d.* 168. *n.* 14. vidensque mutasse sententiam, etiam ego propositum mutaui. Affero igitur, Bullam Pij V. cũ limitatione à primæ sententiæ Doctoribus expressa esse intelligendam: ac proinde Parochum, vt Episcopum solum obligari ad quintam partem fructuum restituendam, Canonicum ad quartam, Capellanos ad tertiam.

PROBL. LXIV.

Pensionarius, & Beneficiatus simplex, cui nullum onus est annexum præter horarum recitationem: potest, & non potest, aliquos fructus retinere ob obligationem ad deferendum habitum, & tonsuram.

421 *Potest quidem.*

POtest quidem. Quia delatio habitus & tonsuræ debet aliquo commodo compensari. Ergo ex fructibus retinere potest partem illam, quæ ad habitus sumptus, & ad eo onæ gestationis curam correspondere videantur. Henriq. *l.* 13. *cap.* 15. *§.* 1. Bonac. *d.* 1. *de hor. can. q.* 5. *pun.* 3. *n.* 2.

422 *Non potest.*

Minime potest. Quia delatio habitus & tonsuræ Clericalis abunde immunitate Ecclesiastica, & aliis honoribus Clerico concinnis compensatur. Ita Palaus *to.* 2. *d.* 1. *pun.* 7. *n.* 9.

423 *Hoc mihi vnicè probabile.*

Hoc teneo affirmans Clericum beneficiarum qui nullũ onus habet annexũ præter recitationem, si recitare omittat, omnes fructus debere restituere. Neque contrarium in Pensionariis, & beneficiatis simplicibus probabile esse reputo.

PROBL. LXV.

Distributiones quotidianæ & grossæ fructus quos Canonici amittunt ob omissam priuatam recitationem, sunt, & non sunt applicata mensæ Capitulari, sicut sunt applicata ob non residentiam.

424 *Sunt applicata mensæ Capitulari.*

SVnt quidem applicata Capitulari mensæ. Quia id deciditur *cap. vni. de Cler. non resid.* & Trident. *sess.* 21. *c.* 3. *& sess.* 24. *c.* 12. Sic Suar. *l.* 4. *de hor. canon. cap.* 30. *numer.* 18. Bonac. *d.* 1. *de hor. canon. q.* 5. *pun.* 4. *numer.* 9. Tolet. *l.* 2. *cap.* 12. *dicto* 3. & alij apud Garciam citandum.

425 *Non sunt applicata Capitulari mensæ.*

Non sunt applicata Capitulari mensæ. Quia Canonicus residens, & non recitans, etsi ratione residentiæ lucretur quotidianas distributiones, ob omissam recitationem eas amittit. Sed non amittit illas ex *cap. vni.* nec ex *Trident.* citatis sed solùm ex Concilij Lateranensis, & Pij V. constitutione: Ergo neque aliis sunt applicandæ, nisi illis, quibus præfatæ constitutiones applicant, nempè fabricæ Beneficij, vel pauperibus. Ità Palaus *to.* 2. *d.* 1. *pun.* 7. *numer.* 14. Torreo *de hor. ca. contr. v.* 10. *d.* 6.

426 *Eiusdem sũ mentis.*

Eiusdem sũ mentis. Credo enim quod præfati textus solùm probant, ob non residentiam fructus esse applicatos aliis Canonicis residentibus, siuè Capitulari mensæ. At cum nihil loquantur de applicatione ob recitationem priuatam omissam, dicendum est, seruandam esse Concilij Lateran. & Pij V. constitutionam applicantem hos fructus fabricæ Ecclesiæ Beneficij, vel pauperibus.

PROBL. LXV.

Beneficiatus non recitans, potest, & non potest sibi applicare fructus, si verè sit pauper.

427 *Non potest.* NOn potest. Quia Concilium Lateran. & Pius V. sua in constitutione dicit, beneficiatum non facere fructus suos, sed eos tanquam iniustè perceptos obligatum esse restituere. Et quia non decet Clericum non recitantem commoditatem ex desidia percipere. Et quia ansa datur non recitandi, si sciat ille sibi inopi posse fructuum restitutionem gerere. Sic optimæ notæ Doctores, qui nondùm suas elucubrationes prelo dedêre. Et Palaus *to. 2. d. 2. pun. 7. numer. 12.* hanc sententiam probabilem esse iudicat, dum contrariam probabiliorem esse affirmat.

428 *Nlaxè potest* Potest planè. Quia pauper verè ipse non debet deterioris conditionis aliis esse pauperibus: Et quia ipse non tam sibi applicat, quam Pontifex ipsi. Ita Palaus *citat.* Nauar. *cap. 25. n. 191.* Lessi. *l. 2. cap. 34. num. 173.* Suar. *l. 4. de hor. can. cap. 30. numer. 21.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 5. pun. 4. n. 8.* Tolet. *l. 2. c. 12. n. 5.*

429 *Hoc probabilius longè reor.* Hanc sententiam longe probabiliorem reor, si duplicem ei limitationem apponas. Prima est, nisi aliud constet, aut rationabiliter præsumatur velle Pontificem. Nam esto velit Pontifex, pauperibus fructus restitui, potest non quibuslibet, sed certis applicare, & alios excludere. Crediderim autem nolle Pontificem beneficiato pauper ifructus applicare, quoties ipse intrendens sibi paupertatis titulo hos fructus applicare, dicere horas omittit. Nec enim fas esset, Pontificem occasionem peccandi suppeditare. Quare in Bulla Compositionis eos à compositionis beneficio excludit, qui sub spe compositionis furantur. Secunda est, nisi ex consuetudine, aut speciali statuto applicati sint hi fructus amissi alicui pio operi certo. Quia Concilium Lateranense, & Pius V. non videntur voluisse huiusmodi consuetudinem, aut legem derogare: sed tantum applicare fabricæ Beneficij, aut pauperibus eos fructus, qui non fuerint aliàs speciatim applicati.

PROBL. LXVI.

Pensionarius non recitans Officium paruum Deiparæ potest, & non potest à beneficiatio pensionem accipere: potest, & non potest ipse beneficiatus eam retinere.

430 *Non potest pensionarius recipere, & potest beneficiarius pensionem retinere.* NOn potest pensionarius accipere, & beneficiatus potest eam retinere. Quia pensionarius non recitans Deiparæ officium paruum est illius recipiendi incapax: nullum enim officium aliud præter recitationem officij huius exequitur. Ergò non potest pensionem accipere. Ergo beneficiatus potest eam retinenere. Hanc vltimam consequentiam probo. Quia solum obligatus est beneficiatus pensionario ex fructibus sui Beneficij pensionem concedere, quoties pensionarius capax illius est. Qua ratione plures Doctores censent excommunicato pensionario non esse obligatum beneficiatum tradere pensionem: quia est illius incapax. Cum ergo ob recitationis omissionem sit etiam incapax, concluditur, pensionem illi tradi non debere. Sic hi Doctores, quos presso nomine memorat Palaus *to. 2. d. 2. pun. 7. n. 17.*

431 *Potest pensionarius recipere, & non potest beneficiatus retinere pensionem.* Potest licitè pensionarius pensionē accipere, Quia non sibi retinendam accipit, sed tradendam fabricæ Beneficij seu pauperibus: sicut non peccat beneficiatus non recitans accipiens Beneficij fructus, si illos accipiat non sibi, sed pauperibus, vel Beneficij frabricæ applicandos. Porrò nec beneficiatus potest pensionem retinere eo quod pensionarius non recitarit: sicut nec possunt fideles fructus retinere, quia beneficiatus horas non persoluit. Ita Palaus *to. 2. d. 2. pun. 7. n. 17.*

432 *Idem asseruit.* Certè Beneficiatus tenetur pensionem tradere in pensionarij sustentationem: est enim illa pars fructuum à Beneficio extracta, & pensionario applicata: sicuti fideles sunt obligati tradere beneficiato fructus Beneficij in illius sustentationem, vt ipse pro illis oret, & alia officia ministret. Si autem beneficiatus ea officia non præstat, non tenetur fructus Beneficij iis, à quibus accepit, reddere: Ecclesia enim ei indixit obligationem recitandi, qua non impleta, inhabilem eum constituit sibi fructus retinendi, & obligauit, vt eos tanquam iniustè perceptos fabricæ Beneficij, vel pauperibus traderet.

CAPVT XXVIII.

Circà publicam in choro Horarum Canonicarum celebrationem.

PROBL. LXVII.

Episcopus tenetur, & non tenetur, diuinum officium in Ecclesia persoluere.

433 *Tenetur sanè.* TEnetur sanè. Quia ex *cap. Episcopus 41.* Concilium Carthaginense IV. præscribit Episcopo *cap. 15.* ne hospitium longe ab Ecclesia abscedat: quod videtur esse, vt obligationi assistendi choro, commodius possit satisfacere. Deinde, quia *cap. Peruenit. 7. q. 1.* mandatur Episcopo, in sua Ecclesia residere. Tertio, quia *cap. 1. de celebr. Missar.* Prælatis conceditur ex causa choro abesse: Ergò illa cessante, interesse choro tenetur. Quartò, quia *c. Episcopus de consecr.* cauetur, nè die Dominica ab Ecclesia cui proximus fuerit, absit, nisi infirmitate fuerit impeditus: Ergò saltem diebus Dominicis hanc habet obligationem. Ratione probo: Quia cum Episcopus magis principaliter, quam omnes alij Ecclesiæ deputatus sit, conueniens erat, strictiori obligatione teneri. Cum igitur Canonici, & Præuendati obligationem assistendi habeant: à sortiori Episcopus

copus pinguiores redditus accipiens eam subire debet obligationem. Sic Angel. *v. Hora, n.* 28. Sylvest. *v. Hora, q.* 10.

434 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia nemini est imponenda obligatio, nisi ex manifesto textu, vel ratione constiterit. At nullus est textus, qui hanc Episcopo obligationem expressè indicat: nec ratio efficax illam persuadens: Ergo asserenda non est. Minorem probo discurrendo per textus suprà relatos. Canon enim *Episcopus* nullum habet verbum præceptiuum: & concesso, quòd præciperetur, Episcopum non longè ab Ecclesia hospitium habere, non indè infertur, obligationem esse ei assistendi choro, cum id præcipi possit ob varios fines, nempè vt commodius gubernationi spirituali, ac temporali attenderet; & vt officiis diuinis, si vellet assisteret: & vt subditi commodiorem ad illum habeant accessum. Textus *cap. Peruenit ad nos*, de residentia in Ecclesia propria, seu in loco Beneficij loquitur, non de assistentia in choro. *Caput* verò 1. *de celebr. Missar.* non de Episcopis, sed de Parochis, seu Presbyteris loquitur, de quibus est specialis ratio, cùm non sint adeò grauibus distracti, ac Episcopi, ministeriis. Denique *cap. Episcopus, de consecratione*, solummodo probat, debere Episcopum diebus Dominicis Ecclesiæ interesse, non quidem omnibus horis Canonicis, sed ad summùm Sacrificio Missæ, de quo textus loquebatur. Nec hoc sub obligatione existimo iniunctum, cum vsus fuerit textus verbo *debet*: quod planè decentiam importat, non obligationem, vt colligitur *ex l. solum*, §. 1. *ff. de noui operis nunciat.* & tradit Tusch. *tom.* 2. *liter. D, concl.* 32. *num.* 3. Quod autem nulla ratio efficax sit hanc obligationem persuadens, patet. Quia licèt Episcopus strictius quam alij Canonici, ac Præbendati Ecclesiæ sit deputatus, & ideò strictius videbatur obligandus choro interesse: at quia alia munera exercet, quæ non obeunt Præbendati, aliisque grauioribus ministeriis, docendi populum, prædicandi Euangelium, gubernandi subditos, &c. occupatus est, ab obligatione assistendi choro censetur exemptus. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 1. *ad* 3. Garcia *part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 181. *dub.* 1. *& num.* 480. Suar. *de Relig. tom.* 2. *l.* 4. *de hor. canon c.* 10. *num.* 13. Filliuc. *tract.* 23. *cap.* 4. *quæst.* 8. Valent. 2. 2. *d.* 10. *quæst.* 6. *punct.* 2. Bonac. *d.* 1. *de hor. canon. quæstion.* 3. *punct.* 5. *num.* 9. & alij communiter.

435 *Probabilius hoc mihi.* Probabilius censeo haud esse obligatum Episcopum choro quotidie interesse imò neque diebus Dominicis, & festiuis: sed solummodò, quandò ob occurrentem casum, tum exempli exhibendi, tum scandali vitandi, tum sui præstandi muneris visum fuerit. Verum etsi hoc ita sit, expedit, vt choro Dominicis, ac festis, & præcipuè solemnioribus assistat, vt aliis sit Religionis ac pietatis in documentum.

* *
*

PROBL. LXVIII.

Parochus ratione sui officij tenetur, & non tenetur officium diutnũ publicè recitare.

436 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem. Quia *cap. fin.* 92. Presbyter, & Diaconus deponi mandantur, si moniti ab Episcopo horis Canonicis in Ecclesia personendis non interfuerint. Et *c.* 1. *de celebr. Missar.* presbytero rurali permittitur, ad colendos agros exire, si per se, vel per scholares pensum horarum competentibus horis persoluat; signum ergo est, per se obligationem habere. Si quidem ratione paupertatis, & necessitatis colendi agros, à personali publica recitatione excusatur. Pontifex *Clement.* 1. *de celebr. Missar.* vbi post quam dixerat, in Ecclesiis Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis deuotè psallendum esse, subdit: *In aliis verò Ecclesiis* (quæ non possunt esse aliæ nisi Parochiales) *conuenienter, & deuotè celebretur officium diuinum nocturnum pariter & diurnum.* Debet ergo per Parochum, aliosque beneficiatos celebrari. Igitur per se hanc habet obligationem. Sic Palaus *to.* 2. *d.* 1. *pun.* 1. *n.* 10. si ius antiquum scriptum spectetur.

437 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia ferè omnium Ecclesiarum Parochialium consuetudo suadet, Parochum ratione sui muneris minime obligatũ esse ad publicam quotidianam diuini officij recitationem. Ità Suar. *l.* 4. *de hor. can. c.* 10. *n.* 4. & 11. Filliuc. *tr.* 23. *n.* 131. Bonac *d.* 1. *de hor. can. q.* 3. *pun.* 5. *n.* 12. & alij communiter.

438 *Auctoris ratio fundio.* Profecto si ius spectemus antiquum proculdubio Parochus sui officij ratione tenetur quotidie in choro officium diuinum recitare. At si consuetudini hæreamus, plurimi sunt Parochi, & in Ecclesiis Parochialibus beneficiati, qui ab hac obligatione publicè recitandi sunt exempti. Quia in his Ecclesiis ob tenues redditus Beneficij horæ Canonicæ non dicuntur singulis diebus, sed ad summum diebus Dominicis, ac festis: & in his non omnes horæ, sed Vesperæ: in aliis verò Ecclesiis nec etiam his diebus celebrantur. Ergo hi Parochi, & earum Ecclesiarum beneficiati ad horas Canonicas publicè recitandas non arctantur. Verùm quoties est consuetudo dicendi in Ecclesiis diuinum officium Parochus præcipuè tenetur, nisi legitima impediatur ex causa: ea autem intercedente subditum debet substituere. Quælibet verò rationabilis causa sufficit, vt Parochus per se officium dicere excusetur, speciatim vno die vel altero, vt satis colligitur ex *c.* 1. *de celebr. Missar.*

PROBL. LXIX.

Præbendatus, vt absit à choro, cedit distributionibus, nec ob eius absentiam officium dimittitur, nec sine debita decentia celebratur: Hic quidem choro non assistens peccat, & non peccat lethaliter.

439 *Nonnullæ suppono.* SVppono ex *sect.* 1. Præbendatum graviter delinquere, si à choro ab se vltra tempus à iure

iure concessum. Quia ex distributionibus acceptis hanc choro assistendi subit obligationem. Et quidem absens à choro absque causa legitima grauiter peccat cum obligatione restituendi, si distributiones assistentibus, vel legitimè impeditis assignatas vsurpet: recipit enim quod suum non est, vt deciditur *cap. vni. de cler. non resid. in 6.* & Trident. *sess. 24. cap. 12.* Item peccat lethaliter, si ob eius absentiam officium diuinum in choro omittitur, aut cum debita solemnitate non celebratur. Quare solùm est difficultas quando Præbendatus cedit distributionibus, & propter eius absentiam officium non dimittitur, nec sine decenti solemnitate celebratur: an tunc absens à choro sine causa lethaliter delinquat?

440 *Non delinquit lethaliter.* Non delinquit lethaliter. Quia nullus est textus, vnde huiusmodi obligatio colligatur: nam *cap. si quis Presbyter 91.* non mandatur Clericus Ecclesiæ deputatus deponi, nisi postquam ab Episcopo monitus fuerit, & monitioni parere noluerit: Ergo secluso Episcopali præcepto, non peccat. Et *cap. 1.* & *Clement. 1. de celebrat. Missar.* solùm obligantur alicui Ecclesiæ Cathedrali vel collegiatæ addicti, vt per se, vel substituros diuinum celebrent officium: Ergo si ex absentia alicuius Canonici officium non omittitur in Ecclesia, & ipse distributiones interessentibus, & legitime impeditis concessas non vult recipere, poterit sine lethali crimine abesse. Verum si ex his capitibus naceretur, assistendi choro, obligatio, singulis diebus essent obligati assistere: consequens videtur durum, nam inde sequeretur eos lethaliter delinquere, si vna die absque legitima causa abessent: sicut cum priuatim absque graui causa recitare omittunt. Sic Barbosa *de potest. Episc. part. 3. alleg. 53. num. 182.* Carol. Macig. *de hor. canon. cap. 56. num. 24.* Reginal. *l. 18. num. 176.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 1. punct. 10. §. 6.* Caiet *v. Hora, §. 5.* Sylvest. *ibi. quæst. 2.* Angel. *nu. 21.* Navar. *cap. 5. de orat. num. 14.*

441 *Lethaliter delinquit.* Lethaliter delinquit, si absque causa legitima pluribus diebus absit à choro, etiam si distributiones remittat. Quia *cap. Relatis 91.* Clericus vigiliis non assistens, & officium diuinum publicè non recitans, vltra priuationem stipendij excommunicari, ac suspendi mandatur: quæ pœnæ non nisi ob grauem culpam imponuntur. Et *cap. si quis Presbyter*, pœna depositionis afficiendus est Clericus absens ab officiis celebratis in Ecclesia, vbi residet. Quod autem hanc pœnam non incurrat, quousque monitus sit ab Episcopo, haud excusat eius culpæ grauitatem. Et quia Beneficia Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum beneficiatis conceduntur, vt diuina officia in populi vtilitatem ac deuotionem celebrentur: At omittere ea, quæ alicui competunt ratione proprij muneris est graue peccatum: Ergo. Ex quo fit, non obligari præcisè Præbendatum choro assistere ob distributiones: his autem ad assistendum incitatur. Ita Suar. *l. 4. de hor. canon. cap. 10. num. 17. & cap. 13. à numer. 5.* Bonac. *d. de hor. canon. quæst. 2. punct. 2. num. 1.* Garcia *de benef. part. 3. cap. 2. num. 321. dub. 15.* Vasq. *de Benef. cap. 3. art. 2. dub. 1. num. 182.* Palaus *tom. 2. d. 3. punct. 2. numer. 3.*

442 Hanc sententiam probabiliorem esse existimo. Quia Præbendati sub graui culpa obligati sunt propria in Ecclesia residere, & ad id cogi possunt à superiori sub excommunicationis pœna, & fructuum, ac Beneficij priuatione. Trident. *sess. 6. cap. 1. & sess. 20. cap. 6. & sess. 22. c. 3. & sess. 23. cap. 1.* Sed hæc residentia est ad exercendum suum munus, & obligationi satisfaciendum, quæ nulla alia est regulariter præter publicam in choro recitationem, officiisque diuinis assistentiam: Ergo ad hanc tenentur. Attamen vno, vel altero die in anno abesse vltra tempus à iure permissum, culpam lethalem minime constituit. Quia sic videtur apud timoratos vsu receptum. *Probabiliter hanc sententiam iudico.*

PROBL. LXX.

Præbendatus choro assistens quomodocumque, sine attentione: lucratur, & non lucratur distributiones assistentibus concessas.

Distributiones lucratur, quomodocúque ibi adsit, etiam si non attendat, sed cum aliis colloquatur, modò postea priuatim reciter. Quia hic vere assistit, licet indebite. Ergo distributiones lucratur. Certè hic non potest dici a choro abesse: Ergo non potest vt absens distributionibus priuari. Sic alios referens Garcia *p. 3. n. 514.* & tradit Suar. *l. 4. de hor. can. c. 14. à numer. 12.* 443 *Lucratur distributiones.*

Minime lucratur, qui licèt corporaliter choro assistat, diuinis officiis non attendit, sed voluntariè distrahitur confabulando, vel dormiendo, &c. Quia distributiones conceduntur ob assistentiam, ac præsentiam humanam, & honorariam cedentem in Dei cultum, & diuinorum officiorum authoritatem: At qui voluntariè distrahitur ita, vt ad officia diuina nō attendat, haud dici potest ipsis moraliter, & humano modo præsens ex *l. Cum Titio. ff. de verb. signif.* Ità Barbo. *de potest. Episc. alleg. 53. numer. 112.* Bonac. *d. 1. q. 3. pun. 2. §. 1. numer. 19.* Torre *de hor. can. controu. 10. d. 7. & 9.* Manu *sum. to. 1. c. 145. numer. 5.* Vega *p. 1. sum c. 128. casu 10.* Lud. Lop. *to. 1. c. 246.* Pet. Ledes. *sum. p. 2. tr. 9. c. 4. concl. vlt. diffic. 1. & 2.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 11. q. 5.* 444 *Distrahentes non lucrantur.*

Cum his opinor. Quia cum Præbendati hi ad assistendum in choro teneantur, licet postmodum priuatim horas recitent, aut antea recitarint: non satisfaciunt assistendi in choro obligationi: non enim assistit, qui voluntariè distractus mente solum corpore adest. Quod si de Præbendatis obligatis ad canendum sermo procedat, existimo obligatos esse canere, nec satisfacere, dum submissa voce recitant: teneri attendere ad ea, quæ alter chorus canit. Quia hæc necessaria sunt, vt officium alternatim publicè persoluatur, & vnus chorus cum altero communicet. Vt asserit Suar. *l. 4. de hor. canon. cap. 12. num. 9. & 10.* Lessi. *l. 1. c. 14. num. 184.* & Bonac. *d. 1. de hor. canon. quæst. 3. punct. 2. §. 1. num. 17.* 445 *Cum his opinor.*

* *
*

PROBL

PROBL. LXXI.

Præbendatus, submissa voce suam partem recitans, vel non recitans, sed attendens solum ad partem, quam alter recitat chorus: lucratur, & non lucratur dimidiam distributionum partem.

446 *Lucratur quidem.* LVcratur quidem. Quia dimidiatè officium suum exequitur, quatenus ad partè, quam alter chorus recitat, attendit: Ergo accipere dimidium debet stipendium. Et quia dantur distributiones non solùm pro cantu, sed etiam pro assistentia: Ergo qui assistit, iam exequitur munus, cui aliqua pars stipendij correspondet. Sic Bonac. alios referens, *d. 1. de hor. can. q. 3. punct. 2. §. 1. num. 17.* Cenedo *collect. 15. ad 6. n. 6.* Navarra *de restit. l. 1. c. 21. n. 221.* Suar. *l. 4. de hor. can. cap. 12. num. 18.*

447 *Non lucratur.* Non lucratur. Quia Pius V. statuit, non lucrari fructus, & distributiones qui cum aliis choro assistens, non recitat. Et quidem distributiones non conceduntur Præbendatis ob assistentiam infrugiferam, & mutam: sed ob assistentiam, quæ deservit publicæ recitationi. Item conceduntur publicè recitantibus, seu ob recitationem, quæ fideles ad devotionem valeat excitare: At qui submissè recitat, vel non recitat, sed solum attendit ad ea, quæ alius recitat chorus: publicè non recitat: & consequenter eius recitatio publica non est: Ergo non est digna vlla distributione. Ita meus Ferdinandus de Castro *tom. 2. d. 3. punct. 4. num. 5.*

448 *Primam sententiã eligo.* Huius sententiam admodum probabilem esse reor. Iubet autem eius venia, amplecti secundam, quam probabiliorem esse reor, illo Suarij fundamine nitens: Dantur distributiones non solum pro cantu, sed etiam pro assistentia: Ergo qui assistit, iam exequitur munus, cui aliqua pars stipendij correspondet. Neque obstare crediderim Pij V. Constitutionem. Ei enim respondeo, non lucrari integrè; sed dimidiatè. Potrò si ibi non recitet, vel extra, nec dimidiatè lucrabitur. Quia amittenti penitus recitationem publicam, vel privatam, pœna amissionis omnium fructuum imponitur.

PROBL. LXXII.

Qui suam partem canit, & percipere non potest quam alter concinit chorus: debet, & non debet supplere privatim eam partem, vt possit integras distributiones percipere.

449 *Nonnihil suppono.* SVppono, satisfacere, posseque integras distributiones percipere, modò postea privatim suppleat, quæ non percepit ex altero choro. Quia per eum non stetit, quominus perciperet, & cum aliis in recitatione communicaret, vt docet Navar. *de orat. cap. 11. num. 41.* Bonac. *d. 1. de hor. canon. quæst. 3. punct. 2. §. 1. n. 20.* Quæsierim verò, an debeat privatim supplere, quæ ex altero choro non percepit?

450 Minimè debet. Quia licèt ad implendum recitandi præceptum id supplere debeat, eo quod integrè non recitauit officium: impleuit tamen assistendi choro obligationem cum per eum non stetit, quominus partem alteram exaudiret. Sic Nulla tradita ratione Sà, *v. Horæ, num. 9.* *Minimè debet supplere.*

Debet omnino, quæ non percepit, postea supplere. Quia non potest dici, partem, quam non percepit, recitasse: sola enim perceptione, vel auditione suam posset efficere. Ita Bonac. & Navar. *citati.* Moneta *de distrib. p. 2. q. 2. n. 47.* Suar. *lib. 4. de hor. can. c. 30. n. 15.* Palaus *tom. 2. d. 3. punct. 4. num. 6.* 451 *Debet quidem.*

Hoc probabilius esse reor. Quia Præbendatus non recitans Officium diuinum priuatur distributionibus ex Bulla Pij V. etiamsi choro interfit. Priuatur, inquam, integra perceptione, non dimidia earum parte, vt Problem. proximo dixi. Alteram autem partem percipere non poterit, nisi suppleat priuatim, quæ non audiuit. 452 *Hoc mihi verius.*

PROBL. LXXIII.

Capitulum percipiens distributiones, quas Præbendatus absens percepturus erat, si choro adesset: tenetur, & non tenetur soluere pensionem, & charitatiuum subsidium, quæ præbendæ distributionibus imposita sunt.

NEcessariò ad quæstionis elucidationem præmittendum in primis pensionem esse onus Beneficio, seu eius fructibus impositum Sedis Apostolicæ authoritate soluendi aliquam alicui portionem. Charitatiuum verò subsidium dici illud, quod Episcopus exigere potest à Clericis Beneficia possidentibus ex fructibus Beneficij. Deinde præmitto, pensionem, & charitatiuum subsidium regulariter non censeri impositam, nec soluendam ex distributionibus quotidianis; sed ex Beneficij fructibus. Quia distributiones quotidianæ constitutæ sunt ad diuini cultus augmentum, & personalis laboris in mercedem; non igitur censendæ sunt granatæ pensione, aut charitatiuo subsidio, nisi id clarè constet. Potest Pontifex hæc onera distributionibus annectare. Quia ipsi competit Beneficiorum, reddituum, emolumentorũ, aliorúmque Ecclesiasticorum prouentuum libera dispensatio. Idcò dixi, pensionem, & charitatiuum subsidium *regulariter*, seu inspecto iure communi, non censeri imposita super distributiones. His præmissis, quæsierim, num Capitulum percipiens distributiones, quas amittit Præbendatus absens, teneatur soluere pensionem, aut charitatiuum subsidium super præfatas absentis distributiones impositum? 453 *Nonnulla præmitto.*

Non tenetur. Quia Capitulum omnes distributiones absentium, & præsentium recipit iure proprio interessentibus dividendas; iure, inquam, proprio non decrescendi. Sed antè hãc diuisionem non est Capitulum ad pensionem, aut charitatiuum subsidium granatum: quia pensio non est imposita super cumulum fructuum omnium præbendarum: (non enim est imposita super omnes præbendas, sed super vnam tantùm.) Facta autem diuisione, nullus 454 *Non tenetur.*

Canoni

Canonicus videtur obligatus ad illorum onerum solutionem; quia omnes fructus, quos quilibet recipit, illos recipit iure proprio suæ præbendæ, quæ grauata non est. Sic Tolet. *lib. 1. c. 14. n. 13.* Gutier. *l. 1. qq. Canon. c. 15. n. 20.* Moneta *de distribut p. 3. q. 8. n. 17.* Nauar. *cons. 1. de solut. pension.*

455 *Tenetur plane.* Tenetur quidem. Quia Capitulum succedit loco Præbendati non assistentis choro horas recitaturi: sed Præbendatus non potest sibi lucrari distributiones, quibus annexa est pensionis, seu charitatiui subsidij solutio: Ergò nec Capitulum sibi potest lucrari: Ergo tenetur accipiens distributiones, ad pensionis, vel subsidij solutionem. Ita Nauar. sibi contrarius *consil. 3. de solut. num. 3.* Bonac. *d. 2. q. 6. punct. 3. num. 9.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 51. num. 177.* Garcia *p. 1. c. 5. n. 224.* Gigas *de pension. q. 51.* Roman. *consil. 188.* & alij.

456 *Hanc teneo, & expono sententiam.* His adhærens existimo, antè diuisionem fructuum, & illorum applicationem teneri Capitulum ad pensionis solutionem, si in se velit distributiones, quas absens amisit, retinere, aut aliis interessentibus applicare illam partem fructuum, quæ beneficiato grauato, si assisteret, esset concedenda. Quia illa pars indeterminatè à cumulo fructuum ex voluntate Pontificis est extracta, & ad pensionem grauata ex gratia Pontificis independenter à seruitio possessoris. Negari enim non potest, hunc modum imponendi pensionem esse possibilem. Quod autem sit conuenientior, inde probatur: quia intentio Pontificis, in concedenda pensione, est, prouidere certò & infallibiliter pensionario sustentationem: at si pensionarius non posset obtinere pensionem à Capitulo recipiente fructus, & distributiones tempore, quo beneficiatus non assistit, vel non recitat: haud certò, & infallibiliter, & annuatim pensionario erit prouisum. Quod si instes, beneficiatum esse personaliter obligatum ad illius solutionem. Præterquam quod est dubium, cum fructus nullos recipit: non infertur secura pensionarij sustentatio: siquidem beneficiatus sæpè impotens est ad soluendum; & ex alia parte cum non possit pensionarius fructus sequestrare, insolutus remanebit.

PROBL. LXXIV.

Præbendati infirmi, & impediti, & in vtilitatem Ecclesiæ occupati, lucrantur, & non lucrantur distributiones illas, quas absentes amittunt, ac si personaliter residerent.

457 *Lucrantur quidem.* IVcrantur profectò. Quia reputantur in iure interessentes: Ergo non solum debent sic reputari ad lucrandas distributiones sibi cõpetentes, sed etiam eas, quæ absentibus à choro competere constiterit. Certè Tridentinum *sess. 21. cap. 3. & sess. 24. c. 12.* non videtur aliis concedere absentium distributiones, nisi iis, quibus concedit proprias: siquidem interessentibus concedit, quas absentibus denegat, neque aliud terrium genus personarum agnoscit. Fauet vsus & praxis Hispaniarum Ecclesiarum, in quibus distributiones etsi pro singulis horis sunt assignatæ, non illas quis accipit, dum singulis interest horis, sed in anni fine: & tunc absentium distributiones diuiduntur inter eos, qui & realiter præsentes fuêre, & fictione iuris præsentes reputantur. Sic nonnulli moderni, quorum sententiam probabilem reputat Palaus *tom. 2. d. 3. punct. 8. num. 7.* & meritò quidem.

Non lucrantur. Quia in nullo textu expressum inuenitur, absentes ex causa infirmitatis, necessitatis corporalis, aut vtilitatis Ecclesiæ, lucrari absentium distributiones: Ergo non sunt illis concedendæ. Antecedens probo. Quia in *cap. Consuetudinem, de Cler. non resid. in 6.* vbi de iis legitimè absentibus fit mentio, solùm permittitur, ne amittant distributiones sibi obuenturas, si residerent. Ita Palaus *citat. n. 8.* Bonac. *d. 1. de hor. can. q. 7. punct. 1. in fine.* 458 *Non lucrantur.*

Probabiliorem hanc partem esse credo. Quia nullum priuilegium cedens in diuini cultus diminutionem est præsumendum, nisi expresse probetur: lucrari autem hos legitimè impeditos aliorum absentium distributiones est priuilegium cedens in diminutionem diuini cultus. Excipio tamen priuilegium desumptum ex consuetudine, quæ si legitimè sit præscripta seruanda est. 459 *Probabilius hoc mihi.*

CAPVT XXIX.

Circa causas excusantes Præbendatum à choro, vt non obstante illius absentia, distributiones lucretur.

PROBL. LXXV.

Grauis infirmitas in Præbendato, qui ante illam choro non solebat interesse, cum efficit, & non efficit præsentem, vt fructus, & distributiones percipiat.

VIdisti *sect. 1.* grauem infirmitatem efficere, vt Præbendatus fructus, & distributiones accipiat, ac si choro interesset. Quæsierim autem, num hoc verum habeat, si ille anteà interesse diuino Officio non solebat? Hoc in casu eius infirmitas non efficit, vt fructus & distributiones percipiat. Quia tunc infirmitas non est causa absentiæ, siquidem, infirmitate cessante adhuc abesset. Sic Couar. *3. variar. cap. 13. num. 8.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 53. num. 168.* Gutier. *l. 1. qq. canon. num. 158.* Vasq. *de Benef. c. 4. §. 3. n. 225.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 7.* Decanus *tom. 2. cons. 69. n. 8. & 9.* Moneta *p. 2. de distrib. q. 1. num. 21.* 460 *Non efficit eŭ præsentem.*

Tunc infirmitas eum præsentem efficit, vt fructus, & distributiones percipiat. Quia infirmitas in illo casu causa est, vt absit à choro: siquidem ex illa impeditur adesse, etiamsi voluntatem interessendi haberet. Quod autem, illa cessante, adhuc abesset, solùm infertur, infirmitatem non esse causam vnicam absentiæ: at non probat veram non esse causam. Cum verò *cap. vnic. de Cleric. non resid. in 6.* concedatur 461 *Efficit eum præsentem.*

datur impeditis ob infirmitatem lucrari distributiones posse, & ille eo in casu verè impeditur, efficitur planè, eum in hoc priuilegio esse comprehensum. Ita Petr. Nauarra *l. 2. de rest. c. 2. dub. 3. n. 238.* Cuius sententiam Palaus *to. 2. d. 3. pun. 9. §. 1. n. 5.* satis probabilem esse fatetur, licet contrariæ adhereat.

462 *Primam sententiam communem eligo.*

Ego quidem huius sententiæ rationem deò efficacem esse duco vt me non solum allicit vt probabilitatem sententiæ profitear, sed penè vt ei hærescerem, persuasit. Attamen quia à communi recedit, primam sector, credens, textum citatum ex *c. vni.* Sic debere explicari, vt non quibusvis impeditis ob infirmitatem concedantur distributiones, sed tantum ijs, quibus infirmitas vnica est absentiæ causa, illaque cessante, choro adessent.

PROBL. LXXVI.

Præbendatus qui extra locum residentiæ infirmatur, lucratur, & non lucratur distributiones, cum ex legitima causa abest.

463 *Non lucratur.*

ETiamsi ex legitima absit causa, extra locum residentia ægrotans, distributiones non lucratur. Quia *c. Cum non deceat, de elect. in 6.* absentibus à loco Ecclesiæ ob illius vtilitatem, fructus conceduntur, non distributiones. Ne igitur hic textus contrarius sit decisioni textus in *c. Vni. de Cler. non resid. in 6.* asserendum, textum in *c. vni.* procedere de impedito in loco Beneficij, alium verò de impedito vbilibet. Sic Vasq. de *Benef. c. 4. §. 3. n. 225.* Garcia *p. 3. c. 2. n. 360. & 364.* Gutier. *l. 1. qq. can. c. 1. n. 189.* Couar. *3. var. c. 13. n. 8.*

464 *Lucratur quidem.*

Si ex legitima causa abest, extra locum residentiæ ægrotans, lucratur distributiones. Quia tunc infirmitas vera causa absentiæ absolutè iudicatur. Neque obstat textus in *c. Cum non deceat.* Quia in illo non negantur accedentibus ad Romanam Curiam distributiones, eo quod à loco Beneficij absint: sed quia non erat omninò euidens, eorum absentiam vtilem esse Ecclesiæ. Ità Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 51. n. 167.* Bonac. *d. 2. q. 5. pun. 1. n. 6.* Moneta *de distribut. p. 2. q. 6. a n. 19.* Palaus *to. 2. d. 3. pun. 9. §. 1. n. 6.*

465 *Hanc sequor, & limito sententiam.*

Profectò vt hæc limitatio verum habeat, intelligenda est de eo, qui absque causa legitima à loco Beneficij abest. Quia hic censetur tunc, non tam ex infirmitate, quàm ex malitia abesse: sicuti ille, qui absque causa solitus erat ante infirmitatem choro non assistere. At si ex causa legitima à loco Beneficij abfuit, ibique infirmitate pressus fuerit, probabilius reor distributiones lucrari, nisi stet in contrarium consuetudo.

* * *

PROBL. LXXVII.

Excommunicatus vitandus fructus, & distributiones officio respondentes lucratur, & non lucratur, si horis celebrandis intersit.

466 *Lucratur fructus, & distributiones.*

LIcèt iustè excommunicatus sit, & vitandus, si horis intersit, fructus, & distributiones lucratur officio correspondentes. Quia licèt in tali assistentia peccet, hoc peccatum meritò debeat fructibus & distributionibus priuari, iuxta *c. Pastoralis §. Verum de appellation.* ipso tamen iure priuatus non est: nullibi enim cõstat hanc priuationem esse impositam. Sic Glos. *ad §. verum v. substrahamus.* Nauarra *de rest. c. 2. n. 241.* Coninch *d. 14. de excom. dub. 9. n. 80.* Vasq. *de Benef. c. 4. §. 3. dub. 4. n. 229.* Auila *de cens. p. 2. c. 6. d. 6. dub. 1.* Et Sanch. *l. 3. de matr. d. 51. n. 12.* reputat satis esse probabile.

467 *Non lucratur.*

Iustè excommunicatus, si vitandus sit, choro assistens fructus & distributiones officio respondentes non lucratur. Quia ipse non præstat officium nomine Ecclesiæ, cum Ecclesia illum ab officio repellat. Ita Bonac. *d. 2. de hor. can. q. 5. pun. 2. §. 2.*

468 *Primam ellego sententiam.*

Hoc probabile existimo, sed cum Doctoribus primæ sententiæ sentio. Quia tam excommunicatus, occultus, quàm publicus, tam toleratus, quàm non toleratus expulsus est excommunjcationis ratione ab assistentia chori. Neque Ecclesia in aliquo voluit excommunicato occulto fauere: Ergo de vtroque est idem dicendum, aut de vtroque negandum. At in iure non inuenio, excommunicatum vitandum esse priuatum ipso iure distributionibus ac fructibus Beneficij potius, quàm excommunicatum toleratum. Addiderim distributiones ac fructus beneficiato horis canonicis assistenti concedi: etiam si in peccato, & ob malum finem assistat: quia præstat officium, ratione cuius conceduntur. Ergo etiam concedi debent ei, qui in publica excommunicatione persistit, si officium præstet. Et quidem quantumuis sit excommunicatus vitandus nomine Ecclesiæ (non tamen licitè) præstat officium: Ergo debetur illi stipendium, dum eo per sententiam non priuatur.

PROBL. LXXVIII.

Qui vacans euidenti suæ Ecclesiæ vtilitati, extra locum Beneficij existens, lucratur, & non lucratur distributiones.

469 *Absens à loco Beneficij non lucratur.*

DIximus *sect. 1.* absentem à choro ob euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem non solum fructus, sed etiam distributiones lucrari, ac si præsens adesset. Quæsierim autem, num debeat huiusmodi absens à choro in eodem loco Beneficij existere, vt lucretur distributiones? Debet plane. Quia *c. Cum non deceat, de elect. in 6.* clerici accedentes ad sedem Apostolicam pro suarum Ecclesiarum negotijs gerendis, censentur illarum vtilitati incumbere, & ob eam causam fructus, & alia emolumenta,

F quæ

quæ deberent consequi si personaliter residerent, consequuntur (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, Ne igitur hic textus contrarius sit textui *cap. Consuetudinem, de Cler. non resid.* vbi absenti ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem conceduntur distributiones: affirmandum est, textum in *cap. cum non deceat*, loqui de absente à loco Beneficij, cui non debentur distributiones, nisi adsit contraria consuetudo, etiamsi fructus deberentur: & textum in *cap. consuetudinem*, loqui de residente in loco Beneficij, præcisa qualibet consuetudine. Sic Couar. *4. var. cap. 13. num. 8.* Gutier. *l. 1. qq. Canon. cap. 1. num. 144.* Garcia *par. 9. cap. 2. num. 36.*

470 *Absens à loco Beneficij, lucratur.* Minimè debet. Quia sæpè vtilitas propriæ Ecclesiæ hanc requirit absentiam. At non est credendum velle Ecclesiam deterioris conditionis esse qui proprij domicilij commoda deserit, vt ipsi inseruiat: quam qui in loco Beneficij existens, ex eadem occupatione, scilicet, vt Ecclesiæ seruiant, à choro decedunt. Non igitur ex hac parte priuilegium limitandum est, cum in *cap. consuetudinem* nulla sit limitatio apposita. Ità Ferdin. de Castro *tom. 2. d. 3. punct. 9. §. 3. num. 2.*

471 *Verius hoc mihi.* Cuius sententiam probabiliorem iudicarim. Existimo enim caput *Cum non deceat*, minimè obstare. Nam omissis variis solutionibus, illa eiusdem Doctoris mihi verior apparet: vt scilicèt intelligatur de illo speciali casu absentiæ ob instructionem electionis, in quo casu absens fructus præbendæ acquirit, exceptis distributionibus. Caput verò *Consuetudinem*, intelligatur generaliter de quolibet alio casu in vtilitatem propriæ Ecclesiæ cedente. Limitat ergò caput *Cum non deceat*, aliquo modo concessionem capitis *Consuetudinem.*

PROBL. LXXIX.

Fructus & distributiones debentur, & non debentur Præbendato, qui occupatur in negotiis euidentem Ecclesiæ vtilitatem importantibus, si negotia extra officij tempus valeant rectè expediri, ille verò tempore officij celebrandi expedit.

472 *Non ei debentur.* NOn debentur ei. Quia non videtur abesse à diuinis officiis ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem cum absque vllo eiusdem detrimento posset diuinis officiis assistere, ante vel post id tempus negotia expediens. Et quia videtur, impedimentum affectare ob idque in dolo esse: Ergo ei dolus prodesse non debet. Sic Moneta *p. 2. de distrib. quæst. 5. num. 42.*

473 *Debentur ei.* Debentur ei fructus, & distributiones. Quia negari non potest, illum diuinorum officiorum tempore in euidenti Ecclesiæ vtilitate esse occupatum: sed sic occupatis fructus, ac distributiones conceduntur. Ergò ei debentur. Ita Bonaci. *d. 2. de hor. canon. quæst. 5. punct. 3. num. 16.* Palaus *tom. 2. d. 3. punct. 9. §. 3. numer. 13.*

474 *Hoc mihi ferè certum.* Hoc longè probabilius esse existimo. Quia si occupati in Ecclesiæ euidentem vtilitatem obligati essent, vel præuenire, vel postponere negotiorum expeditionem, vt possent indemnes seruari, nullum vel minimum priuilegium esset eis concessum. Imò sæpè præ ceteris grauarentur; si quidem tempore, quo alij vacant, debebunt ipsi in vtilitatem Ecclesiæ laborare: & insuper choro velut alij assistere. Haud igitur credam de suaui Ecclesiæ regimine, ac prouidentia hoc intendere, præsertim cum hæc obligatio non modicam inquietudinis scrupulorum viam conscientiæ aperiret.

PROBL. LXXX.

Præbendato committuntur Ecclesiæ negotia Matutino tempore expedienda, ille verò tunc propria gerit negotia, Ecclesiæ negotia vespere expediturus: Hic nullas lucratur, hic aliquas lucratur distributiones.

475 *Nullas lucratur distributiones.* NVllas planè lucratur. Quia lucrari non potest Matutinas distributiones: in tantum enim eas lucrari potest in quantum in euidenti Ecclesiæ vtilitate occupatur: At non occupatur tunc in vtilitate Ecclesiæ, sed in propria. Ergò distributiones Matutinas non lucratur. Nec potest lucrari Vespertinas distributiones, eo quod eo tempore diuinis posset assistere, si Matutino statuto tempore Ecclesiæ negotia peregisset: ac proinde ex propria culpa ac negligentia, non ex licentia ac voluntate Prælati tunc abest. Ergò ei non debentur Vespertinæ distributiones. Igitur nullæ debentur. Sic Moneta *de distrib. part. 2. quæst. 5. num. 44.* Bonac. *d. 2. de hor. canon. quæst. 5. punct. 2. num. 21.*

476 *Aliquas distributiones lucratur.* Aliquas ille lucratur distributiones. Quia cum ei permissum fuerit à choro abesse, & distributiones Matutinas lucrari ob Ecclesiæ negotiorum expeditionem, & de facto tempore diuinorum officiorum vesperè illa negotia expedierit; efficitur equidem, eum legitimam habuisse causam non interessendi aliquibus officiis diuinis, & distributiones illis correspondentes ei debitas esse. Ita Palaus *to. 2. d. 3. pun. 9. §. 3. num. 15.*

477 *Existimo eum lucrari vespertinas distributiones.* Hanc sententiam vt longè veriorem imò ferè certam amplector. Crediderim autem probabilius ei deberi distributiones correspondentes tempori, in quo Ecclesiæ negotia expediuit, scilicèt Vespertinas. Quia tunc verum est, eum in vtilitatem Ecclesiæ fuisse occupatum. Neque obstat fuisse eo tempore occupatum ex negligentia, ac propria culpa cum assignato matutino tempore negotia non expedierit, & contra Ecclesiæ voluntatem distulerit in vesperum; quia absolutè in vtilitatem Ecclesiæ fuit occupatus, & posita priori negligentia, iam ex voluntate Ecclesiæ vespertino tempore abest: & si Matutino tempore propria gerens negotia non interfuit, correspondentes ei tempori distributiones iam in pœnam amisit.

* *
*

PROBL.

PROBL. LXXXI.

Canonici, qui præsente Pœnitentiario, designantur in illius adiutorium ad confessiones audiendas ob pœnitentium multitudinem: lucrantur, & non lucrantur distributiones Officiu diuinis adstanti designatis.

478 *Minimè lucrantur.* Minimè lucrantur. Quia id priuilegium solummodo conceditur à Tridentino *sess. 24. c. 8.* Canonico Pœnitentiario, non aliis audientibus eo tempore confessiones, Licèt enim eorum ministerium in populi cedat vtilitatem, regulariter cedet in damnum Ecclesiæ, ac diuini cultus diminutionem. Hanc sententiam probabilem indicat esse Palaus *cit. ndus.*

479 *Lucrantur Nauar.* Lucrantur equidem, ac si choro essent præsentes. Quia occupantur in euidenti Ecclesiæ vtilitate. Vtile enim est Ecclesiæ, imò necessarium, ministros habere, qui populo in re ita necessaria satisfaciant Sic Palaus *tom. 2. d. 3. punct. 9. §. 5. num. 4.* Mea sententia est, Canonicos hosce minime distributiones lucrari, si ex deuotione huic muneri incumbant, ob rationem primæ sententiæ. At si ex mandato seu assignatione superioris hoc præstent officium probabilius cum Palao existimo fructus & distributiones lucrari sicut Pœnitentiarius, non solùm quando Pœnitentiarius abest, vel mortuus est, & in eius locum alius designatur: sed etiam quando illo præsente in illius adiutorium aliquis, vel aliqui designantur. Quia occupantur in eodem officio, ac Pœnitentiarius occupatur: Ergo ex intentione Concilij eis, debent distributiones impertiri.

PROBL. LXXXII.

Episcopus potest, & non potest ex Ecclesia Collegiata assignare suo seruitio non solùm duos, sed plures Canonicos, qui fructibus præbendæ fruantur, etiamsi choro non intersint.

480 *Nonnihil suppono.* Svppono ex *sect. 1.* deberi fructus, sed non quotidianas distributiones duobus Canonicis Cathedralis Ecclesiæ ab Episcopo in suũ seruitium designatis, ac si præsentes choro essent. *c. de cætero, c. Ad audientiam, de Cler. non resid.* quod non est derogatum à Tridentino *ses. 24. c. 12.* Deberi eis fructus constat, quia legitima ex causa absunt, qualis est seruitium Episcopi, in quo Ecclesiarum vtilitas. Distributiones non deberi patet: quia non sunt occupati in propriæ vtilitatem Ecclesiæ. Quæstioni autem do, vtrum Episcopus possit ex Ecclesia Collegiata plures quam duos Canonicos ad sui seruitium, qui quidem vti præsentes choro fructus Beneficij percipiant?

481 *Potest plures, quam duos eligere.* Potest quidem in sui familiares plures eligere. Quia in *c. de cætero*, nulla fit limitatio: & in *c. Ad audientiam*, vbi limitatio fuit facta ad duos Canonicos, loquitur de Canonicis Cathedralis Ecclesiæ. Ergo ex Ecclesia Collegiata plures, quam duos potest eligere, qui choro præsentes ad fructus quidem, non ad distributiones percipiendas, habeantur. Sic aliqui cum Moneta *part. 2. de distrib. q. 8. num. 6. & 7.*

482 *Non potest.* Minimè potest. Quia ex limitatione facta in *cap. ad audientiam* infertur, limitandum esse *caput De cætero*. Si enim ex Ecclesia cathedrali non potest Episcopus nisi tantum duos in familiares assignare, neque etiam poterit ex Ecclesia Collegiata, vbi regulariter numerus præbendarum est minor: Ita Castro Pala. *tom. 1. d. 3. punct. 9. §. 7. num. 4.* Garcia *p. 3. cap. 2. n. 181.* Fauet Hugol. *de offic. Epis. cap. 19. num. 6.*

483 *Primam sententiam non probans, secundam ueram.* Existimo, primam sententiam vix posse sustineri. Nam si plures ex Ecclesia Collegiata posset in sui familiares Episcopus eligere, diuinorum officiorum solemnitas imminueretur. Vndè aptè Hugolinus *citatus* dixit, Prælatum Ecclesiæ Collegiatæ, vnum tantùm habere posse in suo seruitio, non plures; alias si plures sine limitatione posset designare, cederet in graue detrimentum Collegiatarum Ecclesiarum priuilegium.

PROBL. LXXXIII.

Priuilegium percipiendi fructus in absentia concessum Pontificis familiaribus; extenditur, & non extenditur ad familiares Cardinalium, & Legatorum.

484 *Nonnulla suppono.* Constat ex *sect. 1.* excusari ab assistentia diuinarum officiorum in ordine ad lucrandos fructus præbendæ Canonicos, & alios Præbendatos, si Pontifici inseruiant: non autem posse distributiones lucrari, nisi aliquo priuilegio aut cõsuetudine legitimè præscripta muniantur: illos demum dici Pontifici inseruire, vt priuilegio percipiendi fructus gaudeant, qui sunt eius Capellani, Camerarij, ac reliqui similes officiales, vel qui mandato ipsius in Curia commorantur, vel ij, quibus expeditio alicuius negotij in vrbe aut extra vrbem committitur. Iam requiro, num hoc priuilegium percipiendi fructus in absentia pro familiaribus Pontificis ad familiares Cardinalium, ac Legatorum extendatur.

485 *Extenditur quidem.* Extenditur quidem. Quia familiares Cardinalium aut Legatorum reputantur Pontifici inseruire. Sic Sylueſt. *v. Residentia, n. 7.* Zerola *in praxi Episc. p. 1. v. Residentia, §. 4.* Selua *de Benef. p. 4. q. 6. casu 21.* Villadiego *de Cardin. n. 63.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 4.*

486 *Non extenditur.* Minimè extenditur. Quia non est, vndè familiares Cardinalium aut Legatorum valeant Pontificis familiares haberi. Nec constat id ex vllo priuilegio acquisisse. Ità, aliis relatis, Garcia *p. 3. c. 2. n. 388. & 423.* Moneta *p. 2. de distrib. q. 9 n. 7.* Bonac. *d. 2. de hor. canon. q. 5. pun. 3. §. 1.* Palaus *to. 1. d. 3. pun. 9. §. 8. n. 4.*

487 *Idem affirmo.* Dubito concessum vnquam fuisse huiusmodi priuilegium Cardinalium ac Legatorum familiaribus. At si concessum fortasse olim fuerit, per Tridentinum sublatum omnino est, vt vsus testatur.

PROBL. LXXXIV.

Priuilegium percipiendi fructus in absentia extenditur, & non extenditur, ad eos, qui in seruitio, seu officiis Regiis, vel Supremi Principis occupantur.

488 *Extenditur.* EXtenditur. Quia saltem huiusmodi priuilegio fruuntur Regis Hispaniæ & Galliæ Ministri. Sic Selua *de Benef. p.4. q.6. casu 24.* Petr.Gregor.*de Benef.c.7.n.9.* Zeual.*in suis commu.contra commun.q.585.n.7.* Qui absolutè asserunt omnes illos, qui in seruitio, aut officio Supremi Principis occupantur hoc priuilegio gaudere.

489 *Non extenditur.* Minimè extenditur. Quia sine vllo fundamento contrarium asseritur. Non enim constat eos id ex consuetudine acquisiisse: at ex priuilegio non habent hodie (quod sciam) vlli Regum ministri. Ita Garcia *p.1.c.2.n.265.&* 398. Bonac.*d.2.de hor.can.q.5.pun.3.§.1.* Palaus *to.2.d.3.pun.9.§.8.n.5.*

490 *Idem opinor.* Fateor, ante Concilium Tridentinum Regi Franciæ tale priuilegium fuisse concessum, (vt testantur Boërius *decis.17.*& Rebuf.*in concord.tit.de collat.§.1.*) & capellanis Regis Hispaniæ à Paulo III. Attamen iam priuilegium huiusmodi per Concilium *sess.6. c.2.*& Bullam Pij V. est reuocatum.

PROBL. LXXXV.

Studentes Theologiam, seu ius Canonicum, in studio generali, aut celebri Vniuersitate, vt lucrentur fructus; debent, & non debent, petere ab Ordinario licentiam.

491 *Non debent licentiam petere ab Ordinario.* DIxi *sectio.1.* studentes in studio generali, aut celebri Vniuersitate Theologiam, seu ius Canonicum fructus in absentiam percipere. Quæsierim verò, num debeant petere ab Ordinario licentiam, an possint absque illa ad studia pergere, & fructus lucrari? Non debent. Quia eis conceditur à Sede Apostolica percipiendi in absentia fructus facultas. Ergò non est necessaria Ordinarij licentia. Tunc enim Ordinarij licentia expostulatur, quando impertienda est ex aliqua causa in iure non expressa: ob causas autem expressas in iure, redundat. Nec obstant *cap. Relatum, cap. Tuæ fraternitatis, de cler. non resident.* iuncta Glos. explicatione: in quibus videtur necessariò expostulari licentia Ordinarij. Quia tempore Alexandri III. studium generale non erat sufficiens absentiæ causa, nisi ab Ordinario approbaretur, quæ postea per Honorium III.*c.fin.de Magistr.* fuit absolutè approbata: vnde iam nō indigent noua approbatione. Et quia licentia in dicto *cap.* expostulata, non est iungenda cum studio literarum, sed cum aliis honestis causis in iure non expressis; secus de expressis in iure, in quibus nulla Prælati licentia requiritur. Sic nonnulli Doctores relati à Garcia *p.1.cap.1.num.85.* Bonac.*d.2. de hor. canon. quæst.5.punct.3.num.2.*

Debent licentiam ordinarij perquirere. Quia licèt iure antiquo hæc licentia requisita non fuerit, at iure nouo Tridentini, & præcipuè constitutione Pij IV. quæ incipit, *Ad aures* edita 24. Nouemb. anno 1564. huiusmodi licentia ab Ordinario requiritur. Ita enim expressè cauetur in præfato motu proprio: & in Parochis est omninò certum ex Trident.*sess.23. cap.* 1. Ita Garcia *citat. num.* 87. Barbo. *de potest. Episc. part.3. alleg.56. numer.*28. Palaus *tom. 2. d. 3. punct.* 9. §. 9. *num.* 7. & alij. 492 *Debet. plus.*

Petendam esse Ordinarij licentiam cum his affirmo. Quia ad Ordinarium attinet, examinare, num confluentes ad studia habeant requisitas à iure qualitates, scilicet, an sint ad scientiam apti, & in ætate debita constituti? & ne Ecclesia ob eorum absentiam in diuino cultu patiatur detrimentum. Quæ omnia geri non possent, si Ordinario irrequisito illi ad studia pergerent. Idquè constat ex Sacræ Congregationis decisione, à Garcia relata. Porrò Ordinarius tenetur, hanc impertire licentiam, si in petente concurrunt ætas, & qualitas ad scientiam requisita: & Ecclesia ex eius absentia graue circa diuinum cultum detrimentum non patiatur. Quia posito priuilegio iuris, id iam non est gratiæ, sed iustitiæ, vt docet Garcia. Quod si ab ordinario debitas qualitates habenti facultas denegetur: poterit repulsus appellare, & ad superiorem recurrere. Selua *de Benef. p.4.q.7.n.19.* Zerola *v.studium,§.1.*& *v. Residentia §.3.* Abbas, Felin. & alij, quos refert, & sequitur Garcia *num.* 86. 493 *Hoc longè probabilius esse reor.*

PROBL. LXXXVI.

Obtinentes Parochiales Ecclesias possunt, & non possunt ex Ordinarij facultate à suis Ecclesiis studij causa abesse fructúsque lucrari.

MInimè possunt. Quia Tridentinum *sess.* 494 *Minimè possunt.*
21. cap. 1. non permittit Episcopo impertire Parochis licentiam, vt à propria Ecclesia vltra bimestre absint, nisi ex graui causa: sed à Sacra Congregatione Concilij non reputatur causa grauis studium in Parocho: vt ex declarationibus, quas refert Barbosa *in remiss. Concil.* colligitur: Ergo. Præterea quia post Tridentinum nemini datur Beneficium Curatum, nisi à tribus Examinatoribus Synodalibus fuerit iudicatum scientia sufficienti pollere ad animarum regimen requisita. Sed priuilegium absentiæ ratione studij concessum fuit, vt Beneficiati sufficienrem scientiam haberent: Ergò cum antè Beneficium obtentum iam illa pollere supponantur, cessat priuilegij finis, & consequenter ipsum priuilegium. Sic Gonzalez *Regula* 8. *Cancel. glos.6. num.* 249. Garcia *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 83. Prosper. Aug. *addit. ad Quarantam v. Residentia*, Riccius *in collect. decis.* 3. *part. decis.* 563. *& in praxi fori Ecclesiast. decis.* 502. Barbos. *de potest. Episc.p.3.alleg.56.num.3.*

Possunt quidem. Quia à Tridentino non est sublata facultas Ordinariis iure antiquo con- 495 *Possunt quidem.*
cessa,

cessa, permittendi Parochos ratione studij abesse à Beneficio, & fructus in absentia lucrari. Ergo nullum est firmum fundamentum ab negandi illis hoc priuilegium. Antecedens probo ex ipso Tridentino *sess. 1. cap. 1.* vbi in fine dicitur: *Docentes verò sacram scripturam* (& idem est de iure Canonico) *dum publicè in scholis docuerint, & scholaris in ipsis scholis studens priuilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum, & Beneficiorum suorum in absentia à iure concessis plenè gaudeant, & fruantur.* Ex quibus verbis manifestè videtur constare, Concilium non solùm non reuocasse priuilegium concessum *in c. fin. de Magist.* & *c. Cum ex eo, de elect. in 6.* Sed omninò illud obfirmasse. Item *sess. 6. c. 2.* postquam Concilium dixerat, debere Prælatos cogere Parochos, vt resideant, non obstante quolibet priuilegio, vel indulto perpetuo subiungit: *Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus ex veris, & rationabilibus causis tantum concessis, & coram ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris.* Quod autem causa studij inter causas veras, & rationabiles computari debeat, indè probatur, quia semper à iure sic reputata fuit; & quia ad marginem huius decreti appositum est *Caput cum ex eo, de elect.* vbi causa studij iudicata est sufficientissima. Ità Nauar. *sum. cap. 2. num. 121.* Tolet. *l. 3. cap. 5. numer. 4.* Ludou. Lop. *tom. 1. Instruct. cap. 249.* Valent. *2. 2. d. 10. quæst. 1. punct. 5.* Azor. *par. 2. l. 7. cap. 4. quæst. 3.* Lessi. *l. 2. cap. 24. dub. 29. nu. 163.* Manu. *to. 1. c. 3. n. 2.* Sa. *v. Residētia, n. 8.* Liuius, Salzed. Selua, Zerola. Rebuf. Ant. Gomez, Zechus, Vega, Maiol. Hojeda, Candelabr. aure. quos refert, & sequitur. Fernād. de Castro *to. 2. d. 3. pun. 9. §. 9. n. 9.* lege Garciam *p. 1. cap. 2. à n. 34.*

496 *Secundam sententiam sui probabilem, missa prima probabiliori, fatetur, & illam illustrat.*

Verùm post Tridentinum probabilius iudico, obtinentes Parochiales Ecclesias, non posse ob causam studij à suis Ecclesiis abesse, & fructus lucrari. Quia sic est expresè decisum à Sacra Cardinalium Congregatione, vt videri potest in Doctoribus pro prima sententia citatis. Attamè licèt ea in iudicando, & consulendo seruanda sit, admodum probabile mihi, posse Ordinarium Parocho studere volenti hanc licentiam concedere, non obstante Tridentino, nec Sacræ Congregationis declaratione. Non enim obstat Tridentini decretum, quia studium grauis est causa: & licèt circa finem illius capituli dicatur, non posse sic studentes à suis absentes Beneficiis se defendere vigore Eugenianæ constitutionis: hoc non tollit, quominus ex causa studij possint abesse. Nam in illis verbis solùm intendit Concilium vt non possint, se defendere, quominus Ordinarij valeant per censuras, aliaque iuris remedia eos compellere, ne absque eorum licentia & in scriptis obtenta à Beneficiis absint. Nullum tamen est verbum in illo capite, ex quo possit colligi, Prælatum ob causam studij non valere licentiam Parocho concedere, ipsúmque abesse non posse, ea licentia in scriptis obtenta. Neque vrget Cardinalium declaratio, quia intelligenda est de licentiis in Curia Romana petitis à Pœnitentiario, non de licentiis ab Ordinario requisitis. Illæ enim licentiæ non suffragantur absentibus, nisi singulorum Ordinariorum locorum, in quibus singula Beneficia sita sunt, gratus accedat consensus. Sic Moneta *p. 2. de distrib. q. 10. n. 9.* Barbosa *de potest. Episc. part. 3. alleg. 56. num. 29.* Addiderim de eiusmodi Cardinalium declaratione authenticè non constare. Itaque huic sententiæ, missa probabiliori, lubet hæresceere.

PROBL. LXXXVII.

Tempus à iure concessum studentibus, potest, & non potest ad septennium extendi.

NOn potest ad septennium produci. Quia *c. fin. de Magistr.* dicitur quinquēnium eis dandum esse à die, quo studere incipiunt, neque vltra extendendum. Sic decisum referunt Garcia *p. 3. c. 2. n. 103.* Moneta *de distrib. part. 2. quæst. 10. n. 14.* Barbo. *de potest. Episc. p. 3. allegat. 56. num. 31.* 497 *Non potest ad septennium produci.*

Potest produci ad septennium. Quia *c. Cum ex eo de elect. in 6.* (quod posterius est) septennium conceditur: ideò septennium potest concedi. Ita Zerola *p. 1. v. studium. §. 3.* Zech. *de Repub. Eccles. tr. de Cleric. num. 7. vers. 28.* Pala. *tom. 2. d. 3. pun. 9. §. 9. num. 11.* 498 *Potest produci ad septennium.*

Hanc teneo sententiam, concilióque *Caput fin. de Magist.* & *caput cum ex eo, de elect.* Quia *caput fin. de Magist.* concedens quinquennium loquitur de studentibus iuri Canonico, & *caput cum ex eo*, de studentibus Theologiæ: cum enim ad huius studium requiratur studium Philosophiæ præcessisse per tres annos, & in Theologia soleant quatuor insumi, sanè totum hoc tempus potest concedi. Vndè de studentibus Theologiæ in Salmantina Vniuersitate approbat Garcia *citatus num. 107.* posse per septennium abesse, & fructus in absentia percipere. Docentibus verò nulla est limitatio facta, sed toto eo tempore, quo in docendo fuerint occupati, fructus in absentia percipiunt, ex *c. fin. de Magist.* & Trident. *sess. 5.* vt tradit Moneta *de distrib. part. 3. quæst. 10. num. 16.* & Barbo. *vbi sup. num. 32.* 499 *Hanc teneo sententiam.*

PROBL. LXXXVIII.

Si Beneficium constat ex distributionibus quotidianis solùm: eas lucratur, & non lucratur absens studij ratione.

NOn lucratur. Quia solummodo est facta concessio fructuum præbendæ, demptis expresè distributionibus. Ergò si præbenda nullos habeat fructus, nulla est concessio. Sic Bonac. *d. 2. de hor. canon. quæst. 5. punct. 3. §. 9.* 500 *Non lucratur.*

Lucratur profectò. Quia illæ distributiones fructuum loco succedunt. Et quia aliàs priuilegium his beneficiatis esset inutile. Ita Piasecius *praxi Episc. p. rt. 2. cap. 3. num. 10.* Moneta *de distrib. p. 2. quæst. 10. num. 24.* Tusch. *concl. 514. lit. D.* & pluribus relatis Garcia *part. 3. cap. 2. num. 116.* & *551.* Barbo. *de potest. Episc. part. 3. alleg. 56. num. 19.* & *20.* Pala. *to. 2. d. 3. part 9. §. 9. n. 13.* adiiciens ex his distributionibus, quas absens lucratur, tertiam partem esse demendam. 501 *Lucratur quidem.*

His subscribo Doctoribus, credens, Quarantam verè affirmare in *sum. Bullar. v. Residentia*, sic à Sacra Congregatione fuisse declaratum. 502 *Hù subscribo, Doctoribus.*

PROBL. LXXXIX.

Episcopus ad breue tempus, & ex causa aliqua rationabili potest, & non potest priuilegium concedere, vt quis valeat à residentia chori excusari, & distributiones in absentia consequi.

503 *Nonnulla suppono.*

SVppono ex *sect.* 1. posse Pontificem dispensare, vt quis distributiones quotidianas, quæ ex redditibus Beneficij extrahuntur, & singulis diebus interessentibus diuiduntur, absens à choro perpetuò possit lucrari. Quia Beneficio, & illius fructibus non est iure naturæ obligatio illi annexa assistendi in choro; sed ex iure positiuo, in quo validè, licèt non licitè absque causa, dispensat, qui illud concedit. Certè ab alio, quam à Pontifice non potest alicui priuilegium concedi perpetuum, vt absens à choro distributionibus perfruatur. Quæsierim verò nùm Episcopus possit ad breue tempus huiusmodi priuilegium ex causa rationabili concedere.

504 *Non potest id gerere Episcopus.*

Minimè potest. Quia nullibi inuenitur tradita hæc potestas, & cum sit in lege superioris: Episcopus eam habere à se ipso non potest. Sic Garcia variis decisionibus comprobans *p. 3. de Benef. p. 3. cap. 2. à numer.* 404. & est communis.

504 *Id Episcopus gerere potest.*

Potest planè Episcopus de consensu Capituli dispensare cum aliquo, iusta aliqua causa intercedente, vt fructus & distributiones breuis temporis interstitio in absentia percipiat. Quia sic Congregatio Sacra Cardinalium declarauit Episcopo Cantuariensi. Et quia constat ex praxi, sæpe Episcopum dare licentiam Parocho, vt à Beneficio absit, & fructus percipiat, ob defensionem iuris sibi in Beneficio competentis, vt visitet parentes, quos longo tempore non vidit, vt eos in aliqua afflictione consoletur, & alias ob causas, quæ iustæ reputantur, licèt ex illis non sint, quæ sunt in iure expressæ. At residentia Parochi strictior est, quàm Canonicorum: Ergò poterit Episcopus Canonicis ob similes causas facultatem impertire, vt per breue tempus in absentia non solum fructus, sed & distributiones valeant lucrari. Ità Armendar. *in addit. ad recopil. legum Nauarræ l. 2. tit. 23. de Residen. rubr. An Canonici, vel alij habentes dignitatem, in suis Ecclesijs teneantur residere, num.* 124. Comitol. *respons. moral. l. 1 q. 59. n. 2.* Pala. *to. 1. d. 3. pun. 9. §. 10. n. 3.* Barbo. *de potest. Episc. p. 1. allegat. 53. n. 13.*

506 *Hanc satis probabilem eligo sententiam.*

Scio primam sententiam communem esse, sed mihi eligo secundam, quam probabilem admodum esse reor, ex declaratione illa Cardinalium Episcopo, licèt aliæ rationes non subessent. Quia licèt Garcia nitatur ei respondere, affirmans, illam non esse generalem declarationem, sed specialem facultatem ei Episcopo concessam: quamuis id ita sit (quod certum non reputo) ex illa sumo sufficiens fundamentum ad affirmandum, ex aliis causis præter illas, quæ in iure continentur, posse Episcopum in residentia dispensare. Fauet Trident. *sess. 6. cap. 1.* vbi remittit Episcopi arbitrio causam absentiæ examinare; & prout ipsi expediens videbitur facultatem dispensandi in residentia concedit. Item in eodem capite reuocantur priuilegia, & inducta perpetua de non residendo, indulgentiis, & dispensationibus temporalibus ex veris & rationabilibus causis concessis, & coram Ordinario legitime probandis in suo robore permansuris. Ergo tacite insinuatur posse Ordinarium absentiam temporalem ex causa rationabili permittere. Ex vi tamen huius dispensationis dispensatus solum lucrabitur præbendæ fructus, non distributiones. Quia *cap. vni. de Cleric. non resident.* expressè cauetur distributiones non lucrari nisi aliqua ex tribus causis ibi expressis intercedat. Lucrabitur autem si dispensatio fiat ob aliquam ex illis causis inibi annumeratis.

PROBL. XC.

Ex Ecclesiæ statuto à fundatore facto potest quis, & non potest excusari longiori trium mensium tempore ab horarum Canonicarum assistentia, & nihilominus fructus, ac distributiones lucrari.

507 *Non potest id à statum fundator gerere.*

STatutum huiusmodi potest fieri ab ipso Ecclesiæ fundatore, à Capitulo, vel ab Ordinario. Si fiat à fundatore, inualidum est, & non potest virtute illius quis vltrà tres menses ab horum assistentia excusari. Qui fundator Beneficij residentiam requirentis, debet id iustà qualitates à Sacris Canonibus requisitas fundare. At cum Sacri Canones solum his Beneficiis trium mensium recreationem constituant, abrogantes quaslibet consuetudines & statuta in contrarium: effici videtur, non posse fundatorem aliter disponere. Et quia fundator non potest fundationis ratione exigere, quod Ecclesiæ damnum, non leue, pariat. At eximere præbendatos longiori trium mensium tempore à residētia reputatur à Concilio Ecclesiæ damnosum: Ergo non licet fundatori, statutum gerere excusans præbendatū à residentia vltra tres illos menses, si Beneficium residentiam postulet. Sic quidam Doctores quos, presso nomine, memorat Fern. de Castro *to. 2. d. 3. pun. 9. §. 11. n. 1.* & probabile reputat Azor *p. 2. l. 7. c. 6. q. 3.*

508 *Potest omninò.*

Si fiat à fundatore, validum est statutum, & eius vi potest quis excusari à residentia chori vltra tres illos menses. Quia eiusmodi statutum non est Sacris Canonibus contrarium. Non enim Sacri Canones fundationes immutant, sed illas intactas relinquunt, iuxtà fundatorum voluntatem: nè alij à similibus fundationibus auertantur. Sic Moneta *de distrib. p. 2. q. 13. numer.* 33. Garcia *p. 3. cap. 2. num.* 244. *& p. 7. cap. 1. numer.* 118. plures referens. Barbo. *p. 1. de potest. Episc. glos. 16. tit. 2. n.* 25. *&* 26. Bonac. *d. 2. q. 5. pun. 5. fine.*

509 *Hanc sententiam longè probabiliorem iudico.*

Hanc sententiam longè probabiliorem iudico. Quia ita decisum à Sacra Cardinalium Congregatione apud Monetam & alios legi. Et quia existimo in huiusmodi statuto non exigi conditionem Ecclesiæ damnosam, sed vtilem, cum sit Ecclesiæ habere Beneficium cum aliqua residentia vtilius, quàm illo carere. Necnon ad Ecclesiæ pulchritudinem pertinet Beneficiorum in residendo diuersitas.

PROBL.

PROBL. XCII.

Ex statuto facto à Capitulo, vel ab Episcopo ex Capituli consensu, potest prabendatus, & non potest, vltrà tres menses choro abesse, & tamen distributiones tempore absentiæ respondentes percipere.

510 Potest quidem. Quia inferiores possunt aduersus ius commune præscribere consuetudine; ergo & statuto: Ergo poterit Capitulum, & Episcopus eo consentiente statuere longius recreationis tempus, & distributiones quotidianas illo tempore concedere. Præterea *cap. vni. de cler. non resi.* cauetur distributiones diuidendas esse iuxta cuiusque Ecclesiæ ordinationem. Ergo potest Ecclesia ordinationem gerere, vt quibus voluerit, concedantur. Profectò de facto in pluribus Ecclesiis factum est statutum iubilationis pro iis, qui quadraginta annos inseruire, quibusque non solum fructus, sed & distributiones impertiuntur. Sic Zenedo *part. 3. collect. 15. ad 6. decret.* Garcia *part. 3. cap. 2. num. 499.* Barbosa *part. 3. de potest. Episc. alleg. 53. num. 117.* Praxis Episc. *part. 2. cap. 3. num. 9.* Stephan. Grat. *discept. forens. cap. 208. num. 19.* Moneta *de distrib. part. 2. quæst. 7. num. 21. & quæst. 12. num. 61. & quæst. 13. num. 41.* Qui omnes testantur ita fuisse decisum à Gregorio XIII. pro statuto Compostellanæ Ecclesiæ, quod dixit esse tolerandum. Vndè tacitè insinuauit ex se esse validum.

511 Non potest. Minimè potest. Quia nequit inferior aduersus præscriptiones. Superioris statuere *cap. Instit. 8. quæst. 2. Clement. Ne Romani, de elect. cap. super his, de maiorita. & obedi. cap. Cum omnes, de Constitut.* Cum verò à Tridentino sit statutum, vt tribus tantùm mensibus vacent præbendati, illóque tempore fructus lucrentur, non distributiones: nequit inferior aduersus hoc statutum procedere. Ità Abbas *in cap. fin. de consuetud. num. 7. & 8.* Bonac. *d. 2. de hor. canon. quæst. 5. pun. 5.* Palaus *tom. 2. d. 2. punct. 11. num. 4.*

512 Primam sententiam communem reiicit. Retineo communem hanc sententiam, scilicet, nullatenus fieri posse, nec valere huiusmodi statutum, esto valeat consuetudo. Quia consuetudo vires habet non tàm ex introducentibus illam, quam ex superioris consensu expresso in *cap. fin. de consuet.* Qui consensus non est expressus circa statutum, sed potius est circa illud expressus dissensus. Ratio autem quare ius approbauit consuetudinem legi derogantem, & reprobauit statutum esse potest. Quia consuetudo non repentè, sed paulatim introducitur, & sæpè ex bona fide: neque vires habet, quousque sit legitimè præscripta. Statutum verò ab ipso exordio vires habere debet, ac proindè directè legi aduersatur. Meritò igitur ius indulgere amplius voluit consuetudini, quàm statuto.

* *
*

PROBL. XCIII.

Potest, & non potest ex consuetudine introduci, vt interessentes diuinis officiis, nullas distributiones lucrentur.

513 Nulla suppono. Svppono, si post Tridentinum introducta sit consuetudo lucrandi distributiones tempore recreationis, vel alio quo à residentia est quis legitimè excusatus: item si sit introducta consuetudo vacationis maioris, quam trium mensium: si hæc consuetudo ex honesta, rationabilique causa fiat, validam omnino esse, iuxta *cap. fin.* Couar. pluribus hoc firmat. 3. *var. cap. 13. num. 6.* Garcia *part. 3. cap. 2. num. 48.* Vasq. *de Benefic. cap. 5. §. 3. dub. 1.* Bonac. *d. 2. de hor. canon quæst. 1. punct. 6. num. 4.* Quæsierim verò, nùm è contrà possit consuetudine introduci, vt interessentes diuinis officiis, nullas lucrentur distributiones.

514 Non potest. Minimè potest. Quia aduersus ius naturale introduci non potest consuetudo, sed de iure naturali debetur ei, qui altari deseruit, vt de altari viuat. Ergò introduci non potest abnegatio distributionum ei, qui ex obligatione diuinis assistit. Sic Tuschus *concl. 514. numero 4.*

515 Potest quidem. Potest quidem consuetudine id introduci. Quia stare optimè potest obligatio assistendi choro absque distributionum concessione, abundè enim hæc obligatio fructibus Beneficij in fine anni concessis compensatur. Ergo hæc consuetudo non est contra ius naturale: ergò introduci potest. Ità Bonac. *d. 2. de hor. can. quæst. 5. punct. 6. num. 21.* Moneta *de distrib. part. 2. quæst. 12. num. 40.* Palaus *tom. 2. d. 2. punct. 9. §. 11. num. 19.* Azor. *part. 2. l. 7. cap. 7. quæstion. 5.*

516 Auctoris sententia. Ego quidem existimo facta distributionum diuisione, & constitutione, qua cauetur, interessentibus distributiones deberi, sustinendam non esse consuetudinem, quæ interessentibus præfatas distributiones abnegaret: nisi ad summum pro aliquo determinato tempore. Quia non subit meriti meæ iusta & rationabilis causa eiusmodi consuetudinem introducendi: cum cedat in diuini cultus imminutionem, ob cuius incrementum Concilium distributiones concedit, & adhortatur Prælatos, vt saltem tertiam partem Beneficiorum in hasce distributiones conuertant. Dixi, *Ad summum pro aliquo determinato tempore.* Quia tunc videtur compensari posse illa denegatio, casu quo pro alio tempore distributiones augeantur: nam pro illo tempore diligentius choro insequient: & sic quod in vna parte detrahitur, in alia poterit compensari. Attamen si consuetudo introducatur, vt nullus infirmus, vel in Ecclesiæ negotiis occupatus distributiones lucretur, valida erit huiusmodi consuetudo. Quia adest rationabilis causa eius introductionis, nempè ne diuinus cultus imminuatur, & omnes ad assistendum excitentur. Mecum Garcia *part. cap. 2. num 36.* vbi refert Sacram Congregationem id hisce verbis declarasse: *Consuetudo in aliqua Ecclesia introducta, vt Canonici infirmi fructus*

tantum suæ præbendæ, non distributiones quotidianas percipiant, si legitimè præscripta sit, tollit constitutionem: præscribitur autem spatio quadraginta annorum.

PROBL. XCIV.

Si Capitulum, antequam diuidantur distributiones, mandet alicui Canonico donari eas, quæ amiserat: poterit, & non poterit eas accipere.

517 *Aliqua præmitto.*

SVppono donationē esse, cum aliquid datur quod in dantis est potestate: remissionem, cum aliquid remittitur, quod alicui debetur: Transactionem esse compositionem super debito dubio, & incerto. Transit enim quis, & recedit ab actione exigendi debitum integrè, eo quod ei pars aliqua soluatur: Collusionem demùm esse mutuam debitorum remissionem, seu condonationem. Profecto si alicui donentur distributiones amissæ ab his Canonicis, qui illas possident, poterit illas validè & licitè accipere. Quia Concilium non prohibuit donationem propriam, sed remissionem, vel collusionem. Notanter dixi: *Si donentur distributiones amissæ ab iis Canonicis, qui illas possident.* Nam antè possessionem non habent, quid donent, sed ius solum modo ad distributiones habendas: cuius donatio propriè est distributionum remissio, quæ à Concilio prohibetur. Illas autem possident eo ipso, quo sint distributæ à Capitulo, & interessentibus assignatæ, licèt apud Thesaurarium remaneant. Quia tunc remanent apud illum non tàm nomine Capituli, quam singulorum Canonicorum nomine. Quæsierim igitur, nùm possit Canonicus distributiones amissas accipere, si hæ illi à Capitulo donentur, antèquam diuidantur?

518 *Potest omninò.*

Potest omninò. Quia Concilium solam remissionem, non donationem videtur prohibere: sed hæc non est propriè remissio, sed donatio: est enim earum rerum, quæ à Capitulo possidentur: Ergo validè ac licitè potest eas Canonicus accipere. Sic nonnulli moderni docti admodum, quos consului, & non improbabiliter si hærendum esset rationi, & Cardinalium Sacra Congregatio aliud non declarasset.

519 *Minimè potest.*

Minimè potest. Quia Capitulum non est dominus talium bonorum, sed administrator, & dispensator, donec Canonicis specialiter singulis, assignentur: cum autem administratori necessarium sit, iuxta voluntatem domini rem administrare (alias enim nulla administratio erit) Capitulo conuenit iuxtà Sacrorum Canonum præscriptionem distributiones impertire: hæ enim solùm interessentibus debentur, & absentibus abnegantur. Ergo non potest Capitulum aliter disponere, neque eius contraria dispositio valida erit. Ita Garcia *p. 3. cap. 2. n.* 432. Pala. *to. 2. d. 1 pun. 9 §. 13. n. 3.*

520 *His hæreo Doctoribus.*

His hæreo Doctoribus propter declarationē, quam apud vtrumque Sacræ Congregationis legi: quæ sic se habet: *Non licet Capitulo aliquo prætextu distributiones donare, relinquere, aut quauis collusione remittere alicui, qui vel à seruitio Ecclesiæ abfuerit, vel alio quouis modo distributiones valeat amittere. Nec fas sit cuipiam eas accipere: si acceperit, suas non faciat, sed restituere cogatur illico restituēdas fabricæ Ecclesiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi.*

PROBL. XCV.

Inualida est, & non est remissio, quam Canonici faciunt ei, qui ob absentiam à choro distributiones iam amisit.

SI Canonici tuas distributiones amissas, & sibi applicandas, tibi remittant, illicita, & inualida est talis remissio, neque ex illa potes distributiones obtinere. Quia in Tridētino *sess. 24. cap. 12.* prohibetur quælibet in hac parte seu remissio, seu collusio. Ex quo fit, te non posse sic acceptas distributiones retinere. Quia solum ex remissione illas retinere poteras, quæ tamen ex decreto Concilij est nulla. Quæsierim autem, nùm hæc procedant non solum in distributionibus amittendis, sed etiā in iam amissis, ita vt non solum inualida sit amissio, quam Canonici facerent de distributionibus, quas per absentiam amittere quis posset; sed etiam de distributionibus, iam amissis? 521 *Nonnulla suppono.*

Prohibitio decreti Tridentini procedit solùm de remissione, & collusione distributionum amittendarum, non illarum, quæ iam sunt amissæ. Quia hoc decretum est nimis rigidum, cum priuet Canonicos potestate cedendi proprio iuri, & annullet actum alioquin validum: Ergo strictè interpretandum est. Ergo de sola remissione & collusione distributionum amittendarum sufficit explicari: si quidem hæc sola remissio, est quæ obstat diuino cultui, & ansā præbet diuinis non assistendi: non autem illa, quæ de distributionibus iam amissis fit; quia hæc, cum iam supponat abfuisse, ad absentiam non allicit. Sic Bonac. *d. 2. de hor. canon. q. 5. pun. 7. §. 1.* Naldus *V. distributiones, numer. 3.* Moneta *de distrib p. 3. q. 5. numer. 9.* prababilem reputant. Tenent verò Manu. *to. 1. sum. cap. 33.* Vega *p. 1. sum. cap. 36. casu 41.* Sandon. *de offic. Eccles. p. 6. c. 17.* & alij. 522 *Intelligitur de distributionibus amissis non de iam amissis.*

Intelligenda est Tridentini prohibitio non solum de prohibitione antecedenti amissionem distributionum. Sed etiam de subsequenti. Quia Concilium excludit quamlibet remissionem, aut collusionem: Ergo non prohibet tantùm remissionem distributionum amittendarum, sed etiam amissarum. Aliàs non esset verum dicere, Concilium excludere quamcumque remissionem, si aliqua remissio excluſa non remaneret. Ità Bonac. *citatus.* Menoch. *l. 2. casu 429. n.* 10. Garcia *p. 3. cap. 2. numer. 431.* Barbo. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 54. numer. 140.* & alij apud ipsos. Qui testantur, sæpè sic esse à Sacra Congregatione decisum. 523 *Intelligitur de distributionibus etiā amissis.*

Hanc eligo sententiā. Quia si Concilij verba perpendantur, potius de remissione subsequenti amissionē distributionū quā de antecedēti loquitur. Ait enim: *Distributiones qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui quauis collusione, aut remissione excluſa, his careāt.* Sed distributiones, quę recipiūtur sūt, quę interessētię præsēti correspōdēt: Ergo his debēt carere absētes, etiāsi remittantur. Porrò hoc decretū respectu Ecclesiæ est fauorabile, licèt respectu absentis sit rigidum. Quia: 524 *Hanc eligo sententiam.*

Quia fouet diuinum cultum, & arcet Canonicos ab absentia chori, scientes se distributiones amittere sine spe remissionis. Quod non procederet fortasse, si scirent, posse à Canonicis licitè, ac validè sibi remitti.

CAPVT XXX.

Circa Vitia Religioni opposita, ac primum circà Superstitionem.

PROBL. XCVI.

Superstitio est, & superstitio non est, die Dominica ieiunare.

525 Est superstitio.

SVPERSTITIO est. Quia ex vsu Ecclesiæ constat excipiendas esse dies Dominicas à ieiunio, cum à quadragesimali ieiunio eas excipit, & vigiliam quamcúmque die Dominica incidente præcedens transfert in sabbatum. Et quia id ieiunium interdicitur *cap. si quis tanquam, & cap. si quis Presbyter. d. 30. & cap. Sacerdos 26. quæst. 6. & cap. ne quis ieiunet, de consecr. d. 5.* Sic Caiet. 2.2. *quæst. 93. art. 1.* inter cultum superstitiosum falsum hoc ieiunium recenset. Et inter superstitiosum superfluum, Nauar. *sum. cap. 11. num. 21.* & Sayrus *Clau. Reg. l. 4. cap. 4. num. 2.* Illud damnat D. Thom. 2. 2. *quæst. 147. art. 25. ad 3. & 4.*

526 Superstitio non est.

Non est superstitio. Quia licèt quis non putet sine superstitionis suspicione ieiunium afflictionis ad satisfaciendum pro peccatis inire: potest tamen ieiunium exultationis, quod sumitur, vt mens promptior sit ad gaudium, & vt in Deum eleuetur: quod quidem in Dei gloriam redundare, quis abneget? Ita Syluest. *v. Ieiunium, quæst. 1.* & alij citati à Sanch. *sum. l. 2. cap. 37. num. 12.*

527 Auctoris resolutio distinguentis.

Certè ieiuniũ die Dominica olim fuit interdictũ ob errorẽ Manichæorũ asserentiũ id ieiunium necessarium esse, in contemptum Resurrectionis Christi Domini, & hoc ieiunium textus allegati condemnant, ac D. Thomas. Atquè propter hunc errorem, qui tunc vigebat, subtraxit Ecclesia dies Dominicas à Quadragesimali ieiunio. *cap. Quadragesimali de consecr. d. 5.* At cum modo iam hæc causa cessarit, licitum est die Dominica ieiunare siue ieiunium exultationis sit, siuè afflictionis, si id non fiat cum scandalo, aut aliquo errore, aut contumacia, quasi Ecclesiæ consuetudinem improbando: sed propter aliquem bonum finem, verbi gratiâ peculiarem deuotionem, spiritualem profectum, carnis compressionem, &c. D. Hieronymus *Epist. 28. ad Lucinum*, & refertur, *c. Vtinam, d. 6.*) vbi hoc ieiunium approbat, & dicit, Apostolos illud seruasse. Ita sustinet Nauar. *sum. cap. 21. num. 7.* Valent. 2. 2. *d. 9. q. 2. pun. 4. dub. 2.* Azor *tom. 1. l. 7. cap. 26. quæst. vlt.* Lessi. *l. 4. cap. 2. dub. 9. num. 68.*

PROBL. XCVII.

Veniale est, & veniale non est, die Dominica semper ieiunare, cum nec oboritur scandalum, nec adest error, sed propter aliquem bonum finem.

528 Non est veniale.

VEniale non est. Quia si licitum, imò laudabile est, vna vel altera die Dominica ieiunium inire propter aliquem rectum finem: nec veniale erit sæpè ieiunare, cum potius actum Religionis iterare, in Dei gloriam vberiorem refluere videatur. Si semel aut iterum pia actio est laudabilis: cur sæpius iterata obnoxia erit piaculo? sic ex doctrina D. Hieronymi epist. 28. ad Lucin. Hugo *ad c. Vtinam. d. 76.* Medin. *c. de ieiun. q. Quando necesse est ieiunare.* Ledes. 2. *p. 4. q. 17. a. 4.* Palaci. *in 4. dist. 15. d. 8.* Angl. *p. 1. vbi de ieiun. q. 4. diffic. 3.*

529 Veniale est.

Veniale est, ieiunare ordinarie diebus Dominicis. Quia aduersatur huiusmodi ieiunium Ecclesiæ consuetudini, quam in hac parte vim legis habere testatur D. August. *Epist. 86. ad Casulan.* Ita Sanch. *sum. l. 2. cap. 37. n. 15.* Valent. 2. 2. *d. 9. q. 2. pun 4. n. 12.*

530 Hoc verius puto.

Crediderim superflui cultus reum esse qui huiusmodi singularitati operam gesserit. Vnde si quispiam similiter sola die Dominica & non aliis diebus ieiunaret, peccato veniali inficeretur. Quia id ad quandam singularitatem, & cultum superfluum pertineret. At cessante scandalo, casu in vtroque solum veniale piaculum iudicarim cessante scandalo, & alio lethali fine. Hinc deduco, votum ieiunandi ordinariè diebus Dominicis, esse irritum siue ieiunium sit afflictionis, seu satisfactionis pro peccatis: siue seu exultationis, quo mens in Deum strictius eleuatur. Quare si quis id voueat, ad nil tenetur, nec id ieiunium in alteram diem transferre. Quia est votum de re illicita. Vt edocet Suar. *to. 2. de Relig. tr. de voto, l. 3. c. 6. numer. 21.* Secus dixerim de voto ieiunandi aliquibus Dominicis ob bonum aliquem finem, secluso scandalo, ac vano singularitatis studio. Quia id cum sit de re licita, (vt *Probl. proximo* vidimus) ob id gabit. Denique si quispiam quodam singularitatis studio die Dominica vel semel ieiunaret, superstitionis piaculum incurreret. Quia est cultus indebitus superfluus. At sola esse venialis culpa cessante scandalo, aut alio fine grauiter iniquo.

PROBL. XCVIII.

Vouens ieiunare die in qua incidit festum aliquod (ex. gr.) Annunciationis, si id incidat: potest, & non potest ipsa die Dominica ieiunare.

531 Non potest die Dominica illud votum implere.

NOn potest ieiunare die Dominica, sed sabbato præcedenti. Quia cæteris paribus debet se vniuersalis Ecclesiæ consuetudini conformare. Sic Ioan. de Neapoli *quodlib. 8. q. 35.* D. Antonin. *p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 10.* Sylvest. *v. Votum, 3. q. 16.* Tabie, *v. Votum. 7.* Armil. *v. Votum, n. 17.* Consuescit profecto Ecclesia vigiliam

liam Dini ipcidentis in Dominica ad diem ſabbati transferre, ne die Dominica ieiunium geratur.

532 *Poteſt quidē.* Poteſt quidem ieiunare die Dominica, nec tenetur ad præcedentem diem ieiunium transferre, ſed ſatisfacit licitè, & iuſtè ipſa die Dominica ieiunando. Quia etſi votum de aliqua re intelligatur inſtar rei cadentis ſub præcepto Eccleſiaſtico: at Eccleſia ieiunium vigiliæ feſti transfert præcedentem in diem, ſi id in Dominica incidit. At ad nullum ieiunium obligat in die aliquo feſto, ratione ipſius feſti, ſed ſolùm in vigilia. Vndè non eſt aliquod præceptum Eccleſiæ de ſimili ieiunio, quod eius voti regula ſit. Deindè quia ſpecialis deuotio vouentis fuit toto anno die illa ieiunare, qua id feſtum incidit, & non fuit ieiunare eius vigilia: & ita ieiunium ipſius diei voluit. Et ſiue ſit ieiunium afflictionis, ſiue exultationis (de quo *Probl. 96. & 97.*) licitum eſt die Dominica ieiunare: Ergo ſatisfaciet ſuæ obligationi. Ità Sanch. *ſum. l. 2. cap. 37. num.* 18.

353 *Hanc eligens ſententiam alia deduco.* Ego quidem exiſtimo huic applaudens ſententiæ, liberum eſſe vouenti, propria authoritate, illud ieiunium in præcedens transferre ſabbatum. Quia ex omnium ſententia quilibet poteſt votum ſuum propria authoritate in manifeſtè melius commutare. At manifeſtè melius eſt, ſe conformare vniverſæ Eccleſiæ conſuetudini transferentis ieiunium in Dominica incidens in ſabbatum præcedens. Hinc tamen excipere m Sabbata illa, quibus vouens tenetur alio ex præcepto ieiunare; vt ſi habeat ætatem obligantem ad ieiunium, non poterit commutare ieiunium illius Dominicæ in ſabbatum Quadrageſimæ, vel Quatuor temporum, vel quo alia incidit vigilia. Quia votum intelligitur de actu aliàs non obligante, niſi aliud exprimatur. Si tamen quis promiſit ieiunare alicuius Diui veſpere, & illud incidat Feria ſecunda, tenetur, ſabbato præcedenti ieiunium gerere, niſi expreſſam habuerit intentionem ieiunandi die Dominica. Quia id ieiunium intelligendum eſt inſtar indicti ab Eccleſia in Vigilia cuiuſlibet Sancti, quod ea incidente in Dominica in Sabbatum præcedens transfertur. Atque eadem ratione qui vouit integro aliquo menſe, verbi gratiâ Aprilis, ſeu Maij, ieiunare, non tenetur ieiunare diebus Dominicis illius, niſi expreſsè intēderit, ſe ad id obligare. Quia intelligitur hoc ieiunium ad modum inſtituti ab Eccleſia, à quo dies Dominicæ ſemper excipiuntur. Tabiena ſic *v. Votum, 3. quæſt. 7* Armil. *v. Votum num. 25.* Sanch. *citat. n. 18. 19. & 20.*

PROBL. XCIX.

Diuerſi Diuinationis modi conſtituunt, & non conſtituunt diuerſas in genere moris ſpecies neceſſariò fatendas.

534 *Recolo Diuinationis ſpecies.* REcolo, Diuinationem eſſe duplicem: Quædam in qua eſt pactum cum dæmone expreſſum: quædam, in qua ſolum eſt tacitum. Vtriuſque verò plures ſunt ſpecies iuxta ſignorum diuerſitatem, quibus dæmon diuinatores aſſolet edocere. Prioris quidem, in qua eſt pactum expreſſum quæ generali nomine *Necromantia* appellatur, ſunt nouem ſpecies. Prima eſt *Præſtigium*, cum dæmon variis apparitionibus ſuperſtitiorū oculos præſtringit, ſe illorum aſpectibus obiiciens occultaquè docens. Secunda *Diuinatio per ſomnia*, cum inſtructio dæmonis per ſomnia ſperatur. Tertia *Necromancia*, cum adhibitis languine & certis carminibus, videntur mortui reſurgere, loqui, & docere. Quarta *Diuinatio* per Pythones, cum dæmon per homines arreptitios docet. Quinta *Geomantia*, cum docet per ſigna in corporibns terreſtribus apparentia, vt in ligno, metallo, lapide, Sexta *Hydromantia*: cum per ſigna in aqua apparentia. Septima *Aeromantia*, cum per ſigna apparentis in aere. Octaua *Pyromantia*, cum per ſigna in igne. Nona *Arùſpitium*, cum per ſigna apparētia in extis animaliu Sacrificatorum dæmoni docet. Rurſus Diuinatio, in qua eſt ſola tacita dæmonis inuocatio, eſt duplex. Prior eſt, cum cognitio oculorum variè procuratur ex conſideratione alicuius diſpoſitionis alias exiſtentis in quibuſcumque rebus. Poſterior eſt, cum quæritur ex diſpoſitione eorum, quæ homines conſultò faciunt, cauſa eius cognitionis adipiſcendæ. Priorem diuinandi modum in nouem ſpecies diuido. Prima eſt *Genethlia*, cum ex Syderum motu, aut ſitu cognitio quæritur. Secunda *Augurij*, cum ex animalium vocibus, aut ex hominum ſternutatione. Tertia *Auſpitium*, cum ex auium volatu, aut quorum uis animalium motu. Quarta *Omen*, cum ex hominum vocibus præter intentionem expreſſis. Quinta *Oniricritica*, cum ex ſomniis. Sexta *Phyſiognomica*, cum ex totius corporis humani ſignis. Septima *Spatulamantia*, cum ex ſignis ſpatulæ. Octaua *Metopoſcopia*, cum ex fronte. Nona *Chiromantia*, cum ex manuum lineis. Verùm poterioris modi diuinandi duas ſpecies enumero. Prima eſt *Geomantia*, cum ex punctorum protractione cognitio queritur. Secunda *Diuinatio per ſortes*, cum aliquis ex ſignis reſultantibus ex plumbo liquefacto, proiectoque in aquam: vel ex conſideratione feſtucæ electæ ex duabus oblatis, vel ſchædulæ ſcriptæ, aut albæ: vel ex taxillorum proiectione: vel ex conſideratione eius, quod aperienti librum occurrit, cognitionem quærit. His præmiſſis, quæſierim, num præfati diuinationis modi conſtituant diuerſas in genere moris ſpecies neceſſariò in confeſſione aperiendas? vt an diuinatio ſit per aërem, vel per aquam, &c.

535 *Conſtituunt in genere moris diuerſas ſpecies neceſſario fatendas.* Sunt quidem conſtituentes diuerſas in genere moris ſpecies in Confeſſione manifeſtandas. Quia triplex eſt in hoc genere ſpecies, Prima in qua eſt expreſſa dæmonis inuocatio; Secunda, in qua eſt inuocatio tacita; tertia, cum aliquid conſulto fit, ad cognitionem occultorum comparandam, quæ quidem appellantur Necromantia, Augurium, Diuinatio per ſortes: ſi ergo ſunt in genere moris ſpecies hæ diſtinctæ, neceſſariò erunt in Confeſſione aperiendæ. Sic D. Tho. *2. 2. q. 95. a. 3. in corpo.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 12. pun. 2.*

536 *Non conſtituunt.* Hæ diuinandi ſpecies non ſunt in genere moris diſtinctæ: vnde non eſt opus in confeſſione explicare, per quas res diuinatio fiat. Quia hi diuinandi modi non habent ſpecialem contra rectam rationem deformitatem, ſed omnes eandem. Ita Caiet. *opuſc. to. 1. tr. 5. de confeſ.*

Quia fouet diuinum cultum, & arcet Canonicos ab absentia chori, scientes se distributiones amittere sine spe remissionis. Quod non procederet fortasse, si scirent, posse à Canonicis licitè, ac validè sibi remitti.

CAPVT XXX.

Circa Vitia Religioni opposita, ac primum circà Superstitionem.

PROBL. XCVI.

Superstitio est, & superstitio non est, die Dominica ieiunare.

525 Est superstitio.

SVPERSTITIO est. Quia ex vsu Ecclesiæ constat excipiendas esse dies Dominicas à ieiunio, cum à quadragesimali ieiunio eas excipit, & vigiliam quamcúmque die Dominica incidente præcedens transfert in sabbatum. Et quia id ieiunium interdicitur *cap. si quis tanquam, & cap. si quis Presbyter. d. 30. & cap. Sacerdos 26. quæst. 6. & cap. ne quis ieiunet, de consecr. d. 5.* Sic Caiet. 2.2. *quæst. 93. art. 1.* inter cultum superstitiosum falsum hoc ieiunium recenset. Et inter superstitiosum superfluum, Nauar. *sum. cap. 11. num. 21.* & Sayrus *Clau. Reg. l. 4. cap. 4. num. 2.* Illud damnat D. Thom. 2. 2. *quæst. 147. art. 25. ad 3. & 4.*

526 Superstitio non est.

Non est superstitio. Quia licèt quis non putet sine superstitionis suspicione ieiunium afflictionis ad satisfaciendum pro peccatis inire: potest tamen ieiunium exultationis, quod sumitur, vt mens promptior sit ad gaudium, & vt in Deum eleuetur: quod quidem in Dei gloriam redundare, quis abneget? Ita Syluest. *v. Ieiunium, quæst. 1.* & alij citati à Sanch. *sum. l. 2. cap. 37. num. 12.*

527 Auctoris resolutio distinguentis.

Certè ieiuniũ die Dominica olim fuit interdictũ ob errorẽ Manichæorũ asserentiũ id ieiunium necessarium esse, in contemptum Resurrectionis Christi Domini, & hoc ieiunium textus allegati condemnant, ac D. Thomas. Atquè propter hunc errorem, qui tunc vigebat, subtraxit Ecclesia dies Dominicas à Quadragesimali ieiunio. *cap. Quadragesimali de consecr. d. 5.* At cum modo iam hæc causa cessarit, licitum est die Dominica ieiunare siue ieiunium exultationis sit, siuè afflictionis, si id non fiat cum scandalo, aut aliquo errore, aut contumacia, quasi Ecclesiæ consuetudinem improbando: sed propter aliquem bonum finem, verbi gratiâ peculiarem deuotionem, spiritualem profectum, carnis compressionem, &c. D. Hieronymus *Epist. 28. ad Lucinum*, & refertur, *c. Vtinam, d. 6.*) vbi hoc ieiunium approbat, & dicit, Apostolos illud seruasse. Ita sustinet Nauar. *sum. cap. 21. num. 7.* Valent. 2. 2. *d. 9. q. 2. pun. 4. dub. 2.* Azor *tom. 1. l. 7. cap. 26. quæst. vlt.* Lessi. *l. 4. cap. 2. dub. 9. num. 68.*

PROBL. XCVII.

Veniale est, & veniale non est, die Dominica semper ieiunare, cum nec oboritur scandalum, nec adest error, sed propter aliquem bonum finem.

528 Non est veniale.

VEniale non est. Quia si licitum, imò laudabile est, vna vel altera die Dominica ieiunium inire propter aliquem rectum finem: nec veniale erit sæpè ieiunare, cum potius actum Religionis iterare, in Dei gloriam vberiorem refluere videatur. Si semel aut iterum pia actio est laudabilis: cur sæpius iterata obnoxia erit piaculo? sic ex doctrina D. Hieronymi epist. 28. ad Lucin. Hugo *ad c. Vtinam. d. 76.* Medin. *c. de ieiun. q. Quando necesse est ieiunare.* Ledes. 2. *p. 4. q. 17. a. 4.* Palaci. *in 4. dist. 15. d. 8.* Angl. *p. 1. vbi de ieiun. q. 4. diffic. 3.*

529 Veniale est.

Veniale est, ieiunare ordinarie diebus Dominicis. Quia aduersatur huiusmodi ieiunium Ecclesiæ consuetudini, quam in hac parte vim legis habere testatur D. August. *Epist. 86. ad Casulan.* Ita Sanch. *sum. l. 2. cap. 37. n. 15.* Valent. 2. 2. *d. 9. q. 2. pun 4. n. 12.*

530 Hoc verius puto.

Crediderim superflui cultus reum esse qui huiusmodi singularitati operam gesserit. Vnde si quispiam similiter sola die Dominica & non aliis diebus ieiunaret, peccato veniali inficeretur. Quia id ad quandam singularitatem, & cultum superfluum pertineret. At cessante scandalo, casu in vtroque solum veniale piaculum iudicarim cessante scandalo, & alio lethali fine. Hinc deduco, votum ieiunandi ordinariè diebus Dominicis, esse irritum siue ieiunium sit afflictionis, seu satisfactionis pro peccatis: siue seu exultationis, quo mens in Deum strictius eleuatur. Quare si quis id voueat, ad nil tenetur, nec id ieiunium in alteram diem transferre. Quia est votum de re illicita. Vt edocet Suar. *to. 2. de Relig. tr. de voto, l. 3. c. 6. numer. 21.* Secus dixerim de voto ieiunandi aliquibus Dominicis ob bonum aliquem finem, secluso scandalo, ac vano singularitatis studio. Quia id cum sit de re licita, (vt *Probl. proximo* vidimus) ob id gabit. Denique si quispiam quodam singularitatis studio die Dominica vel semel ieiunaret, superstitionis piaculum incurreret. Quia est cultus indebitus superfluus. At sola esse venialis culpa cessante scandalo, aut alio fine grauiter iniquo.

PROBL. XCVIII.

Vouens ieiunare die in qua incidit festum aliquod (ex. gr.) Annunciationis, si id incidat: potest, & non potest ipsa die Dominica ieiunare.

531 Non potest die Dominica illud votum implere.

NOn potest ieiunare die Dominica, sed sabbato præcedenti. Quia cæteris paribus debet se vniuersalis Ecclesiæ consuetudini conformare. Sic Ioan. de Neapoli *quodlib. 8. q. 35.* D. Antonin. *p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 10.* Sylvest. *v. Votum, 3. q. 16.* Tabie, *v. Votum. 7.* Armil. *v. Votum, n. 17.* Consuescit profecto Ecclesia vigiliam

liam Dini ipcidentis in Dominica ad diem ſabbati transferre, ne die Dominica ieiunium geratur.

532 *Poteſt quidē.* Poteſt quidem ieiunare die Dominica, nec tenetur ad præcedentem diem ieiunium transferre, ſed ſatisfacit licitè, & iuſtè ipſa die Dominica ieiunando. Quia etſi votum de aliqua re intelligatur inſtar rei cadentis ſub præcepto Eccleſiaſtico: at Eccleſia ieiunium vigiliæ feſti transfert præcedentem in diem, ſi id in Dominica incidit. At ad nullum ieiunium obligat in die aliquo feſto, ratione ipſius feſti, ſed ſolùm in vigilia. Vndè non eſt aliquod præceptum Eccleſiæ de ſimili ieiunio, quod eius voti regula ſit. Deindè quia ſpecialis deuotio vouentis fuit toto anno die illa ieiunare, qua id feſtum incidit, & non fuit ieiunare eius vigilia: & ita ieiunium ipſius diei voluit. Et ſiue ſit ieiunium afflictionis, ſiue exultationis (de quo *Probl. 96. & 97.*) licitum eſt die Dominica ieiunare: Ergo ſatisfaciet ſuæ obligationi. Ità Sanch. *ſum. l. 2. cap. 37. num.* 18.

353 *Hanc eligens ſententiam alia deduco.* Ego quidem exiſtimo huic applaudens ſententiæ, liberum eſſe vouenti, propria authoritate, illud ieiunium in præcedens transferre ſabbatum. Quia ex omnium ſententia quilibet poteſt votum ſuum propria authoritate in manifeſtè melius commutare. At manifeſtè melius eſt, ſe conformare vniverſæ Eccleſiæ conſuetudini transferentis ieiunium in Dominica incidens in ſabbatum præcedens. Hinc tamen excipere m Sabbata illa, quibus vouens tenetur alio ex præcepto ieiunare; vt ſi habeat ætatem obligantem ad ieiunium, non poterit commutare ieiunium illius Dominicæ in ſabbatum Quadrageſimæ, vel Quatuor temporum, vel quo alia incidit vigilia. Quia votum intelligitur de actu aliàs non obligante, niſi aliud exprimatur. Si tamen quis promiſit ieiunare alicuius Diui veſpere, & illud incidat Feria ſecunda, tenetur, ſabbato præcedenti ieiunium gerere, niſi expreſſam habuerit intentionem ieiunandi die Dominica. Quia id ieiunium intelligendum eſt inſtar indicti ab Eccleſia in Vigilia cuiuſlibet Sancti, quod ea incidente in Dominica in Sabbatum præcedens transfertur. Atque eadem ratione qui vouit integro aliquo menſe, verbi gratiâ Aprilis, ſeu Maij, ieiunare, non tenetur ieiunare diebus Dominicis illius, niſi expreſsè intēderit, ſe ad id obligare. Quia intelligitur hoc ieiunium ad modum inſtituti ab Eccleſia, à quo dies Dominicæ ſemper excipiuntur. Tabiena ſic *v. Votum, 3. quæſt. 7* Armil. *v. Votum num. 25.* Sanch. *citat. n. 18. 19. & 20.*

PROBL. XCIX.

Diuerſi Diuinationis modi conſtituunt, & non conſtituunt diuerſas in genere moris ſpecies neceſſariò fatendas.

534 *Recolo Diuinationis ſpecies.* REcolo, Diuinationem eſſe duplicem: Quædam in qua eſt pactum cum dæmone expreſſum: quædam, in qua ſolum eſt tacitum. Vtriuſque verò plures ſunt ſpecies iuxta ſignorum diuerſitatem, quibus dæmon diuinatores aſſolet edocere. Prioris quidem, in qua eſt pactum expreſſum quæ generali nomine *Necromantia* appellatur, ſunt nouem ſpecies. Prima eſt *Præſtigium*, cum dæmon variis apparitionibus ſuperſtitiorū oculos præſtringit, ſe illorum aſpectibus obiiciens occultaquè docens. Secunda *Diuinatio per ſomnia*, cum inſtructio dæmonis per ſomnia ſperatur. Tertia *Necromancia*, cum adhibitis languine & certis carminibus, videntur mortui reſurgere, loqui, & docere. Quarta *Diuinatio* per Pythones, cum dæmon per homines arreptitios docet. Quinta *Geomantia*, cum docet per ſigna in corporibns terreſtribus apparentia, vt in ligno, metallo, lapide, Sexta *Hydromantia*: cum per ſigna in aqua apparentia. Septima *Aeromantia*, cum per ſigna apparentis in aere. Octaua *Pyromantia*, cum per ſigna in igne. Nona *Arùſpitium*, cum per ſigna apparētia in extis animaliu Sacrificatorum dæmoni docet. Rurſus Diuinatio, in qua eſt ſola tacita dæmonis inuocatio, eſt duplex. Prior eſt, cum cognitio oculorum variè procuratur ex conſideratione alicuius diſpoſitionis alias exiſtentis in quibuſcumque rebus. Poſterior eſt, cum quæritur ex diſpoſitione eorum, quæ homines conſultò faciunt, cauſa eius cognitionis adipiſcendæ. Priorem diuinandi modum in nouem ſpecies diuido. Prima eſt *Genethlia*, cum ex Syderum motu, aut ſitu cognitio quæritur. Secunda *Augurij*, cum ex animalium vocibus, aut ex hominum ſternutatione. Tertia *Auſpitium*, cum ex auium volatu, aut quorum uis animalium motu. Quarta *Omen*, cum ex hominum vocibus præter intentionem expreſſis. Quinta *Oniricritica*, cum ex ſomniis. Sexta *Phyſiognomica*, cum ex totius corporis humani ſignis. Septima *Spatulamantia*, cum ex ſignis ſpatulæ. Octaua *Metopoſcopia*, cum ex fronte. Nona *Chiromantia*, cum ex manuum lineis. Verùm poterioris modi diuinandi duas ſpecies enumero. Prima eſt *Geomantia*, cum ex punctorum protractione cognitio queritur. Secunda *Diuinatio per ſortes*, cum aliquis ex ſignis reſultantibus ex plumbo liquefacto, proiectoque in aquam: vel ex conſideratione feſtucæ electæ ex duabus oblatis, vel ſchædulæ ſcriptæ, aut albæ: vel ex taxillorum proiectione: vel ex conſideratione eius, quod aperienti librum occurrit, cognitionem quærit. His præmiſſis, quæſierim, num præfati diuinationis modi conſtituant diuerſas in genere moris ſpecies neceſſariò in confeſſione aperiendas? vt an diuinatio ſit per aërem, vel per aquam, &c.

535 *Conſtituunt in genere moris diuerſas ſpecies neceſſario fatendas.* Sunt quidem conſtituentes diuerſas in genere moris ſpecies in Confeſſione manifeſtandas. Quia triplex eſt in hoc genere ſpecies, Prima in qua eſt expreſſa dæmonis inuocatio; Secunda, in qua eſt inuocatio tacita; tertia, cum aliquid conſulto fit, ad cognitionem occultorum comparandam, quæ quidem appellantur Necromantia, Augurium, Diuinatio per ſortes: ſi ergo ſunt in genere moris ſpecies hæ diſtinctæ, neceſſariò erunt in Confeſſione aperiendæ. Sic D. Tho. *2. 2. q. 95. a. 3. in corpo.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 12. pun. 2.*

536 *Non conſtituunt.* Hæ diuinandi ſpecies non ſunt in genere moris diſtinctæ: vnde non eſt opus in confeſſione explicare, per quas res diuinatio fiat. Quia hi diuinandi modi non habent ſpecialem contra rectam rationem deformitatem, ſed omnes eandem. Ita Caiet. *opuſc. to. 1. tr. 5. de confeſ.*

fes. q. 3. Victor. *sum. vbi de confes. n. 176. concl. 6.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. concl. 6.* Azor. *to. 1. l. 9. c. 12. q. 3.* Suar. *to. 1. de Religl. 2. c. 9. n. 5. & cap. 10. n. 2. & 3.* Manu. *to. 1. sum. c. 53. n. 5.* Sanch. *sum. l. 2. c. 38. n. 14.*

537 *Hic eligo.* Ego existimo veriorem esse hanc sententiam in his omnibus diuinandi modis, pactum explicitum cum dæmone si demas, de quo sequenti Problem. dissero.

PROBL. C.

Est, & non est differentia specifica necessariò fatenda inter dæmonis tacitam, & expressam inuocationem.

538 *Non est differentia specifica.* NOn est. Quia idem iuris est taciti, & expressi, *l. De quibus. ff. de legib. l. Cum quid. ff. si certum petatur.* Nam professio tacita, & expressa non differunt: & idem est de consensu in quolibet contractu. Deinde tota malitia diuinationis sistit in voluntate impetrandi à dæmone, quod fuerat à Deo expostulandum: sed hæc voluntas eadem est, siue verbis id postuletur, siue factis: Ergo tacita inuocatio ab expressa non differt? Ergo non est necesse id in confessione exponere, sed satis erit, si quis dicat, se in diuinando lethaliter deliquisse. Sic Victor *sum. vbi de confes. numer. 176.* Adde esto tacita inuocatio ab expressa differat differt tamen sicut imperfectum à perfecto, quod non arguit diuersitatem specificam, sed gradualem maioris vel minoris grauitatis, vt dicit Sanch. *sum. l. 2. cap. 28. n. 24.* Suar. *l. 2. de superstit. cap. 10. numer. 1.* Bonac. *d. 3. de 1. Præc. Decal. q. 5. pun. 3. numer. 20.* At est satis probabilis sententia, neminem teneri circunstantias aggrauantes intra eandem speciem in confessione manifestare: Ergo probabile erit, non esse obligationem manifestandi expressam fuisse dæmonis inuocationem.

539 *Est specifica differentia.* Est quidem differentia specifica necessario manifestanda. Quia in confessione manifestare tenemur non solum distinctionem specificã peccatorum, sed numericam. At cum voluntatem habet quis expressam dæmonem inuocandi distinctum peccatum est, ac illud, quod tacita inuocatione perpetratur. In tacita enim inuocatione solum virtualiter hæc adest voluntas, non formaliter: sed voluntas formalis à virtuali est numero distincta. Ergo tenemur, in Cõfessione has distinguere voluntates. Ità Sanch. citat. Bonac. & Suar. *vbi supra.* Palaus *to. 3. tr. 17. dist. 1 punct. 3. numer. 11.*

540 *Hanc sententiam probabiliorem esse iudico.* Probabilis satis est prima sententia: ego tamen secundam probabiliorem eligo. Quia esto tacita inuocatio & expressa specie differant, (quod profiteor) at quia numero differunt, in confessione, an expressa fuerit, an tacita debet explicari. Certè longe diuersum iudicium confessarius geret de pacto expresso, quàm de tacito. Quare optimè D. Thom. *2. 2. q. 5. a. 3. ad 1. Multo grauius* (ait) *est, dæmones inuocare quam aliqua facere, quibus dignum sit, vt se homines ingerant.*

PROBL. CI.

Omnis diuinatio siue tacita sit, siue expressa, pertinet, & non pertinet ad superstitionem.

541 *Non pertinet ad Superstitionem.* NOn pertinet. Quià superstitio consistit in voluntate attribuendo creaturæ diuinum honorem: at sola diuinatio futurorum contingentium pendentium à causa libera ad Deum pertinet; Ergo sola hæc diuinatio superstitiosa est. Cum à dæmone (ex. gr.) quis petit scientiam alicuius occulti effectus præsentis, non petit aliquid, quod potestatem excedat, creaturæ: Ergo nullam illi tribuit diuinitatem. Ergo neque superstitionem perpetrat, tametsi grauissime delinquat. Sic Valen. *2. 2. dist. 3. q. 12. pun.* Lessi. *l. 2. de Iust. c. 43. dub. 5. n. 28.*

542 *Ad superstitionem pertinet.* Pertinet quidem. Quia ex proprio Diuinitatis iure Deus vult, vt creaturæ omnes ad ipsum confugiant, in eoque fidant. Qui ergo, illo relicto, confugeret ad diabolum suum inimicum, in eoque fideret, plane eius iuri diuino derogaret: & quod illius proprium est, vellet inimico tribuere: Ergo superstitionem cõmittet, tacitæque idololatriæ reus existet. Ita Sanch. *l. 2. in Decal. c. 38. à numer. 9.* Pala. *to. 3. tr. 17. dist. 1 pun. 3. n. 11.*

543 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Quia quamuis non confugiat quis ad dæmonem gratia obtinendæ alterius rerum occultarum cognitionem, quam ipse possit consequi, & virtute sua naturali communicare: quia tamen per hanc ipsam societatem affectat dæmon vsurpare diuinæ aliquid excellentiæ, & honore illi dedito ab homine, nempe, vt homo relicto Deo, ad eum confugiat, & in eo contra Dei voluntatem confidat, cooperatur dæmoni ad hanc diuini honoris vsurpationem: ideo contra Religionem Deo debitam superstitiosè agit.

PROBL. CII.

Agendum est, & agendum non est, quod assolet dæmon in energumenis vel alibi apparens bonum consulere.

544 *Nonnulla suppono.* SÆpe dæmon assolet apparere fingẽs, se esse animam defuncti, vt videntes in errorem inducat: id quod non semel habitans in dæmoniaco gerit. Et quamuis bona consulat, petat que geri suffragia, aut aliquid restitui, id efficit, vt postmodum facilius decipiat. Non tamen abnegarim, animas beatas, aut in purgatorio, infernóve existentes, apparere aliquando viuentibus, id Deo permittente ob aliquas iustas causas. Cum autem in dæmoniaco dæmon ait, se animam esse defuncti, semper mentitur. Quia animæ defunctorum nunquam aliud corpus ingrediuntur, vt docet Abul. *ad cap. 8. Mat. q. 124.* Quæstioni autem do, an dæmone consulente bonum, id licitè possimus mandare executioni.

545 *Agendum est* Possumus plane. Quia bonum quod consulis agere potest quis, non quod dæmon consulerit,

Bonum quod Damõ consulit.

lerit, sed quod in se est bonum. Sic Delrius nofter *l. 6. disquis. Magic. in anacephalæosi, monit.* 10.

546 *Agendũ non est.*

Non possumus diabolo vel consulenti bonum obedire, nec eius parere consilio. Quia omnia bona quæ consulit, ad nostram perniciem diriguntur. Ita Thyræus nostræ societatis *de apparitionib. spirituum c.* 15. *n.* 20. Sanch. *sum. l.* 2. *c.* 38. *n.* 24.

547 *Hoc securius.*

Si dæmon consulit præcepti alicuius obseruationem, gerendum esse affirmo, ratione præcepti obligantis. At consilium eius bonum prætermittere tutius omninò esse crediderim, vel in aliud bonum commutare: ne quid fraudis eo consilio diabolus moliatur.

PROBL. CIII.

Licet & non licet, ex Astris futura, & occulta prædicere non certò, sed probabiliter tantùm.

548 *Nonnulla præmitto.*

PRæmitto, ex Astris prænunciare euentus ex libero hominis arbitrio pẽdentes, ac effectus occultos, superstitio est. Quare non licet ex Astris prænunciare futura bella, contentiones, æmulationes: imò neque certum morbum alicui esse euenturum, nec periculum mortis incursurum, neque celebraturum coniugium, facturum iter, dignitatem consecuturum, & his similia. Quia hæc omnia ex libera pendent voluntate, vel ex humorum in ordinatione: ac proinde ex Astris prænosci non valent. Idem dixerim de furtis occultis, alijs que hominum actionibus, quæ humanâ non possunt industriâ vestigari. Quod si per Astra ea dignoscere quis tentet, peccatum grauissimum superstitionis perpetrabit. Sic omnes Doctores cum D. Tho. 2. 2. *q.* 95. *a.* 5. Vnde *Iere.* 10. Dominus: *A signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt.* Quæsierim verò, nùm liceat, ex Astris hos futuros euentus, & occulta facta prædicere, non certò, sed tantummodo probabiliter?

549 *Licet quidem.*

Licet planè. Quia naturaliter quisque suam agnatam propensionem, & inclinationem sectatur: sed ad huiusmodi inclinationem non leuitèr Astra conducunt: Ergò ex illis saltèm probabiliter vnius cuiusque facta poterunt prænunciari. Sic Tolet. *l.* 4. *c.* 15. *n.* 6. Delri. *l.* 4. *disq. Mag. c.* 3. *q.* 1. *concl.* 2. Caiet. 2. 2. *q.* 95. *a.* 5. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 12. *pun.* 3.

550 *Non licet.*

Non licet. Quia ex Astris deduci non potest industria humana probabilis cognitio eorum euentuum. Tum quia non possunt omnia Astra concurrentia cognosci, & quæ cognoscuntur. imperfectissimè cognoscuntur. Tùm quia Astra non sunt causæ immediatæ liberorum effectuum, sed ad summum naturalium inclinationum. Tum quia ab alijs causis sublunaribus sæpissimè eorum influentia impeditur. Tum denique quia contra propriam propensionem, & inclinationem peruersam vnusquisque Dei adiutus auxilio procedit. Non ergo ex regulis Astrologiæ probabilis cognitio potest inuestigari. Alias non diceret Propheta *A signis cæli nolite timere. &c.* Nam si ex Astris cognitio probabilis futurorum euentuum posset haberi, nec essent *vanæ leges populorum*, sed prudentes: nec irrationabile, & vanum sed potius prudens, illa timere. Cum ergo ex solis Astris cognitio probabilis haberi non possit: restat, vt illam quis habeat ex doctrina dæmonis, & eius auxilio: ex Dei namque reuelatione clarum est non haberi. Ita Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 11. *n.* 31. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 38. *n.* 31. Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *dub.* 6. *n.* 42. Pala. *to.* 3. *tr.* 17. *d.* 1. *pun.* 4. *n.* 5.

551 *Auctorum resoluio.*

Ego quidem asseruerim, quando hæc prænunciantur maiori firmitate, quam ex Astris haberi potest, v. gr. dicendo: Hoc est probabile: esse superstitionem. Quia ex solis Astris hoc iudicium absolutum, aut probabile comparari nequit: sed ex inclinationibus naturalibus coniectura admodum tenuis. Ergo qui absolutè, aut maiori firmitate illa prædicit, vel ea intentione illam cognitionem inuestigare satagit, tacitè dæmonis disciplina vtitur, vel vult ab eo hæc edoceri. Secùs autem esset, quando non ex Astris Solis, sed ex aliis circunstantiis, & causis particularibus hæc coniectura probabilis sumeretur, v. gr. ex temperamento personæ, & ex aliis eius actibus, &c. Quia obseruatio, huiusmodi non est diuinatio, sed prouidentia, Nec crediderim esse superstitionem, nec iure aliquo antiquo damnatum, quandò hæc prædicuntur sola illa tenuissima coniectura, & certitudine, qua sciri possunt per Astra, & ita habet in mẽte prædicẽs, vel si absolutè prædicat, ita tamẽ intendens, & non maiori certitudine. Atque hoc probat solummodo primæ sententiæ fundamentum.

PROBL. CIV.

Ex Astris futura contingentia probabiliter prædicere, non cerò est, & non est motu proprio Sixti V. interdictum pro foro interno.

552 *Nõ est interdictum pro vtroque foro.*

NOn est interdictum pro vtróque foro, sed pro externo tantùm. Quia id verba testantur: *Statuimus, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audeant, etiamsi id se non certo affirmare asserant, aut protestentur, inquirant, & procedant, & in eos seuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.* Quæ quidem verba videntur id ad solum externum forum referre, nihil de interno præcauentia. Sic Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 11. *n.* 30. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 12. *pun.* 1. Del-Rio. *l.* 4. *disq. Magic. c.* 2. *q.* 3. Addit que Suarius, in tali prædictione non deesse grauem culpam saltem ratione scandali, & speciei mali cum præsumptione iuris, vel de iure.

553 *Est pro vtroque foro interdictum.*

Pro vtroque foro est interdictum. Quia cum in eo motu proprio Pontifex permiserit iudicium de agricultura, nauigatione, medicina, & alijs rebus naturalibus, de quibus constat certum iudicium ferri non posse, sed valdè dubium: & de inceps absolutè interdicat illud

illud circa casus fortuitos, & pendentia ex libero arbitrio etiam cum eo dubio: videtur in hoc posteriori prohibitionis casu loqui in vtroque foro, sicut in priori permissionis loquitur in vtroque. Et ratio prohibitionis est, quia etiam hic modus prænunciandi futura, valdè est Reipublicæ pernitiosus, & multis superstitionum periculis, & calumniis diuinatorum fingentium id dubium expositus. Ita Salas 1.2. *quæst.* 9.*a.*5.*tract.*5.*d.* 2. *sect.* 3. *numer.* 36. asserens, id esse culpam lethalem ob grauem prohibitionem in eo motu proprio contentam. Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 38. *numer.* 34. Graf. *l.* 2. *decis. c.*5.*n.* 19. Farinac. *de hæreq.* 181.*n.* 9.

554 *Primam sententiam reor esse probabiliorem.*

Primam sententiam puto, asserens, hanc coniecturam dubiam, tenuissimamque prædictionem posse sine peccato geri. Quia non est prædictio euentus absoluta, sed solum est prædictio illius sub quadam tenuissima coniectura contingenti: quod potius est prædictio contingentiæ, quam effectus. Ideo Suarius huiusmodi prædictionem licere in foro conscientiæ asseruit. Fateor, in foro externo, puniendos esse Astrologos iudiciarios, qui futuros euentus, & res occultas manifestant: tametsi protestentur, se non certo ea prædicere. Quia saltem tanquam verosimilia, & probabilia manifestant, quia præsumuntur ad occultandam suam malitiam ea forma prænunciandi vti. At non inde euidenter arguitur in foro conscientiæ id condemnari. Non autem abnego, rarò à culpa lethali excusari posse quamlibet ex Astris coniecturalem prædictionem quantumuis dubiam: quia nunquam talis præsumitur, sed potius creditur firmitatem habere: hoc autem non ex decreti Sixti VI. sed ex voluntatis iniquæ peruersione.

prio nulla de nouo fertur prohibitio, sed quod *Nemo in motu proprio.* iure diuino, & Canonico prohibitum erat, denuo prohibetur, vt constat ex toto proœmio illius constitutionis, & præcipuè ex illis verbis: *Nos igitur, qui pro nostri pastoralis officij munere Fidei integritatem inuiolatam conseruare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum diuina gratia adiutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes, reprobantes omne genus diuinationis, quæ diabolo authore, ad fidelium deceptionem a prædictis curiosis, vel verditis hominibus fieri solent.* Ecce quomodo Pontifex solummodo pernitiosam diuinationem à diabolo inuentam intendit prohibere: Ergo coniecturalem solùm prædictionem futurorum euentuum Pontifex non prohibuit. Certè hæc coniecturalis prædictio futuri euentus non est prædictio illius absolutè, sed solum est prædictio illius sub quadam tenuissima coniectura contingentiæ: quod potius est (vt dicebamus) prædictio contingentiæ, quam effectus. Ità Castro Pala.*to.*3.*tract.*17.*d.*1.*pun.* 4. *numer.*9. Caiet. 2.2. *quæst.*95.*a.*5. Valent. 2. 2.2. *d.* 6. *quæst.*11. *punct.*1. asserens solam pernitiosam diuinationem à diabolo inuentam illo motu proprio prohiberi.

His lubet adhærere. Quia Sixtus permittit inibi Astrologiæ artem circà temperaturam, inclinationem, & propensionem vi- *Hoc nimi probabilius.* uentis, vt expresè notauit Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 11. *numer.* 12. Ergo sola prædictio futuri euentus, vel occulti facti cum maiori certitudine, quam ex Astris haberi potest, est prohibita. Non igitur illa tenuissima coniecturalis prædictio, quæ potius ex inclinatione, & temperatura viuentis, quam alio ex capite colligitur: nec ea est, quam Pontifex præscribit pro externo foro pœnis afficiendam.

557

PROBL. CV.

Dubia hæc tenuissima futurorum contingentium prædictio, est & non est vel pro foro externo in motu proprio Sixti V. contenta.

555 *Pro foro externo in motu proprio continetur.*

PRo foro externo apertè in motu proprio Sixti continetur. Quia Pontifex statuit, vt contra facientes iudicia, quibus de futuris contingentibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum audeant affirmare: etiam si id certò non se affirmare asserant, aut protestentur: Inquisitores inquirant: procedant, & in eos seuerius Canonicis pœnis, & aliis eorum arbitrio animaduertant. Ergò pro foro externo saltem quæcumque affirmatio etiam coniecturalis, dubia, tenuissima est probibita, Sic Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 38. *n.* 34. Salas 1.2. *quæst.* 9.*a.*5.*tract.*5. *d.* 2. *sect.* 3. *n.* 19. Farin. *de hær. q.* 181. *n.* 39. Graf. *l.* 2. *decis.c.*5.*n.*19.

556 *Nec pro externo continetur.*

Hæc coniectura dubia, tenuissimáque prædictio in illo motu proprio vel pro foro externo non prohibetur. Quia in eo motu pro-

PROBL. CVI.

Illi, quot Zahories vocitant, possunt, & non possunt absque arte dæmonis ea videre, quæ se affirmant conspicere.

Zahories vocitantur illi, qui dictitant, se videre aquarum seu metallorum venas, thesauros, cadaueráque in terræ visceribus abdita apostemata, & alia humorum genera intrà humanum corpus latentia, non impediente corpore, nec vestitu. Quæsierim, num id possit sine arte diaboli exeri. 558 *Saltem quatuor quæstionis appendix.*

Possunt Zahories ea omnia naturaliter gerere. Quia huiusmodi vis potest ex humore melancholico, & consurgentibus inde spiritibus ex vehementia. Sic Cælius Rhodig. *l.*17. *antiq lect. cap.* 2. Vairus *l.* 2. *de fasci. c.* 4. Et Veracr. *l.* 2. *de anima speculat.* 2. fatetur, se non capere posse, qualiter hæc absque dæmonis illusione contingant: at subiungit, se non audere damnare. Quia nouit viros alias probos asserentes, se præfata videre. 559 *Possunt absque arte dæmonis id gerere.*

Minimè possunt. Quia nonnulla, quæ 560

Absque dæmonis arte non possunt.

aspicere affirmant (v. gr. quæ viscoribus terræ cadauera, vel corpora humano abdita apostemata) impossibile naturaliter geri. Quomodo enim potest visus acies corpus tam densum & opacum penetrare? Ergo manifesta est dæmonis operatio. Ità Sanch. *l. 2. sum. c. 38. n. 37.* Delrio *l. 1. disq. Mag. cap. 3. quæst. 4. liter. C.* Palaus *tom. 3. tract. 17. dist. 1. punct. 4. numer. 9.*

567 *Idem teneo, & expono.*

Compertum mihi, Zahories vanas aquæ agnoscere posse ex vaporibus mane ac vespere illic exspiratis: & metalla in terræ visceribus abdita ex quodam herbæ genere ibi oriri solito: impossibile autem, conspicere reliqua quæ se videre asserunt: præsertim cum dicunt qualia sunt. Quare ea, illos docente d mone, manifestant. Prætereà quia hi vim hanc certis diebus alligant, nempe feriæ sextæ, vel tertiæ. Quod vanæ superstitionis, ac latentis cum dæmone pacti manifestum est documentum: cum hi dies nil præ cæteris habeant, ad aciem visus acuendam. Ex quo deduco, reos esse culpæ lethalis consulentes hos, qui sola dæmonis ope id possunt prædicere.

PROBL. CVII.

Cum duo, æquali electorum numero, ad Beneficium electi sunt: licet, & non licet, electionem alterutrius sortibus Diuisoriis terminare.

562 *De sortibus Diuisoriis nonnulla præmitto.*

PRæmitto ex D. Thoma ab omnibus recepto 2. 2. *q.* 95. *a.* 8. sortes propriè esse, cum aliquid fit, vt eius euentu considerato aliquid fiat, aut innotescat: & eas triplices esse. Quædam sunt *Diuisoriæ*, vt sciant sortientes, quid cuique tribuendum, cauendumve sit. Quædam *Diuinatoriæ*, quibus aliqui ad cognoscenda occulta vtuntur: vt si sic, vel aliter taxilli, chartæ decidant, coniecturatur prosper, vel aduersus casus. Vel cum diuersa nomina collocãtur in vrna, vt coniectetur, furtum esse apud eum, cuius nomen educitur. Item si librum aperienti occurrat scriptum læta, aut tristia continens, inde successus prosper, vel aduersus coniectetur. Aliæ sunt *Consultoriæ*, quibus diuina voluntas exquiritur, vt sciatur, quid in aliquo negotio gerendum. Porrò stando in solo iure naturæ sortes Diuisoriæ sunt licitæ, ac proinde mitti possunt in casibus & ius humanũ eas non interdicit. Quia nil aliud includunt, quàm quendam humanum contractum, quo ex communi consensu paciscentium ius ad aliquam rem habentium ea inter ipsos sorte diuiditur, vt illius sit, cui sors contigerit. Hic autem contractus nihil superstitionis, aut mali in se habet, cum ad nullam incertam rem dignoscendam ordinetur; sed ad quendam fortunæ contractum, in quo æqualis est vtriusque contrahentis conditio. Hinc deduxerim, licere sortes has in electionibus ad officia sæcularia. Quia nullibi id interdictum reperio: Et tempore pestis, aut persecutionis Ecclesiæ, quando disceptatio fuerit, quinam Parochi, aut Clerici, aut Religiosi manere debeant in loco persecutionis, aut infectione affecto, vt reliquis subueniant, nec aliter commode lis hæc componi valet, licitum esse sortibus diuisoriis eligere: Et quando sunt plures rei; nec oportet, omnes punire, licere, quod in militia est praxi receptum, vt sorte excipiatur quis necandus sit: Quando autem non constat de persona, quæ patrauit delictum, non licere, eam sortibus indagare; quia præter diuinationem ibi admixtam, est periculum puniendi innocentis, si sors in ipsum excidat, aut rei non legitime probato eius delicto; quippe sortium probatio non est legitima. Demum licere tempore tempestatis quando gratia nauis alleuiãdæ, ne depereant omnes, necessũ est, aliquos homines proiicere in vndas: sortiri ex omnium consensu, quis proiiciendus sit. Enim verò sortes hæ non licent in electionibus Ecclesiasticis. Quia id interdicitur *cap. fin. de sortileg.* ibi: *sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Erat autem ibi de Ecclesiasticis electionibus sermo. His præmissis, iam rogito, num, cùm duo æquali electorum numero ad Beneficium sunt electi, liceat alterutrius electionem sortibus terminare?

Licet quidem. Quia iam electio legitimè facta erat, & sortes eò solùm mittuntur, vt alteruter præferatur. Sic Glos. 26. *q.* 2. *in summa, v. sortes.* Laurent. ibi, vt eum refert Archidiac. ibidem. Et videtur, non aliud remedium aptius suppetere, cum eligentes in vnum non consentiant. 563 *Licet electionem alterutrius sortibus determinare.*

Minimè licet. Quia dum suffragia æqualia sunt, nullus dici potest esse ad Beneficium legitimè electus: debet enim eligi à maiori parte Capituli. Ergo cum Capitulum consentit, vt Beneficium obtineat, & omnibus præferatur ille, cui sors contigerit: iam mediis sortibus efficit electionem. At *cap. fina. de sortilegiis*, prohibetur omnis electio sortibus facta: Ergo etiam hæc determinatio electionis, quæ vera electio est, prohibetur. Ità Sanch. *l. 2. sum. cap. 38. numer. 74.* Pala. *tom. 3. tract. 17. d. 1. punct. 6. numer. 6.* Archidiac. *citat.* Antoni. *eo cap. numer. vltim.* Hostiens. *numer. 3.* Ioan. Andr. *n. 12.* Card. *q. penult.* Marianus, Socin. senior, *n. 26.* Anani *n. 11.* Felin. *c. capitulum, n. 21.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. c. 12. n. 7.* 564 *Nullatenus.*

Hoc certum existimo, & ita supponere videtur Glossa communiter *c. penult. v. Teneantur, de rescriptionib. in 6.* Vbi in hac discordia electorum monet, superiorem adeundum, vt terminum electoribus præscribat: & eo transacto electionem asserit ad eum deuolui. Imò & si plures eligantur à maiori parte, non vt omnes eo munere fungantur, sed vt sortes mittantur posteà inter illos: id non licere affirmo. Quia generalis est *c. fin.* prohibitio, & verè absoluta electio sortibus terminatur. Quod si in aliqua congregatione is vigeat vsus, aut erit virtute alicuius constitutionis à sede Apostolica approbatæ; aut erit in officiis non habentibus iurisdictionem aut administrationem Ecclesiasticam. Vt edocet Suar. *citat. n. 8.* 565 *Hoc certum esse reor.*

* *
*

PROBL.

PROBL. CVIII.

Licet, & non licet sortibus diuisoriis vti, ad terminandas lites inter Clericos circà electionem ad Beneficium, vel officium Ecclesiasticum.

566 *Quod certum suppono.* SI lites sint circa res temporales certum est id licere. Quia nullo iure id interdictum reperitur. Nam textus *cap. fin. de sortileg.* loquitur de solis Ecclesiasticis electionibus, vt docet Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 12. num. 11.* Quæsierim verò, an si lis Clericorum sit circa Beneficium, aut aliud officium Ecclesiasticum, liceat sortibus vti, ad litem dirimendam?

567 *Non licet.* Minimè licèt. Quia *cap. fin. de sortileg.* id prohibetur. Et verè completur electio alterius ex litigantibus per illas sortes: Ergo contra illius textus præscriptionem lis sorte dirimitur. Sic Hosti. *c. vni. num. 6. de eo, qui mittitur in possess. in 6.* Ioan. Andr. *ibi, num. 4.* Ancharan. *ad finem.* Domin. *num. 12.* Francus *num. 9.* Cardi. *cap. licet causam, de probation.* Felin. *cap. Capitulum, num. 21. vers. sed saluando, de rescript.*

568 *Licet planè.* Licet omninò sorte Clericorum eam dirimi litem. Quia textus *cap. fin.* non loquitur in hoc casu sed in solis electionibus: At componentes sortibus litem, non eligunt, cum is, cui sors cedit non recipiat Beneficium ex vi sortis, sed ex vi iuris, quod prætendebat: & per illas sortes tantùm aufertur impedimentum. Ita Gloss. *cap. Licet causam. v. Vti possidetis, ad finem. de probationib.* Hostiens. *ibi, num. 10. casu 1.* dicens, ita vsu receptum. Abbas *num. 37.* adiiciens exigi quoque consensum vtriúsque litigantis, ne alteri discordanti iniuria irrogetur. Deci. *ibid. à num. 206. vsque ad 212.* & alij, quos refert Felin. *cap. sapitulum, num. 21.* Et forsam ita esse, docet Lessi. *l. 2. cap. 43. dub. 9. num. 58.*

569 *Rem aptius exhono, cum Suario.* Rem aptius cum Suario *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 12. num. 12.* lubet enodare. Assero itaque licitem hanc sortibus dirimi, non esse contra decisionem *cap. fin.* quod probat secundæ sententiæ fundamentum, & quo ad hoc veram esse. Alia tamen ratione id licitum minimè esse reor, nempè, si propria fiat authoritate: benè tamen authoritate Ecclesiastici Iudicis: & quo ad hoc veram esse primam sententiam iudico. Quia in litibus Beneficialibus cauendum est omninò periculum vitiosi in Beneficium ingressus, quale est absque legitimo illius titulo. Quod habetur *cap. vni. de eo, qui mittitur in possess. in 6.* At quando authoritate propria hæc lis componitur, id periculum subest. Cum enim neuter litigans possit alteri sua authoritate, suóque pacto legitimum Beneficij titulum impertire, nec constet, vter litigantium titulum legitimum habeat: est periculum, si fortè alter litigans titulo iusto carebat, vt absque illo Beneficium possideat. Præterea quia omne pactum propria initum authoritate circa Beneficium Ecclesiasticum litigiosum est simoniacum *cap. fin. de pactis. & cap. Quam pio 1. quæst. 1.* sed vtrúmque vitium cessat authoritate Iudicis interuenientè; quia si vtérque pactum id in manu Iudicis ineat, vt iuxta illud sententiam ferat, cessat simonia, cessat vitiosus ingressus, cum vtrúmque fiat Iudicis authoritate. Vnde colligo, Iudicem hunc necessariò futurum eum, cuius est conferre eius Beneficij litigiosi titulum. Quia si alius sit non cauetur ingressus vitiosi periculum. Quare in electione Pontificis, quandò inter duos discordia esset, vter verè electus sit, poterit sortibus discordia componi. Quia non adstringit illos ius Ecclesiasticum sortes interdicens. Sed id necessariò faciendum de Cardinalium, quorum est electio, consensu. Sanch. *l. 2. sum. cap. 38. num. 79.*

PROBL. CIX.

Iure naturali interdicuntur, & non interdicuntur iure naturali, sortes diuisoriæ in electionibus Ecclesiasticis.

570 *Naturali ex iure interdicuntur.* NAturali ex iure interdicuntur. Quia id colligitur apertè ex *cap. fin. de sortileg.* ibi: *Lic t nota non careat, quinimò multa reprehensione sit dignum, quod sors in talibus interueniat.* Et deindè Pontifex concludit interdicendo sortium vsum in electionibus Ecclesiasticis. At si anteà id non esset iure naturali interdictum, & re vera, non aderat tunc ius humanum interdicens: non esset reprehensione dignum. Sic D. Thomas ab omnibus receptus *2. 2. quæst. 95. art. 8.* eam huius prohibitionis reddens rationem: Quod electiones Ecclesiasticæ sint potius inspiratione diuina, quam sortibus faciendæ. Quæ ratio cum naturalis sit, probat, id esse iure naturali interdictum.

571 *Non interdicuntur naturali ex iure.* Non interdicuntur naturali iure, sed solùm Ecclesiastico. Quia nil aliud includunt, quam quendam humanum contractum, quo ex communi pacisecentium consensu ius ad aliquam rem habentium, ea inter ipsos sorte diuiditur, vt illius sit, cui sors contigerit. Hic autem contractus nil superstitionis, aut mali ex se habet: cum ad nullam incertam rem dignoscendam ordinetur, sed ad quendam fortunæ contractum, in quo æqualis est vtriúsque contrahentis conditio: Ergo hæ sortes nullam ex se malitiam inuoluunt, ac proindè naturali iure sunt licitæ in casibus, in quibus iure humano interdictæ non sint. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1. cap. 12. à num. 3.* Caiet. *sum. v. sors ad fin.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 12. punct. 3.* Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 21. quæst. vni.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 38. nu mer. 81.*

572 *Hoc tenendum iudicor.* Hoc tenendum iudicarim. Nam ideò Pontifex asserit, id esse reprehensione dignum, quia textu antiquiori nempè *cap. Quia prater, de elect.* præscripta erat forma triplex harum electionum, & nulla erat per sortes. Eum autem textum esse antiquiorem, indè constat, quia Innocentius III. qui auctor illius fuit præcessit Honorium III. qui textum *cap. fin.* præscripsit.

* *
*

PROBL. CX.

Electio ad Ecclesiastica officia per sortes diuisorias est, & non est ipso iure irrita.

573 *Irrita ipso iure est.* IRrita ipso iure est. Quia est contra illius textus *c.fin.de sortileg.* prohibitionem. Et quia est cõtrà formam electionum traditam *c.Quia propter,de elect.* Sic Abbas *ad c.fin.n.5.de sortil.*

574 *Non est ipso iure irrita.* Non est ipso irrita iure ex vi textus *in c.fin.* Quia etsi textus ille huiusmodi electionem interdicat, nullum tamen verbum irritans addit. Et ideò electio Episcopi facta à compromissariis per sortes electis, de qua loquitur textus ille, valida fuit. Quod satis probat Glossa *ibi.v. ad gratiam*, vbi ait, eam electionem esse irritãdam. Ita Suar.*to.1.de Relig.l.2.c.12.n.9.& 10.* Sanch.*l.2. sum.c.38.n.8.* Pala.*to.3.tr.17.d.1.pun 6.n.9.*

575 *Idem affirmo.* Cum his sentio. Quia licèt textus in *c.Quia propter*, dicat, non valere electionem factam, nõ seruata forma ibi præscripta, ac proindè talẽ ipso facto irritet electionem illam: at in hoc casu seruata est forma ibi præscripta; quidam enim ex tribus modis ibi contentis est, vt electio fiat per compromissarios, qui in hac electione est seruatus, solúsque in eligẽdi eos per sortes modo fuit error: de quo modo nil in eo textu dicebatur. Itaque si sortibus eligatur Prælatus alicuius Ecclesiæ habens iurisdictionem tam in criminalibus, quam in ciuilibus, nulla est electio; quia nõ seruatur forma præscripta in *c.Quia propter.* At si sortibus eligantur compromissarij, qui hunc Prælatum designent, valida est tam electio compromissariorum, quam prælati nominatio. Quod si electio ad alia officia, vel Beneficia Ecclesiastica præter Prælationem sortibus fiat, valida est. Quia nullibi annullata talis electio reperitur. In *c.*enim *Quia propter*, solùm est sermo de electione Prælati iurisdictionem habentis.

PROBL. CXI.

Sortes Consultoriæ sunt, & non sunt licitæ.

576 *Non sunt licita.* ILicitæ non sunt. Quia Deus non vult, suam voluntatem sortibus indagari, sed Ecclesiæ ac sanctorum doctrina, peritóque à viris prudẽtibus consilio. Et ideò sub anathemate interdicitur sortium huiusmodi vsus *c.sortes,26.q.5.* Sic D.August. *Epist.119.c.20.* vsum hunc reprehendit. Leo IV. relatus *in c.sortes* præfato ita profatur: *Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis pronunciis, quas patres dãnauerunt, nihil aliud, quam diuinationes, & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus, illas omninò damnari, & inter Christianos vltra nolumus nominari: & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.* Et Tho. Sanch. *citandus* asserit sortes consultorias rarò esse licitas.

577 *Licita sunt.* Sunt planè licitæ. Quia si debito modo fiant nulla apparet in sortibus hisce malitia, sed potius Religionis actus resplẽdet. Id probat factũ illud *Ioſ.7.* cum dux fortissimus sortẽ misit, ad dignoscendum occultum malefactorẽ. Et Apostoli *Act. 1.* ad eligendum D. Mathiam loco Iudæ sortes miserunt. Ratione probatur, quià in tali casu licitum est, diuinãm explorare voluntatem, vt aliquo signo quid sit agendum manifestet. At cum non appareat aliud signum aptius, quàm sortes, sortibus creditur diuinam voluntatem esse manifestandam, iuxta illud *Prouer.16. sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Ita Suar. *l.2.de superst.c.12.n.* 18. Lessi. *l.2.c.43. dub.9.n.* 60. Bonac. *d.3.de prec.1. Decal.q.5.pun.3.n.* 12. Palaus *to.3.tr.17.d.1.pun.7.n.*10. & alij cõmuniter.

578 *Esse licitas vbi, quatuor seruatis conditionibus.* Existimo sortes consultorias rarò esse licitas vt aiebat Sanch. *l.2.in Decal.c.38.n.85.* At licitas esse absolutè, cum quatuor concurrunt conditiones. At quia hæ rarò concurrunt, ideo apte ait Doctor raro esse licitas. Prima conditio est necessitas, aliàs enim esset Dei tentatio. Hanc autem necessitatem explicat Sylvest. *v. superstitio,q.4.* & Margarita cõfes. *Præcep.1.fol.58.* vt sit necessitas spiritualis personæ, vel etiam rerum, ad magnum damnum vitandum, secunda est, vt debita reuerentia ad Deũ sortes mittantur. Tertia, vt seruetur modus proportionatus, nè scilicet Sanctorum reliquiæ, aut diuina oracula ad sæcularia conuertantur, id est, ad temporariã lucra: secus ad damnum vitandum. Quarta, vt sit circà debitã materiam, nempe vt non sit circà Ecclesiasticas electiones: quia id est specialiter interdictũ, vt vidimus. Didici ex D. Tho. Armil. Tabie. & Azorio, quos refert, ac sequitur Santius *citat.* Monuerim, sortes consultorias non seruatis his conditionibus, haud continere superstitionẽ diuinatoriã, sed aut tentationẽ Dei, sicut si fiat id sine necessitate, & præter missis ordinariis diuinæ prouidentiæ mediis, si verò secunda & tertia cõditio nõ seruetur, erit aliquod Sacrilegij genus. vt adnotat Suar. *vbi s.* Denique Sacrilegium erit iure humano inductum, si circa electionem Ecclesiasticam mittantur: Cùm ob reuerentiã Ecclesiasticam sint sortes in illis interdictæ.

PROBL. CXII.

Lata est, & lata nõ est excommunicatio aduersus Clericos sortibus diuinatoriis vtẽtes.

579 *Sortes diuinatoriæ illicitæ esse planè est præmittere.* SOrtes diuinatoriæ semper sunt illicitæ, vtpote superstitionẽ continẽtes. Quia hæ sortes nec causant effectum futurum, neque illũ ex se significare possunt: Ergò si aliquando illum significãt, id habẽt ex alicuius dispositione. Porrò Deus illis hanc significationem non dedit, nam Deus haud se vanis immiscet. Restat ergò vt à dæmone hanc habeant significationem. Ergo qui illã à dæmonis inuestigat se dæmone subijcit disciplinę. Certe in hisce diuinatoriis sortibus sępe iniustitiã aliáque grauia crimina præter superstitionẽ immiscentur. Si enim sortes quis immittat ad cognitionẽ alicuius delinquẽtis, perpetrat iniustitiam, tùm inquirendo delictum medio ità improportionato, & fallaci: tùm ob maximum periculum, quod sors in innocentem cadat. Nam cum dæmon magis appetat damnum iustis, quam peccatoribus inferre: credi potest delictum peccatoris innocenti applicaturum. Quæsierim autem, num contra Clericos sortibus diuinatoriis vtentes lata sit excommunicatio?

580 *Lata est excommunicationis sententia contra Clericos sortibus diuinatoriis vtentes.* Lata quidem est. Quia *cap. Aliquanti 26. q.1.* dicitur, *Ab Ecclesia habeatur extraneus.* Sic Mart. Del Rio *l.4. disq. Magic. cap.q.7. sect.4.* Et quia *cap.12.6.q.5.* dicitur: *si quis Arioſos, Aruſpices, aut Incantatores obſeruauerit, aut phylacteriis vſus fuerit, anathema ſit.* Certè hæc verba *Amathema sit*, aut excommunicatus

catus sit continent excommunicationem latam, & non solum ferendam, vt edocent multi, quos refert Sanchez *l. 7. de matrim. d. 12. n. 2.* Probabilem hoc ex cap. hanc sententiam ducit Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. c. 19. n. 5.*

581 *Non est lata, sed ferenda.*

Minimè est lata excommunicatio. Quia textus *c. Aliquanti*, cùm vtatur verbo futuri *Habeatur*, continet sententiam ferendam, non latam. Et verba illa *c. 1. 26. q. 5. Anathema sit.*, probabilius est sententiam latam non continere, sed ferendam. Ità Nauar. *Sum. lati. c. 17. n. 12* Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. c. 19. n. 5.* Sanch. *l. 2. Sum. c. 38. n. 91.* Alensis. *p. 2. q. 164. memb. 5.* Sylvest. *v. superstitio, q. vlt.* Lessi. *l. 1. c. 43. dub. 5. c. 29.* Azor. *to. 1. l. 9. c. 16. q. 1.*

582 *Hæreses & expono.*

Fateor: hæc verba, *Anathema sit*, posita in decretis Conciliorum determinantibus pertinentia ad fidem, importare, hæreticum esse, sentire contra eam determinationem. At esto concellerim, importare excommunicationem latam, intelligendum est, nisi verba illa proferantur in materia, in qua constat ex aljjs textubus, non imponi excommunicationem latam, sed ferendam, vt probat Sanch. illa *d. 12. n. 2 ex l. 7. de Matrim.* Quod quidé in hoc casu constringit. Sunt enim multa alia iura declarantia hanc excommunicationem esse ferendam. *c. 1. & 2. & c. Non oportet, 26. q. 5.* Et quamuis Suarius eo *c. 19. n. 5.* dicat, sane solutionem haud sibi satisfacere, quia hi textus sunt antiquiores: at hoc non obstat: nec enim est absurdum, decreta posteriora dubia per priora explicari. Vt probat Sanch. *l. 2. de matr. d. 24. n. 6.* Verùm attento iure veteri Inquisitores cognoscebant aduersus solos diuinatores aliquid hæresis admiscentes. At hodie attento motu proprio Sixti V. contra Astrologos possunt Inquisitores, & Ordinarij inquirere, & animaduertere in omnes superstitiosam quamlibet diuinandi artem exercentes, profitentes, docentes, & diuinationibus vanis vtentes, aut in eis se quomodolibèt ingerentes. Vt constat ex eius tenore, & docet Suar. *vbi s. n. 11.* & Azor. *p. 1. 9. c. 16. q. 4.* Cognitio verò aliarum superstitionum, in quibus est hæresis suspitio, ob expressum cum dæmone pactum, vel obalias circumstantias, ad Inquisitores pertinere, quis dubitet. Quando verò nulla est hæresis suspicio, est mixti fori, nempè Iudicis Ecclesiastici, & laici, & datur præuentio. Vt cum Abbate, & alijs tenent Iulius Clarus *l. 5. recept. §. Hæresis, n. 25.* & Suar. citatus.

PROBL. CXIII.

Astrologi, & diuinatores tenentur, & non tenentur pretium pro diuinatione acceptum restituere, si res non euenit.

583 *Nonnulla certa præmitto.*

CErtum mihi eos ab omni restituendi obligatione esse liberos quoties ea naturalia prædicunt, ad quæ scientia se extendit: vt si eclipsim, pluuias &c. prænuncient, etsi postea effectus non sequatur. Quia bona fide id, ad quod eorum scientia se extendit, prænunciarunt. Nauarra *l. 2. de restit. c. 2. p. 1. dub. 7.* Iam vero si de pretio accepto pro diuinatione iniqua loquamur: qui nullam operam apposuit, vt arte diaboli id sciret, quod nullatenus potuit: siue effectus euenerit, siue non, tenetur restituere danti. Quià nullam diligentiam adhibuit, sed casu euenit, aut non euenit effectus. At pecunia datur propter operam abillo impensam, & quidem vtilem ad effectum consequendum. Si verò Astrologus aut diuinator ille operam suam apposuit, & arte diaboli res ità euenit: non tenetur pretium restituere. Quià ipse suam operam, etsi turpem apposuit, & acceptum prò opere turpi iuxta veriorem sententiam, non est obnoxium restitutioni. Quæsierim verò, an Astrologus vel diuinator teneantur restituere pretium pro diuinatione acceptum, si res non euenit iuxtà votum dantis, & accipientis promissionem?

584 *Tenetur restituere.*

Tenetur restituere. Quia pro effectu illo consequendo pretium fuerat oblatum: Ergo si effectus inanis uisit, iniuste Astrologus, aut diuinus pretium retinebit. Sic Nauar. *citat. numer. 163. & 164.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 7. num. 4.* Salas *1. 2. q. 9. a. 1. dist. 2. sect. 8. numer. 79.*

585 *Non tenetur.*

Non tenetur. Quia diligentiam iam ille adhibuit ad effectus consecutionem, quæ quidem diligentia est pretio æstimabilis, & accidentarium sui operi impenso, effectum prodire, aut infatuari. Ità Sanch. *l. 2. sum. dist. 38. numer. 96.*

586 *Idem affirmo, primamque improbo sententiam.*

Primam sententiam minimè placere mihi profiteor. Quia cum Astrologus vel diuinus diligentiam adhibuerit arte diaboli ad eum effectum necessariam, iam suo muneri quolibet in euentu satisfecit. Quemadmodum Medicus quando iuxta artis præcepta medicamina adhibuit non tenetur acceptam pecuniam ægroto pereunte, restituere. Haud aliter illi damna & expensas restituere consulenti non tenetur, sed solum modo quando nullam impendit operam, aut eius diabolicæ artis erat ignarus. Quia quando operam suam impendit, non decepit.

PROBL. CIV.

Si quis innocens ab iniquo Iudice damnaretur, vt vel in duello pugnaret, quo se ab obiecto crimine purget vel mortem subeat: sinè superstitionis periculo potest, & non potest duellum acceptare.

587 *De duello superstitioso nihil premitto.*

MVltæ sunt causæ ad quas duellum potest ordinari, vt ex *lib. 32.* suppono. Vna est, vt per victoriæ euentum, veritas & iustitia alterius partis eruatur. At tale certamen vocatur propriè duellum, & inter purgationes vulgares computatur, & damnatur ab Ecclesia *cap. 1. & 2. de purgat. vulgari.* Et tanquam superstitiosum improbat D. Thom. ab omnibus receptus *2. 2. q. 95. a. 8. ad. 1.* Vbi Caiet. & Henric. *quod l. 5. q. 32.* optimè aiũt, huiusmodi duellum indicere, vel acceptare, esse ex

genere suo malum, instar mendacij. Quia in propria ratione repugnantiam cum recta ratione includit: quippe in testimonium proprij iuris, aut innocentiæ assumitur id, quod non est mendacium aptum ad eum finem, cùm sæpè iustam causam tuentes succumbere in duello accidat. Hinc eam euoluo quæstionem, num si quis innocens damnaretur à Iudice iniquo, vt vel in duello pugnet, quo se ab obiecto crimine purget; vel mortem subeat, liceat ei, duellum acceptare?

588 *Non potest ille sine periculo superstitionis duellum acceptare.*

Minimè licet. Quia duellum causa eruendæ veritatis est superstitiosum, & intrinsecè malum. Et quia innocens ille iniuriam non patitur ab eo quo cum est pugnaturus, sed à iudice iniquo. Ergò non licet ei acceptare superstitiosum duellum cùm eo tertio verè innocenti, eiusque vitam periculo exponere. Sic Hostiens. Gofred. Rosel. quos refert, & sequitur Sylvest. *v. duellum, q.* 2. Abulens. 1. *Reg.* 17. *q. vlt.* D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 4. *c. vlt. §. vlt.* Tabie. *v. Duellum, q.* 3. *n.* 4. Armil. *ibi, n.* 5. Henriq. *quodlib.* 5. *q.* 32.

589 *Potest id quidem.*

Licet planè. Quia etsi innocens ab illo tertio non patiatur iniuriam, sed à Iudice: at videtur tunc ius habere, vt aduersus Iudicis iniuriam nitatur perincertum duelli periculum certam aliquam mortem euadere[a], etiam cùm tertij detrimento. Quandoquidem plus sibi ipsum, quam illum in eo casu diligere potest: eo vel maximè, quod Iudex iniquus, tertio illo tanquam instrumento vtatur, ad iniquam sententiam, quo ad vnam eius partem exequendam. Ita Angel. *v. duellum, n.* 2. Tolet. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 32. Nauarra *l.* 2. *de reflit. c.* 3. *in* 2. *p. dub.* 13. *n.* 295. Et Valentia asserit 2. 2. *d.* 3. *q.* 17. *pun.* 1. esse improbabile. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 39. *n.* 4.

590 *Hoc probabilius puto.*

Hanc partem probabiliorem iudico, si acceptans duellum, id non gerat ea prana intentione, qua iudex offert: sed solum intendens se defendere, & vt mortem certam acceptato periculo duelli euadat; quare illa potius est defensio. Verùm duellum id acceptare intentione veritatis eruendæ superstitiosum est, & intrinsecè malum, instar mendacij, ac proindè nunquam licet. Vndè si quis, suspicans, quendam commisisse cùm propria adulterium vxore, cum ad duellum prouocaret, causa veritatis indagandæ, minimè liceret prouocato illud acceptare. Quia superstitiosum ac intrinsecè est malum, si tamen prouocans ipsum inuaderet, vel aliàs eum vellet interimere; liceret prouocato se defendendo dimicare. Quia non pugnaret quasi conditionem oblatam acceptans ad indagandam veritatem, sed se ab iniquo defendens inuasore. Didici ex Abulensi *citato.*

PROBL. CXV.

Stryges verè, & non verè alia in loca ad nocturnos conuentus corporaliter transferuntur.

591 *De vana ob-*

REcolo ex *sect.* 1. superstitionem vanæ obseruantiæ dici, cum medijs inutilibus, & à diuina prouidentia minimè constitutis aliquis procuratur effectus: vt consequi aliquod bonum, vel aliquod vitare malum, aut aliquod malum inferre. Dicitur autem vana obseruantia, quia vel effectum intentum non consequitur, vel si consequatur, plus noxæ quàm commodi affert. Certè consecutio effectuum per vanam obseruantiam auxilio dæmonis siuè expresse, siuè tacitè inuocati sempet innititur: ac proinde pacto expresso vel tacito cum ipso. At quatuor modis concurrere assolet dæmon ad magorum effectus, qui nobis mirabiles apparent. Primò obijciens sensibus vera corpora, siuè aliunde occulte ac celeriter asportata, siuè per occultam actiuorum & passiuorum applicationem à se conflata. Secundo obijciens occultè phantasticas corporum similitudines, quæ vera corpora apparent. Tertiò nec vera corpora, nec corporum similitudines sensibus externis obijciens: sed illis illudendo ita, vt homo se videre exterius credat, quod nec videt, nec extat. Quod operatur, commouens humores, qualiter humorum commotio id in phreneticis, ac somniantibus operatur. Quartò, illudens sensibus internis absque ab externis alienatione, eo ordinante variè interiora phantasmata, & commouente spiritus. Vel cum alienatione à sensibus externis per quandam corporis alterationem, & vnctionem. Quod strygibus siue lamijs contingere assolet. Quæ alienatæ omninò manentà sensibus, & instar defunctorum in terram corruunt, ità vt admotum ignem non sentiant: & sola animi cogitatione, ac diaboli caillusione alia in loca ferantur. His præmissis ad totam de vana obseruantia tractationem, quæsierim an stryges: seu lamiæ verè corporaliter alia aliquandò in loca ac nocturnos conuentus transferantur? *seruantia nonnulla præmitto.*

Nocturni strygum conuentus semper imaginarij sunt, nec alia in loca ipsæ verè vnquam transferuntur, sed sola cogitatione, ac illusione dæmonis illis conuentibus interfunt. Quia conuentus illi, pronunciato Iesu nomine, interdum euanescunt: quod fieri non posset, si vera essent corpora. Et quia in Concilio Ancyrano relato *c. Episcopi* 26. *q.* 5. tanquam hæritici condemnantur credentes stryges de loco in locum verè transferri. Vnde Nauar. *c.* 11. *sum. n.* 38. & Manu. *to.* 1. *sum. c.* 1. *n.* 9. aiunt, peccare mortaliter id credentes. Sic nonnulli, quos refert Delrius *l.* 2. *disq. Mag.* 9. 16. 592 *Nunquam stryges corporaliter transferuntur.*

Nocturni strygum, vel lamiarum conuentus non semper imaginarij sunt, sed aliquando verè de loco in locum à dæmone transferuntur. Quia quando Iesu nomen insonat, nec non subito euanescunt, sed præstrictis intuentium oculis à dæmone celeriter asportantur: & sic dicuntur euanescere, id est, desinere videri. Ità Caiet. Valent. Sylvest. Castro, Penna & alij quos refert ac sequitur Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 19. *n.* 6. & Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 16. *à n.* 24. Lessi. *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 3. *n.* 15. & 16. Delri. *citat.* Azor. *to.* 1. *l.* 9. *c.* 25. *q.* 3. 593 *Aliquando stryges transferuntur corporaliter.*

Crediderim, lamias aliquando de loco in locum verè tranferri hærentes dæmoni in nu- 594 *Cum his ag-*

ESCOB Theol. M Tom. III. E L

in forma hirci obiecti, vel alterius animalis: vel in arundine vera, aut vero scoparum baculo equitantes, quæ dæmonis vi aguntur, ac subleuantur: ac tunc conuentibus nefariis verè corporaliter interesse. Textum autem pro contraria sententia adductum intelligi assero de credentibus cum illis modis in eo narratis, nempè vt huiusmodi lamiæ cum Dea Diana conuiuentur aut cum Dea Herodiade, &c. Non possunt tamen dæmonis ope corpus penetrare, nec in duobus locis adesse. Quare dum intrant domos obseratas ad pueros necandos, id non gerunt penetrando ianuas, sed dæmone eas aperienti, ac remouenti obstacula. Vel eæ à dæmone vectæ per aerem domos per domata ingrediuntur.

PROBL. CXVI.

Superstitio vanæ obseruantiæ, cum solum est pactum cum dæmone implicitum seu tacitum, potest & non potest esse venialis ex materiæ paruitate.

595 *Nonnulla præcipio.* COnstat ex *sect.* 1. superstitionem vanæ obseruationis esse duplicem. Quædam in qua est pactum expressum cum dæmone, quando quis ab eo expresè inuocato, aut in commercium adducto, aliqua incognita media addiscit, quæ naturales causæ sunt ad effectus producendos, vel quibus applicatis, Dæmon occultè effectum operatur. Altera est, in qua implicitum pactum adest, quando scilicèt præfata inuocatio nõ est, at adhibet quis ad effectũ cõparandum, media, quæ ad id vana sunt & inutilia. Certè superstitio hæc, si sit pactum expressum cum Dæmone, siuè excessus speratus naturalem Dæmonis potestatem excedat, siuè non est semper grauissimum peccatum mortale vt vidimus. Si autem sit pactum tacitum, quamvis ex suo genere lethale sit, quia est contraria huiusmodi superstitio Religioni, ac cultui Deo debito potest esse venialis propter ignorantiam vincibilem quidem, sed non crassam, aut affectatam: vel ex parte intentionis, vt si quis superstitiones hasce exerceret, non quasi efficaces, sed tanquam vanas ex quadam leuitate. Quæsierim verò, num possit huiusmodi superstitio venialis esse ex materiæ paruitate?

596 *Potest dari materia paruitas.* Potest quidem, quando non est pactum expressum cum Dæmone, vt semel facere annulum super filum moueri. Quia ex solo eo commercio cum Dæmone tacito non magnum salutis spiritualis detrimentum homini, seu periculum imminet. Quippè facillimo negotio illam vanam in materia leui occupationem deferet: Vndè non facilè indè ad maiora à diabolo allicietur. Sic Valen. 2.2. *d.* 6. *q.* 13. *pun.* 1. *ad finẽ.*

597 *Non potest materia paruitas dari.* Minimè potest. Quia deformitas huius peccati consistit in auferendo cultum Deo debitum, tribuendo creaturæ effectum à Deo petendum. Atque interuenit pactum saltem tacitum cum dæmone. At vtráque deformitas videtur ex se grauis, abstrahendo à quavis materia. Ita Caiet. *v. Incantatio, in tio.* Armil. Sylueſt. Nauar. Alcoc. Medina, quos refert, ac sequitur Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 39. *num.* 3. Lessi. *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 4. *num.* 26.

598 *Prima mihi sententia displicet.* P. Valentiæ sententia minimè placet. Quia Doctores ferè omnes, quos legi ex sola ignorantia excusant à mortali hanc vanæ obseruantie superstitionem seriò & tanquam efficacem exercitam. At ingenuè faterer, quando non seriò, sed ioco, & ad experiendum effectum, curiositatis gratia, quis semel ea vteretur superstitione, mouendo annullum, esse veniale.

PROBL. CXVII.

Licet, & non licet sanctorum Reliquias collo gestare.

599 *De ligaturis quas Nomina vocant nonnihil suppono.* VT ligaturæ quas *Nominas* vocitant, collo gestatæ, licitæ sint, ac à superstitione liberæ, oportet, nullam circumstantiam vanam ad esse. v. gr. vt sic vel sint scripta verba sacra in eis contenta, vel in vase talis figuræ, vel talis materiæ, tribuendo vim formæ vel materiæ vel scripta in pargamena charta virginea, vel tali tempore, vel oriente sole: vel alligata sint à tali persona, vt virgine: vel tali modo, vt tot filis, vel talibus. Item oportet, vt nulla adsit figura præter signum Crucis, nullaque imago præterquam Christi, aut sancti alicuius noti. Præterea vt nulla babara vel incognita Dei, vel Angelorum nomina scripta sint: nec aliud vanum, vel mendax. Docet D. Thom. 2. 2. *q.* 96. *a.* 4. Nauar. *cap.* 11 *sum. n.* 34. Sayr. in *Claui l.* 4. *cap.* 6. *num.* 6. Hinc de Reliquiis sanctorum oritur specialis difficultas, num liceat eas collo suspensas gestare: vel superstitionis possit aliquid circa ea, sicut circa Nomina reperiri?

508 *Non licet Reliquias coll gestare ac pensas.* Non licet eas gestare collo appensas. Quia *c. Corpora, de consecr. d.* 1. præcipitur Reliquias de loco ad locum non transferri absque Episcopi facultate. Et in Concilio Bracharensi 1. *c.* 5. reprehenduntur Episcopi, qui in Martyrum solemnitatibus ad Ecclesiam progressuri Reliquias collo suspensas gestabant. Sic Angel. *v. Reliquiæ, c.* 4. Giruelo *de superst. p.* 3. *c.* 4.

601 *Licet, & pium est.* Licet omninò, dummodo nulla vana circumstantia ex his quæ premisimus *n.* 597. addatur. Quia id esse pium, vsus Ecclesiæ comprobat. Hoc enim non est per se malum, atque adeo non est iure naturali prohibitum, cum ex pia affectione in sanctorum honorem fiat, nec vllam indecentiam, aut malitiam per se coniunctam habeat. Ità Sanch. *l.* 2. *c.* 40. *num.* 27. Armil. *v. Reliquia, n.* 4. Rosel. *ibi, in fine.* Sylueſt. *n.* 4. Tabie. *fine.* Nauar. *sum. c.* 11. *n.* 35. D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 12. *c.* 1. §. 13. Delrius *l.* 3. *disq. Mag. p.* 2. *q.* 4. *sect.* 3. Suar. *to.* 1. *in.* 2. *p. q.* 25. *a.* 6. *d.* 55. Vasq. *de adorat. imag. l.* 3. *d.* 2. *c.* 8. *n.* 115. Azor. *to.* 1. *l.* 9 *cap.* 8. *q.* 6. Sayr. *in Clauil.* 4. *c.* 6. *n.* 8.

682 *Hoc mihi certum videtur.* Hoc certum. Quod quidem iure Ecclesiastico nullatenus interdici affirmo. Nam in *c. Corpora* pro prima sententia allegato, de sola translatione corporum sanctorum est sermo, quo est propriè sepultura. Et Concilium Bracharense non reprehendit Episcopos eo quod Reliquias collo suspensas gestarent, sed quià ob inanem gloriam & vanam hominum ostentation em id gerebant, vt super Leuitarum humeros insellulis deportarentur.

PROBL. CXVIII.

Peccatum admissum gestando Reliquias in collo, si id non sit directè contra cultum eis debitum: habet, & non habet specialem malitiam necessario fatendam.

603 *Quæstionis status explico.*

TVrpiter, & obscene Reliquias pertractare, admisceréque aliquas vanas circumstantias, esset peccatum contrà earum cultum admissum necessariò fatendum. Quæsierim verò, an qui gestans collo appensas Reliquias, aliquod peccatum peierando, furando, aut fornicando perpetrat, debeat necessariò in Confessione aperire, se id piaculum commisisse, dum Reliquias collo appensas gestaret?

604 *Aperiendum est in confessione.*

Est quidem in confessione aperiendum. Quia speciale est, abusus scilicet Reliquiarum, si eas gestans licentiosè viuat. Sic Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. l. 1. cap. 9.*

605 *Non est necessario aperiendum*

Non est speciale peccatum in Confessione manifestandum. Quia licèt aliqualis irreuerentia sit, non tamen continet notabilem deformitatem necessariò confitendam: fornicari, (verbi gratiâ) gestando in collo Reliquias, vel quamlibet imaginem collo suspensam. Ita Sanch. *l. 1. sum. cap. 40. num. 28.* Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 8. quæst. 6.* ast, non grauius peccare eas gestantem, quod peieret, furetur, detrahat alteri, maledicat, aut simile peccatum committat. Et quamvis quæstionem generalem mouit, & exemplum in fornicatione (quæ indecentiam subolet speciale) non apponat: illa peccata exempli gratia retulit, quod regulam non arctat. Vndè credo de fornicatione idem sensisse.

606 *Idem affirmo.*

Idem sentio generatim de omnibus peccatis, & speciatim de fornicatione. Nam Doctores tractantes de sexto præcepto, eiúsque circumstantiis confirendis hanc prætermisêre. Ducor, quia nullo iure specialiter id prohibetur, nec directè cultui Reliquiis, ac imaginibus debito id opponitur: cum non sit turpis eorum contrectatio. Porrò aliàs ligaturas collo gestare, quas vel vsus Ecclesiæ vel probatorum Medicorum ars non commendat, superstitiosum est, & omninò prohibitum *cap. 1. 26. quæst. 5.* vbi phylacteriis vtentes anathemate puniuntur, & *cap. 4.* Clericici eis vtentes eiici ab Ecclesia iubentur. Et *cap. vltim.* explicatur, quid per *phylacteria* intelligatur: vbi D. Isidorus, cuius est textus ait, ad hæc pertinere ligaturas execrabilium remediorum, quæ ars medica non commendat.

PROBL. CXIX.

Vsus excusat, & non excusat à superstitione scindentes venas iumentorum in alicuius sancti solemni, aut colligentes herbas, aut alia similia gerentes.

607 *Status*

NOnnullis in locis viget diuturnus à matribúsque acceptus vsus immiscendi aliqua in quibusdam actionibus, quæ superstitionem sapiunt. Vt solet iumentis die certi sancti vena aperiri. Et circa Templum D. Antonij nouies circumducuntur iumenta. Itali ex prima pecunia oblata Crucifixo in die Parasceue soliti sunt annullum ad morbum contractionis membrorum sanandum efficere. Herbæ vbique terrarum D. Ioannis natali colliguntur, &c. Quæsierim, num huiusmodi vsus à superstitione excusetur? *quæstionis explico.*

Excusatur omninò. Quia id ex deuotione quadam simplicitatéque proculdubio geruntur. Sic Caiet. *2. 2. q 96. art. 2.* & alij in sum. *v. superstitio obseruationum* ast, sed non audere condemnare, sed tolerabile sibi videri, quando ex mera deuotione, & non nisi expectando à Deo sanitatem hæc efficerent, putasse Deum alicui sancto illa inspirasse. 608 *Excusatur hic vsus omninò à superstitione.*

Non omninò excusatur. Quia cum lege ordinaria non sit solitus Deus huiusmodi conditiones, in quibus aliquid vanæ obseruantiæ apparet Diuis inspirare: temerarium est, quid sibi huiusmodi persuadere: & satem res est suspecta. Ita Delrius *l. 3. disquisit. Magic. part. 2. q. 4. sect. 2. paulo post p incipium.* Addítque, doctrinam Caietani in summa deseruire solùm posse, ad excusandos eos, qui iis rebus bona vsi sunt fide. At petentibus consilium respondendum esse, id non licere sibi persuadere. 609 *Non omninò excusatur.*

Ego autem existimo in iis, & similibus euentibus intentionem eorum, qui ea gerunt, scandalum eorum, qui annotare possunt, esse spectandum, ad ea condemnanda, approbandáve: Nam si animus sit adhibendi eas circumstantias tanquam per se efficaces ad sanitatem, suarúmque rerum incolumitatem à Deo obtinendam, est planè lethalis superstitio, nisi ignorantia excuset. Ast si non tanquam efficaces adhibeant, sed vt deprecantes, se adintensius orandum excitent propter præsentiam rerum suarum circa Templum Sancti, vel ob Crucifixi memoriam, aut ob diem sancto dicatum: non erit superstitio, & excusari potest actio huiusmodi, cessante aliorum scandalo, qui existimare possent, ea tanquam superstitiosa adhiberi. Quod scandali periculum, non timerem, vbi omnes simplici animo iis circumstantiis vtuntur. Mecum Sanch. *l. 2. sum. cap. 40. num. 31.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 13. pun. 2.* Et Delrius *citatus* ait, colligentes herbas die D. Ioannis Baptistæ, vel minuentes bestiarum sanguinem causa sanitatis certo die festo causam solam naturalem attendentes vanè hæc instituere: si verò directè hæc sanctorum meritis adscriberent, ac Deo vt sanctos illos honoranti tribuerent effectum, asserit, se non audere condemnare. Monuerim tamen, si commodè hæc extirpari valeant, extirpanda prorsus esse tanquam vanam superstitionem sapientia, & ex se afferentia scandalum. Quantumvis enim dirigatur intentio, ac ob id à superstitione excusentur, sunt vltra vsitatum honorandi sanctos modum in Ecclesia receptum. At si commodè extirpari nequeant, haud sunt condemnanda, sed edocendi simplices rectam intentionem, quo à superstitiosa obseruantia liberentur. 610 *Intentionem iudicandam existimo, & ex illa scandalum.*

PROBL.

PROBL. CXX.

Permittendæ sunt, & non sunt permittendæ fœminæ carminatrices, vulgo, Ensalmadoras, o Santiguadoras.

611 Præmitto eas id sine superstitione gerere posse.

EXistimo huiusmodi fœminas superstitiosas non esse, si solis orationibus licitis absque vana aliqua circumstantia, vtantur: vt per passionem Christi Domini, &c. Supplicantes, vt prosint medicamina naturalia, quas ægritudini applicant. Quia in hoc nil mali reperio atque pium esse eum effectum orationibus à Deo petere iudico. Porrò si ea verba, vel signa, vel adiurationes adhibent nullam applicantes efficacem medicinam ad morbi sanitatem: Sed credentes illis solis verbis sanitatem obtinendam, eas esse superstitionis reas non dubito. Quia ea verba, vel signa constat vim naturalem ad eum effectum non habere: nec virtus supernaturalis præsumitur, nisi ostendatur. Victoria *de arte magi. num.* 28. fatur: *Sæpè fœminæ stultæ vtuntur bona fide rebus aliquibus, & verbis ad remedia infirmitatum: & sine dubio dæmones assistunt illis operationibus.* Hinc quæsierim num huiusmodi fœminæ sint permittendæ?

612 Ideo sunt permittendæ.

Permittendæ quidem sunt. Quia cum possint verbis his, ac rebus vti sine aliqua vana circumstantia, præsumendum est, eas sine superstitionis suspicione operari. Sic D. Antonin. *part. 2. tit. 12. cap. 1. §. 11.* Angel. *v. superstitio, numer. 9.* Sylvest. *ibi, quæst. 10. dicto 4.* Nauar. *sum. cap. 11. num. 36.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 7. num. 6.* Ludou. Lop. *p. 1. Instruct. cap. 41.* Ciruel. *de superst. part. 3. cap. 3.*

613 Non ideò permittenda sunt

Non sunt permittendæ. Quia hisce rebus aut verbis rarissimè vtuntur nisi mulierculæ viles, ac aut malæ, aut ignotæ vitæ: & quamvis essent vitæ probatissimæ, malo exemplo aliis non ea sanctitate, ac prudentia præditis essent, ac illis occasio similibus superstitiosè vtendi tribueretur. Ità Sanch. *l. 2. sum. cap. 40. num. 39.* Victor. & Ciruc. *citati.*

614 Nullatenus permittendas esse reor, nisi rarò.

Ego autem crediderim, eas frequentissimè superstitiosa, ac vana permiscere, & ideò nullatenus esse permittendas, nisi aliquandò (rarò quidem) si sint personæ honestæ, ac prudentes, & de quarum vita habeatur in oppido recta existimatio: nec tunc, si timeatur forè vt earum exemplo aliæ personæ non ita probatæ vitæ similibus vtantur. Ideò Sylvest. vbi suprà, citato Guillermo, docet, hunc vsum quibuscúmque viris, ac fœminis interdicendum, nisi forte Sacerdotibus, aut Religiosis, aut etiam laicis excellentis viræ, & tunc præfato periculo cessante. Addítque, prædictum vsum esse lethalem, si Ecclesiasticus Iudex interdixerit.

* *
*

PROBL. CXXI.

Missæ illæ, quæ de Amador, aut D. Gregorij, vocitantur, continent, & non continent superstitionis suspicionem.

615 Quæstionis ista cum exponо.

ASsolèt celebrari Missæ, quæ de *S. Amador.* appellant, cum certis ceremoniis, nempe, vt inchoari, ac terminari debeant certis destinatis diebus & absque interpolatione, & certo candelarum numero. Assolent etiam dici Missæ triginta D. Gregorij, quæ quidem vocitatur vulgariter, *Del treintanario reuelado.* Quæ (teste Caietano 2. 2. *q.* 96. *a.* 4.) ortum habuere ex eo, quod D. Gregorius fecerit, triginta diebus pro defunctis orari. Quæsierim itaque, num hæ Missæ aliquam suboleant superstitionis suspicionem.

616 Non continent hæ Missæ superstitionem.

Non continent superstitionis vanitatem. Quia ceremoniæ speciales illæ Missæ ceremoniis minimè admiscentur, nec ei addicuntur, sed piè extrà exercentur. Sic D. Ildefonsus de Sauz Episcopus Iiennensis in sua Synodo anno 1511. *tit. 2. de vita & honest. Cleric. c. 4.* approbat Missas, quas *Del treintanario reuelado* appellant quæ eas ceremonias continent: vt soli duo clerici, & quidem inclusi, interssint Missæ, nec egredi indè possint, nisi ad Sacramenta ministranda, aut Prælati iussu: nec possint pedem Ecclesia extrahere, dum hæ triginta Missæ celebrantur. Quia hæ ceremoniæ potius pietatem, ac reuerentiam, quam superstitionem suboleré videantur.

617 Continent proculdubio.

Continent plane superstitionem. Quia Tridentinũ *sess. 22. in decreto de observandis, ac vitandis in Missæ celebratione*, ait: *Quarumdam Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quam à verè religioso inuentus est, omnino ab Ecclesia Episcopi removeant.* Ita Ciruel. *de superst. p. 3. c. 11.* Alcocer *sum. c. 4.* D. Christophor de Rojas Præsul Queten. in sua Synodo anno 1553. *l. 1. tit. de celebr. Miss. constit. 9.* & Didacus Ramir. Episc. Conchens. in sua Synodo anno 1541 *tit de offic. divi.* Vbi de abusibus in Missis. Et D. Didacus de Alaba Episc. Abul. in sua Synodo anno 1549. *tit. 2. de cleric. c. 4.* Et D. Martinus de Aiala in concilio Prouinciali Valentino anni 1566. *sess. 3. c. 6.* huiusmodi Missarum ceremonias vti superstitiosas omnino condemnarunt. Damnat & meus Santius *l. 2. cap. 4. numer. 41.* & alij communiter.

618 Hoc mihi unicè verè.

Vnde miror. D. Ildefonsum de Sauz pium & doctum illas approbasse. Affero igitur eas ceremonias vanas esse, ac superstitiosas. Attamen si triginta illæ Missæ in memoriam eius facti D. Gregorij, aut Missæ D. Amatoris nudentur omni vana circumstantia, nec certo illi numero ita innitantur, qui eas celebrari petunt, aut celebrant, quasi eo aut diminuto, aut aucto, valor amittatur: licitas esse reor. Et sic sunt hodiè Missæ S. Amatoris & D. Gregorij. Quamvis ad hanc superstitionem omninò vitandam eas non consulerem. Didici ex Sanch. *citato.*

PROBL.

PROBL. CXXII.

Quando ex circumstantiis deprehendi nequit, an effectus ex bono an ex malo Angelo, an ex causa naturali procedat; iudicandum est, prouenire à dæmone; & non iudicandum est: à dæmone, sed à bono Angelo, aut à causa naturali procedere.

619 *Nonnulla præmitto.*

SVperstitio vanæ obseruantiæ, qua media naturalia inefficacia ad effectum adhibentur, difficillima cognitu est. Quia valdè est difficile iudicare, quandonam causa naturalis est insufficiens ad effectum, ad quem producendum adhibetur. Nec enim omnes effectus, qui nobis miri videntur, & qualiter possunt effici, nos latet, sunt magiæ superstitiosæ tribuendi. Est enim quædam magia naturalis, & artificiosa, quæ occulta quadam cogitione, & applicatione quarundam singularum virtutum rerum naturalium, mira seu inusitata perficit, & licita est. Vndè facillimum est circa effectus naturales causarum nos latentium errare, vsui superstitioso tribuendo. Certè quamvis negandum non sit, bonam aut malam vitam operantis etsi non efficax argumentum sit, an virtus gerendi hæc mirabilia, sit à Deo, an à dæmone: esse tamen magnum indicium. Vndè qui hæc operantur, si sint homines prorsus improbæ vitæ, credendi sunt potius malefici, quam gratiarum possessores. Colligetur autem id sufficienter ex hisce circumstantiis. Prima, si circumstantia aliqua vana & inutilis ad eum effectum adhibeatur, tanquam necessaria: vt si dicatur, certos ritus, & obseruantias ad effectum inutiles adhibendas esse. Secunda est, ex modo operandi: vt si quis causam applicet in loco ita distanti à passo, vt iuxta veram Philosophiam impossibile sit, causam in tam distans obiectum operari. Tertia, ex conditione effectus sperati, quem constat, ex causa naturali procedere non posse, sed à solo bono, vel malo spiritu: & concurrat aliqua vana circumstantia suadens, eum à bono spiritu expectari non posse: vt si quis motum localem, aut responsum statuæ promitteret. Quæsierim verò, quando ex præfatis circumstantiis deprehendi nequit, an effectus ex bono, an à malo Angelo, an ex causa naturali procedat, iudicandum nè sit, à dæmone prouenire?

620 *Non iudicandum, prouenire à dæmone.*

Non iudicandum est prouenire à dæmone, sed in operis fauorem est iudicium ferendum vt id superstitiosum non credatur. Quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda. Sic D. Thom. 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 4.

621 *Iudicandum, à dæmone prouenire.*

Iudicandum est prouenire à dæmone, superstitiosúmque esse, nisi maxima operantis sanctitas, vel alia vrgentissima indicia suadeant, effectum eum à Deo vel à bono Angelo prouenire, etiamsi verba adhibita sint sacra. Quia à Doctoribus hanc regulam generatim accepi: Quotiescúmque causa adhibita nequit effectum naturaliter producere, est superstitio, & ad tacitũ cũ dæmone pactũ pertinet. Talis enim causa non adhibetur tanquam causa, vtpotè quæ naturaliter eum effectũ producere nequit: vnde necessarium est, eam adhiberi vt signum: & non diuinum, quia non est Sacramentum, nec Sacramentale: Ergo vt signum pacti cum dæmone. Quæ ratio non militaret, si posset in dubio præsumi, eum effectum à Deo, vel à bono Angelo prouenire. Ita Syluest. *v. superstitio q.* 10. Angel. *ibi. n.* 2. Armil. *n.* 4. Tabie. *n. vlt.* Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 15. *n.* 13. & 14. Lessi. *l.* 2. *cap.* 43. *numer.* 62. & 63. Tolet. *l.* 4. *cap.* 14. *numer.* 10. Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 40. *num.* 44.

Ego quidem existimo, sic distinguendum. Si dubium sit, an effectus à causa naturali proueniat, eo quod non constet, num vires causæ naturalis excedat, necne: consensum est potius eum à causa naturali prouenire. Quia cum innumeræ agentium naturalium vires nos lateant, non est cur, eo quod vis illa nobis dubia sit, effectum illum causæ naturali negemus. Neque absque necessitate confugiendum ad miraculum, vel ad occultam boni, aut mali Angeli operationem si autem constet, effectum illum vires naturales excedere nisi maxima operantis sanctitas (vt dicebam) vel alia vrgentissima indicia suadeant effectum eum à Deo, vel à bono Angelo prouenire, censerem eum superstitiosum existere. Quià Caiet. *in sum. v. Incantio vers.* 4. & *ibi Armil.* docent colligi superstitionem ex effectu sperati excellentia, quando constat, eum virtutem naturalium agẽtium excedere: vt nosse secreta cordium, sanari repente hominem aut equum. Et Delrius *l.* 2. *disq. Magic. q.* 5. *lit. A.* dicit, ad dæmoniacam magiam pertinere, si positiuè concludatur, rem adhibitam non habere vim naturalem ad eum effectum, nec etiam rationabilem causam suppetere, cur Deo, vel Angelis bonis is effectus adscribatur. Præterea quia (optimè annotat Lessi. *l.* 2. *c.* 43. *dub.* 10. *n.* 62. & 65.) si virtus hæc supernaturalis esset, reuelata esset Ecclesiæ aut illi legitimè constaret. Vnde assero, non esse absoluendas vtentes remediis externis ad morbos, quæ euidens est, non posse esse causas naturales sanitatis, quamvis publice tolerẽtur. Quia illi non habent probabilem rationem ad præsumendam diuinam virtutem esse infallibiliter assistentem illis verbis, & actionibus. Hoc enim proprium est Sacramentalium verborum: & aliquid simile introducere sine Ecclesiæ authoritate ait Suarius *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 15. *num.* 26. & 27. esse superstitiosum ac periculosum in fide. Nec credendum esse ait, eam virtutem à Deo, alicui sancto fuisse reuelatam. Quia non est conformæ diuinæ prouidentiæ, vt ea vis his verbis insit, à quocumque proferantur. Esset enim ansa multas Magorum fraudes excusandi. Adiicit tamen, forte licere vti piis illis verbis, non sperando certam salutem, sed per modum imperationis à Deo.

622 *Distinctio vsus, ad quæstionis resolutionem.*

PROBL. CXXIII.

Damnandum est, & non est damnandum vt superstitiosum, salutatorum munus.

DAmnandum est prorsus, ijque peccant mortaliter medendo, ij quoque qui ipsos aduocant 623 *Damnandum*

est omninò. aduocant lethaliter delinquunt. Quia communiter sunt reprobæ vitæ, & vtuntur aliquibus obseruationibus non adeò superstitiosis, sed nec religiosis omninò. Et quia eorum saliua nō habet vim naturalem, nec supernaturalem ad medendum. Non naturalem: quippè medicina naturalis non omnibus eadem prodest, sed iuxta varias ægrorum complexiones variatur. At horum saliua omnibus prodest. Non supernaturalem: quia sæpè sunt hi homines flagitiosi, & Baccho addicti: & quamvis hoc non concludat: non tamen mediocrè indicium est. Sic Ciruel. *de superst. part. 3. cap. 7.* Victor. *de arte magi. quæst. 4. num. 16.* Additque se multum timere, hos habere vim nullam ad sanandum contra rabiem ex canis morsu; & si quam habent, esse à dæmone. Quia communiter sunt reprobæ vitæ.

624 *Minimè est damnandum.* Minimè damnandum. Quia licèt communiter non sint probatæ vitæ, gratia hæc gratis data potest impiis à Deo ad commune bonum impertiri. Et potest in eis hæc naturalis virtus inesse, sicut Psyllis scribunt auctores probati inesse vim naturalem contra serpentium virus. Ità Nauar. *sum. cap. 11. num. 16.* Margarita Confes. *fol. 185.* Castannege *l. de superst. cap. 2.* Palaci. *sum. v. Incantationes*, Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 25. quæst. 2.*

615 *Nec omninò damno, nec approbo omnibus.* Crediderim, nec hos in vniuersum damnandos esse, nec omninò approbandos. Priorem partem probo. Quia Doctores graues, vt vidimus eos approbant, & eos Ecclesia permittit. Quarè absque ratione conuincenti damnandi in vniuersum non sunt: At non est ratio conuincens eorum officium superstitiosum esse: tum quia fieri potest, vt habeant virtutem gratis datam sanitatis saluatores, vt *Problem. 124.* videbimus. Nec repugnat eam virtutem sanandi concedi gratuito Dei munere quibusdam hominibus, imò etiam certis familiarum viris, quæ suos præstet effectus, Deo operante, talium hominum intercedente sermone, tactu, aspectu, odore, sudore, halitu. Tum etiam, quia graues Doctores asserunt, (vt videbimus) posse esse vim naturalem. Posterior pars ostenditur. Quia multi ex illis superstitionibus vtuntur, imò (vt ait Delrius) rarò licitè eo ministerio vtuntur. Nec credendum est, tot hominibus pessimis eam vim à Deo esse tributam. Mecum Veracr. *l. 1. de anima, speculat. 2.* Suari. *citat. cap. 15. num. 25.* Delrius *l. 1. disq. Magic. cap. 3. quæst. 4. liter. F.* Quocum concludo, hos saluatores diligenter esse examinandos ab Ordinariis priusquam munus hoc exercere permittantur: vt videant, an naturalibus remediis, an per gratiam gratis datam, an per pactum cum dæmone operentur. Quæ quidem ex circumstantiis sunt colligenda. Hoc mihi certum, hanc gratiam solis Catholicis à Deo concedi.

PROBL. CXXIV.

Virtus Salutatorum licitè id munus obeuntium, naturalis est, & non gratia gratis data: gratia est gratis data, & non vis naturalis.

626 *Naturalis est* NAturalis quidem est virtus, non gratis data. Quia multa sunt Plinij, & aliorum testimonia, inesse aliquibus hominibus virtutem tactu, sermone, aspectu, odore, vel halitu medendi quibusdam morbis. Et quia ex naturali complexione vel constellatione quidam grauiter nocent: vt de fascinatione docet experimentum. Quædam enim personæ eius complexionis sunt, vt solo aspectu noceant hominibus. Vidi dum Salmanticæ commorarer Clericum bonæ notæ Ecclesiæ D. Blasij Parochum ea oculorum noxia vi pollere, vt animalia quæque, attento intuitu necaret. Cum autem ego concionem gerens eum sæpè aduerterem auditorem oculos clausos, aut demissos semper habere, interrogaui, quare lumina non eleuaret? & respondit, hoc habitu concioni interesse, nè attentè inspiciens basilici instar concionatorem de medio tolleret: & eum non mētiri plurima experimenta circa occisa animantia Vrbis admiratione probauēre. Cur ergò virtus medendi non poterit ex eisdem causis salutatoribus competere. An non lapidibus, herbis, & quibusdam animalibus eam vim à natura competere constat? quis dubitet? Ergò & homini potest competere. Sic Castannega *l. de superst. cap. 12.* Veracr. *l. 1. de anima, specul. 2.* Dicunt esse probabile. Victor. *de arte magi quæst. 4 num. 16.* Auctor Margaritæ. *fol. 185.* & Sanch. *citandus.*

virtus, non gratia data.

627 *Est gratia gratis data, non naturalis virtus.* Gratia gratis data est, & non naturalis virtus. Quia vis sanandi naturalis non potest competere voci, aut visioni, contactui, osculo habituiue alicuius hominis, quod latissimè, ac diserte probat Delrius *l. 1. disq. Magic. cap. 3. tota q. 4.* Certè plura ad sanandum, quàm ad morbum propellendum desiderantur: cum bonum ex integra causa, malum autem ex singulari accidat defectu. Ità Sanch. *l. 2. sum. cap. 40. num. 49.* & alij *citandi.*

628 *Hæc sententia mihi est probabilior.* Probabilem satis primam sententiam esse teor, sed probabiliorem credo secundam. Quia lapides, herbæ, & animantia illa vim medendi obtinentia à natura, eam habent ex temperamento certo, & totius speciei definito. At non omnes homines eam salutatorum virtutem obtinent. Et ideò esse gratiam gratis datam iis, qui licitè eo munere vtuntur, sustineo cum Santio. Cui addè Nauarrum *sum. cap. 11. num. 36.* Palat. *sum. v. Incantationes.* Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 25. q. 2.* Si autem obiicias, hanc gratiam legitimè non constare, & ideò non esse præsumendam: respondeo, cogi nos, eam adstruere eo quod videamus, eam hominibus quibusdam inesse, & approbari, permittíque vbique: & ratio naturalis probet, eam virtutem non posse esse naturalem: sicque necessaria virtus aliqua ad medendum illi morbo ex rabidi canis morsu procedente. Quare iure optimo præsumi potest eam Deum salutatoribus concessisse.

PROBL. CXXV.

Superstitiosus est, & non est, vsus imaginum, numerorum, & figurarum Astrologiæ artificialium ad quosdam miros effectus.

629 *Statum quæstionis explicat.* QVæstio est, an superstitionis suspicionem præferant artificialia illa, quæ quatenus artificialia sunt ad aliquos effectus extraordinarios eo-

appli

applicantur. Qualia sunt imagines, quas vocant Astrologicas,& characteres; vt annulus sub tali constellatione confectus; vel imago in lapide impressa sub tali signo, quæ ad sanitatem, vel alios extraordinarios effectus applicantur?

630 *Superstitiosus non est.* Vsus huiusmodi imaginum, characterum, annulorum superstitiosus minimè est. Quia possunt componi & ita agnata valetudini comparandæ materia, vt naturales pariant effectus. Sic Caiet. 2.2.*quæst.*96.*art.*2.Pomponiac.*l.*4.*de incantat.*

631 *Est superstitiosus.* Est planè superstitiosus.Quia huiusmodi artificialia non possunt esse secundum se alicuius alterationis corporum principium. Quippe hoc principium est naturalis quædam potentia agentis alteraturi corpora: At figura artificialis non est naturalis potentia: mutatur enim ad artificis libitum substantia rei, naturalibus eius qualitatibus immutatis.Nec etiam possunt eius alterationis principium esse ob aliquam virtutem cœlestem eis impressam. Nam opus artificiale vt sic est voluntarium:ad opus autem voluntarium vt voluntarium est,cœlum non concurrit:sicut neque ad voluntatem, à qua illud procedit.Ità D.Thom.1.2.*quæst.*96.*art.*2.*ad* 2. *& l.*4.*contra gent.cap.* 104. *&* 105. Delrius *l.*1. *disq.Magic.cap.*2.*quæst.*1.*& cap.*4. *quæst.*1. Valent.2.2.*d.*6.*quæst.*13.*punct.*2. Lessi. *l.*2.*cap.*43. *duc.*10.*num.*63.Suarius, Angel. Sylvest. Tabie. Armil.Simanc.Vuier.& alij,quos citat,& sequitur Sanch.*l.*2.*sum.cap.*40.*num.*50.

632 *Hanc sententiam veram nitè,reor.* Caietani sententiam parum,aut nihil probabilitatis continere existimo: vndè secundam vnice veram esse affirmo. Monuerim verò incidenter,ludum illum artificiosum,quem *De pasa pasa* vocitant,haud esse damnandum: nec asserendum,omnes qui eo vtuntur, ope dæmonis operari, vt nonnulli artificium mirantes sunt suspicati. Quia possunt manuum agilitate res fictas vti veras ostendere:aliàs non tam communiter permitterentur.Didici ex Soto *l.*8.*de iust. quæst.*3.*art.*2.& Alcozer *de ludo cap.* 15.

PROBL. CXXVI.

Superstitiosus est, & non est Alchimiæ vsus, ad verum aurum,& argentum ex inferioribus metallis conficiendum.

633 *Superstitiosus est vsus.* SVperstitiosus est.Quia vera haud potest fieri mediis naturalibus transmutatio: Ergò si aurum & argentum ex metallis inferioribus verè resultat, diaboli opus permittente Numine cœlesti ostentatur.Sic graues Doctores, quos refert Pereira *l.*1.*de magia,cap.*12.Valent.2.2.*d.* 6.*quæst.*13.*punct.*2.

634 *Non est superstitiosus.* Non est superstitiosus.Quia vera huiusmodi arte potest fieri naturaliter auri & argenti ex inferioribus metallis transmutatio, vti timoratæ conscientiæ homines fuere assecuti. Ità Doctores optimæ noctæ,quos affert Martin. Delrio *l.* 1.*disq.Magic cap.*5.*quæst.*1.*sect.*2.*&* 3. Et tanquam longè probabilius defendit, veram esse transmutationem naturaliter perfectam.

635 *Auctoris resolutio.* Ego quidem abstrahens ab huius & alterius sententiæ electione:dixerim quo ad mores attinet, artem Alchimicam etsi ea fortè sit vtilis in distillationibus, & aliis rebus: at esse illicitam quoad auri, & argenti confectionem ex his inferioribus metallis, & Reipublicæ perniciosam: Quia illud est valdè difficile adeò, (licet possibile esse daremus,) vt iure optimo suprà humanã facultaté,& moraliter impossibile iudicari queat.Prætereà quia id expositum est multis defraudandi periculis, & vt diabolus sese ei ingerat operationi.Et quia grauissimis verbis interdicitur,ac grauissima pœna inducta in Extrauag.*Ioannis XXII.de crimine falsi.*Vndè Pereira & Valentia citati sic resoluunt quæstionem, licet Delrius *vbi s.*aliis citatis,eius vsum esse licitum.

PROBL. CXXVII.

Licet, & non licet, à maleficio ad soluenda maleficiis maleficio parato, id petere.

636 *Licet plane.* LIcet quidem. Quia id non est, ad malum inducere, sed vti malitia parari ad illud perpetrandum, cogente salutis obtinendæ necessitate.Quemadmodum licet petere mutuum ab vsurario parato, & iuramentum ab infideli parato, per falsos deos iurare:quando ad vtrumque necessitas cogit. Sic Aureol. *in* 4. *dist.*34. *quæst.*2.Angel.*v.superstitio,num.*13.

637 *Non licet.* Minimè licet. Quia id solummodò licet à parato petere, quod ipse licitè potest præstare: & sua ille malitia eligit modum illicitum: & ex alio capite, petentis interest, vt suæ consulat necessitati; tunc enim non est petere peccatum,nec ad illud cooperari, sed petere rem licitam, quam alter sua malitia illicitè præstat Vt contingit in petente mutuum ab vsurario parato, & iuramentum ab infideli parato ad iurandum per falsos deos. At maleficus ob nullum bonum finem potest maleficium maleficio soluere:& ratio diuersitatis inter vtrumque est: quia petens ab aliquo quodnam opus, est illius operis causa moralis, quamvis alter sit paratissimus: quare petens mutuum ab vsurario parato non excusatur eo quod non sit causa moralis illius mutui:sed quia mutuum de se est bonum, & ex sola mutuantis culpa male peragitur. Quando ergò opus à parato nequit licitè præstari, illud petens est causa malitiæ inseparabilis ab eo opere, ac proindè delinquit. Ità Sanch.*l.*2.*Moral.cap.*41.*num.*5.*& l.*7.*de matr. d.*95.*num.*7.Suar.*tom.*1.*de Relig.l.*2.*cap.*18.*a n.* 3.Sayr.*in clau,l.*4.*cap.*6.*num.*26.*&* 27. Lessi. *l.* 2.*cap.*44.*dub.*6.*num.*35.Palaus *tom.*3.*tract.*17.*d.* 1.*punct.*12. *num.*1.Nauar. *sum. cap.*11. *num.*27. Conarus.*cap.Quamvis pactum, part.*1.§.1.*num.* 20.& alij communiter.

638 *Sententiam primam sufficienter non posse reor, & secundam nonnulla deduco.* Porrò sententia prima est omninò falsa, & erronea. Quia nulla ratione potest honestari dissolutio maleficij alio maleficio facta: Ergo neque eius petitio. Qui enim sic peteret à maleficio maleficij dissolutionem, à dæmone peteret,cum ipse non nisi mediante dæmone sic operari possit:sed petere à dæmone dissolutionem maleficij nunquam licet: quia eo ipso petens protestatur,se eius auxilio indigere: Ergo neque à Mago licet expostulare. Addiderim nec licere

licere petere à malefico, vt soluat maleficium, quod modo licitò constat solui posse: quando constat, eum modum illud licitum ignorare. Quia nil refert, modum licitum esse possibilem, si huic malefico est ignotus, eo enim ipso est illi impossibilis: & ideo petendo ab illo, vt destruat maleficium, petitur virtute, vt alio maleficio destruat: non enim petitur, vt modo sibi incognito ac subindè impossibili destruat. Imo nec id licere assero, quando est dubium, an maleficus aliquod medium licitum norit. Quia cum communiter sola modia superstitiosa norit, est contra illum præsumptio. Hinc deduxerim, non licere petere ab alio Mago, qui author illius maleficij non fuit, vt id destruat, quando nil de illo, vt de loco, vbi sunt eius signa, nouit. Quia ea petitio est tacita, vt alio maleficio id à dæmone norit, & soluat. Vnde cum Santio & Delrio existimo, rarissimè licere, eam dissolutionem ab alio malefico petere, nisi de loco, & modo maleficij ab ipso authore, vel ab alio factus sit certior, & constet moraliter, cum licito medio vsurum ad solutionem. Aliàs ille moraliter nescit mederi absque alio maleficio, & noua dæmonis inuocatione.

PROBL. CXXVIII.

Licitum est, & non est licitum, malificum minis cogere, vt maleficium soluat.

649 *Licitum est, cum minis cogere.*

ESto non liceat, à malefico petere vt maleficium maleficio soluat, rogando illum: at licitum est, minis eum cogendo. Quia huiusmodi extorsio ab omni vacat cum dæmone pacto, ac in eius dedecus cedit. Et quia licitum est, rem meam vi eripere, quamquam alia via recuperare nequeo. Sic Remig. *l. 3. dæmon. c. 3.*

640 *Non est licitum.*

Licitum non est. Quia cum ille maleficus quantumcúmque minis coactus, peccet maleficium maleficio dissoluens, vt potè quod est intrinsecè malum: eadem ad id cogens procul dubio legabitur. Ita Sanch. *de matr. l. 7. d. 95. n. 9 & l. 2. sum. c. 41. n. 9.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. c. 18. n. 1.* Delrius *l. 8. disq. Mag. c. 2. sect. 1. q. 2.* Palaus *to. 3. tr. 17. d. 1. fun. 12. n. 1.*

641 *Hoc certum omnino esse crim.*

Hoc certum omnino. Quia cogens Magnũ gerere quod intrinsecè malum est, grauius est crimen, quam si ab eo id postularetur: siquidem ad peccandum efficacius inducitur, & illius est causa. Quare nulla ratione possunt à graui culpa liberari Iudices, cogentes malef. cum benedictione quadam maleficium auferre. Quia ea malefici benedictio nil aliud est, quam quædam formula, ac, cere monia, qua adhibita initi pactum dæmon se cessaturum. At licebit Iudicibus volentibus maleficum torquere, efficere, vt eius corpus abluatur, & vt capilli corporis eius abradantur. Quia id non fit alicuius gratia superstitionis, sed dumtaxat, nè maleficium lateat, aut aliqua inunctio subsit, quibus ille à tormentorum dolore liberetur. Sic Lessi. *l. 2. cap. 44. dub. 6. numer. 44.* & Delrius *l. 5. disq. Mag. sect. 9. dub. 3.*

PROBL. CXXIX.

Quando maleficus nescit medium licitum, & illicitum maleficij soluendi: integrum est & non est, absolutè ab eo maleficij petere dissolutionem.

642 *Certum mihi superiore.*

QVando petens credit probabiliter, fore, vt maleficus licitè soluat aut dubius est vtro modo illũ soluet: licitũ esse crediderim, petere absolutè dissolutionẽ. Quia petitio est de se indifferens, & persona, à qua petitur, potest licitè id exequi & ideò cessat morale periculum. Docet Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. c. 18. n. 8.* Quando autèm petens est certus fore, vt modo illicito maleficus soluat, quæsierim num licitum sit absolutè ab eo postulare?

643 *Licitum non est.*

Licitum non est. Quia malefici vt sic opus petitur, petita absolutè ea maleficij dissolutione: sicut cum aliquid ab alio artifice postulatur. Et quia peculiare opus est necesse petere, & non vage linquendo arbitrio hominis diaboli petitionem propriam. Sic Caiet. *Opusc. tom. 2. tract. 12. de malef. quæst. vni. in fine corp.* Qui *in solut. ad argum* concedit licitum esse, petere absolutè mutuum ab vsurario, & iuramentum ab infideli: quamvis constet, illum vsuras exacturum: & hunc iuraturum per idola: id autèm in casu nostro minus consequenter negat. Et Delrius *l. 6. disq. Mag. c. 2. sect. 1. quæst. 2.* asserit, non licere, petere à malefico sciente media licita, vt maleficium soluat, quandò petens est moraliter certus fore, vt ille modo soluat illicito.

644 *Licitum est.*

Licitum est. Quia ferè omnes fatentur, licitum esse ex causa iusta petere mutuum ab vsurario, & iuramentum ab infideli: quamvis petenti constet, fore, vt ille peccet exigendo vsuras, & hic per idola iurando. Nam tunc petit quisquam rem, quam alter licite præstare potest, ac necessitatem petendi habet: & ideò non censetur ad malum inducere, nec moralem peccandi occasionem exhibere: & alter sua sola malitia delinquit. Quæ quidem ratio omnino procedit eodem modo in nostro casu: cum similiter possit res illa à malefico licitè præstari: nec petatur modus illicitus: & vrgeat necessitas salutis obtinendæ, ad eam maleficij petendam dissolutionem. Ita Suar. *citat. n. 9.* Lessi *l. 2. c. 41. dub. 6. n. 46.* Sanch. *de matrim. d. 95. n. 11.* Petr. de Ledes. *de mat. q. 58. a. 2. dub. 2.*

645 *Hoc verius esse puto.*

Fateor, nullam me posse percipere inter vtrúmque casum differentiam. Et ideo probabilius existimo licitum esse, petere absolutè à malefico, vt maleficium soluat, quamuis constet petenti, fore, vt modo illicito vtatur. Imò sicut petens mutuum ab vsurario nolente dare nisi sub vsuris, potest acceptare mutuum sub expressa conditione dandi sub vsuris iuxtà communem sententiam: quià id non est cooperari peccato alterius, qui sola sua malitia delinquit, potens licitè mutuum dare:

& ideò solus est pecati alterius vsus ad propriæ necessitati consulendum. Ita si maleficus nollet soluere sibi cognito licito modo maleficium, potest acceptare petens, vt alio maleficio soluat. Quià prorsus eadem ratio militat. Scio Suarium *tom. de Relig. l. 1. c. 13. n. 11.* docuisse, non esse æquiparationem vtriusque casus regulariter admittendam ratione scandali. Nam in casu vsurarij est per se notum, nolle acceptantem approbare vsuras, sed inuitum permittere: at in nostro casu apparet exterius quædam posterioris maleficij approbatio contrariæ externæ Fidei professioni. Attamen id tandem admittit, quando necessitas vrgens ostendit non esse mentem acceptantis approbare conditionem, sed illam solùm permittere, eo quod obtinere nequit, id modo licito geri.

PROBL. CXXX.

Licet, & non licet, maleficij signum destruere, ad obtinendam sanitatem.

646 *Quid maleficij signum.* Solet à maleficis pactum cum dæmone iniri, vt quandiu ligatura aliqua fuerit, vel dum res aliqua in tali loco defossa permanserit, aut quid simile, duret maleficium: & iis ablatis, cesset. Potest autem id pactum dupliciter iniri: priori modo, intercedente duplici pacto: vt cum conuenitur fore vt dæmon vexet, adhibito tali signo: eóque remoto, cesset. Tunc enim est duplex pactum, alterum nocendi, posito eo signo: alterum desistendi, eo ablato. Posterieri modo, quando vnicum adfuit pactum, verbi gratiâ nocendi tali signo posito. Quippè hoc pacto tantum obligatur dæmon nocere, posito eo signo: manetque illi libertas nocendi, aut cessandi, eo signo ablato. Quæsierim itaquè an liceat hoc signum maleficij, quo posito, dæmon nocet, destruere?

647 *Non licet.* Minimè licet. Quià id est confirmare pactum à dæmone initum, & vt nulla alia ratione, ablato signo, dæmon nocere desinat nisi virtute pacti. Et quia id signum auferre, cedit in diaboli cultum. Est enim eius fidelitatem protestari, stando pacto cum suis inito: ac posse ipsum nocere, & à nocumento illato desistere. Dæmon enim minimè desisteret, nisi, ablato signo, se honorari existimaret: atque ideo desistit, quod in sui honorem id cedere credat. Sic Ioan. Hessels Louanienſis in suis prælectionib. quem sui discipuli posteà secuti sunt (vt refert Delrius *l. 6. disq. Mag. cap. 2. sect. 1. q. 3.*) Asserit hic Auctor, id licere animo irridendi dæmonis, ac vanitatis earum rerum ostentandi, secus animo salutis obtinendæ. Quia tunc à dæmone speraretur Salus & esset quasi tacita eius inuocatio, petendo, vt ster pactis.

648 *Licet planè.* Licèt omninò ipsi maleficio, aut cuiuis alij signa illa maleficij amouere animo destruendi pacti cum dæmone, & obtinendæ Sanitatis maleficiati. Quia dubitari nequit, finem intentum licitum esse, nimirum Sanitatis recuperationem. Quare tota malitia refundi debet in medium ei fini assequendo adhibitum: sed medium id culpa vacare ex eo constat, quòd auferendo signum intentione præfata, nec pactum nec amicitia cum dæmone inita confirmatur: nec illi honos exhibetur, imo potius illa soluantur, vt dæmone contempto, ab eius amicitia recedatur: ob idque signum fœderis separatur, ac comburitur. Ità Scot. *in 4. dist. 34. quæst. vni.* addens, id esse meritorium. Besol *ibi, q. vnt. a.* 1. Caiet. Pelbert. Ledes. 2. Angl. Orbellis. Anto. Andre. Grabri. & alij plures, quos refert, & sequitur Sanch. *l. 7. de matr. d. q. 6. n. 3.* Delrius tota *q. 3.* proximè allegata.

649 *Hoc lege mihi veriùs.* Existimo longe probabilius esse, licere ipsi malefico vel cuicúmque alij, id signum amouere, non animo vt priori malefico pactum à diabolo seruetur, sed destruendi pacti iam cum illo initi, vt salus recuperari valeat. Quod si obiicias, esse malum credere, eo signo ablato, maleficium cessaturum: Id à veritate alienum esse iudico. Quia id credere, nullo iure interdicitur nec est aliqua infidelitas credere, dæmonem destiturum à damno. Nam destruens signum, non acquiescit operibus malignis, sed credit; dæmon, permittente Deo, posse, ac velle vexare manente signo: & eo destructo impositurum vexationi terminum: Nec est vanum, cum coniecturis certis innitatur.

PROBL. CXXXI.

Licet, & non licet adiuratori, præcipere dæmoni superiori, vt inferiorem è corpore pellat. Vbi plura de Adiuratione.

640 *Plura de Adiuratione præmitt.* ADiuratio est, vliquam personam impetrando, aut obsecrando inducere, ad aliquid faciendum, omittendumvè. Vnde est duplex: quædam deprecatiua, quædam imperatiua. In adiuratione tria debent concurrere, adiurantem, adiuratum, & id per quod adiuratio fit. Adiurans debet esse res intellectualis, cuius solius est, rogare, aut iubere. Res adiurata debet etiam esse intellectualis. Possum autem Deus, Angeli sancti dæmones, & quicúmque homines adiurari, alij deprecatiue, alij imperatiuè, alij vtraque adiuratione. Res, per quam fit adiuratio, sunt Deus, Angeli, & sancti, & homines iusti viatores: non autem per creaturas inferioris naturæ, aut in statu gratiæ fit adiuratio. Quando adiuratio fit per Deum siue expresè siuè tacitè, est Religionis actus. Quia in hoc adiurans honorem Deo tribuit quod eius authoritatem tanquam plurimum apud omnes valentem interponat, ad aliquid obtinendum.

651 *De Adiuratione in dæmoniacis.* Quia tamen potissimæ difficultates adiurationis versantur circa factam cum dæmoniacis: lubet ex nostro P. Thyrreo præmittere currenti calamo aliqua circa dæmonem in aliquo existentem. Vt quis dæmonium habere dicatur, duo exiguntur: prius est, vt in homine ipse dæmon sit: dum enim exterius tantum quis à dæmone affligitur, vt Iob, & D. Antonius, non dicitur dæmonium habere

habere. Posterius est, vt quandam vexandi potestatem in eo, in quo est, acceperit. Quæ quidem dæmonis potestas in demoniacum est potissimùm in corpus, & ea certo limite præscribitur; quippè hac potestate non limitata à Deo nullus dæmoniacus mortem euaderet. In animam vero minus potestatis exerit: quamvis ex corporis cruciatu valdè retardetur, vt non ità liberè, ac feruidè spiritualibus operam impendat. Dæmon cum spiritus sit per quamcúmque corporis partem potest ingredi, & egredi. Sicut non est necesse, vt multi dæmones vnum hominem obsideant: sed quandoque vnus, quandoque vero multi obsident; ità fieri potest, vno per exorcismos expulso, alios non eiici. Non semper est habenda fides dicentibus, se dæmonium habere, nisi aliquod signum efficax sit. Inter alia autem signa est efficacissimum, si exergumenus lingua antea sibi ignota loquatur: vel adeò immobilis existat, vt multis hominum viribus nequeat loco dimoueri. Nulla res corporalis vim habet ad dæmones expellendos, ipsosvè affligendos. Nec hominibus vlla vis ineft alligandi dæmonem rei alicui, illumque in illam includendi, vt in annullum in vas. Quare dùm sic dæmonem, quem *Familiarem* vocant alligatum, aut inclusum dicuntur habere, dupliciter intelligitur. Primo, vt ipse dæmon sua sponte se alliget, pacto cum homine expresse vel occultè inito, vt id dæmon faciat, cùm primùm certa quædam verba, carmina, aut veneficia, aut incantamenta intellexerit. Secundò modo id fit, cùm vi superioris dæmonis coactus inferior in eum locum includitur, illicque alligatur per pactum à Mago cum superiori dæmone initum, vt inferiorem includat, & alliget. Adiuratio imperatiua, seu coactiua dæmonum licita est, nempe per imperium arcendo illos tanquam hostes ne hominibus spiritualiter, aut corporaliter noceant. Quia Ecclesia habet specialem potestatem à Christo datam in dæmones, ad imperandum illis, eósque coercendos, seu expellendos. Potestas autem hæc non nititur Ministri sanctitate, etsi ea non parum iuuet: sed inuocatione diuini nominis, fidei ac sanctitate Ecclesiæ, in cuius persona exorcismi à Ministris dicuntur. Quare exorcismi non ex opere operantis solo, sed ex opere operato habent eam vim dæmones expellendi. Nec solent exorcismis omnes molestiæ, quas dæmones hominibus inferunt, repelli; sed eæ solæ, ad quas repellendas ab Ecclesia ordinantur. At hæc arcendi dæmones potestas ad eos exorcismis expellendos, non est omnibus tradita: sed solis Ministris ritè ordinatis in Ecclesia, nempe exorcistis. Nullatenus licet alicui dæmones adiurare deprecatiua adiuratione, id est ipsum dæmonem precando, vt ob nomen Dei exeat ex obsessi corpore: aut vt nobis aliquod beneficium præstet, deprecare, aut imperare. Hæc omnia carptim ex probatis Doctoribus cellegi, speciatim ex nostro Thyrreo *l. de dæmoniacis à Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. IV. *cap.* 2. Iam nonnulla suppositis his, Problemata attexam.

Quæsierim in primis, num adiuratori liceat, dæmoni superiori præcipere, vt inferiorem è corpore pellat? Licèt quidem. Quia hoc est directè dæmonem inferiorem superioris potentia diuexare, licèt consequentèr obessi hominis liberatio resultet. Sic Sylvest. *v. Adiuratio, q.* 5. 652 *Licet quidem.*

Minimè licèt. Quia hoc est, aliquod beneficium à dæmone recipere: quod non licet è diabolo accipere, cuiuscumque generis illud sit. Ita Sotus *l.* 8. *de iust. quæst.* 3. *art.* 2. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 2. *cap.* 8. Lessi. *l.* 2. *cap.* 44. *dub.* 6. *numer.* 46. Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 42. *n.* 21. 653 *Non licet.*

Non approbo Sylvestri sententiam. Deus enim non vult, vt vel salutem ex tartareis inimicis nostris habeamus. Vndè elicio, non licere adiurando, Exorcistæ, inuocare dæmonem, vt prestet auxilium contra tempestates, & alia frugibus nocentia ex aliorum dæmonum nequitia. Quia etsi posset dæmon superior inferiorem arcere, vt ab eo damon inferendo cessaret: minimè tamen licèt, ab eo petere vel ei id imperare: nè beneficium ab ipso recipiatur. Accepi ex D. Tho. 2. 2 *q.* 90. *a.* 3. & ex Soto *citato. a.* 3. 654 *Hoc vnice verum puto.*

PROBL. CXXXII.

Ex curiositate, aut leuitate res vanas & inutiles dæmonem in energumeno existentem interrogare, lethale est & non est lethale, sed veniale solummodo.

CErtum mihi, integrum esse adiuratori dæmonem è corpore pellendum interrogare ea, quæ expulsioni conducunt. Quia hoc non est, velle societatem cum ipso inire, sed ab ea recedere. Vnde licet interrogare nomen, & causam ingressus, & an sit vnus, vel plures in eo corpore. Quippè confert, vt norit exorcista, cum quot hostibus dimicet, quos nominatim increpet: & vt causa ingressus remota, si tolli possit, minor sit dæmonis in hominem potestas. Item est licitum eum non deprecatiuè sed coactiue interrogare aliquam veritatem ad peculiarem Dei gloriam, & adstantium vtilitatem: quando adiurans id expedire iudicauerit. Quia tunc hostiliter cum illo agitur. Quæsierim autem, num lethale sit, ex leuitate, & curiositate quadam res vanas & inutiles interrogare dæmonem in exergumeno existentem? 655 *Nonnulla suppono.*

Mortale non est, sed veniale solummodo. Quia quasi obiter fit. Et quia nulla in hoc casu alia videtur inesse malitia quàm actus otiositas. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 90. *a.* 1. *& in sum. v. Interrogatio, in interrogat. circa præc.* 1. Sylvest. *v. Adiuratio, q.* 5. & 7. Armil. *ibi, n. vlt.* Suar. *to.* 2. *de Relig. l.* 4. *c.* 2. *n.* 9. Tabie. *v. Inuocatio. q.* 1. *n.* 2. Nauar. *sum. c.* 11. *n.* 28. Pedraza *sum. præc.* 1. §. 10. Medina *l.* 1. *sum. c.* 14. §. 1. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 8. *pun.* 2. & alij. 656 *Non est mortale.*

Lethale est peccatum non veniale solùm. Quia huiusmodi cum dæmone inutilia colloquia gerere, valdè periculosum est, 657 *Mortale est.*

est, resque hoc ex capite minime leuis, & quæ familiaritatem cum dæmone suboleat, & scandalo ansam exhibeat. Ità Sanch. *l. 2. sum. cap. 42. numer. 35.* Sotus *l. 8. de iust. quæst. 3. a. 2.* asserens valde esse periculo obnoxium.

658 *Auctoris resolutio.* Ego quidem ex Santij, ac Caietani mente dixerim, veniale esse, quando vnum aut alterum inutile verbum interrogatur: at longos sermones inutiliter cum diabolo tenere, mortale esse. Quià negari nequit, rem esse grauissimam, & maximo periculo expositam, longos vanósque cum dæmone admiscere sermones. Imò vt mortale non sit alias limitationes indicabo. Primo, ea interrogatio non debet esse deprecatiua, sed imperatiua. Quia deprecatiuè interrogare, pertinet ad amicitiam cum dæmone: vnde semper mortale erit. Secundo, intentio interrogantis non debet esse aliquid à diabole addiscendi. Quia esset ab eo expectare beneficium. Tertio, interrogans non firmam & certam dicto dæmonis fidem debet habere. Quia id esset, valde eum honorare. Quartò denique id solummodò veniale erit, quando non creditur ex eo perbreui colloquio occultum alicuius peccatum esse aperiendum. Hinc elicio, ex imperfectione actus esse quoque veniale, efficere imperatiuè vt dæmon in exergumeno existens aliquid vanum faciat: verbi gratiá lapidem amouere. vt Tabie. *v. Inuocatio, n. 2.* profatur.

PROBL. CXXXIV.

Superstitiosum est, & non est, signum à dæmone petere quo testetur, se à corpore energumeni exire, & nunquam esse rediturum.

659 *Est superstitiosum.* SVperstitiosum est. Quia diabolus, est mendacij pater: ideóque nec ipsi, nec signis eius est fides habenda. Sic Sotus *l. 8. de iust. quæst. 3. art. 3.* Ciruelo *de superst. p. 1. cap. 8.*

660 *Non est superstitiosum.* Superstitiosum non est. Quia in sacerdotali Romano instruitur exorcista vt hoc signum petat: Ergo licitum est, imò oportet eiusmodi petere signum, nempè extinctionem luminis, vel vitri alicuius ruptionem vel quidquam aliud. Ità Thyræus *de dæmoniac. c. cap. 46 numer. 23. & cap. 52. num. 4. & cap. 53. numer. 4.* Delrius *l. 6. disq. Mag. cap. 3. lit B. & cap. 2. quæst. 3. sect. 3. in 4. remedio.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 42. num. 28.*

661 *Cum hâ sentio.* Certè si Soti ratio pro prima sententia, expressa, aliquid probaret, concluderet vtique fore superstitiosum interrogare etiam alia, quæ *Problem. 133.* diximus licere rogitare. At certum est, aliquandò posse credi dæmoni adiuratione coacto, ad manifestandam veritatem ad suam expulsionem conducentem: qualis est hæc signi traditio. Et sicut exorcismis cogitur, vt relinquat domicilium: ita etiam vt discessus signum exhibeat, vt de parta victoria constet. Fateor tamen, ex hac signi traditione adstrictum non esse dæmonem ad non redeundum: sed si non redeat esse, quia non vult, aut ex alia causa eum cogente, non potest. Securiores tamen nos reddit de suo discessu & pignus aliquod obiicit se non rediturum.

PROBL. CXXXV.

Est, & non est superstitiosum, flagellis, & alapis dæmoniacum percutere.

662 *Sapit superstitionem.* SVperstitionem sapit. Quia dæmon fingit, se dolore affici, & affligi, vt fatuos decipiat, & vt corpus energumeni torqueatur. Sic Simanc. *de cathol. instit. tit. 63. numer. 12.* allegato Barth. Sybilla. Delrius *l. 2. disq. Mag. quæst. 30. sect. 3.* ait sibi non placere Catholicorum quorundam credulitatem seu *superstitionem*, qui dæmoniaci flagellationibus eam vim tribuunt, vt putent, iis dæmonem male affici, irritari, aut exagitari: imo, ait, magis augeri dæmoniaci morbum flagellorum tortura: & ex ira, ac tristitia cumulari dispositiones attrabiliarias dæmoni optatas. Vnde dum hi dæmoni nocere volunt, magis eum iuuant.

663 *Superstitionē non sapit.* Haud sapit superstitionem, imò licitum proculdubio est. Quià dæmon nimis confunditur, dum hæc tanquam contemptus sui argumentum assumi intelligit. Et quia ad ipsius etiam dæmonis eiectionem hæc valere videntur: eo quod dissoluuntur conditiones, quas ipse in humano corpore postulat, ac proinde aufugit, vtpotè qui aprum sibi domicilium minimè inuenit. Ita Thyræus *de dæmoniac. c. 46. n. 31.* multis sanctorum exemplis id comprobans.

664 *Dissentiens quæstioni respondeo.* Existimo, si flagellatio aut alapæ adhibeantur, tanquam virtutem habentes directè ad dæmones expellendos, aut affligendos, manifestè esse superstitionem. Quia nulla res corporea id efficere potest. Nam cum dæmon spiritualis sit, pati nequit à re aliqua corporali. At si non ea existimatione adhibeantur flagella, sed quasi dæmonem confundentia, & in ipsius contemptum, ac contumeliam, vt vel sic se contemni minime patiens tanquam superbissimus, illud deserat domicilium, superstitiosam minimè esse affirmo, sed admodum licitam flagellorum, alaparumque inflictionem. Posset tamen Exorcista aliquando alia ratione delinquere, si imprudenter se gereret percutiendo grauiter dæmoniacum. Cum enim ea percussio in solam dæmonis contumeliam, aut contemptum fiat, & non quasi corporaliter affligentia: Satis est, si moderata sit, ità vt corpus dæmoniaci minimè torqueatur, sed solum dæmonis superbia valeat contundi.

Huius mentis est Sanch. *l. 2. sum. c. 42. n. 30.*

* *
*

PROBL

PROBL. CXXXVI.

Sapit, & non sapit superstitionem, fumo hypericontis, rutæ, cornuum, stercorisque caprini dæmoniacum ab Exorcista defatigari.

665 *Superstitionem sapit.* SApit superstitionem. Quia illud ipsum elicere fumum ex hac rutæ, hypericontis, cornuum, stercorisque materia speciatim, & non ex alia videtur quis ideo ea vti quòd habeat peculia rem aduersus torturam dæmonis efficaciam, quod planè superstitiosum est. Sic Simancas *de cathol. instit. tit. 63. num. 12.* Delrius *l. 2. disq. Mag. quæst. 30. sect. 3.* Ciruelo *par. 5. cap. 8.*

666 *Minimè sapit superstitionem.* Minimè superstitionem sapit. Quia fumus ex illa speciali materia prodiens ab Exorcista assumitur, non quod specialem habeat, ad torquendum dæmonem efficaciam; (nullam enim ad id munus fumus ex quacúmque materia procedens habet) sed quia fœdior cum sit, aptior apparet ad superbissimi hostis contemptum, & irrisionem. Ità Sanch. *l. 2. sum. cap. 42. num. 30.* Abul. *ad. 1. Reg. 16. quæst. 42.* Thyræus *de dæmoniac. cap. 52. num. 4.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. l. 3. cap. 11.* relato Guillermo, addens, multos sanctos dæmonem huiusmodi improperio adhibito expulisse.

667 *Quæstionem distinctione resoluo.* Profecto hanc quæstionem eadem, qua Problem. proximo vsus sum distinctione resoluo. Si fumus ille adhibeatur tanquam virtutem aliquam directè ad dæmonis expulsionem habens: adhibere fumum, superstitiosum est. Si autem in dæmonis contemptum quis eo vsus fuerit: quia dæmon se contemni videns distorquetur, & ideo aliquando recedit: ab omni superstitionis suspicione assero, huiusmodi actionem liberari. Ex Abulensi citato didici.

PROBL. CXXXVII.

Licet, & non licet Exorcistis conuincere petitioni dæmonis ab obsessi corpore egressuri.

668 *Minimè licet.* MInimè licet. Quia Christus Dominus reliquit Ecclesiæ potestatem aduersus dæmones ad eos arcendos, & repellendos tanquam hostes non ad vllum eis commodum indulgendum. At eorum petitioni quæ ad proprium commodum, seu ad incommodum vitandum conniuere, est planè hosti beneficium largiri, & non omninò à nocentis infensissimi societate recedere: Ergo dæmonis egressuri ex energumeno conniuere petitionibus superstitiosum, ac illicitum est. Sic Tabie. *vers. Adiuratio, num. 6.* Sylvest. *ibi. quæst. 5. & 7.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 8. punct. 1.* Nauar. *sum. cap. 11. num. 28.* Qui quidem asserunt grauissimam esse culpam, beneficia quæque in dæmonem conferre.

669 *Licet quidem.* Licèt planè: quando rem iniquam non postulat. Quia huiusmodi petitio non iniqua, nec contra Dei honorem, nec proximi incommodum potest præstari: Vt si petat, non relegari in tartarum, aut nouis non affici tormentis. Id enim non est aliquid tanquam amico concedere, cíve placere curare: sed vt facilius ab obsesso corpore egredi cogatur. Ita Thyræus *de dæmoniac. cap. vltim. à num. 1. ad 8.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 42. num. 36.*

Eiusdem sum mentis. 670 Eiusdem sum mentis. Eiusdem sententiæ sum memor, Christum Dominum dæmonum petitioni visum fuisse conniuere, cum eos in porcos ingredi permisit. Quod certum est, Dominum non gessisse, vt aliquid eis tanquam amicis largiretur. Potrò si dæmon peteret ad alium hominem transire, aut eum diuexare: ferè semper illicitum conniuere ei esset. Quia est eiusmodi petitio proximo noxia. At etiam id licere existimo, quadruplici concurrente conditione. Prima est, vt is, quem dæmon possessurus est, sit pessimus, & eo supplicio dignus. Secunda, vt adiurans habeat ius, & imperium in eum, quem dæmoni est traditurus, ac potestatem in ipsum dæmonem, summúmque ius ad ipsum expellendum, quandocúmque libuerit. Tertia, vt adsit boni maioris spes: quia scilicet speratur, fore vt hac ratione proximus iuuetur, qui aliis rationibus iuuari non videbatur. Quarta, vt absit voluntas placendi dæmoni: sed id tantùm fiat, ad vtendum ipso tanquam lictore, & carnifice. Profectò etsi liceat in præfatis dæmonis petitione conniuere: at non tenetur ad id Exorcista. Lege Thyræum *citatum.*

PROBL. CXXXVIII.

Superstitio est, & non est lethalis, irrationales creaturas nocentes fructibus vanè adiurare.

671 *Quæstionis statum explico.* QVæstio est an vanum sit adiurare irrationales creaturas nempe locustas, mures, nubes, pulliculum, vulgariter *pulgon.* &c. Suppono licitum esse ea adiurare, quatenus ab alio ad nocendum mouentur. Cum ergo possit à Deo vel à dæmone moueri: quando à Deo mouentur, adiuranda sunt deprecando Deum, vt id malum auertat: quandò verò à dæmone, imperando illi, ne noceat, sed nocere desistat. Verum si sermo ad irrationalia dirigatur, quasi ea se moueant, & ex se efficiant nobis aduersa, est vanum. Quia nec ipsæ creaturæ mouere se valent ex intentione ad nocendum: vt euenit animalibus ratione carentibus, & tempestatibus: nec omnia hæc adiurationis percipiendæ sunt capacia. Punctum autem difficultatis est, num hoc posteriori modo irrationabilia animalia, aut nubes adiurare, lethalis sit vanitas, ac superstitio?

672 *Est lethalis hac vanitas.* Lethalis est. Quia non est res leuis, sed grauis omnino: est enim, ridiculos exorcismos Ecclesiæ facere. Sic

Nauar. *l. 5. consil. tit. de sent. excommun. cons. 5. numer.* 20. Angel. *vers. adiuratio, fine.* Tabie. *fine.*

673 *Lethalis non est.* Lethalis non est. Quia est sola vanitas quædam, nec animus sic adiurantis est, ridiculos facere exorcismos, eósve contemnere, Ità Sylvest. *vers. Adiuratio, fine.* Tabie. *ibi. num. vltim. concl.* 11. Margar. Confessor. *præc.* 1. *fol.* 63. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 4. *cap.* 4. *num.* 12. Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 42. *num.* 37.

674 *Hanc teneo sententiam.* Sententiam hanc puto esse veriorem. Ad quam ex contrariæ Doctoribus Angelum, & Tabienam allicio; dicunt enim, adiurationem illicitam esse ex se, siue ex genere suo mortalem. Porrò ad hoc satis est, vt intra suam speciem possit esse quandóque mortalis: & cum hoc stat in hoc casu eam esse venialem ratione leuitatis materiæ. Cæterùm quia nobis non constat, an à Deo, an à dæmone illa irrationalia moueantur, vtitur Ecclesia vtrisque exorcismis, scilicet orando Deum, & dæmoni imperando. Quare licet exorcismis, quando proferuntur adiurationis verba ad ipsasmet creaturas irrationales, dirigantur: non est intentio dirigendi, quasi ipsæ adiurationi conniuere debeant, auertendo malum; sed verè adiuratio ad motorem dirigitur: ad ipsas autem aliquo modo, vtpotè in quibus recipitur illa operatio, situè effectus nobis aduersus, quem per adiurationem auertere conamur.

PROBL. CXXXIX.

Superstitiosum est, & non est irrationabilibus animalculis litem excitare, ne sententia lata aduersus ea, fructibus noceant.

675 *Statum quæstionis explicat.* QVidam adiuratores se Iudices constituunt ad dirimendam litem inter irrationabilia animalcula, & plebem, cui nocent: instituúntque accusatorem, & aduocatum, & irrationalium procuratorem, & dant accusationis copiam, audiúntque procuratoris defensionem: ac denique vtriúsque partis rationibus auditis, sententiam proferunt. Quæsierim, num lis huiusmodi vana sit, ac superstitiosa?

676 *Nec vana, nec superstitiosa est lis.* Nec vana nec superstitiosa est. Quia si vana ac superstitiosa esset, ei Deus non annuerit effectus fælicis expressione. Constat enim experimento, quod oculati testes annotarunt, sæpè animalcula sententiæ obediisse, desiisséque nocumenta fructibus adiicere. Sic Cassaneus à Nauarro citatus *vbi infrà.* Et Anonym. *tract. 2. de exorcis. paulò post medium*, hæc fieri consulit.

677 *Est vana, & superstitiosa.* Vana & superstitiosa est omnino. Quia si lis contra irrationalia ipsa intentetur sunt litis & sententiæ percipiendæ omnino incapacia. Etsi aduersus dæmones, à quibus mouentur, nil refert illos accusare, aut defendere. Ita Sotus *l. 5. de iust. quæst.* 2. *art.* 2. *& l.* 8. *quæst.* 2. *art.* 3. Nauar. *l. 5. consil. tit. de sent. excomm. consil.* 5. *& cons.* 2. *toto*, Cassanæum confutans, Ciruel. *de superst. part.* 2. *cap.* 10. Delrius *l.* 2. *disq. Mag. part.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 8. Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 42. *num.* 39. citans Valentiam.

678 Eiusdem sum mentis. Nec obstare putarim, sæpè animalcula obediisse sententiæ, & recessisse à fructibus; quia id non proficiscitur ex *Eiusdem sum mentis.* virtute sententiæ, sed ex potestate dæmonis auferentis animalia nocentia: vt vel sic vana hæc, & superstitiosa hominibus persuadeat. Addiderim, superstitiosos esse, qui dum adiurant, pugnare contendunt cum nubibus, & locustis, &c. Quia ea pugna nil conferre est manifestum. Et eos qui huiusmodi animalia excommunicatione curant afficere. Quià excommunicationis sunt incapacia.

PROBL. CXL.

Episcopus ex Tridentini facultate, potest, & non potest, Sancti alicuius antiqui nondum Canonizati Reliquias approbare, vt publicè venerentur.

EX Tridentini *sess.* 25. statim in principio, in *decreto de invoc. & venerat. sanct.* facultate, potest Episcopus reliquias Diui antiqui nondum in Catalogo Sanctorum adscripti approbare, & publicæ venerationi addicere. Quia quandò certum erat, Sanctum esse Canonizatum, licebat iure communi Episcopo, eius reliquias approbare, ac publicè venerandas proponere. Vt docet Abbas *cap. fin. ad finem, de Relig. & vener. sanct.* Ergo dum Tridentinum concedit Episcopo priuilegium Reliquias de nouo inuentas approbandi, intelligit de Reliquiis Sancti non Canonizati. Quia aliàs frustraneum esset priuilegium, vtpotè quod nil concederet: cum tamen verba priuilegij, debeant necessariò aliquid operari. *cap. Si Papa vers. Si autem de priuileg. in* 6. Sic Moderni quidam non infirmæ notæ. 679 *Il potest Episcopus.*

Ex illa Tridentini facultate id Episcopus minimè potest: sed solummodò Sancti Canonizati reliquias valet approbare, ac venerandas exponere. Quia decreta posteriora quando prioribus expresè non aduersantur, sunt per priora corrigenda, determinanda, ac supplenda, quo legum correctio vitetur. *l. sed & posteriores*, iuncta Gloss. *vers. Pertinent, ff. de legib.* At nemo dicet, ita decretum Tridentini opponi decreto priori Concilij Lateranensis, vt iuxtà illud intelligi, per illúdque suppleri, & declarari nequeat, vt intelligatur de Reliquiis Sancti Canonizati. Ità Suar. *tom.* 1. *in* 3. *part. quæst.* 25. *art.* 6. *d.* 55. *sect.* 2. Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 43. *num.* 10. Philiar. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 9. Azor. *tom.* 1. *l.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 8. 680 *Il Episcopus minimè potest.*

Hoc vnicè verum reor. Quia Tridentinum in eo decreto *in proœm.* profitetur, se velle, vt in reliquiarum veneratione stetur vsui Ecclesiæ, ac Conciliorum decretis: & dùm committit Episcopis reliquiarum approbationem, sic incipit: *Hac vt seruentur, statuit sancta Synodus.* Nec in fine aliquam clausulam derogatoriam apponit, vt quandò vult derogare apponere assolet: vti constat *sess.* 7. *cap.* 10. & *sess.* 23. *cap.* 10. signum ergo est, nullius Concilij generalis decretis velle derogari: sed potius ea integrè velle custodiri. Quare Tridentinum nullum Episcopis priuilegium concessit, sed solam formam 681 *Hoc vnicè verum esse affirmo.*

ab

ab eo seruandam in approbandis reliquiis noviter inuentis tradit. Scio, sufficere, de sanctitate personæ per traditionem, aut vniuersalem Ecclesiæ constare, vt id Episcopus gerere valeat. Quia hæc canonizationi æquipollent: vt Suarius *citatus* annotauit.

PROBL. CXI.

Tridentini decretum prohibet Reliquiarum venditionem, prohibet amplius quam venditionem earum simoniacam, & non amplius quam simoniacam venditionem prohibet.

682 *Nonnulla suppono.* Difficultas est, qualiter interdictum sit à Tridentino *sess. 25. in princip.* & à textu *c. fin. de reliq. & vener. sanct.* Sanctorum reliquias venales, vel causa quæstus exponere? suppono autem, si sanctorum reliquiæ venderentur, apertissimam esse simoniam. Quia pretio res spiritualis & sacra æstimaretur. Excipio, nisi reliquiæ apud infideles essent. Quia tunc non sacrum, quod est in reliquiis, emeretur; sed pretio dato, redimeretur vexatio, qua fideles retentis iniuste reliquiis afficiuntur. Vt Vgolin. *de simo. tab. 1. c. 38. n. 5.* aduertit. Quæsierim igitur, an ille textus prohibeat amplius, quam hanc simoniacam venditionem, aut emptionem?

683 *Non prohibetur sola simoniaca venditio.* Non solum vera venditio, aut emptio interdicitur, qua deducto pretio in pactum reliquiæ exponuntur: sed etiam quando, nullo pacto inito, exponuntur passim causa quæstus, vt largiores eleemosynæ offerantur Quia hoc est larga quædam venditio. Sic Abbas *eo c. fin. notab. 1.* Angel. *v. Reliquis, initio.* Sylvest. *ibi. q 1.* Vgol. *citat.* Azor. *to. 1. l. 9. c. 8. q. 7.* Graf. *p. 2. decis. l. 2. c. 14. nu. 7.* Limitant Armil. *v. Reliquiæ, num. 1.* Tabie. *ibi, initio.* & Nauar. *sum. c. 17. n. 169.* quando principaliter ob maiorem eleemosynarum quæstum reliquiæ ostenderentur: secus quando esset finis minus principalis.

684 *Sola simoniaca venditio prohibetur.* Solùm reliquiarum venditio simoniaca interdicitur: quæ quidem est, quando pretio in pactum deducto, ostenduntur, aut venundantur. Quia *c. fin.* iis solis verbis vtitur, *Ne exponantur venales.* Et Glas. *v. Venales*, & Hostiens. *initio*, reddunt rationem: Eo quod pretio æstimari nequeunt absque simonia. Quare Doctores, qui limitant, quando finis principalis est quæstus eleemosynarum acquisitio, ei hærent fundamento, quod simoniacum sit exercere spiritualia propter stipendium tanquam finem principalem. Verùm simonia non est eo quod finis principalis sit temporale lucrum: sed tantum quandò id intenditur tanquam rei spiritualis pretium. Quia non est emere, vel vendere, quando non intenditur lucrum tanquam pretium: sed tanquam debitum sustentationis stipendium, vel tanquam eleemosyna gratis oblata. Ita Sotus *l. 7. de iust. q. 6. a. 2.* Sanch. *l. 2. sum. c. 42. n. 22.*

685 *Hæc probabilius mihi.* Crediderim, probabilius esse, non interdici ibi reliquiarum ostensionem, etiamsi finis principalis largiorum eleemosynarū sit acquisitio: dummodo hæ non deducantur in pactum, nec intendātur tanquam eius possessionis pretium: sed tanquam eleemosynæ gratis, & ex reliquiarum deuotione oblatæ. Quia hos intendere principaliter, non est, reliquias pretio æstimare. Imò nec esset mortale, sed solum veniale sic eas eleemosynas principaliter intendere. Quia est sola prauæ ordinationis ad finem culpa, quæ quando finis non est morta is, solā culpā venialē cōstituit. Vt Caiet. docuit *2. 2. q. 148. a. 2.* Ideò Santius *l. 1. sum. c. 3. n.* dixit, exercere spiritualia ob vanam gloriam non esse lethale.

PROBL. CXLII.

Sacrilegum furtum est, & non est furtum sacrilegum, surripere Reliquias, authoritate eius Præfecti Ecclesiastici, cui locus Sacer, & reliquiarum custodia commissa est.

686 *Certum quia suppono.* Reliquias furtiuè subtrahere, etiam vt honorabilius habeantur, certum est non licere, sed furtum esse sacrilegum. Quia est rei Sacra, inuito Domino, ablatio. Nisi reliquiæ apud infideles existerent; quia hi sunt iniusti possessores. Quæsierim vero, an esset Sacrilegum furtum eas abripere authoritate eius, cui locus sacer, & custodia reliquiarū est commissa?

687 *Non est furtum Sacrilegum.* Non erit furtum Sacrilegum. Quia *c. Quisquis inuentus, vers. si quis domum. 17. q 2.* colligi videtur. Deciditur enim, fures huiusmodi non incurrere pœnam in eo textu statutam. Ergò & culpa excusatur. Et quia non tollitur furtiuè, quod ex custodis reliquiarum, ac Præsidis Ecclesiæ facultate aufertur. Sic Azor. *to. 1. l. 9. c. 8. q. 9.*

688 *Furtum est.* Furtum proculdubio erit. Quia custodis illius licentia non sufficit, vt quis dici possit haud inuito domino non accepisse: nam is, cui custodia huiusmodi est commissa, nullam reliquiarum administrationem habet, sed meram custodiam: ac proindè eius licentia non excusabit à furto. Ita Sanch. *l. 2. sum. cap. 42. numero 23.*

689 *Mihi displicet Azorij sententia.* Fateor limitationem mei Azorij mihi non placere. Quia licentia custodis vineæ non excusat à furto, eo quod custos non sit fructus administrator: sed solummodo ad eum pertinet vineam custodire. Vnde furti reus erit tam subripiens, quam licentiam ad surripiendum impendens. Similiter in casu nostro. Nec textus citatus oppositum probat; sed solum non incurri pœnam in eo textu statutam. Quia illa solos vim loco Sacro inferentes comprehendit: non est autem vis, cùm custodis illius licentia habetur. Nec paruitas materiæ ad excusandum reliquiarum furtum à mortali spectanda est penès solam rei ablatæ quantitatem; sed earum dignitas, ac æstimatio pensanda sunt, earumque raritas. Quia hæ aggrauant proculdubio piaculum.

PROBL. CXLIII.

Lata est, & non est lata, contra Reliquiarum fures excommunicatio.

690 *Lata est ex-* IN reliquiarum fures lata est excommunicatio minor, & nisi prius satis fecerint, eis ab-

communicatio. neganda est communio : & ter admoniti, nisi satisfactionem gerant, sunt excommunicatione maiore mulctandi. Quia id indicitur in *c. Quisquis inuentus, vers. si quis domum. 17. quæst. 4.* Sic Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 8. quæst. 10.* citans Syluestrum.

691 *Lata non est.* Non est lata excommunicatio huiusmodi. Quia non constat, nùm pœna in eo *c.* contenta sit excommunicatio minor, an sola ab Eucharistiæ vsu separatio. Et videtur ea pœna lata contra fractores Ecclesiarum & raptores. Sic enim ibi dicitur : *si quis domum Dei violauerit.* At propriè dicitur violare Ecclesiam iuxta subiectam materiam, qui fores, vel muros eius infringit, vt furetur. Ita Suar. *tom. 5. in 3. part. d. 22. sect. 2. num. 9.* Sanch. *lib. 2. sum. cap. 43. num. 4.*

692 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem mentis sum. Quia esto excommunicatio minor in eo textu contineretur, iam nullus est casus in vsu, in quo huiusmodi excommunicatio incurratur, præter participationem cum excommunicato.

PROBL. CXLIV.

Clericis in minoribus constitutis licet, & non licet Reliquias tangere, aut contrectare.

693 *Non licet.* NOn licet. Quia D. Gregorius Pontifex Summus *epist. lib. 2. epist. 30* indixit, *Intolerabile esse, ac sacrilegum, si Sanctorum corpora quisquam tangere voluerit.* Sic nonnulli scrupulosi Doctores existimant, Pontificem verbo illo, *Quisquam* voluisse omnes qui sacris initiati non erant, comprehendere.

694 *Licet omninò.* Licet omninò, sine grauis piaculi incursione. Quia Gregorius locutus est de iis temporibus in quibus nulli etiã in sacris cõstituto licebat Sanctorum corpora, ossa, vel particulas eorum è loco amouere, transferre, gestare. At iam est vsu introductum, vt transferantur, ac gestentur è collo pendentes. Quare grauis criminis damnandus non est Clericus, aut laicus, qui eas sacrarum reliquiarum minutias, quas apud se habet, piè ac religiosè tangit, aut incapsas includit. Secus si irreligiosè, ac per contemptum. Ita Azor. *tom. 1. lib. 9. q. 5.* Sanch. *lib. 2. sum. cap. 43. num. 26.*

695 *Hanc sententiam vnicè probabilem existimo.* Improbabilem primam sententiam omninò iudicarim. Imò addiderim cũ Sancio, nec Clericum in minoribus, nec laicum piè Sanctorum reliquias tangentem venialiter delinquere. Quia nullibi id interdici inuenio.

PROBL. CXLV.

Licet, & non licet omnibus Clericis Minorum Ordinum, vasa sacra, vbi Reliquiæ Diuorum includuntur, in processionibus deportare.

696 *Non licet.* NOn licet. Quia in Concilio Bracharensi 1. *cap. 27.* & refertur *cap. non liceat, el 1. dist. 21.* dicitur *Non liceat Lectoribus, sacra vasa portare.* Vbi Glossa v. Portare, Hugo, Archidiac. *ibi, num. vni.* explicant, in supplicationibus publicis, quas processiones vocitant : adiciúntque vasa sacra vocari ea, in quibus reliquiæ recluduntur. Ergo non licet Clericis minorum ordinum sacra ea vasa in supplicationibus apportare. Palud. *in 4. dist. 13. quæst. 1. num. 15.* D. Antonin. *part. 3. tit. 14. cap. 12. §. 4.* Syluest. *vers. Eucharistia 3. quæst. 4.* Tabie. *vers. excommunicare, quæs. 51.* dicunt, laicis non licere ea reliquiarum vasa tangere; sed Solis Acolytis. Ergo non omnibus Clericis minorum ordinum licitum erit ea in supplicationibus deportare.

Licet quidem. Quia nullo decreto id interdicitur, Vasorum enim sacrorum nomine solummodo calix, ac patena intelliguntur. Hæc námque sola dicuntur sacra altaris vasa. Ità Turrecr. *eo cap. Non liceat, num. vni.* Graf. *part. 2. decis. l. 2. cap. 14. num. 8.* Sanch. *l. 2. cap. 43. num. 26.* 697 *Licet plaud.*

His hæreo, hãcque sententiam vnicè veram puto. Imò esto esset huiusmodi prohibitio; iam vsu receptum est, vt Clerici in minoribus constituti Sacra Reliquiarum vasa deportent. Prætereà crediderim, nullam esse culpam, si laici reuerenter ea portent, aut contingant. Quia nullam prohibitionem reperio. Sicut Cruces, & imagines tangunt, & apportant. 698 *Hoc mihi vnicè verum.*

PROBL. CXLVI.

Excommunicationis pœnam incurrit, & non incurrit, qui Reliquias, quas Agnos Dei vocitant, vel ratione materiæ venales exponit.

INcurrit planè excommunicationis pœnam. Quia sub latæ sententiæ excommunicatione interdictum est quibuscúmque quacúmque dignitate præditis Agnos Dei depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem imponere, aut quidquam alius superinducere: aut depingi, aut miniari facere: aut illos venales proponere, seu tenere: sed eos albos, & mundos decenter, ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, ac custodiri præcipitur. Sic statuit Gregorius XIII. in quodam motu proprio, qui incipit : *Omni certè studio.* Ergò excommunicationis pœnam incurrit qui Agnos Dei *venales* proponit, aut tenet: Certè textus absolutè de venditione loquitur, & an fiat circa formam, an circa materiam solùm non distinguit. Ergo prohibetur venditio etiam ratione materiæ. Sic Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 9. quæst. 4.* addens, nisi ad vsus sacros vendantur. 699 *Incurrit quidem.*

Illam excommunicationem non incurrit. Quia motus ille proprius intelligendus est de venditione simoniaca, qualis est, si ratione benedictionis vendantur, aut pluris ratione illius: secus si ratione solius materiæ, ex qua conficiuntur, & expensarum in eis conficiendis, & è Roma apportandis, vendantur. Quia nil inuenitur in eo motu proprio continens specialem prohibitionem venditionis, quæ aliàs non esset simoniaca; sed solum vendentibus excommunicationem indicit. Ità Sanch. *l. 2. sum. cap. 43. numer. 29.* 700 *Non incurrit.*

Hoc verius esse crediderim, addens circa prohibitionem, qua nulli fas est agnos Dei pingere 701 *Hoc verius esse credo.*

gere,inficere,ac minio notare:postquam inexcommunicationem inciderunt pingentes, aut facientes pingere,non interdici , eos depictos sic tenere:neque enim ob id destrui debent.Et dum interdicitur in eo motu proprio eos Agnus Dei tenere,id infinitiuum coniungi cum dictione,*Venales*,vt constat ex contextu.Itaque interdictum est,illos venales proponere,aut tenere.Dum autem concludit Pontifex,illos habendos,deferendos, & custodiendos albos , & mundos tantum esse,indicere,non esse pingendos,sed vt benedicuntur à Pontifice,custodiendos.At vbi peccando depicti sunt,non interdicit,eos tenere.

PROBL. CXLVII.

Sine leui saltem piaculo laici possunt, & non possunt Agnos Dei tangere.

702 *Minimè possunt.* MInimè possunt.Quia id vel Clericis minorum ordinum interdicitur.Non enim sola oratione Pontificia sunt sacri,ac benedicti:sed oleo etiam sacro,& chrismate,instar calicum consecrantur.Quarè sicut hac ratione solis Subdiaconis fas est,tangere calices,sic & Dei Agnos.Ergo piaculum erit,eos à laico tangi sic Azor.*to.1.l.9.c.6.q.3.* Addit Doctor laicos non grauiter peccare,si absque contemptu tangant, sentit ergo saltem leuiter tangendo delinquere.

703 *Possunt quidam.* Possunt quidem. Quia vsus obtinuit , vt à laicis etiam fœminis tangantur.Possunt igitur vel sine leui peccato à laicis contingi.Ita Sanc. *l.1.cap.43.num.27.*& alij Neoterici.

Auctoris placitum. Probabilem Santij sententiam admodum, esse reor.Ast primam elegerim , nempè delinquere laicos qui sine necessitate Agnos Dei contingunt : sed hunc contactum culpam venialem non excedere. Delinquunt inquam. Quia quod non licet Clericis non Subdiaconis ob chrismatis reuerentiam , fas non est laico licere. At venialis est culpa solummodo.Quia Sotus *in 4.dist.13.quæst.2.art.3.ad 3.* quem multi sequuntur docet etiam fœminas tangere Corporalia,& Calices absque contemptu aut nullam esse culpam , aut leuissimam venialem.Quare Agnos Dei tangere à fortiori culpam venialem minimè excedet.

CAPVT XXXI.

Circa Tentationem Dei.

PROBL. CXLVIII.

Tentat , & non tentat Deum , qui miraculosi effectu vult , vt Deus suam voluntatem manifestet circa aliquem futurum euentum.

704 *Deum non tentat.* PRopriè Deum non tentat. Quia non fit hæc probatio de aliqua Dei perfectione;sed de aliquo obiecto suæ voluntatis, cuius dubitatio per se mala non est.Sic Valent. 2.2. *d.6. quæst.13.punct.1.*

705 *Tentat planè.* Deum propriè tentat,si mediis indebitis diuinam voluntatem velit explorare. Quia inter homines , qui voluntatem alterius , eiusque amorem explorare curat medio indebito , tentare eum dicitur:Ergo etiam respectu Dei erit tentatio.Ità Palaus *tom.3.tract.17.d.2.punct.1. num.3.*Caiet.*sum.verſ. Tentatio.* Suar. *tom.1.de Relig.tract.2.l.1.cap.2.num.16.* Sanch.*l.2.sum. cap.34.num.8.* ex D. Thom. 2.2. *quæstion. 97. art.1.*

706 *Hoc probabilius reor.* Hanc partem probabiliorem esse reor , memor Dominicæ tentationis. Nam cum diabolus postulasset,vt Christus sese deorsum ageret,non intendit, Christus Dei potentiam experiretur liberatoris,sed affectum,& amorem, ideóque dixit: *Angelis suis mandauit de te , vt custodiant te in omnibus viis tuis. Mat.4.* Ac si diceret:Bene potes te deorsum immittere diuinæ hærens prouidentiæ,& amori,qui non permittet,te aliquo affici detrimento.Christus verò respondit:scriptum est,*Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ergo sola indebita probatio amoris , & voluntatis diuinæ est vera tentatio.

PROBL. CXLIX.

Tentatio interpretatiua aut virtualis Dei absque infidelitate contingens , potest , & non potest venialis esse culpa,ex materiæ paruitate.

707 *Nonnulla suppono.* EX *sect.1.*recolo , duplicem esse Dei tentationem , aliam cum infidelitate coniunctam , aliam absque infidelitate ; hancque vel esse formalem,& expressam , vel interpretatiuam seu virtualem.Formalis est,cum ex intentione formali,expressámque probandi aliis aliquam diuinam perfectionem , præsumptiúve quis petit medium aliquod vanum,& extraordinarium.Interpretatiua seu virtualis tentatio est,quando ex facto seu petitione rei alicuius, sufficienter interpretatur quis velle de Deo eiúsque perfectione,aut voluntate capere experimentum.Nam cum illa petitio aut factum ad nihil aliud possit deseruire nisi ad probandam Dei potestatem, ac bonitatem:qui sic petit,& agit,diuinam potestatem , ac bonitatem probare interpretatur. Hoc autem contingit, quoties relictis mediis à diuina prouidentia præordinatis,extraordinaria quis intentat;verbi gratiâ si intentet:Deum in alicuius veritatis confirmationem miraculum aliquod absque necessitate operari. Quæsierim itaque an tentatio hæc interpretatiua Dei absque infidelitate contingens possit esse ex paruitate materiæ veniale peccatum ? Scio enim omnes Doctores id de tentatione expressa cum infidelitate coniuncta abnegare.

708 *Potest veniale esse tentatio hæc ex leuitate materiæ.* Potest quidem ex leuitate materiæ venialis esse.Quia si ex sola curiositate videndi aliquod mirabile opus,à Deo quis peteret,vt illud comprobaret Fidei veritates,non videretur mortaliter delinquere:nam talis petitio non videtur grauem

graue̅ habere deordinationem. Item si leui, morbo oppressus nollet medicaminibus vti, sperando vane salutem à Deo absque miraculi petitione, non censebitur mortaliter delinquere, sed venialiter solùm vt docet Sanch. *l. 2. sum. cap. 34. num. 5.* Ergo tentatio Dei, quæ absque infidelitate contingit, sæpè est veniale piaculum. Sic Tolet. *l. 4. cap. 19. num. 7.* Sayr. *in Clavi, l. 4. cap. 7. num. 14.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 14. punct. 2.* Lessi. *l. 2. cap. 45. numer. 4.*

709 *Non potest.* Non potest tentatio Dei interpretatiua huiusmodi venialis esse ex materiæ leuitate. Quia tota malitia huius tentationis æquanimiter procedit in signo leui expostulato in leuis periculi liberationem, ac procedit in signo graui pro grauis periculi liberatione expostulatio: sed cum graue signum pro liberatione grauis periculi indebitè expostulatur, omnes docent, peccatum mortale committi: Ergo etiam committitur, cum leue signum pro leui periculo expostulatur. Maiorē probo: Quia malitia huius vitij in eo sita est, vt opus quis faciat, quod ad nihil aliud est vtile, nisi ad probandam Dei bonitatem, & potestatem: sed ad probationem impertinens est esse opus graue, vel leue: magnum, vel minimum: quodcúmque enim illud sit, si ex illo quis interpretatur, diuinam potentiam examinare, tota malitia & deordinatio tentationis in illo consistit. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 3. l. 1. cap. 2. num. 16.* Et ex parte Sanch. *l. 2. sum. cap. 34. n. 1.* Palaus *tom. 1. tract. 17. d. 1. punct. 1. num. 9.*

710 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam. Nam si tota tentationis malitia consistit in eo, quod diuina potentia videatur examinationi, & probationi subiici, effectu sperato: quo effectus leuior sit, eo maior videtur diuinæ potentiæ iniuria irrogari. Siquidem signo viliori examinatur, & probatur. Præterea committens se leui periculo, & sperans à Deo liberationem: vel illam sperat medio aliquo naturali secundum ordinem à diuina prouidentia statutum; & sic non peccat: vel illam sperat, mutatione aliqua causarum naturalium, & alteratione statutæ prouidentiæ: Ergo nequit intelligi, quomodo signum sperare leue sit. Expende quæso finem, qui in hac interpretatiua Dei tentatione intercedere potest: & ex illo colliges satis eius malitiam. Finis námque vanus est, & illicitus; quia solum est, vel tuæ curiositati, vel temeritati satisfacere. Nam si absque necessitate vis, vt Deus miraculo comprobet aliquam fidei veritatem, tacitè prætendis, vt Deus tuam vanam curiositatem foueat: Efficere ergo Deum authorem, ac cooperatorem vanæ curiositatis, etiam medio signo aliquo leuissimo, grauis irreuerentia est, & longè à diuina maiestate aliena. Idem dixerim si te vitæ, periculo exponas, sperans, à Deo miraculosè esse liberandum, tacitè enim vis tuam à Deo temeritatem foueri. Ergo in hoc vitio materiæ leuitas dari non potest.

* *
*

PROBL. CL.

Purgatio, seu probatio illa innocentiæ in qua dabatur Eucharistia suspectis de crimine, vt illa sumpta se immunes esse à crimine ostenderent: per se licita est & per se non est licita.

711 *Nonnulla suppono.* SVppono, prohibitam esse probationem illam vulgarem ferri candentis, vel feruentis aquæ, quæ olim erat in vsu ad explorandam aliquam veritatem alicuiúsque innocentiam *cap. Memento, cap. Consuluisti, cap. Monomachiam. 2. quæst. 5. cap. 1. & 2. de purgat. vulg. c. p. Ex tuarum, de purgat. canoni.* Quia est probatio aliena ab statuta prouidentia, cum per illam spectetur miraculosus effectus à Deo non determinatus. Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 4. l. 1. c. 3. num. 8.* Lessi. *l. 2. cap. 45. dub. 1. num. 3.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 34. num. 12.* Talis enim probatio verè est tentatio Dei. Neque obstat, Deū sæpè similem purgationem confirmasse miraculis, vt variis exemplis comprobat Delrius *l. 4. disq. Mag. c. 4. q. 4. sect. 3.* Quia id fieri potuit tùm ex speciali Dei instinctu, tum ex quadā simplicitate, & ignorantia, tùm vt innocentia aliqua manifestaretur: tametsi peccatum in tali probatione esset commissum. Nec etiam obstat, quod mulier deprehensa in adulterio aquis pelagi purgabatur *Num. 5.* Quia iam illud medium à diuino prouidentia ad illud effectum erat eo tempore ordinatum, eáque de causa illo vtentes non prætendebant veritatem adulterinis mediis comprobare; sed medio ab ipso Deo ordinato: Ergo nulla esse poterat Dei tentatio. Et idem est, quoties ex diuino instinctu, seu speciali reuelatione quis aliquem miraculosum effectum expostulat. Quia tunc à Deo petit, quod ipse vult à se postulari: Non igitur eum tentat. Quæsierim vero, num purgatio illa, aut probatio innocentiæ per Eucharistiam, in qua suspectis de crimine cœlestis panis porrigebatur, vt eo sumpto sese purgarent: (cuius meminit Concilium Bonacense *c. 5.* & refertur *c. sæpe. & c. vlt. 2. q. 5.*) licita fuerit?

712 *Per se licita, non fuit.* Non fuit licita. Quia manifestè est Dei tentatio. Et Concilium illud eam approbans, vtique prouinciale, errauit: ac per noua iura est correctum. Sic D. Thom. *3. part. quæst. 80. a. 6. ad 3.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 14. punct. 1.* Sayr. *l. 4. cap. 7. num. vlt.*

713 *Licita per se fuit.* Licita fuit illa probatio, maximè authoritate Iudicis Ecclesiastici effecta. Quia nulla ibi Dei tentatio inuenitur, cum non speretur ex sumptione Eucharistiæ effectus aliquis miraculosus. Ita nonnulli Doctores, quos, presso nomine memorat Delrius *l. 4. cap. 4. quæst. 3.* Fauet Suar. *citat. cap. 3. fine*, & Sanch. *vbi sup. numer. 12.*

714 *His hæret Doctrinæ.* Existimo his Doctoribus hærens, nullibi specialiter eiusmodi probationem esse prohibitam, nisi in quantum generatim prohibentur omnia peregrina iudicia *in cap. ex tuarum, de purgat. canon.* Neque vllam esse propriè Dei tentationem, si ex Eucharistiæ sumptione effectus aliquis miraculosus non speratur. Potius enim

enim videtur Eucharistia dari quasi in testimonium, & iuramentum innocentiæ. Attamen monuerim, neque hoc modo dari Eucharistiam oportere, ob sumptionis indignæ periculum.

CAPVT XXXII.

Circa Blasphemiam.

PROBL. CLI.

Dictum contumeliosum debet, & non debet falsitatem continere ad Blasphemiæ rationem.

715 *Recto non-nulla.*

RECTO, Blasphemiam esse contumeliosa verba de Deo dicere. Quæ quidem corde, ore, & scriptura proferri possunt: sicut omnibus illis modis contingit Dei laus, & honoratio, cui Blasphemia opponitur. Cum ergo laus diuina corde, ore, ac scripto fieri possit; eisdem instrumentis Blasphemia potest perpetrari. Vt ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 13. quem omnes sequuntur. Quæsierim autem, num hoc dictum contumeliosum debeat ad rationem Blasphemiæ continere falsitatem?

716 *Debet falsi-tatem continere.*

Debet quidem. Quia Blasphemia Fidei confessioni opponitur, vt tradit D. Thom. *citat. art.* 1. & 4. Sed quidquid Fidei opponitur confessioni, falsum continet. Ergo Blasphemia falsum debet continere. Sic Angelicus Doctor *vbi supr.* Caiet. *ibi.* Arag. *corollar.* 3. Bannes *notab.* 2. Valent. 2. 2. *d.* 2. *quæst.* 13. *punct.* 1. Toler. *l.* 4. *cap.* 12. *num.* 6. Simanc. *de cathol. instit. tit.* 8. *num.* 2. Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 32. *num.* 6.

717 *Non debet necessariò continere falsitatem.*

Minimè debet. Quia verbum in Deum prolatum sufficienter in ratione Blasphemiæ completur, si contumeliosum sit: sed hoc esse potest, licèt nullam contineat falsitatem: vt si Deo malum aliquod quis imprecetur, Christi membra irreuerenter proferat: imprecatio enim illius mali, & horum indecora prolatio, nullam falsitatem continet; quia nihil falsum enunciatur: & tamen sunt Blasphemiæ. Ergò Blasphemia esse potest absque falsitate. Ità Suar. *tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 9. Azor. *tom.* 1. *l.* 9. *cap.* 28. *quæstion.* 1. & 2. & alij.

718 *Quæstionem ferè esse de nomine exi-stimo.*

Existimo, quæstionem ferè esse de nomine: Nam omnes ferè Doctores conueniunt, Blasphemiam esse non solùm verbum enuncians de Deo falsum; sed etiam verbum enuncians verum, si contumeliosè proferatur. Quod autem, quia in actu exercito tale verbum Deum contemnit, & per ipsum indicatur Deum esse contemptibilem, debeat dici, falsitatem continere: videtur planè de nomine quæstio. Fateor tamen cum Castro Pal. *tom.* 3. *tract.* 17. *d.* 2. *punct.* 2. *num.* 2. nimis impropriè ob eam causam Blasphemiæ falsitatem attribui: aliàs etiam odio Dei falsitas esset tribuenda. Quia appetit id, quod Deo nunquam conuenire potest. Assero igitur, de ratione Blasphemiæ non esse falsitatem; sed contumeliam, quæ quomodocúmque verbis contingat, Blasphemiam esse.

PROBL. CLII.

Blasphemia potest, & non potest in solis factis, & signis adesse.

719 *De cordis Blasphemia.*

DIxi *Probl. proximo*, Blasphemiam non exigere externam in Deum loquelam, sed solam internam sufficere. Vt cum quis concipit per simplicem quandam intellectus apprehensionem Deum esse, quod non est: aut non esse, quod est. Atque hæc dicitur Blasphemia cordis: dum verò in loquelam prorumpit, oris Blasphemia dicitur. Vt D. Thom. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. docet. Quæsierim verò, an solis actibus, vel signis possit etiam esse Blasphemia?

720 *Posse eadem in solis factis consistere.*

Potest quidem. Quia non minus factis, & signis, quam verbis praua voluntas ostenditur. Vt si quis imagines conculcet, aut expuat. Sic, citato Beda, Castro *l.* 1. *de iusta hæretic. punit. cap.* 2. Cordu. *in quæstionar. l.* 1. *quæst.* 17. §. 15. *notab.*

721 *Non potest.*

Non potest Blasphemia propriè in factis aut signis consistere, sed in solis verbis mente, ore, vel scripto prolatis. Quia Blasphemia laudi diuinæ opponitur, quæ solis verbis exhibetur: etsi honor quibuscúmque verbis, vel factis. Ità Suar. alios referens, *tom.* 1. *de Relig. tr.* 3. *l.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Sanch. *l.* 2. *sum. cap.* 32. *num.* 5.

722 *Hoc verius error.*

Veriorem hanc partem existimo. Quia Blasphemia communiter vitium linguæ vocitatur. Et quia alias idololatria & similia vitia possent dici verè Blasphemiæ: cum facto ipso negent verum Dei cultum, illúmque creaturæ attribuant.

PROBL. CLIII.

Blasphemia in Deum differt, & non differt specie à Blasphemia in Diuos.

723 *Differt specie.*

SI in Sanctos Blasphemiam iactes absque respectu, & ordine expresso ad Deum, (vt communiter contingit) illa inhonoratio specie differt à Blasphemia in Deum directè prolata. Quia illa inhonoratio opponitur Duliæ, non Latriæ; nã destruit directè honorẽ debitũ Sãctis, nõ debitũ Deo: At Dulia est cultus specie diuersus à Latria: Ergo & hæ inhonorationes. Sic Suar. *tom.* 1. *de Relig. tr.* 3. *l.* 1. *cap.* 5. *n.* 6. Lessi. *l.* 2. *cap.* 45. *dub.* 5. *num.* 33. Palaus *tom.* 3. *tr.* 17. *d.* 2. *num.* 2.

724 *Non differt specie.*

Specie non differunt. Quia vtráque Blasphemia est contraria virtuti Religionis. At vnius speciei est tribuens cultum Deo & Sanctis propter Deum. Ergo vnius speciei est Blasphemia, qua Deus in se, vel in sanctis suis Blasphematur.

phematur. Sicut vnius speciei est iuramentum, quo iuratur per Deũ in se ipso, vel vt in Sanctis relucet. Ita Caiet. *sum. verſ. Blaſphemia, & 2. 2. quæſt. 13. art. 1.* Valent. *1. 2. d. 1. quæſt. 13. punct. 1.* Petrus de Ledeſ. *tom. 1. ſum. tract. 1. cap. 9. concl. 5.* Sanch. *l. 2. Decal. cap. 32. numer. 38.* Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 28. quæſtion. 10.*

725 *Primùm partem amplectior.* Probabilius putarim ſpecie differre. Nec argumentum de iuramento obſtare reor. Quia per ſanctos, vt à Deo diſtinctos, iurari non poteſt. Quia non ſunt teſtes infallibiles veritatis: at benè poſſunt honorari cultu Duliæ, & conſequenter dehoneſtari.

PROBL. CLIV.

Omnes Blaſphemiæ in ratione Blaſphemiæ differunt ſpecie, & ſpecie non differunt.

726 *Diſſentiunt ſpecie.* QVæſtio eſt, an Blaſphemia, qua de Deo perfectionem quis abnegat, vel qua illi tribuit, quod non debet, vel qua malum illi imprecatur, vel indecore nominat: ſpecie differant? Differunt quidem. Quia Blaſphemia, qua Dei potentia, ſeu bonitas abnegatur, differt planè ab ea, qua quis Deo imprecatur malum: prior enim Blaſphemia contrà fidem, poſterior verò contrà Religionem videtur militare: & in ratione Blaſphemiæ ſpecifica malitia alia eſt de Deo abnegare quod eſt, quam ei malum cuius capax non eſt, imprecari. Sic nonnulli, quorum ſententiam Palaus probabilem eſſe innuit, ſiquidem contrariam adſtruens, ait: *Reſpondeo, ſatis probabile eſſe ſpecie conuenire, ſi ſolum malitia Blaſphemiæ conſideretur.* Sic ille *tom. 3. tract. 17. d. 2. punct. 2. num. 3.*

727 *Specie nõ differũt.* Specie nõ differũt. Quia tota malitia Blaſphemiæ ſiſtit in diminutione diuini honoris: quod autem his, vel illis verbis contingat, materiale eſt: & ad rationem formalem Blaſphemiæ per accidens. Sicuti inter homines contingere videtur, in quos ſi varia contumelioſe verba proferantur, omnia illa eiuſdem ſpeciei eſſe, quis abneget? Vt ait Azor & Sa apud Palaum *citatum.* Ita Caiet. *2. 2. quæſt. 13. art. 1.* Bannes *ibi, not. b. vltim.* Aragon. *fine.* Valent. *d. 1. quæſt. 13. punct. 1.* Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 28. quæſt. 10.* Sanch. *l. 2. ſum. cap. 32. num. 38.* Leſſi. *l. 2. cap. 15. dub. 5. num. 32.* Palaus *vbi ſup.* Bonac. *d. 3. de primo Decal. præc. quæſt. 8. punct. 4.*

728 *Hoc mihi ſæpè ſit.* Quocúmque modo Blaſphemiæ proferantur, ſiuè enunciatiuè ſiuè optatiuè, ſiuè imperatiuè, ſiuè per modum maledictionis, ſiuè contumeliæ, ſiue irriſionis, ſiue detractionis (omnibus enim hiſce modis ſcio poſſe Blaſphemiam perpetrari) Blaſphemiæ in ratione Blaſphemiæ vnius ſunt ſpeciei. Quia omnes illæ in hac ratione ſpecifica conueniunt, quæ eſt tribuere Deo, quod ipſi non conuenit, vel quod conuenit, abnegare. Porrò poſſe Blaſphemias aliundè ſpecie differre non abnego. Nam ea, quæ continet hæreſim, manifeſtè differt ſpecie ab illa, quæ non continet, non tamen in ratione blaſphemiæ, ſed ratione hæreſis adiunctæ. Quod ego cum Santio intelligo, etiamſi deficiat aſſenſus internus hæreticus. Nam illa hæreſis externa opponitur directè & propriè confeſſioni externæ Fidei: at Blaſphemia directè & propriè Religioni. Erunt Ergo duo peccata ſpecifica diuerſis ſpecie virtutibus oppoſita. Similiter eſt diſtincta ſpecies, vbi Blaſphemia ex odio Dei formali procederet. Quia vltra ſpeciem Blaſphemiæ eſt ibi formale Dei odium charitati oppoſitum. At vbi non ex hoc odio procederet, ſed ex ira, & tædio, etiam ſi Blaſphemus haberet animum derogandi diuinæ maieſtati, ac ipſi connitia illa inferendi, non eſſet diſtincta Blaſphemiæ ſpecies: ſed hæc eſſet multo grauior Blaſphemia. Quia hæc iniqua voluntas ſiuè formalis, ſiuè virtualis & implicita, eſt de ratione Blaſphemiæ; quare diuerſam ſpeciem minimè conſtituit.

PROBL. CLV.

Explicanda eſt, & non eſt in Confeſſione Blaſphemiarum diuerſitas, vel in Deum, vel in Diuos.

729 *Explicanda eſt.* EXplicanda eſt. Quia ſi in Deum ſint, aut mutant ſpeciem; aut ſaltem aliæ ſunt aliis grauiores: ſed aut ſpeciem mutant, aut intrà eandem ſpeciem addunt grauitatem: Ergò neceſſariò ſunt in confeſſione ſigillatim aperiendæ. Sic nonnulli, qui exiſtimant, (innuente Palao *tom. 3. tract. 17. d. 2. punct. 2. num. 3.*) Blaſphemias in ratione Blaſphemiæ poſſe ſpeciem mutare: & Doctores plurimi, qui docent circumſtantias aggrauantes intrà eandem ſpeciem eſſe farendas.

730 *Explicanda neceſſario non eſt.* Explicanda non eſt. Quia probabilius longè Blaſphemias in Deum vnius ſpeciei eſſe: & Blaſphemias in Diuos ex ſententia ſatis probabili, diuerſam ſpeciem non conſtituere: aggranantes autem circumſtantias in ſententia probabiliore non eſſe neceſſariò in confeſſione manifeſtandas. Ita Palaus *citat. num. 4.* Sanch. *l. 2. Decal. cap. 32. num. 39.* & alij.

731 *Auctoris reſolutio ex rationibus vtrinque.* Equidem ſi ſuſtineamus opinionem illorum, qui affirmant, circumſtantias aggrauantes intra eandem ſpeciem neceſſariò explicandas non eſſe, ſed ſolummodo eas, qui ſpeciem mutant: & inſuper defendamus, omnes Blaſphemias tam in Deum, quam in ſanctos eiuſdem eſſe ſpeciei: non cenebitur Blaſphemans illas diſtinguere Verùm quia longè probabilius eſſe iudicauimus contumeliam in Sanctos prolatam, ſpecialem habere malitiam Duliæ oppoſitam, eo quod Sanctus dignus honore dehoneſtetur, ſiue illa dehoneſtatio Blaſphemiæ coniuncta ſit, ſiue non: ideò exiſtimarim, (etiam poſita illa ſententia quod ſolùm circumſtantiæ mutantes ſpeciem debeant neceſſariò in Confeſſione manifeſtari) huiuſmodi Blaſphemum teneri, hanc diuerſitatem in Confeſſione aperire. Reliquas verò Blaſphemias in Deum prolatas ſuſtineri poteſt, poſita illa ſententia, opus non eſſe diſtinguere eo quod eiuſdem ſpeciei ſint, neque in ratione Blaſphemiæ notabiliter Confeſſarij iudicium mutare videantur. Mecum Leſſi. *l. 2. c. 45. dub. 5. num. 33.* & Suar. *tom. 1. de Relig. cap. 45. num. 39.*

PROBL.

PROBL. CLVI.

Hæreticales blasphemiæ sunt, & non sunt hæ: Denego Deum, Denego Crucem, Denego Euangelia, *cum non absolutè, sed conditionatè quis profert eas, ad alicuius rei testificationem. v.gr.* Denego Deum, si ita non est.

732 *Non sunt.* NOn sunt blasphemiæ hæreticales. Quia de ratione hæreticalis blasphemiæ est, expressa significatio falsi: sed ex vi talis propositionis falsum blasphemus non significat: non enim dicit. Deum non esse; sed offert, se dicturum casu, quo assertum aliter contingat: Ergo hæreticaliter non blasphemat, sed offert blasphemare. Sic Salazar *de vsu & consuet. c. 5. num. 28. vers. Vndè possumus.*

733 *Blasphemiæ hæreticales sunt.* Sunt hæreticales blasphemiæ. Quia blasphemus ille non offert de futuro Deum abnegare, sed de præsenti negat, casu quo aliter se res habeat, quam affirmat. Conditio enim non apponitur ex parte negationis, sed ex parte rei affirmatæ. Negare autem, Deum existere etiam sub conditione cuiuscumque obiecti, est negare, quod Deo est proprium, scilicet, existentiam à quolibet obiecto creato independentem: Ergò qui sic loquitur, hæreticaliter blasphemat. Ita Lessi. *l. 2. c. 45. dub. 5. n. 27.* Sanch. *alios referens, l. 2. Sum. c. 32. num. 24.* Azeue. *l. 8. recopil. tit. 4. lege 1. num. 14.* Conarr. *de pact. p. 1. §. 7. num. 9.* Roias *de hæret. p. 2. assert. 12. num. 173. & 174.* Palaus *tom. 3. tract. 17. d. 2. punct. 3. num. 3.*

734 *Hanc sententiam veriorem puto.* Certè si hæc verba blasphemiæ proferantur: *In Deum non credo, vel Deus est iniustus, si res hæc non est verè, vel nisi te percussero*, licet primo intuitu hæreticalem blasphemiam esse non videantur: quia conditionalis nihil ponit in esse planè esse crediderim. Quia fidei diuinæ omnimodo firmitas abnegatur: cum significetur quasi pendens à conditione contingenti. Et includitur tacita affirmatiua propositio negandę fidei vel iustitiæ diuinæ in eo euentu, in quo non sequatur vindicta illa percussionis: vel veritas illius rei, quam ille affirmat.

PROBL. CLVII.

Hæc propositio: Hoc est verum sicut Deus est in cœlo, vel natus ex Virgine, Credi potest sicut Euangelium: *blasphemia est, & non hæreticalis.*

735 *Est hæreticalis blasphemia.* ASsolet quis huiusmodi propositionem proferre, qua quidem creata veritas seu certitudo diuinæ veritati, seu certitudini comparatur. Quæsierim, num hæreticalis blasphemia sit? Est quidem. Quia illa comparatio diuinæ veritatis adducitur ad firmandam veritatem obiecti creati: hęc autem firmari intenditur æquando veritatem obiecti creati cum diuina: Ergo perpetratur blasphemia non qualiscumque, sed hæreticalis, quæ in eo sita est, ut creaturæ tribuatur, quod Creatoris est proprium. Sic Couarruuias *de pactis 1. p. §. 7. num. 9. vers. 11.* Suar. *lib. 1. de blasph. cap. 6. num. 12.* Barbosa *p. 3. de potest. Epis. alleg. 50. num. 92.*

736 *Non est blasphemia hæreticalis.* Non est hæretica blasphemia. Quia nunquam, aut rarò quis habet intentionem adæquandi infallibilitatem & certitudinem diuinæ veritatis cum creata: sed solùm vult illi aliquam similitudinem adiicere, vsurpareque diuinam veritatem ad hyperbolicam locutionem, & exaggerationem, non ad æqualitatem. Ita Medi. *l. 1. Sum. cap. 14. §. 2.* Alcozer *Sum. c. 15.* Bonac. *d. 4. de præc. 1. qu. 8. puncto 2. num. 13.* Sanch. aliis relatis, *l. 2. Sum. cap. 31. num. 31.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 3. qu. 1.* Ludou. Lop. *p. 1. instruct. c. 28.* Palaus *to. 3. tr. 17. d. 2. pun. 3. n. 4.*

737 *Ab intentione id pendere reor.* Profectò crediderim, horum verborum malitiam omnino pendere ex proferentis intentione. Si enim proferens vellet æqualem cum Deo certitudinem, & infallibilitatem obiectis creatis tribuere, proculdubio blasphemus hæreticus esset. At si non æqualem certitudinem eis tribuere intendit, sed similitudinariam: nec hæreticus, nec blasphemus erit. Igitur existimo, nec esse blasphemum, nec culpam lethalem committere illa vsurpantem verba, dum non constat de blasphemo hæreticali illo animo, omnino æquiparandi. Monet sic Sanctius.

PROBL. CLVIII.

Hæc propositio: Renego D. Petrum, Antonium, *&c. est, & non est hæreticalis blasphemia.*

738 *Non est.* NOn est. Quia non negatur de Sanctis aliqua veritas ad Fidem pertinens: ideò Inquisitores de huiusmodi blasphemia non cognoscunt. Sic Sanchez *l. 1. Decal. cap. 32. numero 36.*

739 *Est quidem.* Est quidem hæreticalis blasphemia, maximè si negatio esset de his Diuis, de quibus per sacram Scripturam constat Sanctos esse, & cum Christo regnare. Quia hos denegans, denegat existere, esseque beatos, sed hoc est negare quandam Fidei veritatem, cum sit de Fide Diuum Petrum (v.gr.) existere, esseque beatum. Ergò. Præterea tacitè negat Ecclesiæ propositionem esse infallibilem. Ita Palaus *tom. 3. tract. 17. d. 2. pun. 3. num. 5.*

740 *Idem assero.* Amicissimi Palai hæreo sententiæ, quam probabiliorem esse iudico: Nec enim obstat, Inquisitores de hisce blasphemiis non cognoscere, Quia fortè id gerunt, eo quod illis exploratum non sit, hæreticales esse.

PROBL. CLIX.

Hæc propositio, aut iuramentum: Per vitam Dei, Per vitam D. Petri: *est, & non est blasphemia.*

741 *De blasphemiis non hæreticalibus.* PRæmitto blasphemias non hæreticales ad duo genera reduci. Primũ est, in quo aliquid malum

malum Deo, vel Sanctis quis imprecatur. Secundum, in quo indecorè, & inhonestè aliquid ipsius audet nominare. Ex primo capite sunt blasphemiæ *Videat Deum, Deum pœniteat, sit maledictus.* At cum flagellum Dei tabernaculo appropinquare non possit, grauissima blasphemia est, ea illi optare, & imprecari. Suar. *l.1. cap.4. num.7.* Idem est, si quis dicat, *Sive Deus velit, sive non velit, hoc sum facturus:* quod vulgò dixeris: *Aun que le pese a Dios, ha de ser esto.* Saltem enim ex modo dicendi eius potentiæ derogatur. Tolet. *l.4. c.13.n.6.* Quæsierim verò, an sit blasphemia, iurare per vitam Dei, per vitam D. Petri, aut aliorum Sanctorum?

742 *Blasphemia est, Per vitam Dei, Per vitã Sanctorum.* Blasphemia est. Quia est iuramentum execratorium, & hunc reddit sensum: Pereat Dei vita, illamque vltioni, ac vindictæ adstringo, si res ita non sit. (idem de Sancto dixerim.) Quid ergo magis blasphemum esse potest, quam vitam Dei, aut Sanctorum tùm defectioni, tùm vltioni exponere? Sic Suar. *tom.1. de Relig. tr.3. l.1. cap.5. num.8.* Bonac. *d.3. de præc.1. Decal. qu.8. pun.2.* Couar. *de pactis, p.1. §.7. num.9.* Azor. *tom.1. l.11 c.p.3. qu.2.* Sanch. *l.2. Decal. cap.32.n.15.* Menoch. *l.2. de arbitrar. casu 375. num.12.* & alij communiter.

743 *Non est blasphemia.* Blasphemia non est. Quia probabile est hasce propositiones, *Per vitam Dei, Per vitam Petri*, non esse iuramenta execratoria, sed assertoria simpliciter: sicut si diceres, *Viuit Deus, viuit D. Petrus.* Adducit enim sic iurans Deum viuentem, & resplendentem in vita sua, seu D. Petri in testem. Ergo probabile etiam erit, non esse blasphemiam. Ita Decius defendit, cuius sententiam probabilem esse Palaus asserit *tom.3. tract.17 d.2. pun.3. num.6.*

744 *Auctoris placitum.* Existimo, non carere probabilitate hæc iuramenta blasphema non esse ob secundæ sententiæ fundamentum. Ast ego cum Palao primam sententiam longè probabiliorem esse iudico, siue per Dei vitam: (quod horrent aures) siue per vitam alicuius Sancti iuramentum fiat: nam qui sic iurat, denotat vel Deum, vel Diuos vitam posse amittere, quod admodum blasphemum est. Attamen non abnego, posse aliquandò intentione iurantis huiusmodi assertionem à blasphemia liberari: sed non à graui crimine ob audientium scandalum. Porro de illis verbis: *Pesia tal, Reniego de tal, Por vida de tal, Mal aia tal*, &c. absque Dei expressione, vel Sanctorum, vt sint blasphema, pendere putarim ex proferentis intentione: & in externo foro ex circumstantiis: præsumendum tamen, non esse ex animo blasphemandi prolata. Quia illamet continentia, & suppressio nominis Dei, aut Sanctorum, indicat, nolle huiusmodi verba de Deo, aut de Diuis intelligi. At in casu dubio, haud est gerenda interpretatio inferens delictum, sed potius ab illo excusans. Vnde grauis scandali ansa externè non datur.

PROBL. CLX.

Blasphemia est, & blasphemia non est creaturarum maledictio.

745 *Est blasphemia.* BLasphemia est. Quia videtur Deus ipse in eis maledici: qui autem maledicit creaturam eam maledicit vel ob malitiam qua noxiè operatur, vel in quantum creatura est. At licèt in creaturis rationalibus possit esse huiusmodi præcisio, quia ex malitia damnum valent inferre: in irrationalibus nequit fieri. Vnde eas maledicere ex intentione, blasphemia est: tunc enim maledictio refunditur in Creatorem. Sic D. Tho. 2.2.q.76.a.2. Tolet. *l.4. c.13.n.11.* Lessi. *l.2. c.45. dub.5.n.29.* Bonac. *d.3. de præc.1. Decal. q.8. pun.2.n.5.*

Non est blasphemia. Quia non solum respectu creaturarum rationalium, sed etiam irrationalium potest geri illa præcisio, vt scilicet maledicantur non vt sunt Dei creaturæ, sed propter incommodum, quod inferunt. Et quisnam est tam infanda iracundia percitus qui rationales aut irrationales creaturas quatenus creaturæ sunt, maledictione audeat vulnerare? Ita Palaus *to 3.tr.17.d.3.pun.3.n.6.* Sanch. *l.2. Decal. c.32. num.14.* 746 *Blasphemia non est.*

Certè si quatenus creaturæ sunt, maledicerentur homines, brutæ, & inanimatæ creaturæ, blasphemiam esse grauissimam non dubito, quia tunc maledictio in Creatorem refunderetur. Ast si creaturæ siue rationales, siue irrationales, sine respectu ad Deum maledicantur blasphemia non erit: imo nec est peccatum mortale, sed veniale tantum, si absit alterius iniuria, vel absque animo fiant. Et in hoc sensu iudico proculdubio, primæ sententiæ Doctores loqui. Vnde Problema necessum est conuerte. Addo cum Lessio, nullum esse peccatum, si creaturæ maledicantur, quatenus nobis occasio peccandi, vel alicuius grauis calamitatis extitere. Quia tunc non tam ipsæ creaturæ, quam occasio peccati, seu calamitatis maledicitur. Dixi, quando creaturæ sunt alicuius grauis molestiæ occasio: nam ob leuem molestiam non licebit sic maledicere; aliàs multi maledicentes animalia, ventos, pluuias, à peccato excusarentur: quod dicendum non est. Tametsi regulariter loquendo solùm peccatum veniale patrabunt; quia si animalia sic noxia non sint, abest animus, vt talis maledictio executioni mandetur. 747 *Hæc vnicè vtrã eam, idemque seruire debere Doctrinæ prima sententiæ assertæ.*

PROBL. CLXI.

Blasphema sunt, & non sunt blasphema iuramenta, Per corpus Dei, Per Dei sanguinem, per caput, per capillos, per pedes.

748 *Blasphema sunt.* BLasphema sunt. Quia denotatur, Deum in sua diuinitate hæc membra habere. Deus namque absolutè prolatus, non pro Christo, sed pro tota Trinitate sumitur: & consequenter iam attribuitur ei quod non habet. Sic grauissimi Doctores apud Farinac. *l.1. pract.q.20.n.18.* quos ipse sequitur.

749 *Non sunt blasphema.* Non sunt blasphema, si cum debita reuerentia proferantur. Quia postquam Verbum Dei nostram induit mortalitatem Homo factus, cum hæc membra Deo tribuuntur, supponunt Deum non pro tota Trinitate, sed pro secunda Trinitatis persona humanitati vnita. Ita alij plures Doctores, quos Farinacius refert, & sequitur Palaus *tom.3. tract.17. d.2. puncto 3. num.* numero 7.

Vt

750 *Quid opinor circa huiusmodi iuramẽta, expono.*

Vt autem nullus apud te maneat scrupulus, secundæ hærens sententiæ, quid circa huiusmodi verba sentiam, vberius expendam. Iuramentum per Christi Domini (horreo dictitare) pudenda, & Sanctorum horribilis blasphemia est. Qui sic iurans ex ipso iurandi modo intendit contemptibilem, & despicabilem Christum facere. Nominare autem, vel iurare per membra Christi honesta, scilicet per eius caput, corpus, & sanguinem, blasphemia erit, si per modum contemptus, aut irrisionis proferatur: eaque de causa *lex 6. tit. 4. l. 8. nouæ recopil.* præscribit, sic iurantem pœnis blasphemi plecti. At si non per modum vituperij, & conuitij: sed ad magnam veritatis exaggerationem, hæc verba vsurpentur, blasphema non erunt, & fortè (nisi adsit scandalum) culpa carebunt; quia neque in substantia, neque in modo dicendi Deo sunt ignominiosa. Mecum Sylvest. *v. Iuramentum 2. fine.* Valent. 2. 2. *d. 6. q. 7. pun. 3.* & Sanch. aliis relatis, *l. 2. Decalog. cap. 32. num. 29.*

PROBL. CLXII.

Iuramentum per intemeratam Deiparæ Virginitatem, est, & non est blasphemia.

751 *Est blasphemia.*

BLasphemia quidem est. Quia videtur esse iuramentum execratorium, atque beatissimam Virginem, si res aliter sit, quam enunciatur. Tum quia irreuerenter eius Virginitas nominatur. Sic Couar. *de pactis, p. 1. §. 7. num. 9.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. cap. 375. n. 15.* Azeuedo *libro 8. recopil. titulo 4. leg. 5. numero 11.*

752 *Blasphemia non est.*

Blasphemia non est. Quia ibi nec beatissima Virgo, nec eius Virginitas execratur, nec aliquid illius ignominiosè refertur: sed Deus in illa Fidei veritate in testem adducitur. Ita Sanchez *l. 1. Decal. cap. 32. num. 32.* Pala. *to. 3. tr. 17. d. 2. punct. 3. num. 8.*

753 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Hoc enim in casu accidere potest, quod in iuramento per Christi Natiuitatem, eiusque mortem euenit. Quod quidem absque vlla blasphemia, imo & peccato fieri potest.

PROBL. CLXIII.

Blasphemum est, & non est blasphemum omne iuramentum falsum, vel iniustum.

754 *Non est blasphemum iuramentũ hoc.*

BLasphemum non est. Quia sic iurans non æstimat, Deum posse testem esse falsitatis, aut iniustitiæ assecuratorem: neque id intendit; imo potius speret, Deum non esse testificaturum super re illa, per aliquod euidens signum. Sic Sanch *lib. 2. Moral. cap. 32. n. 33.* ex D. Thoma, *2. 2. qu. 13. a. 3. ad 2.*

755 *Blasphemum est.*

Est blasphemum. Quia qui falsò iurat, Deum testem & confirmatorem falsi efficit: & qui iurat contra iustitiam, Deum proponit assecuratorem iniustitiæ: Ergo illis verbis Deo tribuitur: quod ei nulla ratione potest conuenire: Ergo sunt blasphema. Si enim elatis verbis quis diceret: Firmet Deus suo testimonio hanc falsitatem, vel iniustitiam: blasphemus procul dubio esset: sed eundem sensum habent falsa & iniusta iuramenta: Ergo blasphema sunt. Ita Palaus arguit pro hac parte, licet non omnino ferat sententiam. Ait enim *Proposui dubium, tibi decidendum relinquo.*

Profecto tanti Doctoris amicissimi authoritate nitens, decidere audebo. Omnia iuramenta falsa, & iniusta, si speculationem spectes, Blasphema esse ob præfatam rationem, cui non obstat, quod iurans speret, nunquam Deum asserturum esse falsitatem, aut aliquo signo esse eam manifestaturum: sufficit enim, si eam assertionem, assecurationemque petat. Ast in praxi primam sententiam veriorem esse duco. Nunquam enim peierans, aut iniustè iurans reus esse blasphemiæ, aut pœnis eius subiici reputatur. 756 *Auctoris resolutio.*

PROBL. CLXIV.

Præter fraternam correctionem iure naturali requisitam, debet, & non debet audiens blasphemantem reprehendere, siue blasphemus illa obiurgatione corrigendus sit, siue non.

DEbet quidem. Quia in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* dicitur. *Quicumque blasphemantem audierint, eum grauiter verbis obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingat.* At fraterna correctio non videtur esse acris obiurgatio ad emendationem delinquentis directa: sed potius ad illius punitionem, & in satisfactionem audientium: Ergò audiens blasphemantem, non satisfacit, si fraternè corrigat. Sic Lessi. *l. 2. cap. 44. dub. 5. in fine.* Petr. de Ledes. *tom. 1. sum. cap. 9.* Ludou. Lop. *p. 1. instruct. cau. 51.* Nauar. *cap. 12. Sum. num. 83.* 757 *Debet quidẽ.*

Non debet. Quia esto in Concilio ius nouum statuatur, mandeturque audientibus, vt blasphemantem obiurgent, tametsi emendandus non sit: consuetudine hoc decretum est abrogatum. Vnde audientes non adstringuntur alia obligatione præter fraternæ charitatis præceptum, quo debent delinquentem corrigere, si ex correctione fructus speretur. Ita Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 28. qu. 7.* Sanch. *l. 2. Sum. c. 32. n. 46.* Pala. *tom. 3. d. 1. p. 2. §. 4. num. 2.* Bonac. *d. 3. de præc. 1. Decal. qu. 8. punct. 1.* 758 *Non debet.*

Fateor, rem esse dubiam, num Concilium voluerit ius nouum adstruere, an solùm obligationis naturalis recordari, eamque confirmare, qua publicè peccantes arguere, & obiurgare tenemur, si ex obiurgatione fructus speretur. Neque obstat, quod expressè huius fructus non meminerit. Omisit enim, quia in omni reprehensione supponebatur, ad illius obligationem deberi fructum sperari. Vnde ex hoc capite probabilem esse satis existimo partem primam. Attamen quia video ex 759 *Quid in re dubia quidem dicendum esse pono.*

consuetudine hoc decretum esse abrogatum, vt probabiliorem eligo secundum. Vnum tamen omninò certum esse crediderim, si honor diuinus periclitetur ob Blasphemiarum licentiam, & nos commodè possimus illum obiurgatione defendere grauiori, quam petit fraternæ charitatis naturale præceptum, ex præcepto Religionis obligamur. Tenemur enim hæc mala auertere, & Deum innocentissimum defendere, quoad fieri possit. Accepi ex Santio *citato*, *num.* 9.

PROBL. CLXV.

Blasphemus post condemnationem, est, & non est tanquam infamis à testimonio repellendus.

760 *De variis Blasphemiis nonnulla præmitto.*

SVppono, audientes Blasphemiam, obligari Blasphemum denunciare, seruatis regulis, quas de correctione fraterna suo loco trademus: Hæreticales quidem Blasphemias Iudicibus Fidei sunt denunciandæ, non hæreticales verò Episcopo, vel sæculari Iudici: si Blasphemus sit laicus. Si autem vnus Iudex procedit, & pœnam delicto adæquatam imponit, non potest alius procedere. Verùm ipso iure nulla est huic crimini pœna imposita: imponenda tamen à Iudice multiplex est, tam iure ciuili, quam Canonico. Iure námque ciuili Blasphemis erat olim mortis pœna imposita, quæ non habebat locum nisi in Blasphemante ex consuetudine; sed iam hæc pœna ex consuetudine est abrogata. Iure verò Canonico variæ pœnæ impositæ sunt, Laicis *in cap. 2. de maledic.* Clericis *in cap. si quis per capillum, 22. quæst. 1.* vbi afficiuntur pœna depositionis, in Concilio Lateran. sub Leone X. *sess. 9.* & in constitutione Iulij III. quæ incipit, *In multis deprauatis*, & in alia constitutione Pij V. incipiente, *Cum primum Apostolus.* Variæ tam pro Clericis, quam pro laicis pœnæ designantur; sed has constitutiones Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1. cap. 7. num. 3.* vsu non esse receptas. Quaproper in punitione huiusce criminis spectandæ sunt constitutiones, ac statuta ciuitatum, & præcipuè consuetudo recepta, & iuxta eam iudicandum. Porrò pro hæreticalibus Blasphemiis abiuratio indicitur tanquam de crimine suspectis. Pro aliis seruanda est Pij V. constitutio. Iudex verò attendere debet delicti qualitatem, vt augeat pœnam, aut illam imminuat, si autem delinquens, Blasphemiam incontinenti retractauerit, nulla, vel leuissima pœna est afficiendus. His præmissis, quæsierim, num Blasphemus post condemnationem ex lege ciuili, aut Canonica repellendus sit tanquam infamis à testimonio ferendo?

761 *Repellendus non est.*

Minimè repellendus. Quia ex iure ciuili non reputatur infamis, *l. Famosi, Digest. ad leg. Iuli.* ibi: Lubricum linguæ non debet facilè trahi ad pœnam. Ex facto autem non potest dici infamis; quia hæc infamia pœnitentia, ac tractatione criminis aboletur. Sic Bald. *cons. 152. l. 1.* quem sequuntur. Aymon. & Sauillian. quos refert Pala. *citandus.*

762 *Est repellendus.*

Repellendus quidem est. Quia eius testimonium non est vndequaque firmum, sed diminuitur ex delicto patrato, tametsi supplicio iam affecto. Negari enim non potest, ex obiectione Blasphemiæ testimonium aliqua ex parte imminui, neque esse ità solidum, ac si nihil obiici posset. Ità aliis relatis Couar. *Epito. decret. part. 2. cap. 8. §. vltim. num. 7. & 8. & ad cap. Quamvis pactum, de pactis part. 1. §. 7. num. 11.* cum Alexandro, Decio, ac Thom. Grammat. Palaus *tom. 3. tract. 17. d. 2. punct. 2. §. 5. num. 6.*

Idem affirmo. Quia testis omni exceptione maior est ille, cui nihil obiici potest, quod suspicionem ingerat falsitatis: Ergo Blasphemus, cui hoc graue delictum obiici potest, non censetur testis omni exceptione maior. Attamen hoc intelligendum puto, dum recens fuit Blasphemia, illiúsque declaratio. Nam si longum tempus transierit, verbi gratiâ duobus, vel tribus annis, in quibus constat de illo vitio esse correctum, censuerim, ob eam causam illius testimonium non infirmari, quod apertè probat primæ sententiæ fundamentum. 763 *Idem affirmo cum limitatione.*

PROBL. CLXVI.

Domini Inquisitores cognoscunt, & non cognoscunt de Blasphemiis non hæreticalibus.

764 *De Blasphemiis hæreticalibus, & non hæreticalibus plura præmitto.*

IN verioremrei expositionem præmitto, quasdam Blasphemias esse hæreticales, quasdam non hæreticales. Hæreticales sunt, quæ significant, ac continent aliquid contra Fidem. Non hæreticales, quæ etsi ex dicendi modo, & in actu exercito significent contrà Fidem errorem, non tamen secundum se aliquid contra Fidem affirmant. Vel clarius, tunc est hæreticalis Blasphemia, quando per verbum aliquod indicatiui modi aliquid Fidei contrarium asseritur. Quando verò id non asseritur per huiusmodi verbum, sed optando, aut imprecando, non est hæreticalis. Exemplum hæreticalium sit: *Deus est iniustus, Personarum acceptor, Non est omnipotens. Non credo in Deum, Renego Deum. Crucem, Christum, Deiparæ puritatem.* Quia verba hæc per modum indicatiui important Fidei abnegationem, & infidelitatem. Quando autem de sanctis renegatur, existimo cum Santio *l. 2. Decal. cap. 22. num. 36.* non esse Blasphemiam hæreticalem. Quia non abnegatur aliqua veritas, quæ pertineat ad Fidem; sed tantùm est verbum quoddam contumeliosum in sanctos, & ideò Blasphemum. Exempla verò Blasphemiarum non hæreticalium sunt hæc. Quæcúmque Dei maledictiones, vt *Maledictus sit Deus, Tædeat Deum*, seu *Pesele à Dios. A despecho de Dios, Aunque le pese à Dios.* Quia per has Blasphemias cum indicatiui modi non sint, nil falsum de Deo dicitur, vt possint hæresim continere; sed tantùm prauus affectus erga Deum Blasphemantis ostenditur, volentis quidem ex modo dicendi quasi earum ignominiarum reddere Deum capacem. At hæreticales essent, si per modũ indicatiuum Blasphemans Deum esse illarum capacẽ assereret. Addo ex Suario esse Blasphemiam hæreticalẽ falsa Deo tribuere licèt nõ affirmẽter; v. g. *O Deũ iniustũ!* & creaturæ attribuere, quod solius

solius Dei : vel de iis, quæ Deo conueniunt, dubitationem ostendere. Igitur iam quæsierim, vtrum Inquisitores de solis blasphemiis hæreticalibus cognoscant, an etiam de non hæreticalibus.

765 *Inquisitores de non hæreticalibus blasphemiis cognoscunt.* Non solum cognoscunt de hæreticalibus sed etiam de non hæreticalibus cognoscunt. Quia id habent ex potestate delegata, aut de Regni Hispanici consuetudine. Id autem possunt cumulatiuè cum Iudice Ecclesiastico ac seculari, ita vt inter ipsos detur præuentioni locus. Sic Castro *de iusta hæret. punit. cap. 12. fine*, Cordu. *qq. l. 1. quæst.* 17. §. 15. *not. ab.* 4.

766 *Non cognoscunt de non hæreticalibus* De solis blasphemiis hæreticalibus Inquisitores cognoscunt : & de his priuatiuè, nempè inhibendo quemcúmque alium Iudicem Ecclesiasticum, aut sæcularem, nè de illis cognoscat. Quia cognitio, & supplicium huiusmodi blasphemiarum solummodo pertinent directe ad Fidei integritatem, quam Inquisitorum tribunal debet tueri. Ita Simãc. *de cathol. instit. tit.* 8. *n.* 6. Eymericus, & Penna, quos refert, ac sequitur Sanch. *l.* 2. *sum. c.* 32. *n.* 37.

767 *Hoc certum crederim.* Hoc certum esse putarim, & minus bene Castrum & Cordubam contrarium asseruisse crediderim. Nam Ferdinand. de Castro Palao de Sacro Inquisitionis Tribunali optime meritus, id ab Inquisitioribus exaudiuit, Scio, alia blasphemias mixti fori esse, ideóque dari præuentioni locum ad cognitionem causæ inter Iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem. Vt per *cap.* 1. *de maledicis* docent Abbas, *ibi, numer.* 9. Couar. *de pactis, p.* 1. §. 7. *n.* 12.

CAPVT XXXIII.

Circà Sacrilegium crimen Religioni oppositum.

PROBL. CXLVII.

Simonia est, & non est Sacrilegium.

768 *Aliquid supponitur.* REcole ex *sect.* 1. Sacrilegium sic à D. Tho. 2. 2. *q.* 99. *a.* 1. definiri. *Est Sacræ rei violatio.* Nomine autem rei Sacræ intelligi illam, quæ lege diuina, vel Ecclesiastica in Dei est destinata cultum. Qui ergo huic cultui contrauenerit, rem Sacram violabit, & Sacrilegium committet. Quæsierim vero, vtrum simonia sit Sacrilegium.

769 *Non est sacrilegium.* Non est. Quia illa rei Sacræ violatio debet fieri per actionem inuoluntariã illius cuius res est : cum autem contra voluntatem Dei fiat, quoties res sibi dicata malè tractatur, efficitur Sacrilegium committi : At simonia fit consentiente parte, cuius res est : Ergo simonia non est Sacrilegium. Item quia D. Thomas, & Doctores agunt de simonia separatim à Sacrilegio : Ergò innuunt, à Sacrilegio distingui. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 99. *a.* 1.

770 *Sacrilegiũ est.* Est quidem. Quia consensus partis non tollit, quin res Sacra indecenter tractetur, & Deus in huiusmodi indecenti actione offendatur : Ergò non tollit, quin verè fit Sacrilegium, Ità glossa ad *cap. Audiuimus* 1. *q.* 3. Lessi. *l.* 2. *cap.* 45. *dub.* 2. *numer.* 8. Suar. *to.* 2. *de Relig. tract.* 3. *l.* 3. *cap.* 1. *numer.* 6. Palaus *to.* 3. *tract.* 7. *d.* 2. *pun.* 3. §. 1. *num.* 3. Azor. *tom.* 1. *l.* 9. *c.* 27. *q.* 8.

771 *Auctoris resolutio.* Fateor ingenue, sacrilegium committi per actionem inuoluntariam illius, cuius res est, sed in cuius cultũ est. cicata, sed abnego inde inferri, simoniãve tè & propriè sacrilegium nõ esse : quia cõtra voluntatẽ Dei emitur, & venditur Sacrum. Neque obstat in tali venditione homines consentire. Aliàs si Episcopus consentiret, locum Sacrum profanari, res alienari Sacras, Clericos, ad sæculare tribunal adduci : sacrilegium non committeretur : quod dicendum non est. Ergò consensus partis sacrilegium non tollit. Cæterum D. Tho. & Doctores de simonia separatim à sacrilegio agunt, non quod simonia sacrilegium non sit, sed quia lata simoniæ materia & specialis eius est ratio.

PROBL. CLXVIII.

Sacrilegium est, & non est sacrilegium, legatorum retentio.

772 *Nonnulla sic tenuo.* D. Tho. 2. 2. *q.* 99. *a.* 3. docet, tertium genus sacrilegij, quod per antonomasiam *rei Sacræ* violatio dicitur multiplex esse pro rerum Sacrarum, quæ violari possunt, varietate. Quas enumerans Doctor Angelicus, primo loco Sacramenta constituit. Secundo vasa Sacra, imagines, & sanctorum reliquias : quibus addo scripturam Sacram, & ceremonias in Dei cultum destinatas. Tertio Ecclesiæ ornementa, ac Ministrorum vestes. Quarto, bona Ecclesiastica in Ministrorum deputata sustentationem. In his enim omnibus Deus colitur, & consequenter eorum iniqua tractatio est sacrilegium. Igitur circa quartum hoc genus bonorum Ecclesiasticorum, do quæstioni, an retentio legatorum ad Ecclesiam pertinentium sit sacrilegium ?

773 *Sacrilegium est.* Sacrilegium est. Quia hæc sunt ab Ecclesia in cultum diuinum remotè destinata, quatenus in Ministrorum sustentationem sunt insumenda. Sic Lessi. *l.* 2. *cap.* 45. *dub.* 3. *numer.* 18.

774 *Non est sacrilegium.* Non est sacrilegium. Quia si retinentur, non erunt tradita Ecclesiæ : vndè licet iniustitia sit illa retinere, non tamen erit sacrilegium, nec alia species peccati : non enim adhuc sunt facta bona Ecclesiæ, quorum alienatio specialiter est prohibita. Ità Farinac. *q.* 178. *n.* 45. Palaus *to.* 3. *tr.* 17. *d.* 2. *pun.* 3. §. 2. *n.* 10.

775 *Cum his opinor.* Scio idem iudicium de Decimis ac de legatis P. Valentiam 2. 2. *d.* 6. *q.* 15. *pun.* 1. gessisse. Quod minime admittam. Quia non solum iniustitia committitur in illarum retentione, sed etiam irreligiositas aliquomodo sacrilegio deterior. Nam solutio decimarum est formalis Dei cultus ; fit enim in recognitionẽ supremi dominij. Ergo earum retentio irreligiosa erit, vt potè huic cultui diuino opposita

priuatiuè: sicut est opposita omissio sacrificij, si alicui præscriptum ab Ecclesia fuisset, offerre. Potrò, circa legata secundam sententiam veriorem esse duxerim.

PROBL. CLXIX.

Furtum, & rapina bonorum titulo Ecclesiastico acquisitorum, est & non est Sacrilegium.

776 *Sacrilegium est.* SAcrilegium est. Quia licèt ea bona Ecclesiastica absolutè non sint, sunt tamen Ecclesiastico titulo acquisita, vndè videntur Ecclesiastica fieri. Nam Ecclesia ex propriis bonis sacris scilicèt suis Ministris reddit impensas ad sustentationem. Adde, furto huiusmodi ipsam personam Ecclesiasticam lædi: At læsio personæ Ecclesiasticæ Sacrilegium est: Ergo furtum, quo personæ Ecclesiasticæ offenduntur, est Sacrilegium. Sic Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 15. punct. 1.* & alij Doctores, quos præsso nomine, memorat Palaus *citandus.*

777 *Non est Sacrilegium.* Non est Sacrilegium. Quia per huiusmodi furtum, seu rapinam personæ Ecclesiasticæ haud specialiter offenduntur: eo quod nullibi inueniantur à iure Ecclesiastico in hoc crimine offensæ magis quam sæculares. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 3. cap. 2. num. 8.* Azor. *tom. 1. l. 9. cap. 27. quæst. 3.* Pala. *tom. 3. tract. 17. d. 2. punct. 3. num. 2.*

778 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem mentis sum. Vnde assero, si bona quæ quis furatur, non sunt Beneficiarij, sed Ecclesiæ, eum qui furatur, Sacrilegium committere. Quia quælibet illarum alienatio sinè debita solemnitate prohibetur. Sed hoc Sacrilegium non est aduersus personam Ecclesiasticam, sed aduersus rem sacram. Atsi ipsius Beneficiarij bona sint licèt iure Ecclesiastico acquisita, non pertinent ad Ecclesiastica bona, quæ huiusmodi gaudent immunitate.

PROBL. CLXX.

Sacrilegium est, & non est Sacrilegium cuiuscúmque voti violatio.

779 *Certa suppono.* FOrnicatio, ac similis turpitudo, si à persona Ecclesiastica fiat, est Sacrilegium. Quia personas Ecclesiasticas maximè dedecet: ratione enim sui status ab huiusmodi macula conuenit esse immunes. Quod à fortiori militat in iis personis Ecclesiasticis, quæ speciali voto obligantur, ab iis delectationibus abstinere; quales sunt ordine sacro insignitæ, ac Religiosæ. Hæ vtique per votum corpus suum & animam Deo offerunt, ac consecrant, redduturque ex hoc capite quasi sacratæ: Ergò cõtra faciens, Sacrilegium committit; quia rem diuino cultui destinatam violat. Quæsierim verò, num cuiuslibet voti violatio sit Sacrilegium?

780 *Sacrilegium est.* Sacrilegium est. Quia eo ipso, quod res per votum Deo dicata sit, iam est iure diuino in Dei cultum destinata: Ergo contra faciens, sacrum lædit: est ergo Sacrilegus. Sic Doctores communiter cum D. Tho. *2. 2. q. 114. art. 1. & quæst. 99. art. 1.* Caiet. *ibi*, Valent. *d. 6. quæst. 15. punct. 1.* Lessi. *l. 2. cap. 45. dub. 3. num. 11.* Azor. *part. 1. l. 9. cap. 27. quæst. 5.* Bonac. *d. 3. de prac. 1. Decal. quæst. 6. punct. vni. num. 3.*

781 *Non est Sacrilegium.* Non est Sacrilegium. Quia per violationem voti Deus in se offenditur, cui vouens infidelis est: sicuti offenditur per periurium, per Blasphemiam, per omissionem Missæ in die festo, & similia: sed iniuriæ, quibus Deus immediatè offenditur, sunt in alia specie à Sacrilegio distincta: Ergo violatio voti in alia specie à Sacrilegio distincta constitui debet: quæ nulla est alia nisi perfidia fidelitati opposita, de quo alibi. Ità Suar. *tom. 1. de Relig. tract. 3. l. 3. cap. 3. n. 1.* Pala. *tom. 3. tract. 17. d. 1. punct. 3. §. 2. num. 2.*

782 *Hoc mihi probabilius, quod superius expendo.* Mihi probabilius est, violationem voti non in specie rigorosa Sacrilegij, de qua in præsenti; sed in specie perfidiæ, esse constitutam. Neque enim obstat. per votum quodlibet rem promissam in Dei cultum destinari, vt ideo affirmemus, Sacrilegium esse illius violationem. Quia cum non destinetur in alium cultum, nisi in illius voti executionem, & obseruationem fidei datæ: non potest illius violatio aliam trahere malitiam, nisi infidelitatis. Certè non sufficit, turpitudinem dedecere Ecclesiasticas personas, maximè si Sacerdotali fulgeant dignitate, vt indè affirmemus, quamlibet turpitudinem ab ipsis commissam esse Sacrilegium: aliàs furta, homicidia, detractiones, & quælibet alia peccata essent Sacrilegium; quia omnia illa maximè dedecent Ecclesiasticas personas, præcipuè Sacerdotes. Verùm quia hæc generalis indecentia, & repugnantia non infert specialem prohibitionem; ideò ad speciem Sacrilegij non transeunt, sed intra propriam speciem grauiora fiunt. Sic dixerim de fornicatione, & qualibet alia turpitudine, si voti obligationem secludamus: licèt enim quaslibet personas Ecclesiasticas hæc maximè dedeceant; quia tamen ex vi consecrationis speciali lege non prohibentur ab iis abstinere: ea de causa Sacrilegia non fiunt. Vocatur autem hæc infidelitas Sacrilegium: quia omnia vitia Religioni opposita hoc nomine nuncupantur; non quia propriè Sacrilegium sint, qualiter in præsenti vsurpamus.

PROBL. CLXXI.

Irreuerentia in Eucharistiæ Sacramentum, est, & non est irreligiositas alia à Sacrilegio distincta.

783 *Statuum quæstionis expono.* MEritò D. Thom. *2. 2. quæst. 99. art. 1.* agens euoluens tertium Sacrilegij genus, quod rei sacræ violatio dicitur, primo loco constituit Sacramenta: quia nulla res est illis sanctior. Tenemur ergò ea dignè tractare tam administrantes, quam suscipientes: alias rei crimus Sacrilegij. Solùm de sanctissimo Eucharistię Sacramento quæsierim, an eius irreuerentia sit irreligiositas alia distincta à sacrilegio, & eiusmodi rationis cùm ea, qua Christus Dominus in se ipso offenderetur?

784 i Est irreligiositas distincta. Quia Christus in

Irreligiositas distincta.

in Eucharistia eadem adoratione latriæ adoratur, & eadem reuerentia colitur, ac colitur, & adoratur in propria persona, vt tradit Tridentinum *sess. 13. c. 5. & 6.* Ergo irreuerentia facta Eucharistiæ est irreuerentia eiusdem rationis cum irreuerentia facta Christo in propria persona. Quod confirmo ex Paulo 2. *Cor.* 11. affirmante, reum esse *Corporis & Sanguinis Domini*, qui indigne absumit Eucharistiam. Ergo irreuerentia in Eucharistiam aliam irreligiositatis constituit speciem. Sic Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. cap. 6. numer. 1. & 2.*

785 *Non est distincta irreligiositas.*

Non est distincta irreligiositas, sed Sacrilegium propriè, tametsi omnium grauissimum. Quia negari non potest, irreuerentiam factã Eucharistiæ esse in specie Sacrilegij, quia est rei Sacratissimæ violatio. Ergo non est in alia irreligiositatis specie: non enim sunt vitia absque manifesta ratione multiplicanda. Et quia Christus Dominus in Eucharistia existens, non se exhibet visibilem, ac tractabilem, sed tanquam cuiusdam rei inanimatæ, rametsi tibi sit viuens, ac intelligens: Ergò iniura Eucharistiæ facta, non est formaliter facta ipsi Deo in propria persona: sed in signo illum continente, & gratiam significante: sed quælibet iniuria facta Deo in eius signo est in specie Sacrilegij: Ergo Ita Caiet. 2. 2. *q. 99. a. 1. & 3. dub. 6.* Lessi. *l. 2. c. 45. dub. 3. n. 16.* Pala. *to. 3. tr. 17. d. 2. pun. 3. §. 2. n. 2.* & alij communiter.

776 *Cum his est nor.*

Fateor, adorationem, ac reuerentiam factam Christo Domino in Eucharistia, esse latriam, quia ad hanc reuerentiam & adorationem solùm expostulatur, vt feratur in personam diuinam, siue in se, siue in signo. An autem intra illam speciem adorationis latriæ varij actus specie distinguantur, alij qui feruntur in Deum secundum se, alij qui feruntur in ipsum repræsentatum in imagine: non satis constat, & fortè probabilius est distingui: Verùm in ratione irreligiositatis iam receptum est, irreuerentiam, quæ fit Deo secundum se, distingui ab ea, quæ fit ipsi in signo repræsentante, seu continente: tametsi vtraque irreuerentia adorationi latriæ opponatur. Quod appositè confirmarim ex irreuerentia facta Cruci, & imagini Saluatoris, quæ sine controuersia Sacrilegium dicitur propriè: tametsi opponatur adorationi latriæ: Ergo irreuerentia facta Eucharistiæ Sacrilegium propriè erit, tametsi latriæ opponatur adorationi,

LIBER XXIX.

DECALOGI PRÆCEPTVM SECVNDVM.

SVB Præcepti Secundi Decalogi titulo Iuramenti materia continetur agnata quidem. At quia tractatio hæc valdè est assimilis tractatui de Voto, vnam hic & alteram enodabo leui, de more, calamo tractationem. Nihil autem omittam, quod circa receptiores sine pugna Sententias, vel circa Problematum litem possit desiderari. De Iuramento igitur perstringam: Quid sit, quotuplex. quæ eius materia. De promissarij obligatione. An sit licitum? Quinam iurare possint, & quonam sensu? De peccato iurantis ex consuetudine, & Iuramentum violantis. De periurij pœnis, & quibus modis obligatio Iuramenti tollatur. De Voto autem enunciabo: Quid sit, & quotuplex. Eius materiam, Obligationem. Modos, quibus possit eius tolli obligatio: nempe de cessatione causæ finalis, & notabili mutatione, de Irritatione, Commutatione, Dispensatione, &c.

SECTIO PRIMA.

De Præcepto Secundo receptiores sine lite Sententiæ.

DE IVRAMENTO.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex Iuramentum.

Quid sit Iuramentum, & quæ ad eius essentiam requirantur.

IVRAMENTVM dicitur à *Iure*. Quia instar iuris habendum, vndè à Latinis passim *Iusiurandum* vocitatur. Est autem Iuramentum, *Attestatio diuini nominis, vel inuocatio diuini testimonij, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.* Vnde duo ad Iuramenti essentiam requiruntur: nempè intentio iurandi, seu Deum testem faciendi: & locutio, qua in testem vocatur; & si alterum horum absit non erit Iuramentum. Vnde in his formulis: *In veritate, In rei veritate, Per fidem meam, In fide mea; In fide boni viri, In fide Christiani, In fide Sacerdotis, In fide Religiosi. In conscientia*, vel *Per meam conscientiam*, vt ordinariè accipiuntur, non erit Iuramentum. Quia qui sic loquuntur, iurare non intendunt; sed solùm significare, se loqui ex virtute fidei, seu veritatis, quam vir probus, Christianus, Sacerdos, aut Religiosus in dictis, ac promissis suis debet adhibere; etsi fallat, vt non habeatur verax, ac fidelis. Si tamen per fidem Catholicam Fidem intelligant, erit iuramentum; quia censentur Authorem illius in testem adducere. Proinde rustici confitentes, se iurasse, ac blasphemasse, debent interrogari, quonam modo iurarint, præsertim circa sua pecora. Nam sæpè multa impatientiæ verba proferunt, quæ non sunt iuramenta, & quæ ordinariè veniale piaculum non excedunt. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. Lessi. *l.* 2. *cap.* 42. *dub.* 1. Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 2. Sanch. *l.* 3. *Moral. cap.* 2. *num.* 16. 10. & 32. Suar. *l.* 1. *de Iuram. cap.* 13. *num.* 9.

Sylui.

Sylui. 2.2.q.89.a.1.Nauar.c.12.sum.n. 2. Laym. l. 4. tr. 3. c. 2. n. 2. & 4. Marchant. in resolut. pass. c.2. q. 3.

2 *Verba hæc: Coram Deo, Deus scit, ita esse & similia, quando sint iuramenta.*

Verba hæc: *Coram Deo loquor, Deus scit, ita esse, Deus scit, me vera dicere, Videt conscientiam meam*: si accipiantur provt vulgo accipi solent, inuocatiuè scilicet, intendendo Deum in testem inducere eius, quod dicitur, sunt iuramenta. Si tamen quis iurare non intendat, sed proferat illa verba per modum narrationis, affirmando, Deum ista scire absque inuocandi, aut confirmandi sua dicta, intentione, iuramentum non erit. Quia deest intentio. Ast si proferantur huiusmodi verba à viris iurare solitis, præsumuntur iuramenta, nisi aliter de animo iurantis constet. Valent. 2. 2. d. 6. q. 7. pun. 2. Sanch. l. 3. c. 2. n. 20. Lessi. l. 2. cap. 42. dub. 1. n. 4. Laym. l. 4. tr. 3. c. 2. numer. 4. Filliuc. tract. 25. numer. 124.

3 *Iuramentum per falsos Deos nec est verè iuramentum, nec obligat.*

Iuramentum per falsos deos non est verum, nec obligat, nisi ex conscientia erronea. Quia nulla eis reuerentia debetur. Vnde non est per se mortale peccatum falsum iurare per *Iouem*, si scias Iouem mihi esse. Quia verè non iuras, sed iocaris, & imagine iuramenti ludis. Si tamen iuramentum serio fiat, erit peccatum mortale Blasphemiæ, sicut etiam mortale erit, iurare per dæmonem, siue iuramentum sit contestatorium, siue execratorium. Quia Dei honor diabolo tribui videtur. Suar. l. 1. de iuram. c. 1. num. 7. & 9. Clauis Reg. l. 5. c. 3. n. 21. Reginal. l. 18. numer. 19. Laym. l. 4. tract. 3. cap. 1. numer. 2.

4 *Per Deum vel Corpus Dei, Corpus Christi, non est iuramentum.*

Quando aliquis ira affectus dicit, *Per Deum*, vel *Corpus Dei*, aut *Corpus Christi*, non intendens Deum in testem inuocare, nec aliquid confirmare, non est verum iuramentum. Quia hic potius intendit malum imprecari, vel iram aut tædium patefacere, quam iurare. Sanch. l. 3. Moral. c. 2. n. 18. Bonac. de iuram. q. 1. pun. 1. n. 2. Reginal. l. 18. c. ... n. 9.

5 *Sufficit ad iuramentum Dei tacita inuocatio.*

Sufficit ad iuramentum Dei tacita inuocatio. Quia Deus per tacitam inuocationem in testem adducitur: vt contingit, quandò quis rogatus, vt iuret manu tangit crucem, vel Euangeliorum librum vel aliud signum gerit, quo se iurare ostendit: vt si subscribat aliquam scripturam, in qua iuramentum continetur. Præterea tacita Dei inuocatio contingit, quando iuramentum fit per creaturas, in quibus specialiter Dei relucet bonitas, vt si fiat per sanctos, animam rationalem, &c. Quia tunc non volumus creaturas nobis testes esse; sed Deum, qui in ipsis singulari modo residet: accipitur enim continens pro contento, signum pro signato, creatura pro Creatore. Sanch. l. 3. cap. 2. numer. 12. Lessi. l. 2. cap. 42. n. 6. Rodrig. p. 1. sum. c. 190. n. 2. Clauis Reg. l. 5. cap. 1. Suar. l. 1. de iuram. c. 1.

6 *Tribus modis potest creatura in testem veritatis adduci quando id fit, & non fit iuramentum, licèat, & non licèat.*

Portò tribus modis potest creatura in testem adduci. Primo, tanquam testis infallibilis veritatis: & hoc modo adducere creaturam, est Blasphemia. Quia tribuitur creaturæ Dei attributum: iurans tamèn non præsumitur velle hoc modo iurare, nisi ex indiciis præsumatur. Secundo, creatura potest adduci, quatenus in ea relucet Deus, vel quatenus ordinatur ad Deum, & quatenus Deus in ea honoratur: & sic est verum iuramentum. Vnde iurans, per Templa sanctorũ, per habitũ D. Petri, per ordines, per tonsurã per habitũ Religiosum, &c. dicitur verũ iuramentum emittere. Tertio potest adduci creatura secundũ dignitatẽ, quam in se habet, non per ordinem ad Deum: vt quando quis dicit, Per meam conscientiam, per fidem boni sacerdotis: non dicitur propriè iurare. Quia solùm confirmat suum dictum per creaturas tanquam per res humanas, nec intendit Deum in testem inuocare. Sylui. 2.2.q.89.a.6. Sanch. l. 3. cap. 1. num. 25. Clau. Reg. l. 5. cap. 1. Suar. l. 1. de iuram. cap. 13. num. 23. Azor. p. 1. l. 11. cap. 3. q. 1.

7 *Ad iuramentum non requiruntur determinata verba.*

Ad iuramentum verba determinata non requiruntur, sed sufficit, vt quis Deum adducat, in testem quæcumque verbis. Imò quamvis adhibeatur verbum *Iuro*, non censebitur verum iuramentum emitti, si proferens non intendat verè iurare: aut si addat aliquid, quod verbum illud à propria significatione distrahat. Hinc patet, eum non teneri iuramento, qui solum dicit, *Iuro*, vel Iuro, me facturum hoc. Quia Deus in testem non adducitur. Secùs dixerim, si hoc addat, animo verè Deum adducendi. Quia ad iuramentum sufficit, vt quis sua mente intendat, se vinculo iuramenti obstringere. Sanch. l. 3 sum. cap. 2. num. 27. & 32. Bonac. de iuram. quæst. 1. num. 6. & 7. Suar. de Relig. l. 1. cap. 11. & cap. 13. num. 3.

8 *Plures iuramenti diuisiones indico.*

Plures apud Doctores iuramenti diuisiones inueni. Aliud verbis concipitur, aliud nutu, vel signo aliquo, aut manu subleuata, aut Euangeliorum, seu reliquiarum tactu, aut subscriptione scripturæ in qua iuramentum continetur, vt dixi. Deinde aliud fit per simplicem contestationem, qua Deus in testem adducitur: v. gr. *Testor Deum, Iuro per Deum, per fidem Christi*, vel *Dei*: quæ omnia idem valent. Aliud fit per execrationem, seu imprecationem: v. gr. quando quis aliquid affirmat, vel negat, adducendo Deum non solum in testem, sed etiam in Iudicem, & vendicem, seu punitorem, si falsum sit quod iurat: vt si quis dicat: *Per eam, Non mouear hinc, Diabolus me arripiat, Per animam meam, Per salutem meam, vel alterius, Ita me Deus amet, sit propitius &c.* sensus enim est, si non ita est vt affero, Deus inferat mihi mortem, damnationem, non me amet, propitius non existat. Ex quo fit, vt iurans falsum in iuramento execratorio, non solum sit periurus, sed etiam in propriam charitatem, aut in pietatem, si in personam alterius; vt si per vitam patris, aut filij &c. delinquat; modò ex animo illud sibi, vel alteri malum imprecetur. Et tunc pœnitens tenetur hanc fateri circumstantiam. Quia peccauit contra Religionem & charitatem. Hinc periurium execratorium continet specialem malitiam contra charitatem sui. Quia per hanc execrationem, seu maledictionem, exponitur quis maiori diuinæ vindictæ periculo: licet putet vindictam minime infligendam: vel iustè sibi pœnam imprecetur. Quia quantum est ex se crudeliter à se diuinæ misericordiæ remouet beneficium. Lessi. l. 2. cap. 42. dub. 2. Tolet. l. 4. cap. 20. Reginal. l. 18. nu. 31. Valent. 2. 2. d. 6. quæst. 7. punct. 2. Filliuc. tr. 25. c. 3. Sanch. l. 4. cap. 1. Laym. l. 4. tr. 3. ca. 4. Suar. l. 1. de iuram. c. 12. Verum quia rarò, & ferè nunquàm accidit, vt quis sibi malum imprecetur ex animo; consequentèr non videtur necesse, pœnitentem à confessario interrogari de hac circumstantia, cum falsum iuramento execratorio iurauit. Sanch. citat. n. 7. Filliuc. c. 3. q. 8.

Aliud

9 *Iuramenta, per Deum per creaturas, solemne, simplex, assertorium, absolutum conditionale, eiusdem sunt speciei.*

Aliud iuramentum fit per Deum, aliud per creaturas; aliud est *solemne*, aliud *simplex*. Solemne fit cum certa iuris formula, vt coram Notario, Iudice, attactis Euangeliis: Simplex verò illam iuris formulam non habet. Aliud est *Assertorium*, aliud *Promissorium*: illud adhibetur ad aliqua præterita vel præsentia affirmanda aut neganda: hoc vtimur ad aliquid futurum affirmandum. Aliud est *Absolutum*, aliud *Conditionale*: conditio autem aliquando à iure, aliquando ab ipso iurante ponitur. Porrò cuncta hæc iuramenta quovis modo fiant, sunt eiusdem speciei. Quia iuramentum formaliter consistit in diuini testimonij inuocatione, quæ est eiusdem rationis quovis modo iuramentum fiat. Quod autem fiat per sanctos, aut per alias creaturas, materialiter se habet ad iuramentum. Lessi. *l.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. *num.* 9. Reginal. *l.* 18. *num.* 31. Suar. *l.* 1. *de iuramen. cap.* 5. & 9. Sylui. 2. 2. *quæst.* 84. *art.* 11. Layman. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 4. Bonac. *de iuram. quæst.* 1. *punct.* 2. & alij. Vndè dum confessionem gerimus de iuramentis falsis, &c. necessarium non est illa indiuidualiter enarrare, Iurani per Deum, per vitam meam, sic me Deus adiuuet, &c. Sed sat erit dicere, septies (verbi gratiâ) fasò iurani. Sanch. *l.* 3. *sum. cap.* 1. *num.* 9. Santius *in select. d.* 6. *num.* 6.

10 *Materia iuramenti debet esse res licita.*

Iuramenti materia debet esse res licita, & non peccaminosa. Quia Deo irrogatur iniuria, eum in testem adducendo rei turpis, & illicitæ. Imò iuramentum non obligat, si illud, quod promittitur, est peccatum; vel saltem non potest sine peccato impleri. Quia iuramentum non est iniquitatis vinculum, nec potest ad malum obligare. Quando autem iuramentum fit de materia partim licita, partim illicita: seruandum est quoad partem licitam & possibilem. Quia vtile per inutile non vitiatur. Sanch. *l.* 3. *sum. cap.* 9. *num.* 29. Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. Nauar. *cap.* 12. *sum. num.* 17. Suar. & Clauis Reg. quos refert, & sequitur Elig. Bas. *v. Iuramentum* 1. *num.* 9.

11 *Res indifferens, impossibilis, & impeditiua maioris boni, non est iuramenti materia.*

Res indifferens, aut impossibilis, aut impeditiua maioris boni, seu diuinis Consiliis contraria, non est iuramenti materia quando sic manet: imò iuramentum de tali re non obligat. Quia Deus obligare non vult ad quidquam vanum, & otiosum, & suis contrarium consiliis, seu ad aliquid maioris impeditiuum boni. Attamen licèt iuramentum de re indifferenti, vel de ea, quæ melius est non fieri, per se loquendo non obliget: obligat tamen si in alterius fauorem fiat: nisi ille remittat. Quia in hoc casu spectatur, quid gratius sit homini, non quod in se melius: & ideò huiusmodi iuramenti adimplecio iam non est actus indifferens, sed actus virtutis. nempè veracitatis, & fidelitatis. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *a.* 7. Caiet. *ibi.* Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 12. Suar. *l.* 2. *de iurament. cap.* 12. Tolet. *l.* 4. *cap.* 22. *num.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 3.

12 *Quando non obligat, & quando obligat iuramentum factum de re prohibita per legem.*

Iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem; quæ primario, & immediatè dirigitur ad bonum publicum, non obligat. Quia lex, quæ immediatè ad bonum publicum dirigitur, obligat ad culpam, iuramentum verò non obligat ad aliquid gerendum, quod sit peccaminosum. Secus dixerim de iuramento facto contra legem, quæ primario, & immediatè respicit fauorem, & commodum personæ priuatæ: hoc enim obligat, modo nō vergat in tertij præiudiciū. Quia hæc lex immediate fertur in fauorem personæ priuatæ: quælibet autem persona priuata potest suo iuri cedere, absque tertij præiudicio: Ergo si cedat iuri suo cum iuramento, validum erit, & obligatorium iuramentum. Tales sunt leges, seu priuilegia concessa ætate minoribus, ac filiis familias, nè ex contractu: & mulieribus, ne ex fideiussione efficaciter obligentur. Quibus renunciare possunt, si non semper validè saltem licitè, vt insuper accedens iuramentum obligandi vim habeat, ex ipsorum etiam communium iurium dispositione. Bonac. *de iuram. q.* 1. *pun.* 5. *num.* 1. & 2. Sanch. *l.* 3. *sum. cap.* 9. *num.* 22. Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 7. *q.* 6. Vasq. *de testament. c.* 3. *dub.* 2.

CAPVT II.

De Iuramenti Promissoris Obligatione.

13 *Iuramentum factum contra prius iuramentum, aut contra votum, aut contra priorem promissionem validum, non obligat, &c.*

PROMISSIO, aut iuramentum factum contra prius iuramentum, aut contra votum, aut contra priorem promissionem validum, non obligat. Quia secundum iuramentum, vel secunda promissio est, de re, quæ sine peccato seruari nō potest, & ideo secunda sponsalia iurata contrà prima, sunt inualida. Gesta tamen contra obligationem iuramenti, valida sunt, nisi aliudè sint irrita: vt matrimonium contra votum simplex castitatis, aut contra sponsalia iurata cum alia, validum est. Quia iuramentum non reddit iurantem inhabilem ad faciendum actum contrarium ex se validum etiamsi iurans dum iurauit voluntatem haberet auferendi sibi potestatem validè gerendi actum contrarium. Non enim potest hanc sibi potestatem auferre. Fieri tamen potest, vt huiusmodi actus & gesta à iure irritentur. Vndè si mulier iuret, se fundum dotalem non alienaturam, & postèa illum alienet absque Iudicis authoritate: alienatio non est valida: non quia sit contra iuramentum: sed quia à iure irritatur. Suar. *l.* 2. *de iuram. c.* 19. *n.* 7. Sanch. *l.* 3. *sum. c.* 12. *num.* 32. Bonac. *de iuram. q.* 1. *pun.* 6.

14 *Qui exterius in ar sine animo se obligandi, coram Deo non obligatur, &c.*

Si quis exterius inret sine animo iurandi, ex vi iuramenti coram Deo non obligatur. Quia re vera non iurat. Tamen si huiusmodi iuramentum alteri sit alicuius damni causa, teneretur iurans illud sarcire: imò in foro externo cogeretur implere ob veri iuramenti præsumptionem: & ratione scandali, quod oriretur ex transgressione externa iuramenti, iurans animo ficto, stare iuramento obligaretur. Sanch. *l.* 3. *sum. cap.* 10. *num.* 13. Suar. *de iuram. l.* 2. *cap.* 7. Azor. *l.* 11. *cap.* 4. *q.* 2.

15 *Cum iuramentum rationabiliter exigitur peccat qui iurat sine animo iurandi, sed non obligandi.*

Quoties rationabiliter iuramentum exigitur, lethale crimen perpetrat qui iurat ore tenus cum animo non iurandi, aut non se obligandi. Quia granis intercedit deceptio, quæ expresè vsui ac fini iuramenti valdè in rebus humanis necessario repugnat. Ast si iuramentum irrationabiliter exigatur, & iurans verum asserat, mortaliter non delinquit. Si verò falsum

sum est, quod iurat, & intendat materiam illam falsam iure iurando confirmare, seu id ad rem falsam referre: mortaliter peccat. Si verò solùm illa verba vsurpet, ad significandum aliud mente conceptum: nec intendit per illa verba quidquam confirmare, non delinquit lethaliter, scandalo excluso. Quia habet ius illa verba vsurpandi iuxta quem sensum libuerit. Porrò qui iurat cum animo non adimplendi, delinquit mortaliter peccato periurij. Quia cum duplex veritas in promissorio iuramento requiratur, præsens, & futura: deest veritas præsens, nempè animus exequendi; quod si postea non exequaris noua culpa lethalis accedet. Quia deest executionis veritas. Sanch. *l. 4. sum. cap. 4. num. 9.* Lessi. *l. 2 cap. 17. dub. 8. num. 42. & 43.* Nauar. *cap. 12. num. 13.* Suar. *l. 3. de iuram. cap. 15. num. 1.* Bonac. *de iuram. quæst. 1. punct. 7. num. 6.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 7.*

16 *Iuramentum appositum contractui error, vel dolus causam dedit irritum est.*

Iuramentum contractui appositum, cui error aut dolus causam dedit: irritum est. Quia est error circa rei substantiam: Vt si quis iuret, se daturum rem aliquam, quam putat esse vitrum, & posteà comperit, esse gemmam. Vt enim iuramentum obliget, requiritur consensus & voluntas: quoties autem error, & dolus sunt circa substantiam, deest consensus: quia iurans non intendit iurare rem illam, sed aliam: & hoc verum etiamsi error & dolus sint tantummodo comitans, id est, etiamsi iurans, cognito errore, iurasset. Suar. *de iuram. l. 2. cap. 11. num. 7.* Sanch. *l. 3. cap. 11. num. 42.* Lessi. *l. 2. ca. 17. dub. 7. num. 334.* Bonac. *quæst. 1. de iurament. punct. 8.*

17 *Quid quando error aut dolus versatur solum circa qualitatem?*

Quando autem dolus solùm versatur circà rei qualitatem, vel causam promissionis, aut contractus: iuramentum non obligat. Quia vbi dolus est, voluntas excluditur: & iuramentum non obligat extrà mentem, & intentionem iurantis. Vndè qui iuramento puellæ promisit, se eam ducturum in coniugem reputans esse virginem, & posteà occultè fornicatam intelligit: non tenetur iuramento. Quia error dedit causam promissioni.

18 *Obligat iuramentum metu grauis extortum.*

Iuramentum promissorium metu grauis extortum etiamsi iniustè: obligat, modo factum sit animo se obligandi, & de re licita. Quia iure naturæ tenemur efficere, vt verum sit, quod iurauimus, ne Deum faciamus testem falsi. Vndè qui pro redimenda vita cum iuramento latroni centum aureos promisit, soluere tenetur. Vbi autem soluit, porerit eos in iudicio repetere. Crediderim, tutius in hoc casu esse petere iuramenti relaxationem ab eo, qui potest relaxare. Laym. *l. 4. tract. 3. cap. 7. num. 2.* Sylui. *2. 2. quæst. 89. art. 7. quæst. 1.* & alij communiter.

19 *Eius violatio mortale crimen est.*

Violatio iuramenti, metu extorti, mortale crimen est, præsertim si materia sit grauis, & is, in cuius fauorem factum est, vel alius potestatem habens, non relaxet. Quia grauem Deo infert iniuriam violator; cum efficiat, vt Deus in testem falsi adductus fuisse videatur. Cæterum in dubio an habuerit animum se obligandi, qui grani iurauit ex metu, obligatur iuramentum implere. Quia possessio stat pro iuramento; & idem est iudicium fori interni, & externi, quandò externum non nititur falsa præsumptione. Et in hoc casu forum externum in iuramenti fauorem iudicaret. Gutier. *de iuram. part. 1. cap. 57. num. 20.* Sanch. *de matr. l. 1. d. 9. num. 13.*

CAPVT III.

De Conditionibus requisitis, vt sit licitum Iuramentum.

20 *De Fide est, licitum esse iuramentum, pluribus tamen circumstantiis adhibitis.*

DE Fide est licitum esse iuramentum. Quia in scriptura Sacra legimus viros sanctissimos in contractibus iurasse. Abrahamum testor, qui iniens cum Abimalecho fœdus illud iureiurando confirmauit. Idem gessit Isaac. *Gen. 21. & 26.* Certe hoc ex vsu omnium gentium, ac tribunalium euidenter ostenditur. Attamen licet iuramentum sit licitum, & bonum, non est ex eo bonorum genere quæ sunt per se bona ac frequentanda, sicut ieiunium, oratio, &c. sed ex eo, quæ bona sunt necessitate oblata: vt vsus medicinæ, quæ solum vrgente necessitate adhibetur. Vnde vt iuramentum sit licitum multæ conditiones à Doctoribus assignantur, quas hoc carmen amplectitur: *Quis, cui, quod, per quod, ad quid, cur, quomodo, quando.* De quibus lege Sayrum *in claui, l. 5. cap. 3. num. 7.* Has conditiones inibi annotandas omitto, aliasque ad quodlibet iuramentum requisitas, quas D. Tho. iuramenti comites appellauit, recenseo. Castro *cont. hæres. v. Iuramentum.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 3. n. 13.* Sanch. *l. 3. sum. c. 3. n. 1.* Bonac. *de iuram. q. 1. pun. 3* Filliuc. *tr. 25. c. 2. q. 3.* Laym. *l. 4. tr. 3. c. 3.* ex D. Tho. *2. 2. q. 89. a. 2.*

21 *Vt iuramentum sit licitum, requiruntur veritas, iustitia, & iudicium.*

Vt licitum sit iuramentum, tria requiruntur. *Veritas, Iustitia, & Iudicium.* Ierem. 4. *Iurabis, dicit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Veritas ad iuramentum requisita in hoc consistit, vt iurans non leui, sed probabili coniectura, prudenterque arbitretur, verum esse, quod iurat. Vnde si verum non sit, vel arbitretur, non esse verum, aut dubitat de veritate eius, quod certò affirmat lethaliter delinquit periurij crimine: nisi ob indeliberationem, aut leuem negligentiam in dignoscenda veritate excusetur. D. Tho. *2. 2. q. 89. a. 3.* Tolet. *l. 4. cap. 21.* Nauar. *c. 12. n. 3* Sanch. *l. 3. cap. 3.* Lessi. *l. 2. 42. dub. 3. num. 17.* Sylui. *2. 2. q. 89. a. 3.* Laym. *l. 4. tr. 3. cap 3. num. 3.*

22 *In omni materia etiam leui, peccatum mortale est sine veritate, aut sub dubio iurare.*

In omni materia etiam leni iuramentum assertorium est peccatum lethale, quoties iurans credit, non esse verum quod asserit, etiam si iuret ex bono, ac necessario fine, aut ex timore, aut ioci causa fiat. Quia intrinsecè malum est Deum in mendacij testem adducere. Suar. *l. 3. de iuram. cap. 5. num. 6.* Sayr. *in claui, l. 5. c. 4 num. 14.* Nauar. *cap. 12. sum. num. 6. & 7.* Sylui. *2. 2. q. 89. a. 3.* & alij. Mortaliter etiam delinquit, qui rem dubiam iurat, vt certam. Quia se periculo, falsum iurandi, exponit. *Omnes sic.*

23 *Minus malè facit qui iurat de eo quod veniale, animo exequendi, quam animo non præstandi.*

Certe minus malum ab eo committitur, qui iurat, se facturum aliquod veniale, animo illud exequendi, quam animo non exequendi. Quia qui exequendi animo iurat, peccat solum venialiter: qui verò iurat cum animo non exequendi, mortaliter peccat veritatis requisitæ defectu. Sanch. *l. 3. cap. 4. numer. 32.* Bonac. *de iuram.*

de iurament. quæst. 2. punct. 3. numer. 6.

24 *Qua diligentia adhibenda, vt rei veritas cognoscatur.*

Diligentia autem adhibenda ab eo, qui iurat, ad dignoscendam rei veritatem, vt à peccato excusetur, ea debet esse, quam postulat materia suprà quam iuramentum cadit. Quia aliquæ res maiorem, aliquæ minorem, diligentiam requirunt. Sayr. *in Clavi, l. 5. cap. 4. num. 33.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 3. num. 10.* Arag. *2. 2. quæst. 89. art. 3.*

25 *In quo consistat iudicium in iuramento requisitum?*

Iudicium in iuramento requisitum in hoc consistit, vt fiat cum necessitate, ac reuerentia. Propterea si fiat sinè necessitate, vt in re leui, quam necesse non sit, iuramento firmare, peccatum committitur defectu iudicij, quod quidem venialis limites non excedit. Less. *l. 2. cap. 42. dub. 3. num. 17.* Sayr. *in Clavi. l. 5. cap. 4. num. 32.* Suar. *l. 3. de iurament. cap. 12.*

26 *In q. consistat iustitia.*

Porrò iuramenti *iustitia* in hoc consistit, vt iuramentum non fiat de re illicita. Quia fit irreuerentia Deo, eum in testem illicitæ rei adducendo. Hæc autem irreuerentia est graue peccatum, aut leue pro grauitate aut leuitate materiæ, suprà quam fertur iuramentum. Less. *l. 2. cap. 42. dub. 2. num. 17. & 18.* Reginal. *l. 18. num. 87.* Suar. *l. 3. cap. 12. num. 7. & 8.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 4 n. 33.*

CAPVT IV.

De iis, qui iurare possunt, & quo sensu iurare teneantur.

27 *Quæ ætas ad iurandum in iudicio requiratur?*

MAsculus antè decimum quartum annum, & puella antè duodecimum ex iuris prescriptione ad iuramentū solemne in iudicio in causis ciuilibus non admittūtur Quia non habent sufficientem rationis vsum, seu maturum iudicium, ad iurandum cum reuerentia debita; propterea non possunt à Iudice ad iurandum cogi. In criminalibus verò non admittitur minor viginti annis, *cap. Pueri, 22. quæst. 5. l. Inuiti. ff. de testib.*

28 *Repelluntur à iuramento in iudicio periuri.*

Repelluntur à iuramento in iudicio emittendo etiam periuri, qui in iudicio conuicti fuêre, ac condemnati. Quia præsumuntur peieraturi etiam tunc, qui semel peierarunt. Interdicitur etiam Sacerdotibus ac Prælatis iurare in iudicio sine graui causa, ac necessitate. Nec tunc licet Clericis iurare sine licentia Episcopi in actu testificationis, & quando coguntur à laico iurare coram ipso tanquam suo superiore: vel quando coram eo, qui non est eorum superior, iurant de calumnia. *c. Paruuli, 22. quæst. 5. cap. si quis Presbyter, 2. q. 5. c. Quamquam 14. q. 2. cap. Peruenit, de iureiuran. cap. si quis 22. q. 5.* Sylui. *2. 2. quæst. 89. art. 10.*

29 *Per nuncium, vel procuratorem potest præstari iuramentum.*

Per nuncium, vel procuratorem potest iuramentum præstari, modo procurator speciale mandatum habeat ad iurandum; & actus talis sit, qui per procuratorem præstari valeat; & lex proprium iusiurandū non requirat, seu non prescribat, vt quis propria manu iuret. Hinc fit, vti ille, cuius nomine præstatur iuramentum, eo obligetur: non verò nuncius, vel procurator. Quia alterius nomine iuramentum emisit, *cap. vlt. de iureiur. in 6.* Suar. *l. 2. de iuram. c. 31.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 7. q. vlt.* Sanch. *l. 3. cap. 13. num. 25.*

30 *Quibus in casibus liceat iuramentum petere ab eo qui peieraturus creditur.*

Quando iusta causa subest petēdi iuramentum, licitè potest exigi ab eo, qui creditur peieraturus. Quia non petitur, nec intenditur periurium: sed iuramentum, quod alter licitè potest emittere absquè mendacio. Vnde in hisce casibus licere censuerim: Primò, si Iudex, & pars id postulet, vel aliàs officij exigat ratio: vt cùm adducuntur testes, vel inquisitionis via proceditur. Secundò, si alterius causam agas, & ratio officij tui postulet, vt ab aduersario iusiurandum petas; si enim omittas præuaricari videberis. Tertiò, si speras, illum Numinis reuerentia haud ausurum peierare, & alias magni tui interfit. Quartò si eius periurio possis vti tuum ad commodum: verbi gratiâ ad eius fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam: vt sic in iuriam euadas aut ius obtineas. Extra hos casus fas non erit. Quia quantum in nobis est, tenemur, tantam Dei iniuriam, & proximi vitare peccatum. Et qui absque iusta causa iuramentum petit ab eo, qui credit probabiliter peieraturum, mortaliter delinquit, etiamsi peierans paratus esset ad peierandum. In dubio autèm, an alter sit peieraturus, petens non peccat, per se loquendo. Quia in dubio non debemus præsumere, alterum velle delinquere. D. Tho. *2. 2. quæst. 89. a. 4.* Suar. *l. 3. cap. 14. num. 16.* Reginal. *l. 18. 76. & 77.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 8. n. 7.* Less *l. 2. cap. 42. dub. 10.* Diana *p. 5. tr. 7. reso. 9.* Bonac *q. 1. de iuram. pun. 11. num. 2.*

31 *Quam sit iusta causa, vt quis possit amphibologia seu æquiuocatione in iuramento vti.*

Num liceat amphibologia vti, qui iurant, proprium Problema resoluet. Inpresenti monuerim, iustam vtendi his amphibologiis causam esse, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, rem familiarem tuendam, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio, tunc expediens, & studiosa censeatur. Item cum ratio operis alias iusti id requirit; v. gr. in stratagematibus belli, in explorationibus, in insidiis, indefensione contrà inimicos in casibus aduersis auertendis, vel ad vtilitatem aliquam sibi, vel proximo iustè conciliandam. Nullus autem amphibologiæ, vel æquiuocationis vsus fraudi, dolo iniusto, vel iniuriæ alicuius debet, aut potest suffragari. Vnde qui in tali casu amphibologia vtitur, si nocumentum sit graue, mortaliter peccat. Quia nunquam licet iniustum nocumentum proximo inferre, aut tali nocumento iniusto etiam negatiuè cooperari. Secus si nocumentum sit iustum, & iustè inferatur: tunc enim licebit ei, qui illud inferre potest amphibologia vti, vt inferatur. Quia in hoc casu illa per se mala non est, cum in aliquam feratur vtilitatem: & nocumentum ipsum quod infertur est licitum. Hinc potest miles amphibologia vti vt inimicum decipiat illique noceat. Idem licebit Iudici, vtà reo veritatem expiscetur. Item licebit amphibologia furem deducere, vt à satellite capiatur. Non licebit tamen in casibus militiæ, in quibus quovis modo hosti communi vsu, fides est decreta, eam frangere. Similiter in contractibus cum inimico, & in eorum materia, & circumstantiis, inquibus ob publicam, & communem societatem, nulla amphibologia admittitur: sicut non licet adulterari, fornicari, & alia peccata committere, ex quibus damnum etiam iustum hosti euenire possit. Nauar. *ad c. Humana*

manæ aures 22. *q.* 5. Valent. 1.2.*d.*5. *q.*13.*pun.* 2.Tolet.*l.*4.*c.*21.*n.*9.Sa *v. iuramentū,n.*6.Sanch. *l.*3.*sum. c.*6.*n.*15. Reginal.*l.* 24.*n.*91.Diana *p.* 2.*tr.*1.*resol.*25. *& p.*3.*tr.* 6.*resol.* 3. Manu. *to.* 1. *sum.c.*90 *n.*7.Suar.*de iuram. l.*3.*c.*11.*n.*6. Lessi. *l.*2.*c.*42.*dub.*9.*num.*48.

32 *Qui sua sponte se offert ad iurandum sine necessitate peccat mortaliter, amphibologias vtēs.*

Si quis orationem de futuro confirmet iuramento, vrendo aliqua amphibologia, aut fuco verborum aut aliqua conditione tacitè subintellecta: atque adeò iuret id quod est verum secundum mentem suam: falsum autem secundum mentem eius, cui iuratur: peccat lethaliter, si id gerat, vel sponte se offerat sinè necessitate, vel à superiore legitimè iussus iurare. Nauar. *sum.cap.* 12.*num.* 8. Sayr. *in claui,l.*5.*c.* 4.*n.*21.Tolet.*l.*4.*c.*21.*num.*9. Lessi.*l.*2.*cap.*42.*n.* 46.*&* 48.Azor.*p.*1.*c.*4.*q.*5.Armil.*v. iuramentum, num.* 16.Lopez *p.*1.*c.*42.Ratio est,quia præceptum naturale Religionis non solum obligat ad diuinum tuendum honorem, efficiendo verum id,in cuius confirmationem re vera est inuocatum diuinum testimonium, sed etiam id, quod rationabilitèr potest ab aliis credi, fuisse diuino testimonio confirmatum: aliàs minueretur perse loquendo,apud illos honor diuinus: & superiori, vel Iudici, vel parti fieret iniuria, ac iudicium peruerteretur.

33 *Quomodo excusatur à lethali qui amphibologicè extrà iudicium iurat.*

Scio iurantem sine necessitate excusari à periurio,& à lethali crimine,si amphibologiis vtatur extra iudicium, & in materia non præiudiciali: vel si irrationabilitèr compellaretur ad iurandum. Quia in hoc iuramento deficit solummodò discretio seu iudicium, cuius defectus solus non efficit iuramentum mortaliter peccaminosum. Bonac. *de leg. d.* 4. *quæst.* 1. *num.* 12. Filliuc.*tr.*25.*num.*331.Sanch. *l.*3. *cap.* 6.Diana *punct.* 2.*tract.* 1.*resol.* 25. *& punct.* 3. *tract.* 6.*resol.* 30. Monuerim, admodum perniciosum esse restrictionum mentalium vsum, & valdè iuri naturali quatenus homo est animal sociale,repugnare, omnemque societatem dissoluere: nihilque aliud esse,quam fraudum sentinam omnibus Christicolis omnino abhorrendam.

CAPVT V.

De peccato iurantis ex consuetudine.

34 *Qui habent iurandi consuetudinem, sed non mētiendi,in statu peccati lethalis nō est*

CONSVETVDO iurandi vt sumitur pro habitu inclinante ad actus similes illis,quibus fuit productus per se non est peccatum mortale. Quia ipsa est potius peccati mortalis effectus. Peccatum enim non consistit in habitu, sed in actu,vel in aliquius actus omissione. Vnde qui habet iurandi consuetudinem, sed non mentiendi, non est in peccati lethalis, statu: etiamsi non conetur eiusmodi consuetudinem euellere. Quia talis consuetudo nō est magis praua,quam sint ipsi actus iurandi: habitus enim suam desumit malitiam ab actibus: sed actus non sunt mortaliter mali, cum non sint periuria: Ergo. Valent. 2. 2. *d.*6. *quæst.* 7. *punct.* 3. Reginal. *l.* 17.*numer.*87.Sanch. *l.* 3.*sum.cap.* 5.Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 10 *quæst.*9.

Qui vero habet iurandi & mentiendi consuetudinem, & iungendi mendacia cum iuramento: peccat lethaliter, si talem consuetudinem euellere non conetur. Quia censetur esse in proxima deliquendi lethaliter occasione: cum illa consuetudo ad iungenda iuramenta cum mendacio inducat.Sayr.*in Claui, l.* 5. *cap.* 5. *num.* 10. Suar. *l.*3. *de iuram. cap.* 6. Nauar. *sum. cap.* 12. *num.* 6. Sylui 2. 2 *q.* 89. *art.* 3. *concl.* 3.

35 *Status qui habet iurandi, ac mentiendi vsū,& cōiungendi cum iuramentis mendacia, consuetudinem.*

Aduertens, se habere peierandi consuetudinem, & non adhibens remedia ad illam auferendam: delinquit lethaliter, quoties id aduertit, & extirpare huiusmodi consuetudinem non conatur. Quia in proxima occasione delinquendi mortaliter diuersatur. Valent.2. 2. *d.*6. *q.* 7. *punct.*3. Bonac. *de leg. d.* 4. *quæst* 5. *punct.* 13. *numer.* 5. Sanch.*l.* 3. *c.* 5.*n.* 13.Graf. *p.* 1.*l.* 2. *cap.* 20. *num.* 14. Diana *p.*1.*tract. de circumstant. resol.* 55.

36 *Aduertens se hanc consuetudinem habere,peccat, quoties extirpare non curat.*

Profectò ab eo statu peccati potest se liberare, de praua consuetudine, ac peccatis dolendo, & proponendo, se amplius non male iuraturum, conaturumque huiusmodi consuetudinem euellere. Vnde talis potest absolui. Quia hæc consuetudo non dicitur occasio extrinseca, ob quam sit ei deneganda absolutio. Postquam autèm pœnitens praua consuetudinem efficaci proposito retractauit, tunc sequentia falsa iuramenta, eadem consuetudine quasi naturali, ac necessario impetu prouenientia, non imputabuntur ad peccatum. Quia neque sunt voluntaria in se, vt supponitur: neque in sua causa puta in consuetudine, quippè quæ ab ipso per propositum retractata, non amplius voluntaria censeri debeat: sed indeliberatā orta scilicet ex proua iurandi consuetudine. Porrò quando Doctores dicunt abnegandam esse absolutionem habenti consuetudinem iurandi intelligendi sunt de habente consuetudinem iurandi ex aduertentia: non autem quandò proferuntur iuramenta inaduertentèr; cum tunc non sint peccata quantumcumque ex possima consuetudine oriantur. Tutius tamen aget Confessor, pœnitentem moneat, vt negligentiam in extirpanda praua hac consuetudine fateatur. Scio, ratione scandali vitandi quod iurans passim aliis præbere solet, iuxta prudentis Confessarij iudicium, absolutionem aliquando denegari debere, aut differri, provt saluti pœnitentis expedire iudicauerit. Laym.*l.*1.*tract.*2.*c.*3.*num.*6.Santius *in select. d.* 10.*numer.* 5. *&* 7. Diana *pun.* 1. *tr.* 5.*resol.* 62. *& pun.*1.*tract.* 7.*resol.*55. Caspens. *tract.*12.*d.*3.*num.*14.Suar.*de Relig.tom.*2. *de iuram.l.*3.*cap.*17.*num.*3.

CAPT VI.

De peccato Iuramentum violantis.

38 *Violans iuramentum in re magna.*

VIOLANS iuramentum promissorium in re magni momenti,mortaliter delinquit, vt patet.At qui in re parui momenti serio promissa violat etiā peccat lethaliter siue

aut parua seriò, promissa lethaliter peccat.

sit tota materia siue pars. Quia qui rei paruæ promissionem, quam iurament confirmauit, non implet : quantum in se est Deum efficit testam falsi: hoc autem peccatum est lethale, cum magna Deo irrogetur iniuria. *Sect.* 2. sententia hæc recurret ad trutinam. Lessi. *l.* 2. *c.* 42. *dub.* 5. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 7. *pun.* 2. Reginal *d.l.* 18. *n.* 79.

39 *Qui emisit iuramentum comminatorium de infligēda alicui pœna; quā iustè potest, infligere, debet implere.*

Qui emisit iuramentum comminatorium de pœna alicui infligenda, quam iustè potest infligere, tenetur iuramentum implere: modo eius adimpletio non sit impeditiua maioris boni, aut non sit sublata causa propter quam adimpleri debeat; secus, si causa variata est; iuramentum enim habet hanc tacitam conditionem : Nisi causa varietur. Verùm censetur variari causa, quoties aduenit causa non puniendi. Quod si quis comminetur ex passione, & ira, seu animo vindictæ inordinatæ : non tenetur iuramentum implere. Quia iuramentum vt sic non habet materiam bonam. Reginal. *l.* 18. *n.* 56. Sayr. *in Clau l.* 5. *c.* 5. *n.* 12. Bonac. *de legib. d.* 4. *q.* 1. *pun.* 4. *n.* 3.

40 *Iuramentum cadens supra promissionem habenten tacitam conditionem ex intentione iurantis &c. eo modo est explicandum, quo explicatur & obliga ipsa promissio.*

Iuramentum cadens supra promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione iurantis, vel ex dispositione iuris *C. de non numerata pecu.* vel ex consuetudine iam recepta : eo modo explicandum est, quo explicatur, & obligat ipsa promisio. Quia iuramentum sortitur conditiones actus, super quem cadit. Hinc qui iurauit, se alteri centum soluturum, potest vti compensatione non soluendo, si alter sibi totidem debeat. Quia promissio censetur facta cum tacita conditione : Nisi aliunde satis fecero, vel compensauero. Similiter qui promisit aliquid absenti cum iuramento, potest promissionem ante quam acceptetur, reuocare. Quia censetur facta cum conditione : si acceptet. Suar. *de iuram. l.* 2. *cap.* 32. Sanch. *l.* 3. *cap.* 17. *n.* 15. Reginal. *l.* 18. *n.* 34. Lessi. *l.* 2. *cap.* 42. *dub.* 7. Bonac. *de iuram. q.* 1. *pun.* 16. *n.* 1.

41 *Iuramentum in dubio ita explicandum est, vt quantum fieri possit, minus obliget, seruata verborum proprietate.*

In dubio iuramentum ita explicandum est, vt quantum fieri potest, minus obliget, seruata verborum proprietate. Vndè iuramentum, vel votum non ludendi (verbi gratiâ) intelligitur de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis causa suscipitur : nisi aliter coniiciatur de iurantis, vel vouentis intentione. Quia vbi agitur de obligatione contrahenda, strictè interpretatio gerenda est. Ideo iuramentum restringendum est, vt quantum fieri potest, minus obliget. At si constet, iurantem, aut vouentem se voluisse obligare ad abstinendum à ludo licito, tenetur ex vi iuramenti abstinere. Porrò intentio iurantis colligi potest ex fine, quo ductus est ad iurandum, aut vouendum abstinentiam à ludo. Sanch. *l.* 3. *cap.* 17. & 18. Nauar. *sum. cap.* 12. *num.* 11. Manu *part.* 1. *cap.* 188. *num.* 10. Reginal. *l.* 18. *numer.* 34.

* *
*

CAPVT VII.

De Periurij pœnis.

42 *Prima pœna Periurij Infamia.*

Quatuor Periurij pœnas præscriptas inuenio. Prima ac præcipua est *Infamia*, quæ vtróque iure tam Pontificio, quàm Cæsareo irrogatur. Ad hanc tamen infamiam contrahendam, duæ debent conditiones concurrere, scilicet, quòd solemniter iurando peierauerit : & quod postea in foro iudiciali sit de periurio publicè condemnatus, ita vt sit à ferendo testimonio repudiandus. Pro iure Pontificio stat *can. Infames. 6. q.* 1. *can. Quicumque. q.* 1. Pro Cæsareo verò *lex, si quis maior. C. de transact.*

43 *Secunda sollemnatus pœna afficitur, &c.*

Secunda est, Periurium assertorium rei præsentis vel præteritæ iure ciuili punitur pœna criminis stellionatus. Et ideo periurus ad tempus exulat. Periurium autem promissorium hanc etiam iure ciuili pœnam habet, vt præter infamiam periurus pœnam contractus soluat, & actionem, omnèque conuentionis commodum amittat. *l. vlt. ff. de crimi. stellion. l. si quis maior.* Couar. *ad c. Quamvis p.* 1.

44 *Tertia Depositione punitur Clericus. Et quid laicus.*

Tertia est Periurium simplex priuato homini iniuriam, ac præiudicium irrogans iure Pontificio pœna depositionis ab Ordine, si Clericus sit, punitur. Quod si falsum dixerit testimonium in iudicio, vltra depositionem in Monasterium detruditur; si laicus sit, & sit capitale crimen, qui falsum testimonium aduersus reum dixerit, puniendus erit eadem pœna, qua reus ipse puniretur, si criminis conictus foret, si verò crimen capitale non sit, tum pœna falsi in homine libero est deportatio, omnium bonorum publicatio; in seruo autem vltimum supplicium *c. Cum non ab homine. de iudic. c. si Episcopus d.* 50. Couar. *ad c. Quamvis, p.* 2. §. 7. *n.* 6. *de pactis in* 6. Sayr. *in Clau l.* 5. *c.* 9. *num.* 7.

45 *Quarta Beneficij priuatio.*

Quarta est. Periurus priuandus est Beneficio. Attamen procedunt hæc omnia in periuro ratione deficientis veritatis : non autem ratione deficientis iustitiæ, aut iudicij. Ex periurio enim in istis nec infamia incurritur, nec à testimonio repellitur, nec depositione afficitur, nec Beneficio Ecclesiastico priuatur, si autem beneficiatus periurus sit veritatis defectu : collatio Beneficij ei facta, est ipso iure nulla. Quia periurus est infamis Sylvest. *v. Periurium, n.* 5. Sotus *l.* 8. *de iust. q.* 2. *concl.* 6. *a.* 3. Caiet. 2. 2. *q.* 89. *a.* 2. Filliuc. *tr.* 15. *c.* 12. *fine.*

CAPVT VIII.

De modis, queis obligatio Iuramenti tollitur.

46 *Quomodo obligatio iuramenti, aut quam inducta sit, tolli possit*

OBligatio iuramenti dupliciter tolli potest. Primò, impediendo, ne illâ à principio inducat. Secùdo, tollēdo iā inductā. Verū impediri obligatio

obligatio iuramenti potest per legem: v.gr. lex statuat, vt iuramentum contractui, vel promissioni alicui adiectum sit irritum, & nullam inducat obligationem sic Tridentinum *ses. 25. c. 16.* videtur irritare renunciationem bonorum etiam cum iuramento factam antè duos menses præcedentes professionem. Alio modo impediri potest obligatio, quando prohibetur executio, ita vt sine peccato fieri non possit: quomodo putant multi, impediri obligationem pœnæ conuentionalis sponsalibus appositæ, & iuramento confirmatæ. Bonac. *de iuram. q. 1. pun. 17. n. 1.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 12.* Sanch. *l. 3. sum. c. 22. n. 11.*

47 *Obligatio iuramenti iure inducta tollitur mutatione materiæ.*

Porro obligatio iuramenti iam inducta, quinque modis potest auferri. *Mutatione materiæ, Condonatione, Irritatione, Commutatione, Dispensatione.* Primò Mutatione materiæ certum est, obligationem iuramenti cessare: v.gr. si materia fiat illicita. Quia iuramentum non est vinculum iniquitatis. Aut si materia fiat impossibilis. Quia ad impossibile nemo tenetur. Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 12. n. 57.* Sayr. *in Clavi, l. 5. c. 7.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 9.*

48 *Et condonatione seu relaxatione.*

Secundò tollitur Condonatione, seu relaxatione eius, in cuius fauorem factum est iuramentum. Quia quiuis potest condonare promissionem factam in suum commodum, etiamsi in modum voti facta fuerit. Nam qui hoc modo vouet, aut iurat, censetur solùm se obligare sub conditione tacita: si ille in cuius fauorem iurat, velit acceptare. Illo igitur remittente, obligationem, aut nolente promissionem acceptare: iurans liber erit ab obligatione iuramenti. Ex gr. si voueas Deo, vel iures, te ducturum Antoniam inopem, vel daturum illi dotem, vt melius nubat: ea remittente obligationem liber ab obligatione promissionis quamvis iuratæ remanebis. Sanch. *l. 3. sum. c. 20. n. 4.* Manu. *sum. p. 1. c. 244. n. 10.* Sylui. *2. 2. q. 89. a. 9.* Laym. *l. 4. tr. 3. c. 11.*

49 *Et irritatione superioris.*

Tertio tollitur Irritatione facta per superiores, quibus subiecta est materia iuramenti. Hanc facultatem irritandi iuramenta, sicut & vota, etiam sinè causa, habet pater respectu filiorum, superior respectu subditorum, dominus respectu seruorum, maritus respectu exoris in iis rebus, in quibus tales personæ sunt subiectæ. Quia nullus potest iurare in alterius præiudicium. Vndè omnes illi possunt iuramenta irritare, qui vota eiusdem materiæ irrita reddere poterant. Sanch. *de matr. l. 6. d. 9. n. 10.* Sayr. *in clavi l. 5. c. 8. n. 5.* Reginal. *l. 18. n. 64. & 66.* Laym. *l. 4. tr. 3. n. 1. & 2.*

50 *Iuramenta minorum non possunt à tutoribus irrita reddi.*

Monuerim tamen, iuramenta minorum haud posse à curatoribus irrita reddi, quamvis hi possint vota realia eorum irritare, quatenus ipsorum administrationi officiunt. Vnde minoribus non conceditur restitutio in integrum, dum ex contractu sunt læsi si iuramento illum confirmarunt. Quia iuramentum supplet ætatis defectum, eòsque dispositione legis officit maiores, *l. 1. & 2. C. si aduersus venditionem.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 12. n. 61.* Secùs dixerim de iuramentis impuberum: hæc enim poterunt à tutoribus irritari. Quia nihil iura in contrarium statuerent. *c. Pueri 22. q. 5.*

51 *Tollitur iuramenti obligatione commutatione.*

Quartò, tollitur Commutatione: vt si ille, cui factum est concedat aliud opus loco illius, quod iuramento promissum est præstari. Verum quando talis commutatio est facta, iurans non tenetur ex vi iuramenti ad præstandum illud in quod facta est. Quia illud iuramento non promisit; sed ex pacto, quo illud loco alterius acceptauit. Secus autem est in commutatione voti. Quia dum acceptat quis commutationem, tacite Deo promittit id, in quod fit commutatio; quæ promissio cum Deo fiat, habet vim voti. Præterea omne iuramentum promissorium vel fit in honorem Dei, & sic continet Votum, vel fit in fauorem hominis, & tunc vel acceptatur, vel non acceptatur. Si fiat in Dei honorem, vt si quis iuret, se auditurum sacrum, &c. commutari potest ab eo, qui simile votum potestate Ordinaria potest commutare: verbi gratiâ ab Episcopo, & aliis Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos. Hi quidem possunt talia iuramenta, præter ea, quæ implicant votum Pontifici reseruatum, mutare. Quia in illis dispensare possunt: commutare autem minus est, quam dispensare; nam dispensatio omnino remittit iuramenti obligationem: commutatio verò non item: sed vnum in aliud mutat vel æquale vel melius. Profectò ex potestate delegata Regulares, qui ex priuilegio vota commutant possunt etiam iuramenta de eadem materia commutare. Quia iuramenti vinculum per se minus est, quam votum: at cui concessum quod maius est censetur etiam quod minus est, concedi. Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 12. n. 57. 58. & 59.* Bonac. *de iuram. q. 1. pun. 17. n. 7.* Sanch. *de matr. l. 8. d. 16. n. 7.* Manu. *p. 1. sum. c. 191. concl. 10.* Arag. *2. 2. q. 89. a. 12.* Ludou. Lop. *de voto. q. 5. n. 42.*

52 *Quenammodo debeat hæc commutatio fieri.*

Commutatio iuramenti in æquale, vel minus bonum, quamvis fieri non possit sinè authoritate Prælati, aut alterius habentis ad hoc potestatem: in illud tamen, quod certum est, melius esse, vnusquisque pro suo arbitratu commutare potest. Vnde omnia iuramenta extinguntur Religionis approbatæ professione, sicut & vota. Quid si talia iuramenta cedant in commodum tertij? Certè si promissionis verba ad illum directa non sint, nullum ille ius acquirit. si autem iuramentum fiat in fauorem hominis & valide sit acceptatum, non potest commutari ab alio, ipso inuito, nisi intercesserit iniuria, vel nisi hoc in iustam illius pœnam, vel nisi commune bonum ita flagitet. Quia superior non potest tollere ius alterius nisi vrgentissima adsit causa: ille autem, in cuius fauorem præstitum est iuramentum, ius per acceptationem acquisiuit. Lessi. *l. 2. cap. 42. dub. 12. numer. 58.* Bonac. *de iuram. q. 1. pun. 17. num. 7.* Caiet. *2. 2. q. 88. a. 12.*

53 *Tollitur etiam dispensatione.*

Quintò, tollitur iuramenti obligatio Dispensatione, seu abolitione, Hæc fit superioris authoritate: & quidem summus Pontifex in omni iuramento potest ex causa rationabili, cessente tertiæ personæ damno, dispensare. Tolet. *l. 4. c. 23.* Arag. *2. 2. 9. 89. a. 9.* Episcopus autem ex causa, cum sibi subditis, non solùm potest declarare quando dubium subest, an aliquid sub iuramento promissum sit debita voti materia: sed etiam dispensare in omnibus iuramentis, quæ si essent vota, posset in illis dispensare. Quia vinculum iuramenti minus est, quam vinculum

lum voti: vnde qui potest à voto absoluere, à iuramento etiam de eadem re emisso absoluere potest. D. Tho. 2.2.q.89.a.9.ad 3. Sayr. *in claui, l.5.c.8.n.9.* Filliuc. *tr.25.c.9.q.9.* Bonac. *de iuram.q.1 pun.17.num.11.*

54 *Prælati Regulares circa suos subditos, & qui Ordinum mendicantium priuilegiis fruuntur dispensare in iuramento possunt.*

Prælati Regulares exempti ab Ordinario circa suos subditos in iuramentis dispensare possunt, sicut Episcopi. Imò etiam omnes confessores Ordinum Mendicantium, & alij Confessores Regulares, qui Ordinum Mendicantium priuilegiis fruuntur, ex priuilegio Innocentij VIII. & Eugenij IV. possunt dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi: & consequenter in omnibus iuramẽtis, iuxtà supra traditam rationem. Manu. *p.1. sum.c.191.n.10.* Arag. 2.2.*q.88.a.12.* Sanch. *l.4. su.c.5.n.8.* Sayr. *in Claui, l.5.c.8.n.10.* Porro priuilegium Innocentij fuit tantum viuæ vocis oraculum, & ideò hoc tempore annullatum per Bullam Vrbani VIII.

55 *Dispensans in iuramento sine causa, peccat, & in foro conscientiæ non est valida dispensatio.*

Dispensans in iuramento sine causa rationabili peccat: nec in foro conscientiæ valida est dispensatio. Quia respectu illarũ rerũ, quæ exiure diuino, seu naturali pendent, non habet summus Pontifex supremam potestatem, sed tantum dispensatoriam, quæ data est in Ecclesiæ ædificationem, & non in destructionem. Causa verò dispensandi in iuramento eliciendа est, vel ex grauitate operis, & imbecillitate iurãtis: vel ex diminuta operis vtilitate: vel respectu boni cõmunis: & quæcũque causa sufficiés ad dispensandum in vo is, sufficit etiã ad dispensãdũ in iuramẽtis. Cert è quãdo causa nõ est sufficiens ad dispensandum, potest iuramentum partim relaxari, & partim commutari, habita causæ ratione. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *ad* 2. Caiet. *ibi.* Sanch. *l.* 3. *cap.* 19. *numer.* 4. Valent. 2. 2. *d.6. quæst.* 7. *punct.*4. Sylui. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *concl.*4.

56 *Causa iusta dispensandi in iuramento, quamvis sit in fauorem tertij emissum.*

Denique causas iustas relaxandi iuramentum quamvis emissum sit in fauorem tertij, recenseo. Prima est, si metu, vel fraude sit extortum. Secunda, si alia iniustitia interceſſit, vt cum vsurarius exigit iuramentum de vsuris soluendis: vel quandò quis in contractu grauiter est læsus, & coactus, illum iuramento confirmare, vel non aduertens læsionem spontè confirmauit. Tertia, in iustam pœnam, quando is, cui præstitum est iuramentum est, meretur, vel quia iniquè exegit, siue quia commisit aliquid ob quod meretur bonis spoliari; vel quia contumax in Ecclesiã obiicitur. Quarta, si bonum commune id postulare videatur. Lessi. *l.2.c.42.dub.12.n.62.* Sylui. 2.2.*q.8.a.12. concl.* 4. Bonac. *d.iuram. q.1.pun.17.num.8.*

DE VOTO.

CAPVT IX.

De Voti essentia.

57 *Voti definitio. Et vis particulæ, Promissio.*

VOTVM est *Promissio Deo facta deliberatè, de meliori bono.* Prima definitionis particula *Promissio* significat, votum non esse nudum propositum boni operis in Dei honorem præstandi absque obligationis necessitate: etenim promissio si verè, & non ficte fiat, procedit ex voluntate se obligandi, ita vt promissario, id est, Deo ius acquirentur. Quod adeo est verum, vt si quis ignorans vim, & essentiam voti, velit vouere, non autèm obligationem voti contrahere: is re vera nec vouear, nec obligetur. Quia incogniti nulla voluntas: & error circa substantiam, ac essentiam rei vitiat actum. Sanch. *l.1.de matr.d.* 9. *num.* 3. & *l.* 4. *sum. cap.* 1. *numer.* 27. Suar. *l.* 1. *de voto, cap.* 3. *numer.* 3. & 7. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 1.

58 *Qui vouet animo se obligandi Deo, sed non exequendi voto obligatur.*

Si vouens animum se obligandi, ac verè vouendi habeat: licet non implendi, sed præuaricandi votum: nihilominus voto adstringetur. Quià sicuti re ipsa accidere potest, vt aliquis castitatis voto obstrictus sit, castitatem tamèn non seruet: sic etiam hæc Deo voluntate sæparari possũt, vt aliquis votõ obligatus esse velit ad castitatem seruandam, non tamen obligationi satisfacere. Sanch. *l.4. sum. c.1.n.13.* Sotus *l.7.de iust.q.* 1.*a.*2. Arag. 2. 2.*q.* 88.*a.*1.*concl.*3. Nauar. *sum.c.*12.*n.* 27. Medina. *l.*2. *institut. cap.* 14. §. 6. Suar. *l.* 1. *de voto, cap.* 4. *fine.*

59 *Ad votum requiritur vo, luntatis consensus.*

Altera definitionis particula, *Deliberatè* indicit, ad votum, sicuti & ad quamlibet aliam promissionem, quæ obligationem pariat, requiri voluntatis consensum. Vnde colligo 1. votum validum non esse, quod ex subitaneo motu, vel animi passione iudicium, ac deliberationem perturbante, concipitur. Quia cum tali animi pertubatione ac indeliberatione neque mortaliter solet delinqui. Tanta autem animi deliberatio requiritur, ac sufficit ad taliter peccandum. Quapropter sicut ad peccatum mortale, ità & ad votum requiritur plena deliberatio intellectus. Palud. *in* 4.*d.* 38. *q.*1. D. Antonin. *p.*2.*tit.*11.*c.*2.*antè* §.1. Nauar. *su. c.*12.*n.*26.*&* 27. Sanch. *l.*1.*de matr.d.* 8.*n.*5. *&* l. 4.*sum.c.*1.*n.*2. Moli. *to.* 2. *de iust. d.* 267. Suar. *l.*1.*de voto cap.*9.

60 *Votum editũ ex ignorantia nullius est roboris, sed duplex ignorantia distinguenda.*

Hinc colligo votum editum ex ignorantia siue errore tollente voluntarium, nullius roboris esse. Moneo tamen duplicem esse ignorantiam, aliam negatiuam positiuam aliam. Si ignorantia negatiua sit circa rei promissæ substantiam irritum est votum. Quia incogniti nulla est voluntas. Si autem solùm sit circa accidentalia rei promissæ, validum votum erit. Quia cum accidentia, seu circumstantiæ sint cõnexæ rei promissæ: ideo qui hanc voluntariè vouet, illas etiã consequenter vouisse cẽsetur. Portrò ignorantia positiua, siue error positiuus impedit voti valorẽ, nõ tantũ si circa substantialia rei promissæ versetur: sed etiã si circà accidentalẽ circũstantiam, quę secundũ falsã vouentis existimationem notabiliter obiectum immutat. Exemplum exhibeo ex Laymano citando: Ordinem Carthusianorum te voues ingressurum, existimans, in eo permissum esse carnibus vesci, ita vt talis error sit antecedẽs, siue causa vouẽdi, quia eo sepositio, minimè voueres: voto non obligaris. Quia Religionem illã haud absolutè vouisti, sed vt tali conditione affectã: quæ licet sit accidens obiecti, seu rei promissæ materialiter: pertinet tamen quodammodo ad substantiam obiecti formaliter, siue pro

pro vt est in vouentis intentione. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *ca.* 1. *num.* 5. Suar *l.* 1. *de voto, c.* 11. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 2. *num.* 4. Excipio votum professionis solemnis, quod instar matrimonij carnalis ob nullum errorem ad substantiam rei promissæ non pertinentem, infirmatur. Idem dixerim de votis simplicibus Societatis Iesu, quippè per quæ veri Religiosi constituimur, & quasi spirituale cum Christo Domino matrimonium contrahimus, vt Santius *citatus* edocuit.

61 *Votum proprie loquendo debet soli Deo fieri.*

Tertia diffinitionis particula *Deo facta* significat, votum, si propriè sit loquendum, soli Deo fieri, cum sit actus latriæ, siuè Religionis, qua solùm Deũ colimus. Quod si passim apud Doctores legas Sanctis, seu beatis in cœlo vota nuncupari: duobus id modis exposuerim. Primò ad eum modum quo dici etiam solet, Templa & altaria sanctis dedicari: quia Deo dicantur in honorem, seu memoriam sanctorum. Secundo promissio immediatè ipsi Sancto fieri potest ad honorem eius, & testificationem gloriæ, ac beatitudinis ipsius: tunc verò talis promissio sacra quidem est, & ad Dei cultum ordinata: sed non est propriè votum neque elicitiuè à virtute Religionis, sed duliç, siuè obseruantiæ. Suar *l.* 1. *de voto, c.* 16. *n.* 9. & 17. Vbi addit, in quibusdam Religionibus dici: *Voueo Deo, B. Mariæ, & Sanctis.* Quod quidem eum sensum habere crediderim: Voueo Deo coram B. Virgine, & sanctis tanquam testibus, & aduocatis. Quarta demum definitionis particula, *De meliori bono*, materiam voti significat, de quo mox disseremus.

CAPVT X.

De Materia voti.

62 *Prima conditio materiæ voti: vt sit possibilis vouenti.*

MAteriæ nomine intelligo remotè res ipsas, quas ob honorem Dei nos facturos, aut omissuros promittimus, proximè verò ipsã nostram operationem, seu omissionẽ Deo promissam: v. gr. Voueo, me eleemosynã largiturũ, ieiunaturum, non blasphamaturum. Triplicem conditionem ad materiam voti requiri affirmo. Prima est, vt posita sit in vouẽtis potestate. Vndè colligò, factum alienũ voueri non posse. Quia in vouentis potestate non est. Nec factum moraliter impossibile naturaliter. Quarè irritum est votum nunquam venialiter delinquendi ob moralem eius impossibilitatem.

63 *Secunda conditio est, vt sit opus moraliter bonum.*

Secunda est, vt materia voti sit opus moraliter bonum. Quare opus seu diuina seu humana lege prohibitum, non potest cadere sub votum. Quia cum homini sit illicitum, Deo autem ingratum, non est capax promissionis, seu obligationis: ac consequenter nullum est votum rei malæ. Tolet. *l.* 4. *c.* 17. *n.* 15. Quæris autem, quale peccatum sit, rem malam Deo vouere? Dupliciter delinquit is, qui rem malam Deo vouet, proposito exequendi: videlicet, nõ tantùm contrà iustitiam, aliá ve virtutem, cui opus promissum secundum se aduersatur, sed etiam contrà Religionem: & quidem mortaliter, si peccatum mortale Deo quis promittat, se patraturum: venialiter verò, si veniale. Sylueſt *v. votum, q.* 4. Sotus *de iust. l.* 1. *q.* 1. *art.* 3. Ma-

nu *to.* 1. *sum. c.* 94. *concil.* 1. Tolet. *citat.* Caiet. *v. Votum. art.* 2. Armil *ibi*, *num.* 1. Less. *l.* 2. *cap.* 40. *num.* 39. Sanch *l.* 4. *sum. c.* 6. *n.* 9. Hi tamen excipiunt, si quis peccatum veniale Deo promittat, quasi ipsi placeat, & acceptum sit; fore hanc irrisionem Dei, & peccatum Blasphemiæ mortalis.

64 *Finis est vna ex præcipuis circumstantiis, quæ votum assolent vitiare. Qui quidem duplex est.*

Finis quidem est, vna ex præcipuis circumstantiis, quæ votum assolent vitiare: Alius autem est finis rei promissæ, alius verò ipsius vouentis. Prioris prauitas, cum se teneat ex parte obiecti, vitiat materiam voti, & consequenter ipsum votum. Non sic prauitas finis posterioris votum infirmat. Quia tenens se duntaxat ex parte voluntatis, quam ad vouendum impellit, ipsam voti materiam, & reliqua substantialia, bona, & integra relinquit. Exemplum exhibeo: si aliquis vouit, se eleemosynam daturum ad vanam gloriam captandam, ita vt eleemosynæ elargitio facienda, & vanæ gloriæ causa: nulla oritur obligatio voti. Quia malum est, eleemosynam impertire causa iactantiæ. Qui autem gloriæ aucupandæ gratia coram aliis vouit, se eleemosynam largiturum, is rem bonam vouit, quamvis malè: ideóque voti religione tenetur. Layman *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 3. Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2.

Opus ex se indifferens non potest esse materia voti, nisi bono, & congruo fine honestetur. Quia tale opus in individuo hoc ipso malum est: nam otiosum, & fine debito destitutum. Deindè etsi demus actum indifferentem in individuo malum non esse: quia tamen vanus, & inutilis est, ideò votum de huiusmodi operè deridendum potius, quam seruandum. Vndè irrita sunt vota non nendi, die Sabbati in Deiparæ honorem. Non vescendi capite bouino in honorem D. Ioannis Baptistæ decollati: Non comedendi in festo S Laurentij carnes assas; si interim vouenti facultas relinquatur aliis seruilibus operibus eodem die se occupandi, vel aliis carnibus vescendi. D. Antonin *part.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. §. 4. Angel *v. Votum*, §. 5. Caietan. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Medi. *l.* 1. *institut. cap.* 14. §. 6. Nauar. *sum. cap.* 12. *num.* 28 & 37. Tolet. *l.* 4. *cap.* 17. *num.* 14. Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 7. *num.* 6. Azor. *l.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 5. Certè eiusmodi abstinentiæ ad Diuos honorandos congruæ non sunt, sed potiùs superstitiosæ.

65 *Opera bona aliàs præcepta possunt esse voti materia.*

Opera bona, quæ sub præcepto sunt, possunt esse materia voti. Quia cum necessitas præcepti non est simpliciter dicta, sed solùm ex suppositione finis, si homo à peccato declinare, vel animæ salutem seruare aut consequi velit: ac proindè voluntas simpliciter libera maneat, ad opus faciendum, vel omittendum: poterit ea magis determinari, & obligari per votum. Si quidem nihil obstat rem eandem ex diuersis obligationum capitibus esse debitam: & debitorem: pluribus ac diuersis vinculis adstringi. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *artic.* 2. *in corpo.* Laym. *l.* 4. *tractat.* 4. *capite* 2. *numero* 9. & alij communiter.

66 *Votum rei bonæ, sed propter finem.*

Votum rei bonæ, sed propter finem temporalem seu indifferentem non est validum si finis omninò indifferens sit ipsius rei promissæ, principalis, ac totalis: verbi gratiâ si quis

temporalem, seu indifferentem non est votum.

voueat, se ieiunaturum, vt sumptibus parcat, nullum aliud finem iustum spectans. Quia cum in moralibus species rei sumatur à fine: ideò si finis rei promissæ sit indifferens, totus actus ex obiecto indifferens erit, adeóque inepta materia voti. Sin autem aliquis rem bonam, verbi gratiâ eleemosynam, aut ieiunium voueat, tanquam medium, vt à Deo impetret rem temporalem, seu indifferentem, verbi gratiâ officium honorificum prædiues matrimonium, vel in gratiarum actionem. Si obtinuerit: voto obligabitur. Quia hæc à Deo tanquam eorum authore petere, vel pro impetratis gratias agere, bonum est, & honestum. Angel. *v. Votum* §. 4. Sylvest. *v. Votum* 1. *quæst.* 4. Sanch *l.* 4. *sum. cap.* 7. *num.* 25.

67 *Tertia conditio voti, vt sit de meliori bono.*

Tertia conditio est, vt materia voti sit opus melius, quam oppositum. Quia cum Deo, cuius voluntas sanctificatio nostra est 1. *Thessal.* 4. magis placeat opus, quod maius, & melius, quam eius oppositum: sequitur, Deo placitum, seu acceptum non esse, si homo se obliget ad faciendum minus: hoc enim ipso se obligat ad omittendum oppositum, quod melius est, & Deo magis placitum. Quare talis obligatio, aut promissio Deo accepta non est. D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 11. addens, validum esse votum quasi conditionale: Si lusero sine rixa & fraude voueo me lusurum. Si comedero, temperate comesturum esse. Quia talia vota resoluuntur in negationem: Voueo, me nihil inhoneste acturum. Suar. *l.* 2. *de voto, cap.* 8. *n.* 5.

68 *Matrimonium ordinariè non est voti materia.*

Matrimonium ordinariè non est voti materia. Quia status continentiæ melior, ac beatior est teste Apostolo 1. *Cor.* 7. Trid *sess.* 24. *c.* 10. si quidem animum à curis sæcularibus & carnis voluptatibus liberum magis expeditum reddit ad seruiendum Domino, Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q. dein.* 5. & omnes. Excipe nisi persona aliqua ob corporis fragilitatem, ac inueteratam peccandi consuetudinem, adeò sit ad lapsum carnis prona, vt virorum prudentum iudicio consultum ei sit, statum matrimonij amplecti. Bellar. *l.* 1. *de Monach. c.* 14. Azor. *l.* 11. *c.* 14. *q.* 9. Moli. *to.* 1. *tr.* 2. *d.* 149. Sanch. *l.* 2. *de matr. d.* 4. *n.* 7. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 1. *a.* 3. Verùm si aliquis pietatis intuitu erga puellam pauperem, vel miserabilem nempè meretricem, votum edidit, se eã ducturum; obligatur voto, non quidem absolutè, vt eam ducat: sed conditionatè, si aliquam ducere velit, hanc ducat; seu ne aliam ducat, qnam istam: ad quod etiam ab Episcopo potest compelli, si votum fuit publicum. Henriq. *l.* 12. *cap.* 6. *n.* 5. Philiar. *to.* 1. *de offic. Sacerd. p.* 2. *l.* 3. *cap.* 17. *num.* 3. & alij.

CAPVT XI.

De Voti obligatione.

69 *Quid voto promissi, ipsi plorè ex obligatio. Imò in Ecclesiastico externo foro potes ad id compelli.*

DE Fide est, teneri nos præstare, quod voto promitrimus Isa. 19. *Colent eũ in hostiis, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Deut. 23. *si nolueris polliceri, absque peccato eris: quod autem semel egressũ est de labiis tuis, obseruabis.* Imo etiam in externo Ecclesiastico foro voues ad executionẽ potest compelli, si constat edidisse. *l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de pollicit. cap. Quod super, de fide instrum.* D. Tho. 2. 2. *q.* 189. *a.* 3. *ad* 1. Quia ad Ecclesiasticiludicis officium impedire pertinet, ne grauia crimina committantur, cuiusmodi est Sacrilega voti trangressio. Sylvest. *v. Votum* 2. *q.* 19. Angel. *v. Votum*, 3. §. 26. Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 11. *n.* 19.

70 *Transgressio voti ex genere suo mortalis, ratione materiæ parui momenti venialis efficitur.*

Obligatio voti ex genere suo grauis est, & sub lethali piaculo. Quia tendit ad fidelitatem Deo ex Religionis virtute præstandam. 1. Timot. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Tamen ob materiæ leuitatem efficitur leuis obligatio, & sub veniali piaculo. v. gr. si aliquis se ter *Pater, & Aue* recitaturum vouerit. Quia votum est quasi priuata quædam lex, quam quisque sibi spontè imponit: ideóque eius obligatio ad modum aliarum legum est explicanda, vt ad eius grauitatem tum intentio ferentis obligationem, tum etiam materiæ capacitas requiratur. Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 1. Nauar. *c.* 12. *n.* 40. Sa v. *Votum, n.* 15. Valent. 2. 2. *q.* 6. *pun.* 4. Manu. *to.* 2. *sum. c.* 99. *concl.* 1. Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 12. *n.* 5. Tolet. *l.* 4. *cap.* 27. *num.* 20.

71 *Votum in dubio inter prætandum est secundum voluntatem & intentionẽ vouentis, quippè ex qua omnis vis, & mensura obligationis oritur. Si autem de vouentis intentione non satis constet, tùm materia voti est inspicienda, & secundum eius naturam, & conditionem votum obseruandum. Quia quisque promittens præsumitur tali modo se obligari voluisse, sicuti rei promissæ natura postulat. Si vero etiam voti materia inspecta, de vouentis voluntate dubium maneat, tùm interpretatio fieri debet secundum verborum, quibus vsus est proprietatem, vel potius communem, & vsitatam acceptionem. Quia verborum proprietate, vel communi acceptione obseruata, neque materia voti repugnante, strictam potius, quam amplam voti interpretationem in dubio fieri conuenit. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2. Sanch. *l.* 1. *de matr. d.* 18. *&* *l.* 4. *sum. c.* 11. *n.* 29. Suar. *l.* 2. *de iuram. c.* 32. *&* *l.* 4. *de voto c.* 7.*

72 *Votum cum temporis determinatione editum debet eo tempore implere, si tempus non præfigatur, ut primũ possit.*

Profectò circa tempus, quo vota implenda sint: si dies, vel tempus præfinitum est, vt vltra aliud executio voti non differatur: eo elapso votum continuò est in culpa: & tanto quidem maiore, quanto diutius exequi vouens sine causa iusta moratur. Addo, si vouens præuideat fore, vt tempore præfixo impedimentum incidat, debere eum antè exequi. Quia cũ tẽpus præfixũ sit tanquã terminus seu finis executionis differendæ: si eo tempore votum impleri nequeat, debet ante illud tẽpus impleri: ne contra promissionem dilatio fiat vltra tẽpus prefixum. At si nullo definito tẽpore votum v. gr. eleemosynæ dandæ absolutè factum fuerit: debet illud vouens exequi cum primum commode possit. Quia hoc cõmune est omni promissioni absolutę & nõ limitatæ, vt statim obligationẽ pariat, & cõsequenter exequi debeat, Sanch. *l.* 4. *sum. c.* 14. *n.* 18. Suar *l.* 4. *de voto c.* 14. *n.* 7. Valent. 2. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *pu.* 4. *quæst iunc.* 3. Sylvest. *v. Votum.* 2. *q.* 2. Colligo ex *Deut.* 23. *Cum votum voueris Domino, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.*

73 *Obligatio voti personalis*

Certe obligatio voti personalis est adeo, vt solum vouens, & non alia persona obligetur. Quia obligatio voti & cuiucũque promissionis ex

ost & ad alia personam non transit. Vade Communitas votiū ediderit, tolleri nō obligantur ex Religionis virtute.

ex propriæ voluntatis consensu nasci debet: Ergo non alium quam ipsum vouentem obligat. Palud. *in 4. d. 38. qu. 3. a. 1.* Sylvest. *v. Votum 1. qu. 9.* Sotus *l. 7. qu. 2. a. 1. ad 5.* Et sumi potest ex Psal. 65. *Reddam tibi vota, quæ dixerunt labia mea.* Hinc colligo, si Communitas (verbi gratiâ) alicuius pagi, votum edat quotannis peregrinationem instituendi, posteri eius non obligari ex vi voti, in quod non consenserunt; sed interdùm ratione pacti, vel statuti, aut longæ consuetudinis obseruandi huiusmodi rem tanquam ex obligatione: dummodo approbatio Episcopi expressa vel tacita accedat. Colligo deinde, factum alienum voueri non posse, verbi gratiâ, alium ieiunaturum, Religionem ingressurum. Præterea teneri ipsummet vouentem votum implere, nec liberari, si per alium impleat. Quia vouens (vt suppono) factum proprium promisit: Ergo ad illud obligatur. At si quis votum suum ipsemet implere non possit, non tenetur alium rogare, vel substituere, qui impleat, tametsi vouens, non absque culpa in huiusmodi impotentiam inciderit. Quia actus non se extendit vltrà agentis intentionem: Vouentis autem intentio fuit se facturum, verbi gratiâ, oraturum, ieiunaturum: Ergo si id præstare non potest, non tenetur aliud facere, putà, alterum rogare, & substituere. Cuncta hæc ex Vasquez, Sanch. Suario, Sylvest. D. Antonino, & aliis colligit Layman. *lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 6.*

74 *Hæres tenetur voto realia defuncti, non autem personalia exequi.*

Ad hæredes post aditam hæreditatem realium votorum obligatio transit. Quia hæres voluntariè adeundo, & acceptando hæreditatem defuncti, sicut commoda eius, & omnia iura acquirit: ita etiam onera, & debita, siue reales obligationes in se suscipit. Inter huiusmodi autem obligationes, est etiam votum reale, id est, promissio Deo facta alicuius rei in honorem ipsius præstandæ. Vota autem merè personalia defuncti non tenetur hæres implere. Quia hæres succedit defuncto, eiusque personam repræsentat tantùm in realibus commodis, siue iuribus pariter ac oneribus seu debitis, *l. Hæredem. ff. de reg. iur. in 6.* Non item in priuilegiis, & obligationibus personalibus, id est, quæ personæ illius cohærent. Excipio, nisi sponte se obligarit ad vota personalia defuncti exequenda. Vel nisi sub ea conditione hæres non necessarius sit institutus, vt talia vota exequatur. Ita Doctor. *ad c. licet. de voto.* Neque vota mixta hæres implere tenetur: nisi quod in his reale est, per se, & independenter à personali obligatione defunctus promittere intēderit. Id vero in dubio, & nisi ex rei promissæ natura coniectura capi possit, præsumi non debet. Palud. *in 6. dist. 38. qu. 3. a. 3. conclus. 4.* D. Anthonin. *p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 5.* Sylvest. *v. Votum 2. qu. 11.*

75 *Triplex Votum, Reale, Personale, & Mixtum.*

Ad huius autem intelligentiam non te lateat, triplex esse votum, *Reale, Personale, & Mixtum.* Reale est promissio Deo facta alicuius rei dandæ, vel expendendæ à vouente, verbi gratiâ, eleemosynæ elargiendæ, Ecclesiæ erigendæ. Personale est promissio Deo facta alicuius actionis, functionis, seu officij præstandi à vouente: verbi gratia, castitatem seruandi, orandi, ieiunandi. Mixtum est, quod ex vtroque participat: si quis Deo promittat non solum rem aliquam suam, sed etiam propriæ personæ officium, siue functionem: verbi gratia, se propriis manibus Templum extructurum; suis sumptibus peregrinaturum: contra Fides hostes profecturum. Igitur in voto reali, personali, ac mixto attendi debet, quidnam principaliter promittere vouentis animus fuerit. Constat autem (vt vidimus) ad vouentis hæredem post aditam hæreditatem, transire votorum realium obligationem, non autem personalium. Addo, nec teneri vota, ac legata pia præstare vltrà vires hæreditatis: imò neque cum diminutione legitimæ necessariis hæredibus debitæ. Vota denique mixta implere non teneri, nisi quod in eis reale est per se, ac independenter à personali obligatione, defunctus promiserat.

CAPVT XII.

De Voto Pœnali.

VOTVM Pœnale dicitur, cum quis minime affectus est ad rem, quam in pœnam vouet: sed ideo eam promittit, si crimen commiserit, & à crimine retrahatur. Hoc duobus modis accidit. Primò, si duplex votum edat, videlicet rem aliquam absolu e faciendi, vel omittendi, ad quam animus inclinatus est: si verò id non præstiterit, tùm aliud ad quod animus inclinatus non est, tanquam in criminis pœnam, præstandi: verbi gratiâ, si voueas, te non fornicaturum, sin autem fornicationem gesseris, Religionem ingressurum. Secundò, si sola pœna promittatur sub conditione si id, quod animus est præstare, præstitum non fuerit: verbi gratiâ, Voueo me eleemosynam daturum, si lusero. Sanch. *l. 8. de matrim. d. 10. num. 1. & l. 4. Sum. c. 22. n. 2.* Azor. *l. 11. c. 1. qu. 8.* Ludou. Lop. *p. 1. Instruct. c. 44.*

76 *Quid sit votum Pœnale? Duplici modo emitti potest.*

77 *Tria corollaria deducuntur.*

In voto verè pœnali, si res illa, quam vouens per se ac principaliter spectabat, impossibilis, vel Deo accepta non sit: tunc cadit etiam obligatio pœnæ. Quia vt accessoria promissa fuit: vnde consequenter si res principalis præstanda non est, neque pœna locum habet. Exempli gratiâ, si aliquis vouit: Ni vindictam sumpsero à tali inimico, vel si cum hoc homine, quo cum inimicitias gero, locutus, vel domum eius ingressus fuero, in pœnam ieiunabo, eleemosynam impertiar: nulla est pœnæ subeundæ obligatio. Si obligatio voti validè emissi per dispensationem sublata fuit, tunc eo ipso cadit etiam obligatio pœnæ, licet de ea in dispensatione nulla facta fuerit mentio. Quia pœna habet ordinem ad transgressionem: At post dispensationem locum non habet transgressio voti: Ergo neque pœna. Quotiescumque aliquis ob ignorantiam, seu obliuionem, rem principalem perficere omisit, non tenetur pœnam præstare. Quia pœna locum non habet, vbi voluntaria transgressio non fuit. Laym. *l. 4. tract. 4. c. 5. num. 1. & 3.* citans alios.

78 *Votum si in postero blasphemiam exoro, dabo.*

Si quis vnicum votum ediderit, videlicet de pœna soluenda, si accidat in posterum, vt blasphemia, aut peccatum simile committatur: in primis examinanda est vouentis intentio, quæ

eleemosynæ, in dubio explicandum est de prima vice, licet plerumque intelligendum sit, toties quoties blasphemia committitur.

plerumque esse solet, in perpetuum sibi interdicere peccandi facultatem sub proposita pœna, itaut quotiescumque transgressio illa fiat, toties pœna soluatur: Sin verò spectatis omnibus circunstantiis, de intentione vouentis constare non possit, sed dubium maneat, censendus est vouens solum se obligare voluisse ad pœnam ob primam transgressionem. Quia cum de obligatione voti agitur, benigniorem pars in dubio est amplectenda, salua verborum proprietate. Atqui verba hæc voti: *Si in posterum blasphemauero, voueo, me decem aureos pauperibus erogaturum*, propria & non inusitata acceptione intelligi possunt de prima tantum transgressione: Ergo si vouens de intentione sua dubitet, hanc benigniorem partem, vt potè non abhorrentem à sermonis proprietate & vsu præferre potest. Sa. *v. Votum. n.* 26. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 4.

CAPVT XIII.

De Voto Conditionali.

79. Votum conditionatum imperfectam & suspensam continet obligationem vbertim exponо.

VOTVM conditionatum dicitur id, *ex quo obligatio oritur imperfecta, & suspensa: pendens nimirum a futuro euentu in conditionem appositо.* Portò votum editum sub conditione euentus præsentis, aut præteriti, verbi gratiâ, *si pater meus viuit, si pater meus mortuus est*, non est propriè conditionatum. Quia statim parit absolutam obligationem, si posita conditio existat: vel nullam obligationem parit, si posita conditio non existat. Item à definitione voti conditionati excludo illa vota, quæ non propriè præfatam continent conditionem: sed determinationem temporis, in quo votum debeat impleri: verbi gratiâ, *Voueo, me Religionem ingressurum, si pater meus moriatur.* Quia perinde est, ac si dicam: Quando pater morietur Quam ob rem absoluta nascitur obligatio, licet executionis dilatio aliqua concedatur. Sotus *in* 4. *distinct.* 19. *qu.* 2. *artic.* 1. Sanchez *l.* 4. *Sum. cap.* 23. *num.* 11. *& l.* 8. *de matrim. d.* 10. *num.* 4. Præterea licèt votum conditionatum non pariat statim perfectam obligationem: parit tamen imperfectam, & suspensam, quæ, eueniente conditione, perficitur, & absoluitur. Quia qui vouit conditionatè, seruare tenetur propositum implendi votum, si conditio euenerit. Et non debet se interim, dum euentus conditionis speratur, inhabilem ad executionem voti reddere: verbi gratiâ, qui vouit se Religionem ingressurum, si pater ex India saluus redierit: is licitè matrimonium inire non potest, licet pater longo tempore absit, donec de eius morte certior factus fuerit. Nauar. *l.* 3. *consil. conf.* 15. *de voto.* Sanch. *l.* 4. *c.* 23. Excipio, nisi conditio ex libera vouentis voluntate pendeat: tunc enim euentum illius vouens expectare non tenetur: verbi gratia, vouit quis si luserit intra annum, se Religionem ingressurum: vel si Religionem aliquam ingressurus fuerit, Carthusianum fore: vtroque casu, nullo expectato euentu, ad nuptias liberè accedere potest. Sanchez *citato cap.* 22. *num.* 12.

Demum votum conditionatum interdum accipitur latè, vt comprehendat etiam votum pœnale. Interdum verò strictè, ac propriè, quæ est promissio alicuius rei præstandæ sub pura conditione alicuius futuri euentus contingentis, non in criminis pœnam: & de hoc voto ex instituto sermo est in præsenti.

Si per vouentem stat, quominus conditio impleatur, si conditio nulla lege præcepta pendeat ex libera vouentis voluntate, non peccat, licet eam euitet ob hanc solum causam, ne voti contrahat obligationem: verbi gratiâ, Vouit quis eleemosynam se largiturum, si iurauerit, si luserit: non peccabit, etsi ideo à iuramento, seu ludo abstineat, ne voto obligetur. Suar. *lib.* 4. *de voto, cap.* 17. *assert.* 1. Sanchez *lib.* 4. *Sum. cap.* 23. *qu. vlt.* Quia cum vouens adhuc liber sit à voto, poterit eius obligationem subterfugere, vel impedire quocumque modo non illicito: Atqui licitum ei est non iurare, non ludere. Loquor autem de conditione, quæ nulla lege præcepta est: & suppono, vouentem noluisse se obligare ad conditionem implendam: verbi gratiâ, ad ludendum: sed solum ad rem præstandam, si conditio ex libera sua voluntate dependens, impleta fuerit. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 1.

80. Non peccat vouens, si apposita conditionem euitet, ne voti contrahat obligationem.

Conditio hæc: *Si pater placuerit, Religionem*, verbi gratiâ, *ingrediar*, quonam modo censeri debeat impleta, vel non? Certè si pater, re cognita, voto, primò consentiat, censetur impleta conditio, & obligatio, quæ non tollitur, quamuis pater postea dissentiat. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. At si pater, re cognita, priùs dissentiat, deficit conditio, & obligatio: etsi postea consentiat. Sotus *in* 4. *distinct.* 29. *qu.* 2. *art.* 3. Sylvest. *v. Matrimonium*, 1. *qu.* 4. *dicto* 3. Azor. *lib.* 1. *cap.* 15. *qu.* 9. Nauar. *Sum. cap.* 22. *num.* 61. Veracr. *p.* 1. *specul. artic.* 19. Si autem pater nec consensum, nec dissensum exprimat, ad alia signa, & coniecturam attendendum est Quia in quibusdam personis, consideratis circumstantiis, taciturnitas significat mœrorem animi indignè ferentis: in aliis verò tacitum consensum, vel saltem non repugnandi voluntatem. Sylvest. *vbi s. dicto* 4. Nauar. *citato numero* 61. Porro si pater expressè dicat, se quidem non contradicere, nec dissuadere: verum nec suadere, aut probatiuum consensum dare velle: tunc censeri debet conditio impleta, nisi constet, aliam fuisse mentem vouentis. Sanchez *inibi.* Sylvest. & Veracr. Anton. Cucus *lib.* 5. *institut. titulo* 11. *num.* 54.

81. Exp. nditur hæc conditio, si pater placuerit.

CAPVT XIV.

De personis, quæ possunt vouere.

81. Omnis homo viator rationis vsum habens, valide vouere potest.

OMNIS homo viator tam pubes, quàm impubes postea quàm rationis vsum sufficienter ad voti naturam dignoscendam, fuerit assecutus, validè vouere potest, nisi aliundè sit impeditus. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 9. & Doctores communiter. Vnde vota antè septimum ætatis annum

annum emissa irrita censentur, nisi probabilissimæ coniecturæ suadeant, sufficientem rationis vsum in tenera illa ætate non defuisse. Contra verò post cõpletum septenniũ edita vota valida præsumuntur, quatenus est ex parte vouentis: nisi probabilia indicia ostendant, defuisse rationis discretionem. Sanchez *l.* 1. *de matrim. d.* 8. *&* 16. *& l.* 4. *sum. capite* 1. *numero* 14.

83 *Ecclesia in quibusdam votis certam formam requirit, qua nõ obseruata, irrita sunt.*

Licèt omnis homo ratione præditus validè possit vouere: Ecclesia tamen in quibusdam votis certam formam, seu conditionem requirit, qua non obseruata, irrita vota sunt. Vndè infirmat vota solemnia, quæ ex graui eóque iusto metu fiunt: Item Religionis professionem, quæ ab impubere editur. *cap. Ad nostras, de Regular. cap.* 1. *&* 2. *eodem tit. in* 6. *cap. Puella* 20. *quæst.* 2. Hodie verò post Trident. *sess.* 25. *c.* 15. irrita est professio, quæ fit ante decimum sextum annum, vel antè tempus annuæ probationis exactum.

84 *Non sunt firma vota cadentia in alienæ potestatis præiudicium.*

Vota firma non sunt, sed irrita fieri possunt, si cadunt in præiudicium alienæ potestatis, cui vouentes subiecti sunt: verbi gratiâ Religiosus suo Prælato: impubes patri, vel tutori: filius familiàs patri, vel auo, in cuius potestate existit: seruus domino: coniux coniugi: debitor creditori: denique omnis subditus superiori suo. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 2.

85 *Duplicem assigno dependentiam à voluntate alterius personæ, erga quã est subiecta. Vndè plura resolue.*

Porrò duplex est dependentia voti à voluntate alterius personæ, erga quam est obligatio, siuè subiectio. Vna per se & simpliciter dicta, tenens se ex parte voluntatis ipsius personæ vouentis, nempè Religiosi, & impuberis: vtriúsque enim voluntas secundũ omnes actiones suas quodammodo subiecta est alienæ voluntati. Altera dependentia est secundum quid, ac veluti per accidens, videlicèt ratione materiæ, quæ alterius iuri, vel potestati est subiecta: cuiusmodi dependentia cernitur in aliis personis alteri obligatis, nempè seruo, coninge, Religionis nouitio, filiofamiliàs pubere, &c.

86 *Actiones Religiosi, quæ possunt esse materia voti in quadruplici differentia existunt.*

Actiones Religiosi, quæ secundum se, siuè ex obiecto suo spectatæ voti materia esse possunt, in quadruplici differentia existunt. Quædam sunt positæ in præcepto siue Dei, siuè Ecclesiæ: vt non mentiri, die festo exaudire Missam: quo etiam spectant, quæ in Ordinis regula continentur: vt statis temporibus ieiunare, &c. Quædam sunt positæ in consilio, & omninò concessæ Religioso, ita vt non petita licentia à Prælato eas possit exercere: vt orare Deiparæ Litanias, terram in cella osculari, &c. Quædam sunt prohibitæ Religioso, vt eas non exerceat sine Superioris facultate: vt suprà ordinis præscriptum ieiunare, peregrinari ad locum pium, &c. Quædam denique sunt, quæ licet secundùm se; & ex obiecto præcisè spectatæ, bonæ, & voti capaces existant tamen Religioso ob iustam causam sunt simpliciter prohibitæ, ita vt nec petita licentia à Prælato permitti soleant: verbi gratiâ vt Monialis Claustralis ad pium locum peregrinetur.

87 *Omnia fermè Religiosi vota hanc tacitam conditionem includunt. Nisi Prælatus, re cognita contrà dixerit.*

Et quidem omnia fermè vota Religiosi, vel impuberis, etiam ea quæ sunt de actionibus positis in præscripto consilio & ipsis absolutè concessis, imò & ea, quæ versantur circa actiones in præcepto positas, vel Ordinis regula præscriptas; eam tacitam in se conditionem includunt; *Nisi Prælatus, re cognita, contradixerit.* Quia Prælatus potest de eis habet omnia eiusmodi vota directè infirmandi, seu irrita reddendi. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 8. *ad* 3. *&* 4. Sotus *lib.* 7. *de iust. qu.* 3. *artic.* 1. Nauar. *c.* 12. *Sum. num.* 65. Suar. *l.* 6. *de voto, c.* 7. *numer.* 7. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 33. *numero* 7. Ex quo fit etiam, ab initio irrita fore Religiosi vota, si Prælatus antè contradixerat, ne ederentur. Excipio ea vota, quorum obligationes potestati gubernatiuæ Prælatorum subiectæ non sunt: verbi gratia, votum Religionis strictioris ineundæ. Suar. *l.* 3. *de voto, c.* 6. *num.* 23. Sanch. *citat. num.* 2. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 10. *&* 13. Quia professio Religiosa intelligitur, nisi eam in melius commutare placuerit. Cæterùm vota Religiosi circa actiones bonas & absolutè non prohibitas, sed solum, ne sine Prælati licentia perficiantur: tacitè in se hanc conditionem continent. Si Superior consenserit, siue licentiam dederit. Quia votum potiùs ita interpretari oportet, vt valeat, quam vt non valeat: At eiusmodi votum inualidum esset, nisi subintelligeretur conditio, si superior faciendi operis, quod alioquin præstare licitè non possem, licentiam dederit: Ergo. Nauar. *c.* 12. *Sum. num.* 47. Sanch. *l.* 4. *Sum. c.* 25. *num.* 14. Hinc sequitur, Religiosum ex vi eiusmodi voti sui obligatum esse ad licentiam petendam. Quia qui voluntariè se obligat ad finem, censetur etiam se obligare ad medium, sine quo finis haud potest obtineri. Azor. *l.* 11. *cap.* 16. *qu.* 6. Manu. *tom.* 2. *Sum. c.* 89. *conclus.* 3. *l.* 3. *de voto, cap.* 6. *num.* 11. Excipe, nisi constet, ne virtualem quidem fuisse vouentis intentionem, obligare se, ad licentiam petendam; sed solum ad rem promissam: verbi gratiâ, ieiunium exequendum: item si vouens ignorabat prohibitum esse ieiunare absque Prælati licentia: neutro enim casu tenetur licentiam petere. Sanch. *citat. num.* 6. Denique circa actiones illas, quæ licet secundum se spectatæ bonæ sint, & voti capaces, tamen Religioso prohibitæ: vt monialis claustralis peregrinatio: nihil speciale dixerim; siquidem vota circa talem materiam ab initio sunt irrita. Quia votum debet esse de opere bono, imo meliore, quam sit oppositum: sed agere contra Ordinis regulam, vel contra iustum Superioris præceptum, non est bonum; Ergo neque voti materia. Alia verò tria actionum genera, possunt esse in Religioso idonea voti materia, eo modo, quo exposui. Laym. *lib.* 4. *tr.* 4. *cap.* 7. *num.* 5. 6. *&* 7. citans alios.

CAPVT XV.

De modis, quibus votum extinguitur, nempè Irritatione, Commutatione, & Dispensatione.

88 *Dupliciter tolli potest voti obligatio, nulla authoritate interueniente, & interueniente authoritate.*

DVPLICITER tolli potest voti obligatio. Primò nullius authoritate interueniente: idque vel mutatione materiæ: verbi gratiâ, si materia ante honesta fiat turpis, indifferens, vel maioris impeditiua boni, ratione nouæ circumstantiæ, vel prohibitionis

bitionis : vel si fiat impossibilis absolutè, & moraliter : Vel desitione conditionis, à qua pendebat. Secundo autem interuentu humanæ authoritatis, quod tripliciter fieri potest, *Irritatione, Commutatione*, vel *Dispensatione*. Sanch. *l.4. Sum. c.* 24. Filliuc. *tract.26. cap. 8.* Lessi. *l.2. c.*40. & alij communiter.

89 *Hinc varias resolutiones elicio.*

Hinc hæc dogmata obserua : si votum diuidi possit, sed vnum in eo sit principale, reliqua verò accessoria tantùm non per seorsim intenta, sed dependenter à priori tanquam ipsius appendices, ac modi : tunc si principale fiat impossibile, ruere etiam accessorij obligationem, non autem contra : exempli gratiâ, Vouit quis peregrinationem Romanam in cilicio, & ibi certi aliquid offerre ; si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris cilicium subire, & impertire oblationem. At si cilicij gestatio impossibilis fiat ob ægritudinem, vel tributio oblationis ob paupertatem : non ideò vouentem à peregrinatione possibile excusari. Sanchez *cap.*10.Bonac.*d.4.quæst.2.punct.4.§.4.* Trull.*l.2. Decal.cap.1.dub.*10.Si materia voti impossibilis fiat quoad partem tantùm : tunc si commodè talis materia non potest diuidi, aut non solet: ad nihil vouentem teneri.Exempli gratiâ;Vouit quis extruere Templum, si totum non potest, non tenetur ad partem. Heman. Busembau. *in aureo suo libel.l.3.tract.2.cap.3.dub.*5.At si commodè diuidi possit, & solet:manere obligationem ad illam partem, quam potest. Exempli gratiâ.Qui non potest tota hebdommade ieiunare,potest autem aliquot diebus,ad hoc tenetur si tota hebdommadè ieiunare vouit.Bonac. *citat.punct.*7.§.1.si autem vouentis culpa materia facta fuit impossibilis,inutilis,turpis, indifferens, vel impeditiua maioris boni : tamen postquam iam talis facta est : cessare voti obligationem, & sufficere, de culpa pœnitere. Demum si concurrat duorum votorum incompossibilius obligatio,implendum esse id,quod præstantius est, & Deo gratius:aliud verò cessare. At verò si æquale sit,aut vouens nesciat, quale sit melius : implendum esse,quod prius emisit : ac posterius ruere. Si & hoc nesciat, liberam esse electionem.Trull.*l.2.Decal.cap.2.dub.* 9.Busembau.*l.3.tract.2.cap.3.dub.*5.

90 *Quonam modo votum cadat ob Irritationem.*

Iam verò, quonam modo Votum per Irritationem corruat, exponam, si potestati dominatiuæ alterius sit subiecta alicuius voluntas, potest is subditi istius omnia vota qualiacúmque sint, ad suum libitum sine vlla causa validè irritare directè, id est, potest velle, & pronunciare, vt illa vota nulla sint,ità vt nullo etiam casu postmodum reuiuiscat obligatio. Quia hoc ius prouenit ex iure positiuo, quo datur alicui legitima potestas dominatiua in alterius voluntatem. Sanch. *l.4. Moral.cap.*24. *num.*3.& 31. & alij communiter. Attamen si absque causa vota irritarint, delinquet proculdubio.Lessi.*l.2 de iust.c.*40. *n.*75. Nauar. Suar. Filliuc.quos refert,ac sequitur Busemb.*l.3.trac. 2.cap.3.dub.6.art.*1.

91 *Pater, auus, mater tutor, herus possunt vota impuberũ irritare.*

Hinc colligo,patrem,& eius defectu, auum paternum, tutorem, imò etiam matrem, non tantùm si tutrix sit, sed etiam in priorum defectu, & Magistrum, vel herum, posse directè irritare vota impuberum *cap. Mulier 32. q. 2. cap.1. & 2.10.quæstion.1.capit.si quis, de reg. iuris. in 6.* Porrò impubertas iuxta iurium præscripta finitur in masculis anno decimo quarto completo: in fœminis duodecimo completo à die natalitij computãdo,vt sæpè monuimus. Sanch. *l.4.cap. 22. num.* 30. & 31.Laym. *l. 4. tr. 4. cap. 2.* Bonac. *d. 4. de voto, quæst.2. punct.6.§. 2.*

92 *Vota Religiosorum à Prælatis irritari possunt aliquo excepto.*

Vota Religiosorum (si nouitios excipias) etiam sub prædecessaribus emissa, posse directè præter summum Pontificem ; Abbates, Guardianos. Priores, & Rectores, (imo probabiliter Abbatissas) irritari affirmo. Quia dominatiua fruuntur potestate. Exceperim tamen votum ad Religionem strictiorem transeundi. Quia hoc altiori subest potestati. Lessi. *l. 2. c. 40.num.*75.Sanch. *l. 4. Decal.cap.24. num.*30. Binsfeld. *3.p. Euchar.cap.9.*

93 *Vxor aliquãdo irritare valet vota mariti.*

Maritus respectu votorum vxoris idem potest,dummodo id votum mariti iuri præiudicet. Quia renuente marito, & non proprium ius tuente, non potest votum illud Deo gratum existere. Laym. *l.4.tract. 4.cap.7.* Filliuc. *tract. 26. cap. 8. quæst. 8.* Lessi. *l. 2. cap. 4. dub. 10. num.* 83.

94 *Si superior voto irritato nimirũ voluntatẽ, non ideo votum reualidatur.*

Quis superior votum subditi semel irritauit. Si postea ipse nolit, seu irritandi illud voluntatem retractet : non ideo votum reualidatur. Quia iam ex prima irritatione omninò euanuit obligatio. Sa *V. Irritatio voti.*

95 *Nullus eorum, quos vota subditorũ possunt irrita re, ea valent irrita facere, quæ facta sunt ante subiectionem.*

Nullus eorum, quos posse irritare filiorum, nepotum, seu subditorum vota dixi, potest directè irritare vota emissa antè subiectionem. verbi gratiâ Maritus haud irritare valet vota quæ antè matrimonium vxor emiserat. Quia quando vouit subdita non erat. Facta verò intra subiectionis tempus de re implendo post tempus subiectionis : verbi gratiâ in pubertate,vel post mariti obitum possum irritare. Quia subditi sunt cum ea emittunt, & tunc superior pater, aut maritus absolutam obtinet potestatem. Bonac. *d.4.q.2.pun.6.§.1.*

96 *Non potest irritare superior votum quando dubitatur, num factum fuerit ante subiectionem.*

Dubitat quis,an votum emiserit tempore libertatis, an subiectionis : haud id potest superior irritare. Quia si fortè ante subiectionem fuit emissum, iure irritandi non fruebatur. Salas. *1.2.quæst.21.* Caramu. *l.3.cap.1.d.1.*

97 *Potest irritare superior post libertatẽ subditi, votum emissum in subiectione.*

Emisit quis votum subiectionis tempore:potest quidem post illud irritari à superiore, verbi gratiâ cum impubes erat filius votum emisit. quod pater eo tempore non irritum fecit : adhuc autem post pubertatem à parente potest irritari. Quià subditus erat quando emisit. Quod verum putarim, etsi in pubertate illud ratificasset, putans ex errore esse firmum, secus tamen si infirmum esse nouisset, & independenter à priori ratificasset. Quia huiusmodi votum de nouo emissum esse censebitur. Lessi. *l.2.cap. 40. dub.* 10.

98 *Et votum confirmatum à prædecessore æquali vel inferiore.*

Prælatus potest irritare votum subditi à prædecessore æquali vel inferiore confirmatum:non tamen à superiore. Quia in ea, quæ superioris ad ius pertinebant, ius inferior non habet. Bonac. *d. 4. de voto, quæst. 2. punct.6. §. 3.* Laym. *l.4. tract. 4. cap.7.*

99 *Quomammodo vota indirectè irritentur.*

Quomodò autem vota *indirectè* irritentur, enuncio.Si alicui non quidem voluntas vouentis, sed voti materia sit subiecta, ita vt in hac ius habeat: is huiusmodi votum potest irritare, irritatione indirecta, hoc est eius obligationem suspendere in quantum suo iuri præiudicatur.Quia lex naturæ docet, quod nemo possit

sit alteri promittere aliquid in tertij præiudicium. D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. quem omnes sequuntur.

100 *Potest mater, & tutor post pubertatem irritare filij aut pupilli vota, quæ eorum officiunt potestati.*

Hinc colligo præter superius nominatos, posse matrem respectu filiorum puberum, quandiu manent in domo paterna nec sunt emancipati: item tutorem puberis vsque ad annum vigesimum quintum: vota irritare in iis, quæ eorum potestati officiunt. Layman. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. Idémque posse vxorem respectu mariti: verbi gratiâ si is vouerat longiorem peregrinationem, habitare alibi, cubare seorsim licèt ob castitatis amorem: asseuero. Quia hæc derogant vitæ sociali, & vsui dominij, quod in corpus mariti habet. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *num.* 83. Filliuc. *tract.* 26. *num.* 273. Item Dominus & hera respectu famuli: vt si vouerit ieiunium, quo fieret ineptus ad obsequia præstanda. Quale votum non est castitatis, vel breuis orationis. Lessi. *ibi*, *num.* 86 Idem potest non solùm Pontifex respectu omnium fidelium, sed & Episcopus, & Princeps respectu subditorum, quando materia voti illis præiudicat. Denique superiores respectu nouitiorum, in iis, quæ impediunt nouitiatus exercitamenta. Lessi. *dub.* 13. *numero* 8.

101 *Quæ vota nõ possint superiores indirectè irritare.*

Verum non possunt, superiores irritare indirectè vota de re alias præcepta: verbi gratiâ non furandi. Quia nemini præiudicant. Neque vota implenda tunc quando eorum materia non erit amplius subiecta: verbi gratia vota seruij implenda, cum erit liber, & coniugis, cum alter obierit. Vota denique indirectè tantùm irritata reuiuiscere affirmo, ac obligare, quando alteri desinunt præiudicium afferre. Quia solius præiudicij huiusce iure irritata fuêre. Bonac. *d.* 4. *de voto, quæst.* 2. *pun.* 7. Laym *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7.

102 *Vt commutatio voti ri è fiat, duplicem trado regulam.*

Iam verò quonam modo vota per commutationem valeant tolli, explicarim, Commutatio est substitutio alterius operis honesti loco illius, quod voto erat promissum sub eadem obligatione. Vt autem licitè commutatio fiat duplicem regulam obserua. Primam: Ad commutationem voti requiritur Ecclesiastica authoritas, quando commutatio fit in paulò melius bonum; quod si notabiliter minus sit, miscetur dispensatio. Et quando dubium est de boni æqualitate. Et quando fit in bonum æquale (scio aliquibus placere, sufficere tunc propriam authoritatem: de quo *sect.* 2) Hæc quidem sufficit sine controuersia ad commutationem in melius. Quia in meliori minus contineri, quis dubitet? Voco autem melius, quod est tale in ordine ad spiritualem vtilitatem vouentis, & Numini gratius. Secundam: Ad commutationem voti in æquale requiritur causa, licèt minor, quam ad dispensationem. Quia dispensatio planè liberat à voti obligatione: commutatio verò aliud subrogat opus. Vndè si fiat in melius, nulla causa requiritur. Si autem in æquale, sufficit in illud maior propensio. Si verò dubitetur; an sit æquale, sufficit in implendo notabilis molestia. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. & alij communiter.

103 *Non potest propria authoritate cõmutari ieiunium in orationem, nec Religio in Episcopatum.*

Hinc hoc casus resoluo: Oratio quidem absolutè est melior ieiunio, non tamen licèt propria authoritate hoc in illam commutare. Quia hic & nunc potest ieiunium esse Deo gratius, vt pote vtilius ad bonum spirituale huiusce vouentis carnis tentaminibus agitati. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. Sanch. *l.* 4. *De cal. cap.* 56. Omnia vota personalia propria authoritate possunt in votum Religionis commutari; Quia manifestè melior opus. Imò in professione omnia vota realia ipso iure sic commutantur. Qui habet votum Religionis, non potest illud propria authoritate commutare in Episcopatus perfectioris quidem status susceptionem. Quia hic non efficit hominem perfectiorem, quam Religio, licet perfectiorem esse supponat. Sic respondit Innocentius III. teste Bonac. *d.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 7. Lessi. *l.* 2. *cap.* 4. *dub.* 16. *num.* 103. Layman. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 15 Paluus *tom.* 3. *tract.* 17. *d.* 3. *punct.* 16. *num.* 2. Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 62.

104 *Qui habet facultatem dispensandi, habet & commutandi: non tamen è contrà.*

Qui habet facultatem dispensandi, habet & commutandi: non tamen è contrà. Quia commutatio est pars dispensationis, qui autem potest maius, etiam minus potest. Qui autem habet potestatem commutandi tantùm, non potest id, nisi in æquali genere. Quod quidem moraliter, & non scrupulosè æstimandum esse monet cum Layman. *l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 8.

105 *Potest si quis post commutationem, ad fauorem priua votum redire.*

Si is, cuius votum mutatum est, malit deindè primum implere, id quidem potest. Quid id est melius, vel æquale Et quia in eius fauorem facta fuit commutatio illa cum tacita conditione, si ei placuerit. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *num.* 97. Filliuc. *tract.* 26. *num.* 289.

106 *Si commutationis materia fiat impossibilis, aut indifferens, nõ teneris ad votum prius redire.*

Si voti à superiore legitimè commutat; materia, seu opus fiat impossibile, vel indifferens: non tenetur vouens redire ad votum prius. Quia omninò extincta fuit obligatio: & sicut antè commutationem, si materia ipsa voti aut impossibilis, aut indifferens redderetur, non tenebatur votum implere: sic in commutatione eodem iure fruitur. Layman. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. Bonac. *d.* 4. *quæstion.* 2. *punct.* 7.

107 *De voti extinctione per dispensationem.*

Denique quonam modo vota per Dispensationem aboleantur, enuncio: Dispensatio est obligationis voti condonatio absoluta, nomine Dei facta. Vt valeat iusta causa requiritur; qualis esset bonum Ecclesiæ, vel commune Reipublicæ. Notabilis in voti obseruatione difficultas. Imperfectio actus, vel leuitas, ac facilitas, ex qua votum processit. Suar. *l.* 6. *de voto, cap.* 17. Filliuc. *tract.* 26. *num.* 260. Bonac. *d.* 4. *de voto quæst.* 2. *punct* 7. *num.* 24. Layman. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 5. Sanch. *l.* 4 *sum. cap.* 45.

108 *Cum causa non sufficit ad dispensationem integram, votum partim potest commutari, & partim dispensari.*

Hæc verò ex communi doctrina communia dogmata tradiderim. Cum causa non sufficit ad integram dispensationem, votum partim dispensari, partim commutari potest. Quia illa insufficiens causa ad totalem dispensationem, est sufficiens ad partem dum commutatio supplet quod illa non potuit. Bonac. *d.* 4. *de voto, quæst.* 1. *punct.* 7. *num.* 24.

109 *Potestas dispensandi extenditur etiã ad vota iurata.*

Potestas etiam delegata dispensandi in votis, extenditur etiam ad vota iurata, & iuramenta pia Deo soli facta. Quia licèt iuramento confirmata sint vota, sub eadem specie voti cotinentur. Suar. *l.* 6. *de voto, cap.* 17. Sanch. *l.* 8. *de matr. d.* 3.

110

Antè voti acceptationem, verbi gratiâ si quis

Antè voti acceptationē potest dispensari, aut commutari.

quis voueat, se calicem Templo donaturum: vel dotem virgini inopi: potest votum dispensari, aut commutari. Quia antè acceptationem Ecclesiæ, aut virginis, in cuius obsequium, & subsidium factum est votum, non censetur eis ius acquisitum, ideóque sine eorum iniuria potest fieri dispensatio, aut commutatio. Busemb. *l.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *dub.* 8.

111 *Potestas dispensandi ad quos conueniat, & ad quos minimè.*

Potestas dispensandi conuenit omnibus Prælatis, qui habent iurisdictionem in foro externo, vel priuilegium. Indè dispensare possunt, Pontifex summus respectu omnium fidelium in omnibus votis. Episcopus respectu suorum subditorum: non autem Parochus: quia tantùm habet fori interni iurisdictionem. Prælati Regulares exempti respectu suorum Religiosorum, & Nouitiorum: idque circa vota, quæ vel in sæculo, vel etiam nouiciatu emiserunt. Non autem Prælati non exempti, neque Abbates: Porrò ex priuilegio Papæ Confessarij Ordinum Mendicantium secundum concessionem, ac moderationem suorum superiorum. Suar. *l.* 6. *de voto, cap.* 12. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *numer.* 107. & 108. Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 22. & alij communiter.

112 *Vota reseruata Pontifici.*

Præfati omnes inferiores Papæ possunt dispensare in omnibus votis, exceptis quinque Pontifici summo reseruatis, nempè voto castitatis perpetuę Religionis approbatę, Peregrinationis ad Apostolorum limina, ad D. Iacobum, Compostellam, & vltra marina, siue in Terram Sanctam. *Omnes communiter.*

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto Secundo Problemata.

DE IVRAMENTO.

CAPVT XVI.

Circa modos ac formulas Iuramentum constituentes.

PROBL. I.

Verbum Iuro, *non exprimendo per quid iuretur: inducit, & non inducit verè Iuramentum.*

113 *Certum præmitto.*

CERTVM est, ad iuramentum non exigi vti verbo: *Iuro*: sed eo tacito, verum induci iuramentum, vsurpatis verbis id significantibus: verbi gratiâ si quis dicat: *Per Deum, Per D. Petrum.* Quia re ipsa hisce verbis diuinum testimonium inuocatur, in quo ratio iuramenti consistit. Abbas *ad c. Etsi Christus, num.* 3. *de iureiur.* Sylvest. *v. Iuramentum* 1. *num.* 1. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. Sayr. *in Clavi, l.* 5. *cap.* 1. *num.* 7. Quæsierim verò, an si verbum *Iuro*, absolutè proferatur, non exprimendo, per quid iuretur, verum iuramentum inducat?

114 *Iuramentum est verbum Iuro.*

Inducit verum iuramentum. Quia ex propria significatione denotat, eum qui profert, Deum in testem adducere. Sic nonnulli Neoterici, queis fauet Suar. *l.* 1 *cap.* 13. *num.* 4. dicens: *ex se* esse iuramentum.

115 *Non est attento vsu hominum iuramentum.*

Attento communi hominum vsu, verbum *Iuro* verum iuramentum non inducit. Quia in hoc vsus est maximè spectandus & consuetudinis patriæ ratio, an scilicèt hoc verbum pro iuramento vsurpetur: At ex hominum vsu pro iuramento non vsurpatur: Ergò; ità Sanch. *l.* 3. *Decal. cap.* 2. *num.* 4. & Suar. *citat.* Nam postquam dixit, verbum *Iuro* ex se iuramentum esse, addidit: *At vsu attento, colligendum est ex adiunctis.* Contestantur qui affirmant, iuxta omnes iurandi formulas habendam consuetudinis patriæ rationem. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 2. & alij.

116 *Hoc longè verius, imò ferè certum existimo.*

Certè attento communi hominum vsu, qui quoties iusiurandum petunt, vel id præstant, solent exprimere, per quid iuretur: longè probabilius reor, iuramentum non esse, nisi animus iurandi constaret. At esset iuramentum, si ex adiunctis res sacra intelligeretur: verbi gratiâ si iuramentum exigens dicat: *Iuras per Euangelia?* & alter responderet: *Iuro.* Vel quandò quis diceret, vt solet in petitionibus aliquibus Iudici præsentandis dici: *Iuro in forma iuris.* Quia sensus est, Iuro eo pacto, quo iusiurandum præscribit.

PROBL. II.

Ad verum Iuramentum opus est, & non est opus, rem in testem adductam esse in se sacram: sed satis est, & satis non est, sacram esse in iurantis existimatione.

117 *Non est opus esse rem in se sacram.*

OPus non est esse in se sacram, sed sufficit à iurante talem existimari. Quia Ethnici iurantes per suos deos, verè iurant, & tenentur sub Periurij reatu, rem eo iuramento promissam exequi. Volunt enim verum Deum in testem adducere, etsi materialiter errent in veri Dei existimatione. Exempli gratiâ si quis existimans librum profanum esse Euangeliorum, iuraret per Euangelia in eo contenta, verè iuraret: quia animus fuit per Euangelia iurare, & error est materialis. Sic Sylvest. *verb. Iuramen-*

Iuramentum 4.q.4.Couar. *de pactis p.*1.§.1.*n.*10. Arag.2.2.*q.*89.*art.*1. Seraphin.*de priuil.iuram. prin.*30.*n.*31.Azor. *to.*1.*l.*11.*c.*2.*q.*11. Petr. de Ledesm.*to.*2.*sum.tr.*11.*c.*1.*dub.*1.*ad* 1.Philiarc. *de offic.sacerd.to.*1.*p.*2.*l.*3.*c.*13.

118 *Opus est.* Opus est,rem esse in se sacram, nec satis est sacram esse in iuramentis existimatione: vnde iurantes per Falsos Deos Ethnicos non obligantur ex iuramento illo,quod minimè est verum; sed ex conscientia erronea:quatenus illi putant se iurare per verum Deum;Quia cum verè in eo iuramento Deus in testem non adducatur, nec est verè iuramentum,nec eius obligatio ad Religionem verè pertinet, vtpotè quod in Dei contumeliam cedit,& est idololatriæ actus.Ergò ex se nullam vim obligandi habet, sed ex sola conscientia erronea.Igitur satis non est ad verum iuramentum rem esse sacram in sola iurantis existimatione.Ita Sotus *l.*8.*de iust.q.*1.*a.* 3.Sayr.*in claui l.*5.*c.*3.*n.*21.Suar.*to.*2. *de Relig.l.* 2.*de iuram.n.*6.Molin.*tom.*3.*de iust.p.*1. *d.* 579. *n.*13.Lessi. *l.*2.*de iust.c.*42.*dub.*1.*n.*5.Sanch.*l.*3. *sum.c.*2.*n.*5.

119 *Hoc longè probabilius.* Hoc longè verius esse putarim. Nam contrariæ partis fundamentum corruere quis non videat? Quia etsi ratio motiua ad iurandum fuerit diuinitas in idolis existimata: verè tamen non est adductus Deus verus in testem, nec est ei cultus exhibitus, sed diis fictis, ac proinde detecto errore non pertinet ad verum Dei cultum iuramentum seruare. Quare optimè addit Suarius *n.*7. infidelem conuersum ad fidem non teneri eo iuramento, sed sola humana promissione. Quia tota obligationis ratio erat conscientia erronea,qua illos veros esse Deos existimabat: Ergo cessante errore cessat obligatio,quasi destructo eius fundamento.

PROBL. III.

Tenetur quis,& non tenetur vero iuramento, quando profert verba, quæ re vera iuramenta non sunt. v. gr. Verè faciam hoc: at intendit iurare per illa credens esse Iuramentum.

110 *Vero iuramẽto tenetur.* VEro iuramento tenetur. Quia cum verba illa sint apta ad iurandum,quatenus in ea veritate humana relucet Deus,& existimet ea proferens se iurare, ac consequenter id intendat:& modo licito: censetur Deum in testem adducere,vt in ea relucet.Ergò ex vi veri iuramenti tenetur. Item quia ad ligandum se vera iurisiurandi obligatione, nulla verba desiderantur,sed sola iurandi intentio, quæ hic adest. Sic Caiet. 2.2.*q.*89.*a.*1. Sa *v.Iuramentum, n.*1. Azor.*tom.*1.*l.*11.*c.*3.*qu.*1.

121 *Non tenetur vero iuramento.* Non tenetur vero iuramento.Quia quando habet intentionem iurandi per ea verba *vere faciam hoc*,vel *in fide mea*, putans ex conscientia erronea satis esse ad iurandum,interponere fidem suam per se spectatam, & sine vllo ad Deum respectu, & tunc non minus obligari, quam si per Deum iuraret: hoc non est iuramentum,sed putatur tale: & ideo ablata conscientia erronea, non manet obligatus. Nam etsi iurare in suo vero conceptu claudat habitudinem ad Deum, at in apprehensione illius errantis non claudit; & ideo cum verè non inuocetur Deus in testem, iuramentum non est. Ita Suar. *lib.*1. *de iurament. cap.* 13. *num.*5.

122 *Primam sententiam præfero, & alio iam omnino consco&cundam.* Fateor, Suarij veram esse rationem,sed adhuc non manet exhausta difficultas, quando proferens ea verba,errat credens esse iuramentum; at nec expresse excludit,nec includit expresse relationem ad Deum, eo quod hanc theologiam ignoret, an tunc obligetur ex iuramento, ita vt sublato errore, maneat adhuc ligatus. Crediderim igitur obligatum manere. Quia in illa iurandi intentione,non addito aliquo excludente necessaria ad iuramentum, clauditur virtute relatio necessaria ad illud, & verba sunt impertinentia in ordine ad obligationem coram Deo. Quando autem proferens verba nec existimauit ea non esse iuramentum, nec etiam contrarium, sed nullum formauit illorum conceptum: censendus est velle ea proferre in sensu communi:Et tunc verum censeo, quod Suarius concludit, haud reputanda tunc ea verba iuramentum. Mecum Santius *lib.*3.*sum.c.*2.*n.*7.

PROBL. IV.

Hoc verbum, sicut credo in Deum: *vulgò* Como creo en Dios *est*, *& non est iuramentum.*

123 *Non est iuramentum.* IVramentum non est. Quia si rigorem verbi attendamus, sensus hic est: sicut est verum, me credere in Deum, ita est verum hoc. At me credere in Deum,non est mihi certum certitudine Fidei. Sic Vega *libr.* 9. *in Trident. cap.*37.

124 *Est iuramentum.* Est iuramentum. Quia mihi certum est veritate Fidei, me Fidem habere: & ita hæc Fidei certitudo in testem adducitur. Ita Sanchez *l.*3.*sum.cap.*2. *n.*15. Caiet. sanct 1.2. *qu.* 112.*a.*5.*ad* 2. *ibi* Medina, & Sotus *appol.in Cather. c.*5. asserentes veritate Fidei constare nobis nos Fidem habere.

125 *Hanc partẽ puto veriorem.* Hanc partem veriorem putarim. Quia ex vsus accommodatione verbum hoc vt iuramentum vsurpatur. Vnde ex hoc vsu videtur Fides in Deum adducta in testem: sicut quando per Fidem Dei iuratur.

PROBL. V.

Verba hæc, Non credo in Deum, *vel* Abnego Deum, *vel* Non est potestas in Deo,si hoc non est ita: *sunt, & non sunt iuramenta.*

126 *Iuramenta sunt.* IVramenta sunt,& quidem blasphema. Quia sub his formulis Deus in testem adducitur. Sic Sotus *l.*8.*de iust.q.*1.*a.*1.Arag.2.2.*q.*89 *a.*1. *in dub.quod excitat circa* 1.*concl.* Mann.*to.*1.*sum. c.*191.*n.*1.Lessi.*l.*2.*c.* 42 *dub.*1.*n.*4.

127 *Non sunt iuramenta.* Blasphema verba sunt,sed non iuramenta. Quia Deus sub hisce formulis non allegatur in testem, sed potius eius nomen

blasphematur. Ita Couar. *de pactis, part.* 1. §. 7. *num.* 9. Rojas *de hæret. part.* 2. *assert.* 12. *num.* 173. Azeue. *l.* 8. *recopilat. tit.* 4. *l.* 1. *num.* 14. Sanch. *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 17.

128 *Hanc eligo sententiam.* Verba illa perpendens, non video, vndè Deus in testem exponatur. Quare iuramenta non esse crediderim. Illa autem verba: *Displiceat Deo, Tædeat Deum*, quæ similia esse Lessius affirmat iis, de quibus quæstio nostra: si per modum execrationis dicantur, vt sensus sit, hoc malum Deo accidat, nempè vt in ipso tædium & displicentia reperiatur, si hoc non est ita: iuramenta execratoria esse reor blasphema quidem: Sicut illud, *Per vitam Dei*: Quia eundem sensum efficiunt.

PROBL. VI.

Verba hæc, Coram Deo ita est, *vel* Deus scit, ita esse, *vel* Deus ita esse videt: *sunt: & non sunt iuramenta. Sed sunt & non sunt æquiuoca.*

129 *Iuramenta sunt.* IVramenta sunt: Quia hunc referunt sensum: Deum testor vel testem Deum adduco ad huius veritatis confirmationem. At cum Deus in testem adducitur, iuramentum est: Ergo. Sic D. Augustin. *Epist.* 89. *ad Hilar. & serm.* 28. *de verb. Apost.* & refertur *cap. si peccatum* 22. *quæst.* 1. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. *ad* 3. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 1. Idem ait Nauar. de his verbis: *Scit Deus, cap.* 12. *sum. num.* 2. quamvis ea verba, *Coram Deo* esse æquiuoca fateatur: alia minimè.

130 *Non sunt iuramenta.* Non sunt iuramenta. Quia sunt verba æquiuoca, quæ possunt intelligi inuocatiuè, id est inuocando Deum ad confirmandum id, quod dicitur, & tunc rationem iuramenti habent. Aut enunciatiuè, quandò scilicèt per modum simplicis enunciationis dicuntur: & tunc non sunt iuramentum. Quia hoc non est inuocare Deum in testem sed narrare Deum id scire, & videre. Verùm ex communi vsu accipiendi huiusmodi formulas semper enunciatiuè proferri existimantur: vndè absolutè iuramenta non sunt. Ita Sotus *l.* 8. *de iust. quæst.* 1. *art.* 1. Suar. *l.* 1. *de iuram. cap.* 13. *num.* 7. & 8. Lessi. *l.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. *num.* 8. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 7. *punct.* 2. Sa *verb. Iuramentum, num.* 1. Sanch. *l.* 3. *cap.* 2. *n.* 20. & alij apud ipsum.

131 *Verius hoc credo.* Verius hoc crediderim addens, quandò non constat de proferentis hæc verba animo sed de eo est dubium: tunc in viris iurare recusantibus, & bonæ conscientiæ, censeri animum esse non iurandi, sed enunciatiuè dicendi. Quia ità assolent hi huiusmodi verba vsurpare. At in hominibus iurare solitis censuerim in dubio iuramenta. Quia magis naturæ iuramenti accedunt, & in eo sensu communiter ab his assolent vsurpari. In iudicio autem, & in iis, quæ in damnum tertij vergunt iuxta communem audientium intelligentiam accipienda esse non dubito.

* *
*

PROBL. VII.

Verbum hoc, Testis est mihi Deus: *est & non est Iuramentum.*

IVramentum quidem est. Quià hoc nil aliud est, quam Deum in testem inuocare, in quo ratio iuramenti consistit. Sic D. Tho. 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. *ad* 3. Sotus *l.* 8. *de iust. quæst.* 1. *a.* 1. Arag. 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. Manu. *to.* 1. *sum. cap.* 191. *n.* 2. Sylvest. *v. Iuramentum*, 1. *q.* 1. & 5. 132 *Iuramentum est.*

Iuramentum non est, sed verbum æquiuocum sicut illa: *Coram Deo, & scit Deus.* Quia possunt inuocatiuè proferri, & sic erunt iuramentum. Possunt etiàm enunciatiuè, & per modum simplicis assertionis, quasi dicatur: Huius rei spectator & testis est ipse Deus: & tunc non erunt iuramentum. Ita Azor. *tom.* 1 *l.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 1. 133 *Non est iuramentum.*

Existimo verbum illud, *Testis est mihi Deus* maiorem effigiem iuramenti habere, quam illa, *scit Deus, & Coram Deo*, & ideo in dubio iusiurandum in eo contineri. Vnde ex communi vsu docet esse iuramentum Suar. *l.* 1. *cap.* 13. *numer.* 7. Et inter iuramenta ponunt Sayr. *in Clavi, l.* 5. *cap.* 2. *numer.* 3. Lessi. *l.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. *numer.* 8. & Sanch. *l.* 3. *cap.* 2. *numer.* 21. Porrò hæc verba, *Testis sit Deus, Deum testor, Testificor, Testem aduoco, adhibeo*, non pati nisi sensum inuocatiuum reor. Et ideo meriro Azorius *ibid.* inter certas iurandi formas hæc verba enumerat. 134 *Auctoris relatio.*

PROBL. VIII.

Verba hæc: Viuit Deus, *vel* Deus est veritas: *inter Iuramenta sunt, & non sunt annumeranda.*

VIuit Deus, vel *Deus est veritas, quod hoc ita est*, iuramenta non sunt, sed æquiuoca verba. Quia per se Deum in testem non adducunt, sed iuxta proferentis intentionem possunt offerri. Sic Petr. de Ledes. *tom.* 2. *sum. tr.* 11. *cap.* 1. *dub.* 1. 135 *Non sunt iuramenta.*

Sunt planè iuramenta. Quia veritas Dei, & eius vita apertè in testimonium adducuntur: & Sic manifesta sunt iuramenta. Ità Sylvest. *verb. Iuramentum* 1. *quæstion.* 1. Sotus *de iurament. abusu, cap.* 4. & *l.* 8. *de iust. quæst.* 1. *art.* 1. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 2. Suar. *l.* 1. *de iuramen. cap.* 13. *num.* 6. Sanchez *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 22. 136 *Iuramenta sunt.*

Certè non video in vno, aut altero verbo eam æquiuocationem: sed apertè Dei veritatem, vel vitam in testimonium his verbis adduci. Scio tamen, Suarium *vbi sup. num.* 8. verbum illud, *Deus est veritas* inter ambigua seu æquiuoca collocasse: quod primam sententiam satis reddit quo ad hanc particulam *Deus est veritas*, satis probabilem. 137 *Idem censeo.*

PROBL.

PROBL. IX.

Hæ particulæ Per meam animam, *vel* In mea anima, *Iuramenta esse, & Iuramenta non esse, reputantur.*

138 *Non reputantur iuramenta.*

INter iuramenta non reputantur. Quia equiuoca sunt & possunt ita proferri, vt Deus in testimonium minimè adducatur. Sic Iacobus Buttrican. & Salycetus, quos refert, ac sequitur Gutier. auth. Sacramenta puberum, *nu.* 148. *cap. si aduersus vendit.* Gregor. Lopez *l.* 26. *v.o le fiziere, in fine tit.* 11. *part.* 1.

139 *Iuramenta reputantur.*

Reputantur inter iuramenta. Quia cum in anima rationali specialissimè splendeat Deus tanquam in sua imagine: censetur Deus in ipsa splendescens in testem adduci. Ita Sylvest. *verb. iuramentum* 1. *quæst.* 5. Sotus *l.* 8. *de iust. q.* 1. *art.* 1. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 3. *quæst.* 1. Pedraza *sum. prac.* 1. §. 1. Petr. de Ledes. *tom.* 2. *sum. tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 1. *ad* 4. Sanch. *l.* 3 *sum. cap.* 2. *num.* 29. Suar. *l.* 1. *de iurament. cap.* 13. *num.* 22. Aut est iuramentum execratorium, vt asserit Lessi. *l.* 2. *cap.* 42. *dub.* 2. *num.* 8.

140 *Auctoris resolutio. Vbi de aliis similibus iurandi formulis.*

Absolutè hoc probabilius puto. Sed tamen posse hæc verba ita proferri crediderim, vt iuramenta non sint, verbi gratiâ quando sensus est, Hoc quod dico est in anima mea, vel tua: Hoc per animam seu mentem meam, vel tuam, iudico esse. Tunc enim nihil adducitur in testimonium. Profectò similiter dixerim esse iuramentum, *Viuit anima mea*, vel *tua*. Quia Deus in animæ vita tanquam in re nobilissima splendens in testem adducitur vt Sylvest. *citat.* docet, quem Azor. sequitur. Et illa verba, *in periculo animæ meæ*, & illa: *super animam meam*, vt monet Innocent. *cap. Ex tsi Christianus num.* 3. *de iurament.* & ibi Bald. *numero* 7. Quia videtur vtriúsque modi sensus execratorius; quasi dicat: Id damnum patiatur anima mea, si non ità non est. Aut in alio sensu neuter dicendus modus continet iuramentum: scilicèt, quandò sensus non est execratorius, nec adducimus hæc verba in testimonium alicuius veritatis, sed quandò ad reddendum aliquem tutum circa opinionem aliquam amplectendam, solemus sic dicere: Id in periculo animæ meæ, vel super animam meam potes facere, vulgo. *Yo lo tomo sobre mi concientia, o sobre mi concientia hazed esto.*

PROBL. X.

Est, & non est Iuramentum hæc formula. In mea conscientia, *vel* Per meam conscientiam.

141 *Est iuramentum.*

IVramentum est verbum vtrúmque. Quia in vtraque Deus in testem adducitur, iuxta communem loquendi morem. Sic Sylvest. *v. Iuramentum* 1. *quæst.* 5. Arag. 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. Azor. *to.* 1. *l.* 11. *c.* 3. *q.* 1. Alij docent, *In mea conscientia* non esse iuramentum, secus Per *meam conscientiam*. Quia in priori dicendi formula nil videtur in testem adduci secus in posteriori. Sotus *l.* 8. *de iust. q.* 1. *a.* 1. Esse iuramentum *Per meam conscientiam* testatur Navar. *sum. c.* 12. *n.* 5. *latine n.* 6. Et de eo verbo, *In mea conscientia* tenet iuramentum esse. Pedraza. *sum. prac.* 1. §. 1.

142 *Iuramentum non est.*

Neutra dicendi formula est iuramentum. Quia inter vtrumque dicendi modum nihil distat: & horum verborum est sensus, Hoc est, quod sentio in mea conscientia: vel Hoc dictat mihi mea conscientia. Ità Sotus *de iuram. abusu. c.* 4. Petr. de Ledes. *to.* 2. *sum. tr.* 11. *c.* 1. *dub.* 1. Suar. *l.* 1. *de iuramen. c.* 13. *n.* 22. Sanch. *l.* 3. *sum. c.* 2. *num.* 30. Sayr. *in Clavi, l.* 5. *c.* 1. *n.* 13. Lessi. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 1. *n.* 4.

143 *Hoc fere certum puto.*

Hoc fere certum puto, nisi quis verbum *Conscientia* pro ipsa anima vsurpet; quod ferè nunquam accidit. Addit Sotus, esse iuramentum si dicatur, *Iuro per meam conscientiam*, sed aptius Petr. de Ledes. id negat. Quia ratione additi non continentis formam iuramenti distrahitur id verbum *Iuro* à propria significatione. Nec similiter esse iuramentum putarim, *Testis est mihi conscientia mea.* Quià solam simplicem dictaminis propriæ conscientiæ enunciationem significat: acsi diceretur. Hoc mihi conscientia mea dictat. Vnde minus benè iuramentum esse Sylvestrum asseruisse crediderim.

PROBL. XI.

Iuramentum est, & non est hæc formula vulgaris: Iuro a mi, o pormi.

144 *Iuramentum est.*

ESt iuramentum. Quià homo creatura est nobilissima, in qua specialiter Deus elucet: & hac dicendi formula Deus in testem adducitur. Sic Sotus *de iuram. abusu, c.* 4. Alcozer. *sum. cap.* 15. *an prima. dubit.*

145 *Non est iuramentum.*

Iuramentum non est. Quia sensus est hic: *Iuro aquien soi*, id est, *Amicalidad, obondad* Ità Sanch. *l.* 1. *sum. c.* 2. *num.* 31. Suar. *l.* 1. *de iuram. cap.* 13. *num.* 3.

146 *Hoc mihi vêrius.*

Veriorem proculdubio esse hãc partem existimo: nisi quis contra communem dicendi morem intẽdisset in homine ipso in quo Deus specialissime resplendet, eum in testem aduocare.

PROBL. XII.

Iuramentum est, & non est fidei interpositio illa: In fide mea. Per fidem meam Regiam, viri boni, *aut* nobilis: *vulgò* A fede quien soi, En buena fe. En buena fe iurada.

147 *Est iuramentum.*

IVramentum est. Quia in communi hominum dicendi more in hisce verbis diuina insonat Fides, quam in testificationem proferens ea, adducit. Gail *in suis obseruat. l.* 2. *obseru.* 59. *numer.* 1. Surdus *decis.* 234. *à numer.* 3. *p.* 1. & alij, quos refert Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 79. *num.* 28.

148 *Iuramentum non est.*

Non est iuramentum. Quia horum verborum sensus est, *Per meam fidelitatem*, seu *veritatem*, seu, *Ita faciam*, vel *ita est*, vt sum fidelis in promissis, aut in dicendo verax: aut sicut decet Regem, nobilem, virum bonum esse fidelem, ac veracem. Quia sermonum humanorum veritas fidelitati innititur, non virtuti Theologicæ. Fidei. Ita Caiet. 2.2.q.89.a.6. Nauar. *sum.cap.*12.*num.*2. & 5. Couar. *de pactis p.*1.§.1.*num.*2.*vers.*9. Lessi. *l.*2.*cap.*42.*dub.*1.*n.*4. Sanch. *l.*3.*Decal.c.*2.*n.*31. Arag. 2.2.*q.*85.*a.*1. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*7.*pun.*2. Suar. *l.*1.*de Iuram. cap.*13.*n.*10.

149 *Idem censens, plura consequenter addicio.*

Iuramenta non esse iudicarim, si peculiaris dicendi excludatur intentio, qui per ea verba Fidem diuinam intelligeret. Similiter non esse iuramentum reor, *In bona fide*, licèt addatur, *Iuro per bonam fidem*, vel *En buena fe Iurada*. Quia idem est sensus. Nisi præfatis verbis vtens intendat, aut existimet, se iurare. Et nisi in more positum sit apud eos homines, queis cum hæc vsurpans habitat, vt ea verba accipiantur tanquam modi loquendi iuris iurandi vim habentes. Et nisi adducantur hæc in testimonium, tanquam res, in quibus Deus vt omnis veritatis author elucet. Profecto vbi res est dubia, an intenderit hæc verba proferens, per ea iurare: censendum, non esse iuramentum. Quià ex se iuramenta non sunt. Si quis autem dicat, *In fide Christiani*, vel *boni Christiani*. non esse iuramentum existimo. Quia id non intelligitur de Fide diuina, quam Christianus profitetur: sed de fide humana, quæ probo Christicolæ debeat attribui: Nec iuramentum esse reor hoc verbum: *In fide Religiosi*, vel *per fidem Religiosi*, vel *Per fidem Sacerdotis*. Quia vbi non constat de peculiari alia intentione, verba hæc de fidelitate & veracitate à bono Religioso aut sacerdote profitendis accipienda sunt. At *In verbo Sacerdotis* est iuramentum. Quia sic vsus accepit: quamvis in rigore hæc verba iuramentum haud sonare censuerim.

PROBL. XIII.

Iuramentum est, & non est hæc formula. Per meam vitam. Sic Deus me adiuuet. *Vbi de reliquis iurandi formulis, haud, problematicè, iudicium fero.*

150 *Non est Iuramentum.*

IVramentum non est. Quia in verbo *Per meam vitam*, non intelligitur animus, nec esse hominis, in quibus specialissimè Creator effulget: sed vegetatiue viuendi inferior ratio: Cum autem dicimus, *Sic Deus me adiuuet*, particula *Me* pro eadem inferiori victitandi ratione accipitur. Sic quidam, quos tacito nomine memorat Manuel Sa *v. Iuramentum, n.*1. addens pendere hoc ex dicentis intentione.

151 *Iuramentum est.*

Est vnum & alterum ex verborum vi iuramentum. Quia *Per vitam meam*, Deum planè in testem adducit: sicut *Per Deum*. At sic Deus me adiuuet, execratio est, qua quod asseritur, confirmatur. Ita Sanch. *l.*3.*cap.*2.*num.*36. & alij communiter.

152 *Hanc profero sententiam.*

Crediderim, ex vi verborum in dubio esse iudicanda iuramenta: nisi hæc dicens expressè intenderet contrarium alium sensum concipere. Posset enim esse sensus non execratorius, & sic iuramentum non esset. Verbi gratiâ cum quispiam ait, se pauperem, aut infælicem, & alius respondet, ad affirmandum contrarium suum sensum, *Faxit Deus ita dines essem, fœlix, vel ita rebus meis eueniret.* Quia tunc solùm voluntatis appetitum significat, nec contrariam aliquam includit execrationem.

153 *Expono quænam diuersæ formulæ sint iuramenta.*

Vt autem vulgaribus medear scrupulis aliàs iurandi formulas percurrere operæ prætium duxi, iam quidem sine pugna. Æque ergo iuramentum est, dicere, *In Deo ita est*, aut *Per Deum est ita. In Euangeliis*, & *Per Euangelia*: & sic de singulis iurandi formulis. Quia nihil inter vtrúmque loquendi modum distat. Nil autem refert ad iuramenti rationem siuè res in testem adducta inuocetur per propositionem *In*, siue per propositionem *Per*. Vndè si inuocata per vnam iuramentum est, sic non est: erit, vel non erit per alteram inuocata. Quia idem vtriúsque orationis est sensus. *In Deo hoc affirmo*, siue *per Deum*. Sylvest. *verb. Iuramentum* 1.*quæst.*. Arag. 2.2.*quæst.*89.*art.*1. Petr. Ledes. *tom.*2.*sum. tract.*11.*cap.*1.*dub.*1. Valent. 2.2.*d.*6.*quæst.*7.*punct.*2. Suar. *d.*1. *de iuram. cap.*13.*num.*14. Azor. *tom.*1.*l.*11 *cap.*3.*quæst.*1.

154 *Et quidam iurant Per Deum.*

Est iuramentum, dicere. *Par Dios.* Quia idem est sensus ac dicere, *Per Deum*. Contingit tamen, quandóque proferre, *Per Deum*, non adducendo Deum in testem; sed est quidam ostendendi trædij modus, & tunc est iuramentum? verbi gratiâ *Por Dios, que si, Por Dios, que esto es cosa recia. Por Dios, que no se puede sufrir.* Angel. *verb. Periurium in fine principij.* Sylvest. *ibi. quæstion.* 1. Sanchez *lib.* 3. *capite* 2. *numero* 13.

155 *Et Voto Deo, vulgò Voti à Dios.*

Hæc verba, *Voto Deo*, vulgò *Voto à Dios* quamvis in se iuramentum non sit, sed votum significent: at ex vsus accommodatione accipitur vt iuramentum, & est quidem. Idem dixerim de his: *Promitto tibi Deo*, vulgò, *Yos prometo a Dios*. Quia eundem sensum habent, ac illa, *Voueo Deo*: nec promissio aliqua dirigitur in Deum, sed in hominem, & Deus adducitur in testem, quamvis impropriè. Sotus *l.*8.*de iust.q.*1. *a.*1. Alcozer *sum.c.*15. Suar. *l.*1.*de iuram.cap.*13. *num.*2.

156 *Et illud, sicut Deus est veritas, vulgò, Como Dios es verdad.*

Iuramentum est, quoties aliqua Fidei veritas adducitur in testimonium, comparando illi nostram veritatem vt, *Sicut Deus est veritas*, vulgò *Como Dios es verdad, hoc ita est.* Quia veritas diuina inuocatur in testem. At quando non ponitur particula aliqua comparationem vnius veritatis cum alia denotans, iuramentum non continet, sed simplicem enunciationem: verbi gratiâ cum quis ait: *Hoc, quod dico est Euangelium.* Sanch. *l.*3. *cap.*2.*num.*19. & alij.

157 *Et illud Per vitam Dei vel Sanctorum. Per vitam Eadem*

Iuramentum hæc est propositio, *Per mortem, quam Deo debeo*, vulgò *Por la muerte que, debo a Dios.* Quia consuetudo vt tale vsurpat. Et quia sensus est, sicut debeo mori, quæ est veritas diuina. Sanch. *l.*2.*sum.cap.*2.*num.*19.

Et hæc verba, *Per vitam Dei*, vel *Sanctorum*, per quæuis Dei ac Sanctorum membra. *Per vestes, Reliquias, Templa Sanctorum. Per cœlum.* Quia illis specialiter Deus honoratur, & ita est iurare per Deum in illis elucentem.

cœli. Per hic habitú. Per sacras vestes. Per Ordines.

Eadem ratione est iuramentum, *Per vitam cœli.* Quia licet cœlũ vita careat, at iurantes nomine vitæ intelligunt esse cœlum. Et *Per habitum D. Petri, D. Francisci. &c.* Quia sunt res sacræ, in quibus Deus honoratur. Sotus *l.8.de iust.q.1.a.1.* Sayr. *in Clavi l.5.c.1.* Atque idem credo, etsi eorum sanctorum mentio non fieret: sed Clericus, aut Religiosus diceret: *Per hunc habitum. Per vestes sacras, quibus celebratur.* Quia hæc omnia sacra sunt, in quantum rem sacram repræsentant similiter erit iuramentum *Per ordinem sacrum, quem recepi.* Sylvest. *v. Iuramentum 1.q.1.* Et idem existimo, *Per primam tonsuram*, aut quatuor Ordines minores. Quia res sacra sunt. Et ideo Suar. *l.1.de iuram.c.15.n.22.* indistincte ait, esse iuramentum, quando Clerici per suos Ordines iurant.

158 *Et* Per meam, *vel* alterius vitam; in mea vita; in mea salute. Num quã Deus mihi parcat, &c.

Iuramentum est, *Per meam*, vel *alterius vitam*, aut *salutem.* Quia est sensus execratorius, Deus auferat mihi, aut illi vitam, si hoc ita non est. D. Tho. *2.2.q.89.a.6.* Nauar. *sum.c.22.n.6.* Suar. *l.1.de iuram.c.13.n.27.* Lessi. *l.2.c.42.dub.2.n.8.* Sayr. *in Clavi, l.5.c.2. n.3.* Idem dixerim de his: *In mea vita, In mea salute.* Quia idem est sensus. Similiter est iuramentum, *hæc mala Deus mihi addat*, vulgo *Mal me haga Dios, n si hoc ita sit.* Quia sensus est execratorius. Sylvest. *v. Iuramentum 1.q.1.* Lessi. *l.2.c.42.dub.2.n.8.* Idem asfero de omnibus aliis similibus execrationibus, *Nunquam Deus mihi parcat, Me salvet, Tueatur. Maledictus sim Mala obeam morte, Non vivam vsque in crastinum. Non moueat hinc Malum pascha mihi Deus impertiatur, Ardeam in infernis, Dæmon me eripiat:* & alia huiusmodi. Similiter est iuramentum, quando Deus tanquam boni alicuius impertitor, inuocatur v.gr. *Ita me Deus adiuuet, seruet, det mihi gratiam, vel gloriam*, vel aliquod aliud bonum *Ita mihi Deus benefaciat.* Quia in hoc loquendi modo intelligitur contraria execratio. Deus his bonis me priuet, si hoc ita non est. Cajet. *2.2.q.89.a.1.* Sylvest. *v. Iuramentum, 1.q.1.* Sotus *l.8.de iust.q.1.a.1.* Lessi. *citat.*

159 *Et* Deus non me adiuuet.

Iuramentum est, quando aliquis maledictionem alteri imprecatur, v. gr. *si hoc non est ità, Deus non te adiuuet, Dæmon te rapiat,* & ipse respondet, *Amen.* Quia idem est, ac dicere, Id malum mihi eueniat, si gessi: Sanch. *l.3. cap. 2.num.37.*

160 *Aliqua dicta formulas, quæ non sunt iuramenta. Non est iuramentum* Como christiano, Como Religioso Como Sacerdote.

Iam verò alias iurandi formulas iuramenta non esse ex receptiori sententia affirmo. Non sunt iuramentum hæc verba vulgaria, *Como Christiano*, O *Como soi Christiano.* Quia non videtur aliquod diuinum testimonium adduci: nullatenus enim est mihi de Fide, me esse baptismo dilutum. Nec verba hæc communiter vsurpantur vt iuramentum: nec Fides aliqua diuina Christiani ad confirmandam veritatem inuocatur; sed sensus est, vt est verum, me esse Christianum hoc est verum. Idem reor de his verbis: *Sicut Christianus*, vel *Sicut Religiosus, Sicut sacerdos, Sicut vir bonus, ita est.* Quia tantum adducitur in testem fidelitas, ac veritas, quam Christianus, Religiosus, sacerdos, aut vir bonus tenentur profiteri. Sanch. *l.3.c.1.n.16.*

161 *Nec illud:*

Hæc verba vulgaria, *Cuerpo de Dios con vos* iuramentum non continent. Quia nihil adducitur testimonium nihilque confirmatur. Cuerpo de Dios con vous. sed quendam iracundiæ denotant impetum: Sotus *de Iuram, abusu.c.4.*

Quoties autẽ veritas aliqua, quæ diuina nõ sit, adducitur in testem, non erit iuramentum: v.gr. *Sicut est certum, me esse hominem*, vel *me esse in hoc loco, hoc est verum.* Quia non adducitur quid diuinum in testimonium, sed veritas humana. Sanch. *l.3.c.2.n.19.* 162 *Nec illud*, sicut est certum me esse hominem.

Necest iuramentum quod communiter aliqui iuramenta vitare volentes, dicere assolent. *Per totum id, quod iurare possum.* Quia id tantum volunt dicere, cum per nullam rem liceat id, quod iurare, *per nihil iuro.* Aliàs posteriora verbarare possent blasphema, cum intelligerentur, per visum tam Dei, per quem solùm iurari potest. Sanch. *l.3.c.2.n.24.* 163 *Nec illud*, Per totum

Nec sunt iuramenta, *Voto a tal, Iuro à tal. Por vida de tal.* Quia *tal* nihil est, atque ea verba ad vitandum iuramentum per Deum vsurpantur. At si quis Deum intelligeret nomine *tal*, clara iuramenta essent. Suar. *l.1. de iuram.c.13.n.3.* 164 *Nec vulgare Illa*, Voto a tal, Iuro a tal. Por vida de tal.

Porro hoc verbum, *Iuro a san oy*, est æquiuocum. Si enim intelligas de sancto, qui de hodierna celebratur est iuramentum. Si autem (vt communiter accidit) *San oy* idem sit ac hodierna dies, sicut, illud *Por el dia sancto que es oy* sine respectu ad Diuum, qui illa die colitur: non est iuramentum. San oy *l.3.c.2.n.26.* 165 *Hoc vulgare*, Iuro à San oy, *est æquinocum.*

Nec est iuramentum, modus ille, quo solent vti fœminæ dum pueros minantur *Para esta*, appositio digito in fronte, aut naso. Quia non intendunt facere Crucem, nec per Crucem iurare: sed solummodo pueros territare. Similiter iuramentum non est dicere, *Per hanc Crucem*, nulla consulto Cruce efformata. Quia tunc non iuratur per Crucem, sed per Crucem tunc formatam: quæ cum formata minimè sit, per nil iuratur. Sanchez *l. 3. capite secundo numero 27.* 166 *Nec est iuramentum mulieris illa puerorũ comminatio*, Para esta que me loco has de pagar.

Nec iuramentum est, cum quis *per Deum*, aut *per propriam vitam* interrogatus, an ita se res habeat, respondet absolutè, ità rem se habere. Quia non est modus iuramenti exigendi, sed quædam adiuratio. Et si rogans diceret: Iuras mihi per Deum, ita rem se habere: & interrogatus responderet: *Ita res se habet*: non conferetur iurare. Quia non conuiuet interrogantis iuramento: sed soli eius interrogationi per simplicem assertionem respondet. Secus esset, si responderet ita, *si*, vel capite annueret. Quia tunc perinde esset, ac dicere: *Ita iuro*: Sanch *l.3 cap.2. num.18.* 167 *Nec cum quis* Per Deum *aut* per propriam vitam *interrogatus, respondet, &c.*

Homagium verò vulgò *Pleito omenage*, non est Iuramentum, sed quædam promissio simplex inter nobiles cum quibusdam solemnitatibus facta. Sayr. *in Clavi. l.5 c.1.n.13.* Sanch. *lib.6. de matrim. disp.11. num.9.& 10.* 168 *Homagium, vulgò*, Pleito omenage *non est iuramentum.*

Nec est iuramentum, *In veritate ita est*, vel vulgare illud, *En realidad, de verdad.* & hæc verba *Certe, Profesto, sane, Vere, Revera.* Quia idem est, ac si diceretur *Hoc ita est.* Et quia affirmare aliquid, nihil aliud est, quam id verum esse asserere: sicut negare aliquid est, id falsum esse, dicere. Hæc tempero, 169 *Nec illud* In veritate ita est.

vt intelligatur secluſa peculiari ęc dicẽtis intẽtione. Si enim intenderet, aut exiſtimaret, ſe iurare adducendo ſummam veritatem, quæ eſt Deus in teſtem, manifeſtum eſſet iuramentum. Sa verſ. iuramentum, num. 1 Azor. tom. 1. l. 11. cap. 3. quæſt. 1. Sotus de iuram. abuſu, cap. 4. Arag. 2. 2. quæſt. 89. art. 1.

170 *Nec illud* Maledicti nummi, quos habeo.

Nec iuramentum eſt, quod communiter dici ſolet, ad affirmandum, quempiam nummis carere, aut nihil ediſſe, *Maledicti nummi, quos habeo*: *Maledictum quod hodie edi.* Quia maledictio non cadit in perſonam: ſic enim iuramentum eſſet; ſed cadit in nummos, vel in eſum. Suar. *l.* 1. *de iurament. capite* 13. *numero* 28.

171 *Nec vulgare illud*: Tantos Angeles vengan por mi alma, &c.

Nec eſt iuramentum vulgare illud: *Tantos Angeles vengan por mi alma, quantas veces aueis hecho eſto.* Quia hæc dicendi formula non habet contrariam maledictionem in ſe incluſam. Sed ſolus eſt ſenſus; Gauderem, vt tot Angeli me reciperent: vt ſolet etiam dici: Tot aureos haberem, quot te habere credo. Sanch. *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 39.

172 *Hæc verba*, Mejor me guarde Dios, que eſto es aſi, aquin ca ſũ.

Hæc autem verba: *Melius me ſeruet Deus*, vulgò, *Mejor me guarde Dios, que eſto es aſi*, dupliciter poſſunt dictari. Primò, comparatiuè, nempè, quando ſignificarè volentes aliquem quid piam male facere, dicimus *Melius illi Deus faueat*: & in hoc caſu iuramentum non includunt. Quia nullam claudunt execrationem. Secundò, non comparando, ſed affirmando; vt ſi velim aſſerere, me aliquid non feciſſe, dicam ſic: *Melius mihi faciat Deus, quam ita fecerim: Mejor me guarde Dios, que yo tal hice*: & hoc ſenſu ſunt iuramentum. Quia contrariam includunt execrationem Sanch. *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 40.

173 *Nec illa verba*, Habeat vt perfidus, vel vt hæreticus.

Nec hæc verba, *Habeat ac perfidus, aut hæreticus, aut mendax*: vulgò, *Ruinſea yo, ſea tenudo por herege, traidor, mentiroſo, ſi eſto no es aſi*, ſunt iuramentum. Quia idem ſignificant, ac æſtima me talem, ſi hoc non ita eſt: & ita ſenſum execratorium non efficiunt. Sanchez *l.* 3. *cap.* 2. *num.* 41.

174 *Nec illud.* Occidar amputentur mihi aures.

Tandem hæc verba, *Occidar, amputentur mihi aures*: vulgò. *Que me matem, o mecorten las orejas, ſi eſto no es aſi*, in rigore iuramentum execratorium præ ſe ferunt, ſicut eſſet iuramentum, *Diris pugionis ictibus punctim confodiar, ſi hoc ita non eſt.* At vt communiter ea verba circumferuntur, iuramentum non claudunt. Quia non dicuntur ea verba, quaſi id ſibi malum imprecando Deum, vt tanquam Iudex vindictam ſumat de dicente, ſi mendax exiſtat: ſed dicuntur inſtar cuiuſdam ſponſionis. Sanchez *l.* 3. *ſum. capite* 2. *numero* 42.

CAPVT XVII.

Circa naturam & eſſentiam Iuramenti, & vitia contraria.

PROBL. XIV.

Iuramentum Execratorium falſum, eſt, & non eſt diſtinctæ ſpeciei neceſſariò in Confeſsione aperiendæ.

AD hoc reliquaque huiuſce Capitis Problemata recolo ex *ſect.* 1. Ex parte modi iurandi dinidi Iuramentum in ſolemne & ſimplex: in Iudiciale, & extraiudiciale: in Tacitum, & expreſſum: in Abſolutum, & Conditionatum: in Iuramentum per ſimplicem conteſtationem, vel per execrationem. Certè hæc omnia iuramenta ſpecie non differunt in ratione iuramenti, neque eorum diuerſitas eſt neceſſariò in Confeſſione manifeſtanda. Quia cum eſſentia iuramenti ſita ſit in inuocatione diuini teſtimonij: quod inuocetur hoc, vel illo modo, materiale, & per accidens eſt ad iuramenti rationem. Dixi *In ratione iuramenti.* Ex alio enim capite poſſet habere malitiam neceſſariò in Confeſſione aperiendam: verbi gratiâ ſi iuramento fuerit adiuncta Blaſphemia: vel ſi falſum iuramentum quis in iudicio interrogatus proferret. Nam eſto illud iuramentum non cederet in tertij præiudicium: nihilominus quia ex virtute obedientiæ, vel iuſtitiæ legalis quis obligatus erat legitimè interroganti veritatem reſpondere, & occultauit, inſuperque occultationi iuramentum addidit: duplex peccatum, vel vnum cum circumſtantia ſpecie diſtincta commiſit: nempè peccatum inobedientiæ ſeu iniuſtitiæ, & peccatum Periurij. Attamen de iuramento execratorio falſo quæſierim, an propter execrationem ſit in eo malitia ſpecie diſtincta à iuramento, in Confeſſione neceſſariò aperienda? 175 *Nonnulla recolo.*

Eſt quidem. Quia iurans falſo, interpoſita vita propria, vel parentum ſuorum, (v. gr.) inuocat Deum, vt ſe, vel parentes vita priuet, ſi in aſſertione fallit. At talis inuocatio eſt contrà charitatem, vel pietatem: Ergò eſt malitia ſpecie diſtincta, neceſſariò in Confeſſione manifeſtanda. Sic Neoterici quidam *in manuſcriptis*, quorũ ſententiam haud improbabilem exiſtimo. 176 *Eſt diſtincta ſpecie.*

Non eſt. Quia inuocatio, aut petitio illa non eſt contrà charitatem vel pietatem: nam falſo iurans petit quod meretur ob iniuram illatam; qui enim falſo iurat, quolibet eſt dignus ſupplicio: Ergo petitio pœnæ ei debitæ in ſatisfactionem iniuriæ diuinæ iuſtitiæ factæ contrà charitatem, vel pietatem eſſe non poteſt. Et quia ſic falſo iurans regulariter non petit ex animo illam vindictam: ſed potius ſi rogaretur, reſponderet, ſe contrarium deſiderare: Ergò non peccat contra charitatem, vel pietatem grauiter, ac proindè non tenetur, hanc circumſtantiam in Confeſſione manifeſtare. Ita Caiet. 2. 2 *quæſt.* 89. *art.* 1. Bonac. *tom.* 1. *d.* 4. *qu.* 1. *punct.* 2. *principio*, Sanch. *l.* 3. *Decal. cap.* 1. *num.* 7. Sayr. *in Clau. l.* 5. *cap.* 2. Petr. Ledeſ. *tom.* 2. *ſum. tract.* 11. *cap.* 1. *dub.* 3. Navar. *ſum. cap.* 12. *num.* 1. Palaus *tom.* 3. *tract.* 14. *d.* 1. *punct.* 2. *num.* 4. 177 *Non eſt ſpecie diſtincta.*

Fateor difficilem eſſe horum Doctorum ſolutionem. Non enim ſatis percipio quomodo poſſit eſſe verum iuramentum execratorium abſque petitione voluntaria, ac vera vindictæ. Quia 178 *Cum his opinor, non ſcens tamen ſolutionem diffi-cultatem.*

Quia iuramentum esse non potest, quin iurans petat, quantum in se est vt Deus rei iuratæ sit testis: Ergo iuramentum execratorium esse non poterit, quin iurans execratoriè petat, quantum in se est, Deum, vt rem iuratam illo vindictæ signo testetur. Attamen respondeo, esse verum iuramentum execratorium, tamen si iurans ex animo vindictam non postulet. Quia continet totam iuramenti essentiam, quæ in inuocatione Dei in testem est sita: quæ essentia non pendet, siue ex animo petatur vindicta, siuè non; est enim quid diuersum ad rationem iuramenti. Et licet quatenus est execratorium necessario continere debeat inuocationem Dei in vindicem: quia tamen est accidentalis hæc inuocatio iuramento: ideo iuramentum execratorium absolutè ac propriè sic est appellandum, tametsi ex animo execratio non fiat. Vndè secundam sententiam vt longè probabiliorem amplector.

PROBL. XV.

Iuramentum de re futura facienda absque illius promissione, est, & non est diuersum à iuramento, quo rem illam faciendam quis promitteret.

179 *Promitto, quid sit iuramentum Assertorium, Promissorium, & Comminatorium.*

PRæmitto, ex parte rei iuratæ, communiter Doctores distinguere iuramentum duplex: aliud Assertorium, aliud Promissorium. Alij tertium addunt, nempI Comminatorium Assertorium est, quando aliquid affero, vel nego, siue sit præsens, præteritum, vel futurum. Vt si iurè eclipsim, vel pluuiã fuisse, esse, vel fore. Promissoriũ à promissione dicitur: quia rẽ promissã iuramento firmo, sed iuramentũ promissoriũ continere assertorium, non dubito. Quia in omni iuramento promissorio, vt verum sit, debeo verum habere animum promissum implendi: alias fictè promitterem, falsóque iurarem. At quia rem futuram promitto, & ad eam firmandam, iuramentum assumo: ea de causa promissorium vocatur. Sanch. *l. 1. sum. c. 1. num. 4.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 7. pun. 2.* Comminatorium dicitur, quando pœnam alteri quis comminatur: quod quidem reducitur ad promissorium: quia est vera, & absoluta promissio de pœna alteri infligenda. Circa præfatam diuisionem quæsierim, an iuramentum de re futura gerenda absque illius promissione, diuersum sit à iuramento, quo rem illam faciendam quis promitteret?

180 *Est diuersũ.*

Diuersum quidem est. Quià cum de peccatis (verbi gratiâ) quis dolet, propositum, ac voluntatem habet ea iterùm non committendi: non tamen propriè Deo promittit, ea non commissurum: aliàs obligatus esset ex voto, ab eis abstinere. Quid ergo obstat quominus hoc propositum iramento firmet? Illud ergo iuramentum adhærebit proposito, non promissioni; secus esset, si facta promissione, illam iuramento firmaret: tunc enim promissioni iuramentum adhæreret. Posito autem, iuramentum posse hoc diuerso modo fieri: videtur vnum ab alio differre. Quia adhærens promissioni, promissionem inuoluit: promissio autem à proposito omnino est diuersa. Ergò vnũ iuramentum ab alio est omninò distinctum. Sic Valent. *2. 2. d. 6. q. 7. pun. 2.*

Minimè est in ratione iuramenti diuersum. Quia siuè res sub rigorosa promissione oblata sit, siuè solùm sub simplici proposito: iuramentum in ratione iuramenti æquè super illam cadit, & æque iurantem adstringit ad illius executionem, nè falso Deus adducatur in testem. Ita Suar. *l. 1. de iuram. cap. 9. num. 7.* Pala. *tom. 3. tr. 14. d. 1. pun. 2. num. 6.* 181 *Diuersum non est.*

Cum his opinor, in ratione iuramenti non differre, ob expressum fundamentum. In ratione inquam iuramenti. Nam ex ratione promissionis, clara est differentia: si iuramentum de re futura absque illius vera promissione esse potest. 182 *Cum his opinor.*

PROBL. XVI.

In ratione Iuramenti, Iuramentum purè Assertorium differt essentialiter, & non differt à Iuramento Promissorio.

NOn differt. Quia essentia iuramenti, quia tale est, in inuocatione diuini testimonij consistit. Quod autem diuinum testimonium inuocetur, ad firmandam rei præsentis, aut futuræ veritatem, per accidens esse videtur: Ergò iuramentum promissorium à purè assertorio specie non distinguitur. Sic Caiet. *2. 2. quæst. 89. art. 1.* Couar. *in c. Quamvis pactum. de pactis. num. 3.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 7. pun. 2.* Suar. *l. 1. de iuramen. cap. 9. numer. 1.* asserens, esse omnium. 183 *Non differt.*

Differt plane. Quia in iuramento purè assertorio inuoco Deum vt testem: at in promissorio rem futuram respiciente, non tam Deum aduoco vt testem, quam vt fideiussorem: non enim promittens rem futuram, Deum aduoco, vt testetur eam futuram fore: hoc namque est mihi omnino incognitum; illa enim petitio vana esset, & nullatenus meam promissionem firmaret; esse namque rem promissam de facto futuram, est quid contingens, & multis viis potest impediri. Ergò essentia iuramenti promissorij ab ea contingentia pendere non potest. Non igitur peto à Deo, vt testetur, rem fore futuram, eum sub iuramento rem futuram promitto: sed postulo à Deo, vt ipse sua præsentia meæ promissioni authoritatẽ præstet: videlicet, quod rẽ, quã promitto sim executurus: At munus fideiussoris & testis est planè diuersũ: Fit ergò diuersũ esse iuramentũ promissoriũ ab assertorio. Ita Palaus *to. 3. tr. 14. d. 1. pun. 2. n. 7.* Inclinat. Suar. *l. 1. de iuram. cap. 9. n. 5.* 184 *Differt quidem.*

Fateor, primam sententiam, quia communis fore sustinendam, sed crediderim, fortasse secundam esse probabiliorem. Ideò mihi eam præfero. Quia iuramentum promissorium, quatenus tale est, & rem futuram respicit, non semper obligat sub graui culpa præstare verum quod promissum est, vt communior sententia tenet. At iuramentum purè assertorium semper in quacumque materia etiam leuissima obligat sub graui culpa ad veritatem: Ergo iuramenta, è quibus hæ proprierates ità diuersæ procedunt, diuersa sunt. 185 *Primam sententiam communiorem secundam verò mihi probabiliorem esse reor.*

PROBL. XVII.

Defectus iustitiæ in Iuramento assertorio mortalis aut venialis est, & mortalis aut venialis non est secundùm quod narratio confirmata iuramento mortalis, aut venialis fuerit.

186 *Præmitto comites iusti iuramenti circumstantias.*

VIdimus *sect.* 1. circumstantias, quæ comitari debent iuramentum, vt sit actus virtutis, esse eas, quas Ieremias *cap.* 4. expressit: *Iurabis: Viuit Dominus in iustitia, in iudicio, in veritate.* Primò, veritas in omni iuramento ad eius honestatem requiritur. Secundò, requiritur in omni iuramento iudicium, hoc est matura consideratio de necessitate, ac vtilitate iurandi. Tertiò requiritur iustitia, scilicet vt id quod iuratur honestè iuretur: & hoc quidem tam in iuramento assertorio, quam in promissorio. Diuersimode tamen in iuramẽto assertorio, ac in promissorio. Nam in promissorio debet esse iustitia tũ ex parte materiæ, tũ ex parte actus iurãdi. Requiritur enim, vt id quod promitto gerendũ, iustum & honestũ sit: & vt iusta & honesta sit promissio: ita vt si res promissa iniusta & inhonesta sit: inhonesta, & iniusta sit promissio, & iuramentum. At è contra in iuramento assertorio non semper iniustum est iuramentum, quando iniustum est, quod asseritur; sed solum erit iniustum; quando iniuste & inique asseritur. Porrò in iuramento assertorio (vt ad quæstionem accedam) peccatum mortale est veritatis defectus. Quia inuocare Deum in testẽ mendacij est grauissima illius iniuria. Defectus iudicij veniale piaculum est. Quia non videtur grauis irreuerentia Deo fieri, quòd eius nomen absque necessitate inuocetur. Iam quæsierim, an defectus iustitiæ in iuramento assertorio si mortale aut veniale peccatum, secundum quod narratio confirmata iuramento, mortalis vel venialis fuerit.

187 *Est mortalis aut venialis iuxtà narrationis malitiam.*

Defectus iustitiæ in iuramento assertorio mortalis est, cum narratio firmata iuramento est mortalis: venialis autèm est, cum venialis est narratio, quæ iuramẽto fuerit firmata. Quia iuramentũ assertoriũ in hoc cũ iuramento promissorio in re iniusta comparatur. Sic Toletus *l.* 4. *cap.* 21. *numer.* 11. Sotus *l.* 8. *de iust. quæst.* 1. *a.* 3. Petr. Ledes. *tom.* 2. *sum. tr.* 11. *cap.* . *dub.* 4.

188 *Non est defectus mortalis aut venialis iuxta narrationis malitiam sed aliunde.*

Non est defectus iustitiæ in iuramento assertorio mortalis aut venialis iuxta narrationis affirmatæ malitiam. Quia defectus iustitiæ in iuramento assertorio sumendus ex eo quod assumatur vt medium aut instrumentum ad finem prauum. Quare si finis, ad quem iuramentum vt medium assumitur, mortalis sit, mortale erit iuramentum: si venialis, veniale existet. Ita Sanch. *l.* 3. *sum. cap.* 4. *n.* 33. Suar. *l.* 3. *de iuram. c.* 12. *num.* 7. & 8. Pala. *tom.* 3. *tr.* 14. *d.* 1. *pun.* 5. *num.* 4.

189 *Cum his sentio, & exemplis id confirmo.*

Cum his sentio, & exemplis doctrinam confirmo. Quotiescúmque proximum grauiter quis detrahit, ac detractionem iuramento confirmat, peccatum mortale committit. Quia assumit iuramentum vt medium, ac firmamentum grauis iniquitatis: nã illud assumit ad veriorem ac firmiorem detractionem próximi faciendam. Neque ab hac intentione, quæ est in essentia iuramenti imbibita excusari potest. Itèm peccatum mortale non perpetrat aduersus Religionem, & contra iuramentum, cum quis proprium peccatum manifestat, & de illo se iactat & vt credatur commisisse vel complacẽtiã illius habere, narrationem iuramento confirmat. Quia esto illa narratio ob complacentiam mortalis sit, iuramentum non assumitur vt medium ad augendam, vel firmandam illam mortalem complacentiam in se, sed in audientium animis; hoc est, assumitur vt medium ad firmandam in audientibus illius credulitatem: qui finis mortaliter prauus non videtur.

PROBL. XVIII.

Quandò res promissa iusta est, & quis tenetur ex iuramento illam exequi: peccat, & non peccat lethaliter, illius omittens executionem, quando res promissa leuis est.

190 *Nemini suppositum.*

PRofecto si grauis sit materia omnes conueniunt, lethale esse peccatum. Quia grauis irreuerentia Deo exhibetur, illius authoritatem in re graui contemnendo. Et quia voti violatio in re graui est mortale peccatum: Ergò à fortiori violatio iuramenti, cuius maior est obligatio. Quæsierim vero, num peccet lethaliter, qui rem leuem iuramento promissam implere contemnit?

191 *Peccat lethaliter.*

Lethaliter peccat. Quia in iuramento promissorio Deum in testem adducit non solum veritatis præsentis, sed futuræ: id est non solum quis iurat, se habere propositum rem promissam exequendi: sed etiam illam esse executurum: Ergò si de facto non exequitur, cum possit, & teneatur, efficit quãtum est ex parte sua, Deum falso fuisse testatum. Quod tam in graui materia, quam leui eiusdem est rationis. Sic Gabr. *in* 3. *dist.* 39. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 4. & 7. Caiet. *sum. v. Periurium. cap.* 2. Armil. *v. Iurare, num.* 12. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 7. *pun.* 3. *concl.* 3. Lessi. *l.* 2. *cap.* 42. *dub.* 5. *num.* 25. Bonac. *to.* 2. *d.* 4. *q.* 1. *pun.* 14. *n.* 2. Reginald. *l.* 1. *n.* 79.

192 *Lethaliter non peccat.*

Non peccat lethaliter sed venialiter solùm, siue materia promissa sit totalis, siue partialis. Quia qui aliquid promittit, si animum habeat gerendi, quod promittit, non mentitur. Quia non loquitur contra id, quod gerit in mente, si vero non facit, quod promittit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quod animum mutet. Quod ergò mendacium propriè non committat in omittenda promissione, non adducit Deum in testem falsi. Id confirmo: Cum sub iuramento promitto, aliquid faciendum, non solum iuro in actu exercito, me habere animum exequendi rem promissam: sed etiam iuro formaliter, me esse executurum: Ergo illud iuramentum tunc est verũ, vel falsum: Ergò eius veritas, vel falsitas mortalis non pendet ex euentu futuro: ac proinde licet non exequar rem iuratam, causa esse non potest, quod Deus à me fuerit in testem falsi inductus; alias ob nullam possem rationem ab execu

ab executione rei iuratæ excusari. Deinde in iuramento promissorio non invoco Deum, vt testetur, me fore rem promissam executurum. Nunquam enim ad hoc munus testimonium diuinum expostulatur, sed solùm vt sub sua authoritate illam suscipiat promissionem: Ergo postea executionem omittens, infideliter ago, non tamen mentior. At esse infidelem in re leui, non est Dei grauis iniuria. Quia non destruitur speciale aliquod ipsius attributum. Ità D. Antonin. *p. 2. tit. 10. cap. 4. §. 1.* Angel. *v. Iuramentum, 5. num. 41.* Sylvest. *v. Iuramentum. 4. q. 1.* Navar. *sum. cap. 12. num. 10. & cap. 18. num. 7.* Manu. *to. 1. sum. cap. 192. num. 5.* Azor. *to. 1. l. 5. c. 27. & l. 11. c. 5. quæst. 3.* Suar. *l. 3. de iuram. c. 26. n. 9.* Sanch. *l. 2. sum. c. 4. n. 23.*

193 *Probabilius hoc mihi.* Probabilius hoc puto. Quia Deus in iuramento promissorio, vt respicit rem futuram non adducitur vt testis formaliter; sed vt præbens authoritatem futuræ executioni per modum fideiussoris: non qui in se obligationem suscipiat, sed qui sua præsentia promissioni tribuat firmitatem.

PROBL. XIX.

Est, & non est lethale peccatum extrà iudicium vel contractus firmitatem, Iuramentum præstare in alio sensu ab eo quam alius intelligit.

194 *Nonnulla extra suppo-nuntur.* CErtum est, si Iudex ita iuridice interroget, vt quis teneatur veritatem fateri, peccaturum lethaliter „si amphibologico vtens iuramento, veritatem occultet. Qui agit, contrà obedientiam Superiori debetam. Idem est, quando ad alicuius contractus firmitatem iuramentum expostulatur, aliquis verò vt obligatione solueretur, amphibologicè iuraret. Quia decipit proximum in re graui. Sanchez *l. 3. sum. c. 7. num. 1. & 2.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 9. n. 46.* si verò extra legitimum iudicium, vel extrà contractus indigentes iuramento ad firmitatem loquamur: nemini dubium esse potest loqui, & à fortiori iurare sine necessitate, vel vtilitate speciali in alio sensu ab eo quem auditores intelligunt esse peccatum. Quia talis loquendi modus contrarius est ciuili, ac politicæ hominum cõuersationi, maxime in rebus seriis, omniaque dolis, ac fallaciis exundarent. Quare etsi tunc peccatum mendacij non committatur, delinquitur contra præceptum affirmatiuum dicendi veritatem sincere, ac simpliciter. Valent. *2. 2. d. 5. q. 53. pun. 2.* Quæsierim autem, num id peccatum lethale sit, extra iudicium, vel contractus occasionem, amphibologicè iurare.

195 *Mortale est.* Peccatum mortale est. Quià esto falsum non asseratur, adducitur Deus in testem, ac protectorem veritatis operiendæ, & seducendi, aut illudendi proximum, & politicam hominum conuersationem violandi, ansamque fallaciis exhibendi. Sylvest. *v. Iuramentum. 3. q. 2.* Qui quidem huiusmodi iuramenta *periuria* vocitant. Et quia est contra præcipuum iuramenti finem. qui est veritatem determinatam testificari; sic Angel. *v. Iuramentum, 4. initio.* Sylvest. *v. Iuramentum q. 2.* Armil. *v. Iurare, q. n. 16.* Tabie. *v. Iurare, quæst. 13. num. 14.* Naua. *c. Humanæ aures 22. q. 5. & sum. cap. 12. num. 8. & 13.* Tolet. Sayr. Lessi. & Philiarc. apud Sanch. *l. 3. sum. c. 6. n. 22.* Ludou. Lop. *p. 1. Instruct. cap. 42.*

196 *Non est mendacium.* Seclusa iniustitia, aut aliqua extrinseca circumstantia, quæ ex tali modo iurandi possit oriri; tale iuramentum absque necessitate factum, mortale piaculum non est, sed veniale solummodo. Quia tali iuramento solum deficit comes iudicij, non iustitiæ, neque veritatis: Ergo solum est veniale piaculum. Quod autem tali iuramento veritas non deficiat, certum puto: Nam illud iuramentum non cadit suprà propositionem exterius vtcúmque prolatam, sed secundum quod restricta est animo proferentis. Ex. gr. Rogatur quis, an furtum commiserit, quod verè perpetrauit: respondet & iurat, se non commisisse, subintelligendo in illa hora, in qua rogatur: vel non commisisse coram Iudice, parente aliisve consanguineis. Tale iuramentum veritatem habet: si quidem non affirmatur absolutè, patratum non fuisse furtum; sed patratum non fuisse illa hora, vel coram his personis. Ita Caiet. *2. 2. q. 89. a. 7.* Suar. *l. 3. de iuram. c. 9. 10. & 11.* Sanch. *citat.* & alij apud ipsos. Palaus *to. 3. tr. 14. d. 1. punct. 7. n. 3.*

197 *Eiusdem sunt mentis.* Profectò *humanæ aures talia verba nostra indicant, qualia foris sonant: diuina verò iudicia talia foris audiunt qualia ex intimis proferuntur. c. Humanæ aures 22. q. 5.* Ergo pensari debet falsitas, aut veritas non ex verbis præcisè, sed ex corde proferentis. Ergo iuramentum amphibologicè factum veritatem habet. Ergò solum ei deficere potest iudicium, & iustitia. Iustitiam supponimus non deficere: alias prauitate materiæ esset mortale, vel veniale. Restat ergò vt solum iudicium, seu discretio deficiat, cuius defectus venialis est: eo quod non euacuet finem præcipuum iuramenti, qui est veritatis confirmatio. Scio quidem, nec venialem esse culpam, quando aliqua causa honesta occultandi veritatem intercedit: qualis esset, si ad tuam tuorumque salutem, honorem, rem familiarem tuendam occultatio expediret. Quia defectus iudicij, qui in huiusmodi iuramento esse poterat; interueniente iusta causa sic occultandi veritatem omnino cessat. Lege Lessium *l. 2. c. 42. dub. 9. n. 47.*

PROBL. XX.

Iurans sine animo implendi, semper, peccat mortaliter, & non semper mortaliter peccat.

198 *Semper peccat mortaliter.* SIue in iudicio siue extra iudicium iurans sine animo implendi iuratum semper mortaliter delinquit. Quia vero iuramento prima veritas deficit. Sic Lessi. *l. 1. c. 42. dub. 8 n. 42.* Suar. *l. 3. de iuram. c. 17. n. 9.* Sanc. *l. 3. sum. c. 4. n. 26.* & alij communiter.

199 *Non semper mortaliter peccat.* Non semper delinquit mortaliter. Quia aliqua iuramenta passim fiunt, sinè animo implēdi iuratum. Hæc sunt iuramenta, quibus parentes minantur filiis, heri famulis, supplicia non tam animo exequendi, quam deterrendi, ac corrigēdi. Quę quidem à Doctoribus peccata mortalia non censentur. Item iuramenta cedendi loco,

& honore

& honore, quæ vrbanitatis causa fiunt, sine animo implendi: Ergò non semper his vtens, lethaliter delinquit. Sic omnes ferè Doctores parentes & heros à mortali excusant.

200 *Hanc sententiam minimè posse sustineri reor.*

Hanc sententiam minimè posse sustineri reor, si absolutè sumatur, & non subintelligatur aliqua conditio quæ iuramenta illa à falsitate excuset. Potiò in iuramentis comminatoriis subintelligitur conditio, nisi delinquens filius, vel famulus se correxerit, veniámve postulauerit, vel maius incommodum ex supplicio timeatur. In iuramentis vrbanitatis subintelligitur, nisi alteri nimis molestum fuerit. Imò crediderim, in comminatoriis illum ipsum terrorem filio, aut famulo inflictum intendere sufficiens esse, vt iuramentum à falsitate excusetur, licèt iurans nullum aliud supplicium intendat inferre. Verùm si absque vlla subintellecta conditione, iuramentum præstaretur, sine animo aliquid implendi, haud dubito fore mortale. Lege Lessium *l. 2. cap. 42. dub. 4. num. 22.* & Suarium *l. 3. de iurament. capite 17. numero 9.*

PROBL. XXI.

Iurare falsum sine animo iurandi, est, & non est peccatum mortale, si per iniuriam quis iurare cogatur, & falsitas penitus sit occulta.

201 *Peccatum mortale non est.*

PEccatum mortale non est. Quia nec intendit Deum in testem vocare, sed simulare: nec secundum prudentem existimationem poterit ille censeri falsum iurare: quia falsitas est penitus occulta. & qui a iustam cautam habet, alia mente iurandi. Sic Lessi. *l. 2. cap. 42. dub. 8. num. 43.*

202 *Est peccatum mortale.*

Peccatum est mortale. Quia videtur Deo grauis irreuerentia fieri ex eo quòd solùm in apparentia, & nomine tenus falsi aduocetur in testem. Nomini enim Dei summa reuerentia debetur. Ità Palaus *tom. 3. tract. 14. d. 1. punct. 8. num. 5.*

203 *Hoc longè probabilius existimo, imò ferè certum.*

Hoc probabilius censeo. Quia extra hunc casum à Lessio adductum, nullum Doctorem inueni, qui affirmaret, peccatum mortale non esse falsum iurare, etiam sine iurandi animo. Et quidem si semel admittamus Deum simulatè inuocari posse in testem falsi absque graui peccato: finis iuramenti, qui est veritatis confirmatio, penitus frustraretur. Non igitur est concedendum. In iudicio autem. & in contractibus grauibus proculdubio est esse mortale iurare falsum absque animo iurandi. Quia in iudicio est contra præscriptum superioris: in contractibus contrà ius parti contrahendi debitum, & in vtroque casu contra reuerentiam diuino nomini debitam.

PROBL. XXII.

Iurare verum sine intentione iurandi est, & non est lethale peculum.

204 *Est lethale.*

ESt quidem lethale. Quia quandò verùm est quod iuratur, id iuramentum est perniciosum in ordine ad Deum, cuius diuino testimonio per id illuditur. Cum actu externo illud inuocetur, interno autem eius inuocationi dissentiatur. Est etiam pernicioſum toti humano generi, tollens iuramento externo finem, qui est, verè adhiberi in veritatis confirmationem. Sic Caiet. *2. 2. quæst. 8. art. 7.* Armil. *verb. Periurium, num. 3.* Couar. *de pactis part. 1. §. 5. num. 1.* Et probabile ducit Palaus *citandus*, dum contrarium probabile solùm esse affirmat.

205 *Lethale nati est.*

Lethale non est. Quia non videtur, ex hoc iuramento fieri grauis irreuerentia Deo, neque homini. Non Deo, nam esto simuletur, in testem adducit: adducitur in veritatis testem. Sicut cum simulatè quis orat eo tempore, quo non tenetur orandi præcepto: non obindè censetur Deo grauem iniuriam inferre. Neque etiam ex tali iuramento homini prouenit grauis iniuria: quia suppono grauiter indè non læsi: Ex nullo ergò capite, lethale crimen est. Ita Lessi. *l. 2. cap. 42. dub. 8. num. 42.* Sanch. aliis relatis, *l. 3. sum. cap. 6. num. 9. & 10.* Bonac *tom. 2. d. quæst. 1. punct. 7.* Pala. *tom. 3. tract. 14. d. 1. punct. 8. num. 5.*

206 *Non esse mortale, tale iudico, si tamen venial. quæ de causa non adsit, fatear.*

Cum his opinor, addens, esse proculdubio peccatum veniale, quandò nulla legitima & honesta causa geritur. Quia est quædam fictio vim iuramenti eneruans. Verùm si in iudicio, vel in contractibus veritatem quis iurat sine animo iurandi, mortaliter delinquit. Quia decipit Iudicem, vel secum contrahentem in re graui. Limitat Sanch. *l. 3. cap. 7. num. 2.* Dummodo indè iudicio, aut contractui notabile damnum sequeretur: quod rarò contingere potest. In contractibus quidem, cum fictio, & simulatio non appareat, & æquè cogendus sit ac si verè iurasset, limitatio placet. A iudicio tamen excludo limitationem. Quia semper hæc simulatio illi notabiliter præiudicat. Superioris enim præceptum non solùm est de veritate dicenda, sed de dicenda sub diuino testimonio. Illudit ergò grauiter iudicium, qui diuinum testimonium omittit.

PROBL. XXIII.

Lethale est, & non est lethale iurare quem sine sese obligandi animo.

207 *Peccatum lethale est.*

PEccatum est lethale. Quia fit grauis Deo irreuerentia, cum ex vno capite eum in testem adducit: & ex alio non vult testimonio ac authoritate eiusmodi obligari. Videtur enim diuinam maiestatem, ac authoritatem contemnere. Potiò qui non habet animum se obligandi, neque implendi animum videtur habere. Sic Nauar *sum. cap. 12. n. 14.* Bonac. *to. 2. d. 4. q. 1. pun. 7.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 8. n. 41.* Suar. *l. 3. de iuram. cap. 17. num. 10.* & alij communiter.

208 *Peccatum lethale non est.*

Peccatum lethale non est. Quia probabile est, iuramentum factum absque animo se obligandi, non esse verum iuramentum, sed simulatum, quale est iuramentum factum absque animo iurandi. Vndè idem quod *Problem. 22.* diximus de iuramento facto absque iurandi intentione, dici debet de iuramento facto absque animo se obligandi: At iuramentum factum absque iurandi animo, si

si verum affirmetur mortale non est: ergò nec mortale erit iuramentum factum sine se obligandi intentione. Ita Palaus *to.3.tr.14.d.1. pun.8.n.7.* Sylvest. *v. Iuramentum.4.9.7.* Sanch. *l.2.sum. cap.6. num.7. & cap. 10. num.8.* & alij apud ipsos.

208 *Hanc ergo sententiam mihi probabiliorem.*

Hanc sententiam mihi probabiliorem eligo. Quam quidem roboro, probans, iuramentum, in quo quis expressum habet animum non se obligandi, verum non esse, sed apparens. Quia obligatio vel est de natura ipsius iuramenti, vel quædam passio ità necessario consequens naturam iuramenti, vt nullatenus valeat separari. Ergo qui vult iurare obligationem excludendo, vult, vt tale iuramentum suam non habeat essentiam: si quidem illam habere non potest sinè obligatione: Ergo iurare non vult, sed simulare iuramentum. Confirmo id ex voto facto absque te obligandi intentione, quod secundum communiorem sententiam, nullum est. Et ex matrimonio contracto absque intentione te obligandi ad reddendum debitum, quod etiam est nullum: quia essentiam matrimonij destruit. Ergò similiter nullum erit iuramentum factum ab aliquo sine se obligandi intentione.

PROBL. XXIV.

Differenda est, & non est differenda absolutio ei, qui praua iurandi affectus est consuetudine.

210 *Aliqua recolo.*

DIximus *sect.1.* duplicem esse iurandi consuetudinem: vnam cum aduertentia, vt verum iuretur. Quæ mortale non est. Alteram sine aduertentia ad veritatem: quæ quidem sic ex consuetudine iurantem in statu peccati mortalis constituit. Quæsierim ergò, an differenda sit absolutio ei qui hac praua iurandi consuetudine sit affectus?

211 *Non statim absoluendi, qui consuetudine iurandi male tenetur.*

Si semel aut bis falsus fuerit hanc consuetudinem, Confessarius potest, & debet eum absoluere: secus, si sæpius. Quia debet differre absolutionem vt de proposito ei possit constare. Sic Suar. *l.3. de iuram. cap.8. fine.* Sayr. *in Claui. l.5. cap.5. num.8.* monens de consilio, non de obligatione differendam. Medina obligat differre, *l.1. sum. cap.14.* Ludou. Lop. *p.1. Instruct. cap.25.* Mann. *to.1. sum. cap.192. num.11.*

212 *Absoluendi statim.*

Etiã si sæpius falsus fuerit huiusmodi cõsuetudinẽ potest absolui. Quia ob peccata, quæ nõ pendent ex occasione extrinseca, sed ex peccatoris fragilitate non est necessario differenda absolutio. Nam eo ipso quod de peccatis dolet, remouet omnem occasionem, & periculum huiusmodi peccatorum: quod periculum situm erat in praua voluntate ea repetendi. Ità Bonac. *to.2.d.4.q.pun.3.* Sanch. loquens de consuetudine blasphemandi *l.2. sum. cap.32. num.45.* Palaus *to.3.tr.14.d.1. pun.9. num.6.*

213 *Debere iam absolui statim iam posse differri eorum absolutionem ter.*

Etiamsi nunquam admonitus quis fuerit, vt se corrigere studeat: aut si admonitus apposuit nonnihil laboris ad eam consuetudinem extirpandam debet statim absolui. Quia si admonitus non fuit, non est in tanta culpa; si autem post admonitionem aliquantulum laborauit pro emendatione: iam ex parte sua aliquid gessit: & si differretur absolutio, fortè caderet animo, & confessionis munimine destituus exitialius laberetur. Quid si nullam curam post admonitionem crebram, ad emendam apposuit? Adhuc censeo eum absolui statim posse, si verè dolere de præteritis videatur, & de futuris emendationem proponat. Ex consilio autem sacerdos poterit differre absolutionem, si iudicauerit dilationem profuturam. Quod non facile iudicarim, nisi casu quo iurans ea consuetudine graue aliis scandalum exhiberet. Mecum Bonac. *vbi suprà.*

PROBL. XXV.

Peccatum mortale est, & non est peccatum mortale, petere iuramentum ab eo, qui paratus est, falsum iurare, quando sibi fuerit expostulatum.

214 *Nonnulla suppono.*

SVppono ex *sect.1.* inducere aliquem ad falsò iurandum, vel ad iurandum quod nulla ratione licitè præstare potest, esse graue peccatum. Et nunquam esse licitum inducere aliquem ad testificandam falsitatem, tametsi testis falsitatem non cognoscat. Et nulla causa interueniente, illicitum esse petere iuramentum ab eo, quem credo male iuraturũ. Hoc probatur: quia lege charitatis teneor proximo occasionem ruinæ non offerre. Illud autem: quia cum illa sint intrinsecè mala ex nulla ratione potest eorum petitio cohonestari. Quæsierim verò, an peccatum mortale sit, petere iuramentum ab eo, qui paratus est falsum iurare, quando sibi fuerit expostulatum?

215 *Peccatum mortale est.*

Peccatum mortale est. Quia in petitione iuramenti ab eo, qui falso est iuraturus non adest regulariter necessitas, aut vtilitas. Sic Sanch. *l.3. sum. cap.8. num.23.*

216 *Non est peccatum mortale.*

Non est peccatum mortale. Quia probabile est, solam culpam venialem interuenire in petitione iuramenti abeo, qui per falsos de os est iuraturus, vt asserit Sanch. *citatus*: in hac enim petitione regulariter adest necessitas, vel vtilitas. Ergo idem dicendum de petitione iuramenti ab eo, qui paratus est falsò iurare. Quia in vtróque casu idem licitum directè petis, & quod ipsi facilè præstare possunt. Si igitur in petitione iuramenti ab eo qui iuraturus est per falsos deos peccatum mortale non adest, nec etiam conferius est peccatum lethale committere in petitione iuramenti ab eo, qui falsum est iuraturus. Nam verum iuramentum per falsa Numina æque malum est, & forte peius, quam iuramentum falsum per Deum verum. Quod autem in petitione iuramenti ab Ethnico regulariter aliqua vtilitas interueniat sicut in petitione mutui ab vsurario, quæ tamen regulariter non interuenit in petitione iuramenti à peieraturo: in causa esse non potest, vt quando de facto in vtráque iuramenti petitione nulla causa honesta intercedit idem non sit dicendum, si de facto iuramentum petatur. Ità Palaus *to.3.tr.14.d.1.pun. 10.num.6.*

217 *Certum mihi, peccatum mortale esse.*

Mihi certum est, peccatum mortale esse, si absque aliqua honesta causa iuramentum à male iuraturo petatur. Quia non percipio, quomodo ex charitate Dei, & proximi grauiter

non

non obligeris peccatum proximi graue vitare, si absque tuo incommodo possis. Vnde primam sententiam vnice probabilem esse reor. Quam quidem Palaus postquam pro secunda parte ingeniosè argumentatus est, primam mordicus tenet.

PROBL. XXVI.

Mortale est, & non est mortale, Iuramentum petere sine necessitate ab Ethnico, qui per falsos deos est iuraturus.

218 *Non est mortale, sed veniale tum.* NOn est mortale, sed solum veniale peccatum. Quia in petitione iuramenti ab Ethnico regulariter adest necessitas, vel vtilitas. Et quia plures grauissimi Doctores sentiunt solum esse culpam venialem petere absque necessitate mutuum ab vsurario parato: & sacramentorum administrationem à peccatore Ministro parato eam concedere: At eadem prorsus ratio videtur esse in petitione iuramenti à parato iurare per falsos deos. Ergo talis petitio solum est culpa venialis. Sic Sanch. *l.3.sum.cap.8.num.23.*

219 *Mortale crimen est.* Mortale crimen est, sine aliqua honesta causa iuramentum petere ab Ethnico per falsa numina iuraturo. Quia ex charitate Dei & proximi grauiter obligamur graue proximi peccatum vitare. Nec possumus ab vsurario parato petere sinè necessitate mutuum, nec à malè administraturo sacramentum: ob eandem rationem. Ita Palaus *to. 3.tr. 14. d.1. pun. 10 nu.7.*

220 *Primam eligo sententiam.* Santio adhæreo. Quia leuis necessitas excusat in petente à petitione huius iuramenti: sed præceptis sub mortali obligantibus, non tam leuis causa assolet excusare: Ergo indicium est solam esse sub veniali obligationem Certè sic petens, rem licitam petit, & quam alius facilè præstare poterit. Ergo non debet censeri proximo offerre ruinæ causam: sed illam ipse sibi accipere.

PROBL. XXVII.

Stante aliqua legitima causa petendi iuramentum à peieraturo, vel per falsa numina iuraturo: potest quis, & non potest id licitè petere extrà iudicium.

221 *Non potest id peti extra iudicium.* LIcitum est in iudicio: at extra iudicium solum licet in iuraturo per falsos deos, nõ in peieraturo. Quia inter has iuramentorum petitiones magna est differentia. Nam in iudiciali petitione, & in petitione iuramenti veri, quod est per falsos deos præstandum, semper est aliquod bonum, quod petatur. At in petitione extra iudiciali iuramenti ab eo, qui falso est iuraturus, nullum bonum apparet, cum non sit veritatis confirmatio; sed potius illius destructio, & finis iuramenti euersio: Ergo nullatenus licita esse potest sic d. August. D. Th. D. Bonau. Sotus, Aragon. Sayrus, & alij, quos refert Sanch. *l.3. sum.cap.8. num.5.* Basili. Leogion. *l.5. de matrim. cap.18. §. 8. numer.58.60.61. & 62.* Certè Augustinus relatus in *cap. Ille qui, & cap. Qui exigit 22. quæs. 5.* absolutè affirmat, eum qui cogit alium ad iurandum, quem scit falsò iuraturum, peccare, & peiorem esse homicida.

Stante honesta causa petendi iuramentum semper licitum est petere ab illo, quem petens scit, esse peieraturum, vel per falsa numina iuraturum, siue in iudicio petat, siue extra iudicium. Quia in petitione iuramenti absolutè nihil mali inuoluitur, cum possit optimè fieri. Quod autem alius falsò iuret, aut per conficta numina, non petenti, sed suę malitiæ tribuendum est, quam cum detrimento suo petẽs impedire nõ tenetur. Ità Lessi. *l.2.c.42.dub.10. n.49.* Suar. *l.3. de iuram. c.13. n.3. & cap.14. num.16.* Sanchez *citat.* Reginal. *l.18. num. 76.* Bonac. *tom.2. d.4. quæst. 1. punct.11. numer. 1.* Pala *to.3.tr.14.d.1.pun.10.num.9.* 222 *Licitum est in iudicio, & extra iudicium.*

Hoc secutus, ostendo in sententiæ robur, detrimentum non leue sequi posse, nisi quis iuramentum petatur à peieraturo, seu iuraturo per falsa numina, tum in Iudice, tum in actore, tum in priuata persona. In Iudice constat: nam siuè procedat ad petitionem partis, siue ex officio via inquisitionis, examinare testes, ac reum potest, etsi sciat falso iuraturos. In actore sæpè sua interest, iuramentum à peieraturo exigere; quia alia via non potest litem terminare, fraudes detegere, fidem aduersarij infirmare. Denique priuatæ personæ sæpè detrimentum continget, nisi iuramentum petat ab eo, quem scit falso iuraturum: vt si rerum familiarium alicuius Principis administrator existat, & nisi exigat iuramentum à colonis, fortè negligentiæ arguetur: poterit ab eis iuramentum exigere: tametsi sciat, peieraturos. Porrò in iuramento promissorio res est magis perspicua. Sæpè enim tua intererit, firmare contractum, & promissum: etsi scias, promittentem neque habere animum implendi, neque posteà executurum. Quia virtute iuramenti efficacius ad executionem compelles. Regula igitur generalis sit ad licitam petitionem iuramenti ab eo, quem scimus falsò iuraturum, vel per idola, nihil aliud requiri, nisi quòd ex honesta causa, & vtili prudentis arbitrio petatur: & ex alia parte petatur iuramentum absolutè, non tamen ea intentione, aut conditione, vt falsum iuretur. Quod exemplo petitionis mutui ab vsurario, & Sacramenti à Ministro peccatore est manifestum. 223 *Hoc teneo, & expono.*

PROBL. XXVIII.

Scis, alium ad iurandum falsum, vel per idola determinatum esse, neque licitè iurare velle: poteris, & non poteris eius iuramentum expostulare dicens: Iura mihi, tametsi falsò iures, vel per falsos Deos.

POteris planè. Quia potes vsurarium paratum inuitare, vt mutuum tibi sub vsuris futuris imper 224 *Licitum est.*

impertiat, quando aliâ via id obtinere nequis; in hac enim petitione non postulas actionem dantis mutuum sub vsuris, quatenus ab eo procedit: sed postulas mutuum, quod licitè præstari potest. Cum autem dicis, *sub vsuris*, est permissiue: redditque hunc sensum: Da mihi mutuum, & quia certus sum, te nõ esse daturum nisi sub vsuris, vsuras promitto. Haud aliter dicendum in petitione iuramenti ab eo, quem quis scit, nolle iurare nisi falsò, vel per falsos deos: potest inquam petere iuramentum, esto iniquè præstandum sit. Quia iniquitas non postulatur, sed solùm permittitur. Sic Sanch. *l.3 sum.c.8.n.17.* asserens, hanc sententiam esse probabiliorem.

225 *Nihil poterit.* Non poteris huiusmodi iuramentũ expostulare nec vllatenus id cohonestari potest. Quia ex ea petitione cõuinceris te petere iuramentũ non absolutè, sed licèt sit vestitum iniquitate: sed iuramentum iniquitate vestitum iniquum omninò est: Ergò illa est absolutè iniqua petitio. Ità Valent. *t.1.d.6 q.7.punct.3.* Salon *2.2.q. 87.a.4.controu.1.* Palaus *to.3.tr 14.d.1.pun.10.n. 10.* asserens, hanc sententiam esse probabiliorẽ.

226 *Idem iudico.* Idem iudico; quia non est simile de mutuo. Nam mutui concessio, & petitio vsurarum res sũt distinctæ: ac proindè poterit quis mutui cõcessionem petere, & vsurarum petitionem permittere. Ast iuramenti falsi as, vel iniquitas ab ipso iuramento nõ distinguitur. Non igitur dari potest illius iuramenti petitio, quæ simul non sit petitio falsitatis, vel iniquitatis.

PROBL. XXIX.

Sanum consilium est, & non est sanum consilium, si Confessarius iurare faciat pœnitentem aliquam pœnam subeundam, si reinciderit.

227 *Non est sanũ consilium.* NOn est sanum consilium. Quia si affectus ad peccatum vigeat, magnũ est transgrediendi iuramenti periculum. Vndè Confessarius id consulens laqueum collocat pœnitenti. Sic Sanch *l.2. Decal.cap.8. fine*, & alij Neoterici.

228 *Sanum consilium est.* Sanum consilium est. Quia non est idẽ periculum transgressionis. Non enim qui præceptũ non fornicandi violaret, eo ipso violaret iuramentum de pœna subeunda. Quia in fornicationem rapitur ob inordinatum affectum secùs in pœnam Ità Palaus *to.3.tr.14.d.1.pun.10.n.12.*

229 *Auctoru indictum.* Experimento edoctus mei amicissimi Ferdinandi à Castro Palao præfero, Santij venia, sententiam. Vidi enim non aptius alia via peccatis assuetos vti posse ad extirpandam prauam consuetudinem, quam si sibi aliquam pœnam moderatam subeundam iurent, quoties reinciderint. Non ideò approbo Confessarios exigentes à suis pœnitentibus iuramenta desistendi ab aliquo crimine. Quia eos transgressionis periculo exponunt: & sæpè suppetunt alia remedia: fauétque textus *in c. Clericos, de cohabit. Cleric. & mulier.* vbi cauetur, ne iuramentum petatur à Clericis de dimittendis cõcubinis, ob periculum violationis: & quia aliis possunt remediis iuuari. Suar. *l.3.de iura.c.14.n.18.* Sanch. *n.8.* Attamen nec id omninò improbarim. Nam esto timeatur, sic iurantes aliquando iuramentum violaturos: si tamen præsumitur, illius vinculo eos à peccatorum frequentia frænandos, non videretur imprudens consilium, quod de huiusmodi iuramento præstando exhiberetur. Sæpè à filiofamilias iuramentum expostulaui, nunquam se captaturum cum famula solitudinem, vt vitaret excidendi periculum, & experientia didici, id valdè ad continẽtiam profuisse. Regulariter tamen id iudico non gerendum.

PROBL. XXX.

Periurus priuatur, & non priuatur ipso iure Beneficiis acquisitis.

230 *Priuatur ipso iure.* PRiuatur ipso iure, nec necessarium est, vt per sententiam iuridicam priuetur. Sic Rebuf. cum aliis, *tract. de pacifico possessore, numer. 223.* Attamen id nec vllo iure probat, nec vlla ratione probabile esse ostendit: nisi dixerim sapientissimi viri dictum pro iure, ac ratione sufficere.

231 *Ipso iure non priuatur.* Non priuatur quidem ipso iure. Quia id præscribitur *cap. Querelam, de iureiur.* & ibi Gloss. Abbas & alij affirmant *ad cap.5. de rescript.* Quo in loco Felinus, Decius, & Ripa fatentur hãc opinionem esse communem. Couar. *de pact.p.1.§.7.n.3.* Suar. *l.3.de iuram.c.vlt.n.6.* & 22. Garc. *de Benef.p.11.c.10.n.167.* Azor. *p.1. l.11.c.12.q.9.* Barbo. *de potest. Episc.alleg 51.n.44.*

232 *Hoc vnicè verum esse puto.* Hoc vnicè verum esse puto. Quia cum textus huic sententiæ faueant, contraria verò nullo iure firmetur parum probabilitatis ei inesse iudicarim.

PROBL. XXXI.

Periurus infamis iuris infamia priuatur, & non priuatur ipso iure Beneficiis acquirendis.

233 *Iure ipso priuatur.* PEriurus infamis iuris infamia, seu declaratus per sententiam priuatus est iure ipso Beneficiis obtinendis, ita vt si ei fiat collatio prorsus sit nulla. Quia id plures textus indicant. Ità Rebuf. *tract. de pacif. possess. num. 223.* Couar. *p.1. de pact.§.7.num.3.* Azor. *part.1. l.11. cap.12.q.10.* Sayr. *in Claui, l.5.cap.9.num.9.* Flamin. *l.4. de resig. q.3.num.10.* Barbosa *de potest. Episc.p.3.alleg.51.n.45.* Imò addit Couar. periuro infami infamia facti si fiat collatio virtute literarum Apostolicarum esse nulla. Quia Pontifex non intendit suis literis ad Beneficia infames, ac periuros contineri: cum potiùs velit Clericis virtute, ac morum honestate præditis Beneficia conferri.

234 *Non priuatur iure ipso.* Periurus infamis iuris infamia ipso iure priuatus nõ est Beneficiis obtinendis. Quia probabile est collationẽ Beneficij factã irregulari validã esse in foro conscię, veniréq; pœ sententiã rescindendã: vt tenet Sylueſt. *v. Excommunicatio 4.n.4.* Suar. *to.5.in 3.p.d.40.sect.2.n.55.* probátq; ex *c.si soli, de cõcess. præbẽd. in 6.* Vbi dicitur prohibitionẽ Põtificis non irritare collationẽ Beneficij, nisi cõstiterit, esse irritũ, & inane, quod contra ipsum factum fuerit. Sed expressè non constat, irritam esse collationem Beneficij factam irregulari: licet constet prohibentem collationem: Ergò neque collatio facta infami, etiam infamia iuris, irrita erit. Nam ir-

regularitas infamia quadam est, vt constat *ex cap. Infamis, 6.q.1.* Ità Palaus *to.3.tr.14. d.1.pun.11.num.2.* & Suar. *vbi supra*, defendunt, hanc sententiam esse probabilem.

235 *Probabile hoc. illud verò probabilius iudico.*

Idem iudico. Quia si collatio Beneficij facta valida est, à fortiori facta infami valebit. Inforo autem externo nunquam valebit huiusmodi collatio: impetrarique poterit Beneficium vt vacans propter infamiam. Vt expressè notauit Suar. *citat. num.35. in fine.* Equidem primam sententiam probabiliorem esse existimo.

PROBL. XXXII.

Periurium, per quod periurus potest repelli à testificando in iudicio, debet, & non debet esse necessario in iudicio probatum: tametsi de illo non sit lata sententia.

236 *Non debet necessario esse in iudicio probatum.*

NOn est necessarium, vt sit probatum in iudicio, sed sufficit, notorium esse notorietate facti, in quo euidens sit dixisse aliquem iurisiurandi verba falso quidem cum vera deliberatione, ac cognitione. Quia in textibus non signatur periurium, ob quod periurus debeat à testificando in iudicio repelli. Cum ergo periurium notorietate facti grauissimum sit, debet hunc effectum habere. Sic Sylvest *v. Iuramentum. 2.q.3.* Azor. *to.1.l.11.cap. 11.q.6.* Valent. *2.2.d.6.q.7.pun.3.* dicto 3. Suar. *l.3. de iuram. cap.20. num.20.* docet sufficere publicam infamiam, quod talis homo peierare soleat.

237 *Necessario debet esse probatum in iudicio.*

Necessarium est, vt periurium sit probatum in iudicio, & non sufficit notorium esse notorietate facti. Quia *cap. Testimonium, de testibus* dicitur. *Si vero de crimine sit emendatus vt eum non comitetur infamia, non est in causa ciuili, vel etiam cum de crimine ciuiliter agitur, repellendus.* Ergò non sufficit, periurium notum fuisse notorietate facti, vt infamiam contrahat, ob quam à testimonio ferendo repellatur, quia poterat interim emendari, et se ab illa nota expedire. Fit igitur propter periurium probatum huiusmodi legalem infamiam incurri, etiamsi emendatus fuerit, ob quam debet esse à testimonio in causa ciuili, ac criminali repellendus. Sanch. *l.3. sum. cap.10. num.5.* asserens, non satis esse quodlibet periurium ad repellendum periurium à testimonio ferendo, sed debere periurum de illo periurio conuinci, & in iudicio damnari: et ex alia parte non debere esse periurium iniuria, vel metu extortum, aut à reo in iudicio de propria causa commissum. Et refert pro hac sententia Archidiaconum, Sotum, Arag. Tabienam, & alios.

238 *Affertoris sententia.*

Ego autem existimo, necessario requiri, & sufficere periurium absque iniuria extortum, sed proximo nociuum, in iudicioque probatū, quamvis de illo lata non sit sententia. Quia licet periurus quousque condemnetur non sit infamis infamia iuris, est tamen ex probatione illa iuridica infamis infamia facti: ob quam si à periurio oriatur à testificatione repellitur in omni causa, vti probat Palaus *to.3. tr.14.d.1.pun.3.*

CAPVT XVIII.

Circa Iuramenti Promissorij obligationem, & firmitatem.

PROBL. XXXIII.

Si quis secum iuret, aut in absentia hominis, cui fit promissio, nomine acceptante legitime nomine ipsius, se daturum aliquid illi: tenetur, & nō tenetur id implere.

TEnetur profecto, nec potest retrocedere etiam ante absentis acceptationem. Quia hoc iuramentum non est contra bonos mores, vt constat: nec contra bonum commune: Ergo seruandum est. *c. si verò de iureiur.* sic Bart. *l. si quis pro eo. n.12. ff. de fideiussor.* Iason *l. stipulatio ista §. alteri. n.4. ff. de verbor. oblig.* Molina *to.2. de iust. tr.2. d.263.* Suar. *to.1. de Relig. l.2. de iuram. c.1. n.13. & c.12. n.21.* et multi alij, quos refert Sanch. *to.1. de matr. l.1. d.7. n.23.* 239 *Tenetur præstare.*

Non tenetur implere, & retrocedere potest etiam ante absentis, aut ignorantis id votum fuisse emissum, acceptationem. Quia iuramentum id induit naturam promissionis factæ homini cui accedit: quæ quidem est, vt includat tacitam conditionem, si ab altero acceptetur, et vt ante acceptationem possit reuocari. Ità Sanch. *citat. & l.3. sum. c.9. n.10.* Less. *l.2. c.17. dub.7. n.52. & 53. & c.42. dub. 3. n.22.* & alij plures, quos refert Sanch. *l.1 de matr. citato. n.24.* 240 *Non tenetur.*

Hoc probabilius reor. Quia licèt Deus adducatur talis promissionis in testem, at eum sit homini facta, & non ipsi Deo per modum voti, Deus minimè acceptat, donec homo ipsi, cui iurans obligatur, accepter: Ergò ante eius acceptationem nihil ita firmum actum est, quin possit reuocari. Moneo tamen, hanc sententiam accipiendam esse, nisi iuramentum fieret ipsi Deo propter eius honorem de promissione aliqua pia implenda: tunc enim haberet rationem voti, & sic non posset reuocari. At cum ius non acquiratur homini in hoc casu sed soli Deo, potest per relaxationem, vel commutationem tolli, inconsulto homine: vt communiter à Doctoribus dictitatur. 241 *Hoc probabilius.*

PROBL. XXXIV.

Qui iurat sine animo iurandi contrahit, & non contrahit obligationem implendi, etiam ex Religione.

DOlus in iuramento interuenire potest, vel quia quis iurauit sine animo implendi rem promissam, vel absque animo iurandi, aut se obligandi, aut verbis amphybologicis. Verum si dolus solùm sit, quia iurauit animo non implendi promissum, obligationi iuramenti non obstat. Quia stare optimè potest vera voluntas iurandi, & se obligandi, quin adsit animus exequendi obligationem. Nam licèt satis controuersum sit, an promissio esse possit, absque animo rem promissam exequendi: at cum iuramentum de futuro non petat necessariò 242 *Nonnulli supponunt.*

sariò promissionem, consequenter non petit ad suam essentiam animum exequendi rem iuratam. Suar. *to. 2. de Relig. l. 2. c. 2. per totum.* Sanch. *l. 3. sum. c. 10. n. 5.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 8. n. 41.* At si dubius è contra sit in animo iurandi, quia quis solum exterius verba profert, caret tamen animo inuocandi Deum in testem, dubitarim, an contrahat obligationem etiam ex Religione promissum implendi?

243 *Contrahit ex Religione obligationem.* Contrahit plane. Quia præceptum Religionis non solum obligat ad tuendum honorem diuinum efficiendo verum id, in cuius confirmationem diuinum testimonium est inuocarum: sed etiam id quod rationabiliter ab aliis credi potest diuino testimonio confirmatum fuisse. Alioquin apud eos honor diuinus minueretur. Sic Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 7. pun. 2.* Distinguit autem si iuramentum rationabiliter petitum sit. Nam quando rationabiliter postulatur, creditur ab aliis, diuino testimonio rem confirmatam esse. Ergò ex Religione obligatur sic iurans, rem promissam exequi. Secùs verò esset, si irrationabiliter iuramentum expostularetur; nam tunc meritò præsumi posset iurantem solo verbo tenus iurasse.

244 *Non contrahit obligationem ex Religione.* Non contrahit. Quia cum illa simulatio essentiam iuramenti destruat, nequit illa destructa, iuramenti obligatio ex Religione remanere. Ità Palaus *tom. 3. tract. 14. d. 2. punct. 2. num. 2.* Azor *part. 1. l. 11. cap. 4. quæst. 2.* Sanch. *citat. n. 11.* Bonac. *tom. 1. d. 4. quæst. 1. punct. 7. num. 2.*

245 *Hanc eligo partem.* Certè Valentiæ ratio solummodò probat adesse in iurante obligationem exequendi promissum ob vitandum scandalum: sed non probat ex vi iuramenti aliquam inesse obligationem. Scio tamen, teneri sic iurantem omne damnum, quod ex suo ficto iuramento provenerit reparare. Quia nullam causam ad ficte iurandum habuit.

PROBL. XXXV.

Credit quis ex errore esse posse iuramentum de materia capaci obligationis absque intentione se obligandi: Hic si iurare intendit, sed non se obligare, manebit obligatus, & obligatus non manebit.

246 *Retolo nonnihil.* QVando dolus est in intentione obligationis, eo quod quis iurat absque intentione se obligandi: constat quidem esse posse iuramentum de re futura absque se obligandi adillius executionem intentione. v. gr. si quis iuraret non dare eleemosynam, posset habere animum iurandi, & verè iurare absque animo se obligandi ad rei iuratæ executionem. Quia res iurata incapax est talis obligationis, & iurans hanc incapacitatem agnoscit. Signum ergò est, separabilia esse intentionem iurandi ab intentione se obligandi in materia incapaci obligationis. At quando materia iurata obligationis est capax, nullatenus habere poterit ille intentionem iurandi, & non se obligandi. Quia iurare quem, & non se obligare sunt impossibilia & repugnantia. Quare solùm quæstio procedit ex errore, quo quis crederet esse posse iuramentum de materia capaci obligationis absque intentione se obligandi. Et in eo casu am-

bigo, an si quis iurare intenderet, & non se obligare, maneret obligatus?

247 *Maneret obligatus.* Maneret quidem. Quia iuramentum ex se, & ex sua propria ratione inducit obligationem: Ergò si quis efficaciter iurare voluit, impedire non poterit obligationem indè consurgentem. Nam hæc non ex sua voluntate, sed ex facto ipso nascitur; sicut si velles peccare lethaliter, & ex conscientia erronea nolles ad pœnam æternam obligari: adhuc obligatus manebis: quia illa obligatio ex peccato ipso oritur sine vlla dependentia à voluntate. Sic Suar. *l. 2. de iuram. c. 7. n. 18.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 8. num. 38.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 7. pun. 4.* Sayr. *in Clau. l. 3. c. 6. nu. 8.* Cajet. *2. 2. q. 89. art. 7. & ibi,* Arag. *vers. Quarta conclusio.*

248 *Obligatus non maneret.* Non maneret obligatus. Quia in omni sententia obligatio iuramenti promissorij vel est de eius essentia, vel est consecutum necessariò ad illam: ita vt absque tali obligatione iuramentum esse non possit: sicut non potest esse matrimonium sine obligatione ad reddendum debitū, prolémque alendam. Ergo si ponamus, quē efficaciter velle non obligari ad seruandū iuramētum, conuincetur, habere intentionem nō verè iurandi. Siquidem habet intentionē non apponendi, quod necessarium est ad iuramentum: vt cōstat in voto. Nam si quis vellet vouere, absq; intentione se obligandi, nullum votum emitteret, quod hæc obligatio necessario votum comitetur. Cū ergò obligatio exequendi ré iuratam comitetur iuramentum, exclusa intentione obligationis corruit iuramentum, quantumvis in coscientia quis existimet, posse iuramentum sine ea obligatione existere. Ita Sylvest. *v. Iuramentum 4. q. 7.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 10. n. 8. & 10. pluribus relatis.* Bonac. *tom. 1. d. 4. q. 1. pun. 6. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 4. q. 2.* Palaus *tom. 3. tract. 14. d. 2. punct. 2. num. 6.*

249 *Hanc sententiam propono.* Fateor, ex iuramento promissorio vero, & valido oriri necessariò obligationē, neque posse impediri: sicut non potest impediri obligatio æternæ pœnæ à perpetrante lethale peccatum. At cum actus externus iurantis sine obligationis intentione non fit verum iuramentum, vt fert secunda sententia, (quam probabiliorem existimo) ex illo oriri non potest obligatio.

PROBL. XXXVI.

Si dolus sit in vsu verborum, quia quis alio sensu illis vtitur ab eo, quem intelligit is cui iuramentum præstat: contrahit, & non contrahit obligationem iuxtà sensum quem iurat.

250 *Non contrahit obligationem.* COntrahit. Quia id expresè præscribit textus in *c. Quacumque arte 22. q. 5.* ibi: Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ità hoc accipit, sicut ille cui iuratur *intelligit.* Est ergo huius textus decisio, non intelligendum esse iuramentum iuxta sensum eius qui iurat, sed iuxta sensus eius, qui audit. Ex quo textu aliqui docti Neoterici hanc sententiam probabilem esse iudicarunt.

251 *Obligationem contrahit.* Contrahit quidem obligationem secundum sensum, quem iurat. Quia manifestè hoc cauetur *in cap. Humanæ aures 22 quæstion. 5.* ibi: *Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qua-*

lia foris sonant : diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. En quaratione coram Deo ex vi iuramenti non est alia obligatio nisi quatenus verba ex intimis proferuntur. Ita Suar. *l. 2. de iurament. cap. 8. à num. 5.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 10. num. 11.* Lessi. *lib. 2 capit. 42. dub. 8. numer. 44.* Couar. *de pact. part. 1. §. 5.*

250 *Hoc omninò certum esse reor.*

Hoc certum omninò esse reor. Quod adhuc roboro ex his, quæ eodem in textu sequuntur. *Nam Deus*, (inquit,) *non accipit iuramentum, sicut ille, cui iuratur : sed potius sicut qui iurat, & intelligit.* Ratio autem est manifesta. Nam iuramentum, eiúsque obligatio non est absque iurandi intentione. Ergò si iurans solùm habet intentionem iurandi secundum sensum ab ipso intellectum, solùm secundùm illum obligatur. Vrget quidem textus *cap. Quacúmque arte*, qui contrarium videtur decidere. At sic illum expono. Deus accipit iuramentum sicut ille, cui iuratur intelligit, quoad effectum committendi culpam, non quoad affectum se obligandi : id est, accipit iuramentum, sicut ille, cui iuratur, intelligit, vt culpa vitetur in iuramento : non vt iurans maneat obligatus. Quæ explicatio roboratur ex iis, quæ statim textus ille subiungit; ait enim, dupliciter peccare sic assumentem nomen Dei : tùm quia in vanum assumit, tum quia proximum dolo capit. Loquitur ergò solùm de peccato commisso in eo modo iurandi, non de obligatione indè subsecuta. Didici ex Suario *l. 2. de iurament. capit. 8. num. 10.* & Santio *l. 3. sum. cap. 10. numer. 13.* hanc vnius & alterius textus concordiam.

PROBL. XXXVII.

Iuramentum graui metu extortum inducit, & non inducit obligationem.

253 *Nonnulla suppono.*

SVppono, quæstionem de metu graui procedere, leuis námque facilè repelli potest : ac proindè contractus ex illo celebratus, & iure naturæ, & positiuo validus est. Deindè procedere spectato iure positiuo, non naturali. Nam ex iure naturali certum est iuramentũ metu extortum validum esse. Quia metus non tollit voluntarium, esto illud imminuat. Quæsierim ergò num graui metu extortum iuramentum, ex iure positiuo obligationem inducat?

254 *Non inducit obligationem.*

Non inducit. Quia *Authent. sacramenta puberum. cap. si aduers. vendit.* postquam Federicus Imperator dixit, Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inuiolabiliter custodiantur : subdit. *Per vim autem, vel per metum extorta etiam à maioribus, nullius esse momenti iubemus.* Et *cap. Peruenit de iureiurando, decidit*, Episcopum rebus suis spoliatum, & iurare compulsum, quod non repeteret sic, ablata, nullius iuramenti vinculis super hoc posse constringi. Et quia votum metu extortum nullam inducit obligationem *cap. 1. de his, quæ vi*: Ergò nec iuramentum. Quia de voto ad iuramentum argumentum est firmum, vt probat *Gloss. 1. ad finem in c. si quis votum. 27. quæst. 1.* sic plures relati à Santio *lib. 4. de matrimon. d. 20. numero 3.* eámque ipse probabiliorem reputat.

255 *Obligationem inducit.*

Inducit planè obligationem huiusmodi iuramentum, indigétque relaxatione. Quia ex *cap. si verò, de iureiur.* ratio colligitur. Ibi enim coactum grauissimo metu renunciare iuris sui renunciationem (inquit Pontifex) non esse tutum contra iuramentum suum venire : nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ. Idem habetur *cap. Verum eodem tit. cap. Ad audientiam, de iis, quæ vi*, seruanda ergò sunt hæc iuramenta. Quod si in Authent. *Sacramenta puberum* dicantur iuramenta metu extorta nullius esse momenti : intelligi debet non quoad obligationem iuramenti, sed quoad contractus firmitatem. Addo, communem sententiam affirmare, illud *Authent.* correctum esse per ius Canonicum *cap. si verò. cap. Verum, de iureiur.* Ità D. Thom. *2. 2. quæst. 89. art. 7.* Nauar. *sum. cap. 12. num. 14.* Sanch. *l. 4. de matrim. d. 20. n. 4. & l. 3. sum. cap. 11. num. 4. & 5.* Molina *tom. 1. de iust. i. tract. 2. d. 149.* Lessi. *l. 2. cap. 42. dub 6.* Suar. *l. 3. de iuram. cap. 16. num. 18.* Bonac. *tom. 2. d. 4. quæst. 1. punct. 9.* & plures apud ipsos.

256 *Probabilius iuramento nullam inducit obligationem sic. Ciuili, sicuti & data potestate tribuit.*

Existimo probabilius esse, nullam induci obligationem iuramentum graui metu extortum, si ius ciuile spectetur. Sic tenet communis sententia, vt testatur. Sanch. *l. 4. de matrimon. d. 20. num. 5.* Certè ciuilibus Magistratibus data est potestas infirmandi iuramenti obligationem, antequam fiat, ità vt factum nullam inducat obligationem : vel obligationem remittendo, vel reddendo materiam ineptam iuramento, vel statuendo iurantem incapacem, sed ius ciuile clare indicauit, hanc potestatem exercuisse tùm in *Authent. sacramenta puberum*, tum in *l. Non dubium. Cod. de legib.* Nam in *Authent.* expressè dicitur, iuramenta per vim, vel metum facta nullius esse momenti tam quoad obligationem Deo acquisitam, quam homini. Secunda enim pars *Authenticæ* ex diametro opponitur primæ, vt intuenti constabit. Sed in prima illius textus parte conceditur iuramento non solùm firmare contractum aliàs firmum sed reuocabilem : sed præcipuè obligare iurantem Deo ad illius obseruationem. Ergò in secunda parte totum excluditur, & firmitas contractus, & iuramenti obligatio : Præterea in *l. Nõ dubium. C. de legib.* clarissimè dicitur, iuramentum admittendum non esse, neque vllius esse momenti, sed potiùs cassum, & inutile, quoties contractibus à lege reprobatis adiicitur : ne hac via fraus legibus fiat. Sed contractus metu celebrati iure Ciuili, imò & Canonico reprobantur : & rescindendi veniunt, & secundum ius Ciuile omninò annullantur. Ergò iuramentum illis adiectum vtpotè de materia reprobata cassum est & inutile. Ad idem est textus in *l. Inrisgentium ff. de pactis.* ibi : *Quoties pactum à iure communi remotum est, seruare hoc non oportet, nec obligare, nec iusiurandum de hoc adiectum, ne quis agat, seruandum.* Ergò spectato iure Ciuili, iuramentum graui metu extortum, nullam inducit obligationem. Enimverò spectato iure Pontificio, (cui in materia iuramenti, vtpotè spirituali standum est) quodcúmque iuramentum metu extortum est obligatorium, siue saluam relinquat repetitionem, (de qua non aprè Basil. Legion. *l. 12. de sponsal. cap. 8. num. 70.*) siue non : modo sit de

materia

materia, quæ seruari possit absque salutis æternæ dispendio. Sic Doctores omnes pro secunda sententia communi relati: & probatur textibus inibi adductis. Cæterum hæc obligatio iuramenti non solùm est in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, & iudiciali. Tùm quia textus *in c. debitores, de iureiur. c. Abbas c. Ad audientiam de iis, quæ vi.* De foro externo loquuntur. Tùm quia ratio decidendi ob quam iuramentum obligat, nempe obseruari posse absque dispendio salutis æternæ, æque in foro externo ac interno procedit. Vnico itaque verbo meam resolutionem exprimo: spectato iure ciuili probabilius est, nullam esse iuramenti graui metu extorti obligationem: spectato verò iure Pontificio, cui standum, omne iuramentum obligatorium esse de materia honesta non solùm in foro conscientiæ, sed in externo.

PROBL. XXXVIII.

Obligatio iuramenti metu extorti est, & non est sub lethalis culpæ reatu.

257 *Non est sub culpa lethalis reatu.*

NOn quidem est sub reatu culpæ lethalis, sed venialis solummodo. Quia in *c. verũ, de iureiur.* Pontifex decidit non esse puniendos tanquam pro mortali crimine iuramentum metu extortum non obseruantes. Indicat ergo non esse lethale crimen. Sic Angel. *v. Iuramentum, 5. n. 9. & 10.* & alij ab ipso relati, & à Lessio *l. 2. c. 42. dub. 6. n. 30.* Qui quidem absolutè loquuntur, siue materia sit grauis, siue leuis.

258 *Est sub culpæ lethalis reatu, lethalis culpa.*

Est sub culpæ lethalis reatu, si sit grauis materia iurata. Quia in materia graui se infidelem ostendere, grauis est plane irreuerentia. Nec ab hac grauitate excusare potest metus iniustus, cum Deus illum non intulerit. Ità D. Thom. *2. 2. q. 89. a. 7. ad 3.* Valent. *ibi. d. 6. q. 7. pun. 4.* Nauar. *sum. c. 12. n. 14.* Couar. *4. decret. p. 2. c. 3. §. 5. nu. 4.* Lessi. *citat. n. 39.* Sanch. *lib. 3. sum. c. 11. n. 18.* Suar. *l. 3 de iuram. c. 16. n. 18.* Bonac. *to. 2. d. 4. q. 1. punct. 9. n. 3.* Palaus *to. 3. tract. 14. d. 1. punct. 4. n. 12.*

259 *Hoc ferè certum esse reor.*

Ferè certum existimo sub lethalis culpæ reatu esse huiusmodi iuramenti obligationem. Quia quamuis metus imminuat respectu hominis obligationem, illam tamen respectu Dei non minuit. Nec textus in eo *c. Verum* probat oppositum. Non enim de culpa egit, sed de sola transgressoris pœna, volens eum non puniendum ita acriter, ratione iniuriæ repertæ in eo iuramento.

PROBL. XXXIX.

Obligatur quis, & non obligatur iuramento præstito redeundi ad carcerem, quando carcer iniustus est, aut probabiliter timet, se iniustè fore diuexandum.

260 *De quo quæstio procedat, expono.*

SI carcer iustus sit, neque timeas, te iniustè diuexandum, nemini dubium esse potest, te obligatum esse. Quia reditus huiusmodi honestus est: & fidelitati, & Religioni, & iustitiæ debitus. Vnde solum est controuersia, quando carcer iniustus est, aut times probabiliter, iniustè esse diuexandum.

261 *Non obligatur redire ad carcerem.*

Qui iuramentum huiusmodi præstitit, non obligatus est in hoc casu ad carcerem redire. Quia secluso iuramento, iure charitatis propriæ tenebatur vitæ fugere periculum. Ergo iuramentum de non fugiendo, sed potius de redeundo ad carcerem illicitum est, cum sit de re charitati propriæ contraria. Et quia talis ad carcerem reditus subministrat Iudici iniquo iniquæ diuexationis inferendæ occasionem: Ergo non est licitus, & honestus: Ergo iurari non potuit. Nec & actus fidelitatis, quia non debetur fides illam inique expostulanti: neque fortitudinis, vitam sic irrationabiliter exponere: Ergo nullam habet honestatem: Ergo non obligatur implere, sed potius non implere tenetur. Sic Nauar *sum. c. 12. n. 18.* Reginald. *l. 18. n. 61.* Vasq. *1. 2. d. 174. c. 5. n. 35.* Gutier. *p. 1. de iuram. c. 17. n. 24.* Basil. *l. 12. de mar. c. 8. n. 20.* Plaza *de delict. l. 1. c. 22. n. 6.* Couar. *l. 1. variar. c. 1. n. 7.*

262 *Obligatur profectò.*

Obligatus est, ad carcerem redire, nisi iuramenti petat relaxationem. Quia reditus ad carcerem factus ex fine obseruandi fidem iuramento stabilitam actus est veracitatis, fortitudinis, & patientiæ. Neque inde censeri quis debet, se interimere, seu vitam prodigere: sed solum censeri debet, se vitæ periculo exponere. Quod quidem ex iusta & rationabili causa sæpe fieri debet, vt bene Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 6.* Addo, ex obseruatione iuramenti nõ se illum propriæ conficere in vitæ periculum, quod anteà iam habebat, quodque dato iuramento suspensum fuit. Non igitur potest à iuramenti obseruatione excusari. Ita Tolet. *l. 4. sum. c. 22. n. 1.* Bonac. *tom. 2. d. 1. q. 1. punct. 9. n. 2.* Suar. *l. 2. de iuram. c. 10. n. 14.* Sanch. aliis relatis *l. 3. sum. c. 11. n. 31.* Lessi. *l. 2. c. 42. dub. 6. n. 18.* Palaus *tom. 3. tr. 14. d. 2. punct. 4. n. 14.*

263 *De hoc non dubito.*

Profectò secluso iuramento, scio, quemlibet esse obligatum periculum iniustæ mortis, alteriusve æquiualentis mali fugere: sed posito iuramento ad id obligatum esse affirmo. Quia posito iuramento, & fide data, est actus veracitatis, fidelitatis, & Religionis: vel potius charitatis propriæ quo quis vult proprium honorem in promissis fideliter obseruandis, tueri. Monuerim tamen, si cum quis iurauit redire, non præuidit, in reditu talem esse periculum, quod postea esse cognouit: minimè ad redeundum obligatur. Quia non est censendus obligatus ad reditum alium ab eo, qui erat sua in estimatione, cum iurauit. Quod à fortiori procedit, casu, quo iuraret redire, subintellecta conditione, si reditus non fuerit periculosus. Quia iuramentum non extenditur vltra iurantis intentionem. Didici ex Suario *l. 2. c. 10. n. 16.* & Santio *l. 3. sum. c. 11. n. 34.*

PROBL. XL.

Huiusmodi Iuramentum redeundi ad carcerem, Episcopus poterit, & non poterit relaxare, si Iuramentum fuit iustè expostulatum.

264 *Potest id Episcopus.*

POtest Episcopus relaxare iuramentũ redeũdi ad carcerem, in quo reditu sit graue vitæ periculum, non solum quando fuit id iuramentum per iniquitatem extortum, sed etiam cum fuit iustè expostulatum. Quia ob ius conseruandi vitam poterat iurans, secluso

iuramento fugere carcerem, & mortem iustam: Ergò posito iuramento, solum videtur teneri Deo, non Iudici, & custodi: Ergo potest ab Episcopo iuramentum relaxari. Sic Manu. *tom. 1. sum. cap. 40. num. 3.* si damnum custodis sartiatur. Ludou. Lop. *p. 1. Instruct. c. 47.*

265 *Non id Episcopus potest.* Cum iuramentum est iustè expostulatum, quia nec carcer est iniuriosus, nec timetur pœna iniustè sufferenda: non potest Episcopus hoc iuramentum relaxare. Quia talis relaxatio seu remissio derogat ius Iudicis, ac custodis. Iudex enim, & custos ius habebant iurantem in carcere retinendi: Huic iuri cesserunt ob iuramentum præstitum: Nequit ergo iuramentum tollisicut neque ius, in cuius locum successit, tolli poterat. Ita Palaus *tom. 3. tr. 14. d. 2. pun. 4. num. 17.* Sanch. *l. 1. sum. c. 11. n. 36.*

266 *Verius hoc mihi.* Hanc sententiam veriorem esse existimo. cum iuramentum fuit iustè expostulatum. At si inique expostulatum fuisset, eo quod carcer sit iniuriosus, vel pœna iniusta timeatur: certum est, relaxari ab Episcopo posse. Quia ex vi talis iuramenti nullum est ius parti acquisitum sed solum Deo: qui ob iniquitatem commissam, vel committendam, facultatem Prælatis impendit hæc iuramenta sibi facta remittendi. Neque huic relaxationi obstat damnum custodis qui fortè semper est innocens. Quia illud est per accidens, & quocumque capite iniustitia committatur, præstat sufficientem relaxationis causam. Aduerto tamen, cum Santio & Suario, hanc doctrinamintelligendam esse casu, quo ex relaxatione iuramenti huiusmodi non sequatur scandalum, & nostræ Religionis irrisio. Nam si captiuo inter infideles libertas concessa fuisset sub præstito iuramento redeundi ad captiuitatem: vel pretium suæ redemptionis remittendi: proculdubio tale iuramentum, esset obseruandum, nec relaxari posset. Quia esto captiuitas sit iniusta, & iniustè extortum esset iuramentum: at eius obseruatio in bonum commune Fidei, ac Religionis admodum cedit.

269 *Hoc certum puto. & textus exponi.* Fateor, difficile genuinum textuum sensum educere: & certum mihi esse, secundam sententiam vnicè defendi debere. Igitur respondeo, in illo casu non esse certum, iuramentum de re illicita fuisse: sed satis dubium; eaque de causa sedes Apostolica erat consulenda, vt dubium prius decideret. Sic exponit Glos. *ibi*: Suar. *l. 3. de iuram. c. 18. n. 12.* Sanch. *l. 3. sum. c. 9. nu. 13.* Ad textum *in c. Cum quidam*, Innocentius, Felinus, & Cardinalis relati à Couar. *de pact. p. 2. initio. n. 4.* Censent, absolutionem ibi fuisse necessariam. Quia aliquando absque peccato fieri potest, vt quis nec parentes alloquatur, nec illis subueniat: ob huiusque causam relaxatione indigere. Verùm hoc non probat iuramentum obligare. Nam esto aliquando absque peccato fieri possit parentes non alloqui, nec eis subuenire, cum id in eorum vtilitatem non cedat, sed potius in damnum: at quia semper melius est, eos alloqui, etiam nulla obligatione vrgente: ideo iuramentum, quod in hominum vtilitatem non cedit, obligare non potest. Quia est maioris boni impeditiuum, præcipue cum supponat. Pontifex iuramentum de re illicita esse: siquidem dicit illicitum esse ac contrarium rationi. Vnde respondeo, verbum absoluendi in illo textu positum esse pro absolutione declaratiua nullitatis iuramenti, non pro absolutiua iuramenti absolutione. Addit Suarius, dici posse iurantes rem illicitam absoluendos esse, si ipsi petant: non quia necessaria sit absolutio, sed vt eorum scrupulo satisfaciat: sicut datur priuilegium petendi illud, etiam vbi non est necessarium, Consentit Basil. *l. 12. de spons. c. 8. num. 14. & 15.*

PROBL. XLI.

Iuramentum, quod fit de re illicita, indiget, & non indiget relaxatione.

267 *Indiget relaxatione.* INdiget quidem. Quia *cap. venerabilem, 34. de elect. §. idem etiam* de quodam, qui Regnum sibi vsurpauit contra iurmentum factum, dicitur, ad plenam illius excusationem non valere allegationem de iuramento illicito. Quia debebat prius sedem Apostolicam consulere. Sentit ergò Pontifex; iuramentum de re illicita esse relaxandum. Et *c. Cum quidem, 12. de iureiur. §. illi verò*, dicitur, eis, qui iurarunt, non loqui patri, vel matri, neque eis subuenire absoluendos esse ab illius obseruantia iuramenti, cum illicitum sit: Ergò illicitum iuramentum indiget planè relaxatione. Sic nonnulli Recentiores textuum cortici hærentes, nec sensus haud facilis medullam rimantes.

268 *Relaxatione non indiget.* Minimè indiget. Quia relaxatio est ad tollendum iuramenti vinculum: At iuramentum de re iniqua non vincit, nec enim iniquitatis vinculum esse potest: Ergò non potest, huiusmodi iuramentum relaxatione indigere, Ità Sanch. aliis relatis *l. 1. de spons. d. 12. numer. 2.* Palaus *tom. 3. tract. 14. d. 2. punct. 6. numer. 6.*

PROBL. XLII.

Iuramentum de non ludendo absolutè sumptum, est, & non est obligatorium.

270 *Non est obligatorium.* DVpliciter iuramentum non ludendi posse emitti suppono, vel absolutè, vel sub aliqua determinatione. Porrò si absolute præstetur, non obligat. Quia non est de materia licita: ludus enim moderatus tùm in tempore, tùm in quantitate ob leuamen naturæ assumptus actus est virtutis Eutrapeliæ, iuxta D. Tho. *2. 2. q. 168. a. 2. in corp.* sed illud iuramentum sic absolutè sumptum hunc ludum excludit: Ergò non est obligatorium. Sic Nauar. *sum. cap. 12. num. 11.* Manu. *tom. 1. sum. c. 89. num. 10.* Monent tamen id, quod omnino certum existimo, nempè obligatorium esse saltem quoad abstinendum à Ludo immoderato. Quia secundum hanc partem est de re licita, & honesta. Itaque hi Doctores affirmant iramen

mentum in hoc sensu esse accipiendũ, nempè de non ludendo ludo immoderato, ac periculoso. Quia debet fieri interpretatio, vt minorem, quoad fieri possit, obligationem inducat uxtà *leg. Quidquid adstringendæ. ff. de verborum oblig.* Igitur Iuramentum absolutè prolatum de non ludendo includens ludum moderatum non est obligatorium.

271 *Obligatorium est.* Etiamsi comprehendat moderatum honestum ludum, obligatorium est iuramentum de non ludendo. Quia licèt moderatus ludus actus virtutis sit: at perfectior actus virtutis esse potest ob pœnitentim, ac carnis mortificationem hac recreatione honesta carere. Ita Sanch. *l. 1. de sponsal. d. 4. num. 4. & 5. & l. 3. sum. cap. 18. num. 2. &* 3. Bonac. *to. 2. d. 4. q. 1. pun. 16. num. 4.* Palaus *to. 3. tr. 14. d. 2. pun. 7. §. 1. num. 3.*

272 *Hoc verius mihi.* Hoc verius crediderim. Nam sunt aliqui actus virtutis, à quibus abstinere perfectior actus virtutis est: vt matrimonium, comestio ciborum saluti vtilium, cum amicis politicè conuersari: à quibus abstinere ob rectum finem perfectius proculdubio est. Idem de iuramento dixerim: Ergò absolutè sumptum comprehendens etiam ludum moderatum & honestum, obligatorium est.

PROBL. XLIII.

Validum est, & non est validum Iuramentum non mutuandi: nec fideiubendi.

273 *Non est validum.* NOn est validum. Quia mutuare, ac fideiubere opera sunt misericordiæ, & charitatis, & aliquando ex præcepto: Ergo iuramentum de illis non præstandis non potest esse de re licita, & honesta: Ergo est prorsus inualidum. Sic Suar. *l. 2 de iuram. cap. 17. num. 11.* Sanch. alios referens *l. 4. de voto, cap. 9. num. 18.* Gutier. *de iuram. p. 1. cap. 72. num. 5.* Nauar. *cap. 11. num. 16.* Couar. *de pact. p. 1. §. 6. num. 7.* Abbas. *ad cap. si vero, de iureiur. num. 9.*

274 *Validum est.* Validum est. Quia potest esse de re licita & honesta: scilicèt cum præstatur ob commoditatem propriam, ne ex mutuatione, aut fideiussione grauem iurans iacturam patiatur, vt sæpè contingit: Ergo obligatorium est. Fateor generaliter loquendo maius bonum esse mutuare, ac fideiubere, præcipuè cum aliqua non leuis necessitas proximi vrget. Attamen absolutè res honesta est propriam præferre commoditatem, nec cum graui suo dispendio quis tenetur maius exequi bonum. Item emitti potest in vtilitatem tertij, nempè vxoris aut filiorum crediteris: quod seruandum omninò. Ira docti Neoterici in manuscriptis. Quorum sententiam haud omnino carere probabilitate crediderim.

275 *Auctoris resolutio.* Ego autem sic quæstionem dissoluo. Prima sententia vera, ac communis est, sed indiget explicatione. Debet enim in his iuramentis spectari finis, & persona: ex illis enim valor, vel nullitas iuramenti colligenda est. Si finis sit Dei honor, hæc iuramenta irrita sunt facta absolutè; quia sic non cedunt in eius honorem, cum obstent operibus præcepti, consilij ac pietatis. Si finis sit propria commoditas, ne scilicèt ex mutuatione, aut fideiussione grauem iurans rei familiarij iacturam patiatur: fateor, finem esse honestum; sed quia generaliter loquendo, maius (vt dicebam) bonum est mutuare, ac fideiubere maximè cum proximi vrget necessitas: ideò existimo neque in hoc casu obligatorium esse iuramentum; quia maiori bono priuat. Si demum finis sit tertij vtilitas, distinguo antè illius aeceptationem, & post illam. Antè acceptationem reuocare pro libito iurantis iuramentum potest: post acceptationem, tenet; quia iuramentum in vtilitatem tertij factum, & ab eo acceptatum seruandum est. Si verò spectetur iurantis persona, potest adesse, & non adesse iuramenri obligatio. Clericis enim in sacris interdicta est fideiussio pro laicis nisi in casu necessitatis: *cap. Te quidem, 11. quæst. 1. lex 45. tit. 6. pract. 1. & cap. 1. de fideiussor.* Credo tamen non esse peccatum lethale, vna vel altera vice pro laico fideiubere etiam sine necessitate; qua *cap. 1. de fideiussor.* frequentiam fideiussionum interdicit. Iuramentum igitur non fideiubendi in Clerico sacris initiato absolutè est inualidum, cum possit fideiubere in laici necessitate, & etiam pro Ecclesia sua fideiubere potest. *Authent. de sanctis Episc. §. præ omnibus, collat. 9.* Verùm si iuramentum cum limitatione fiat, non fideiubendi pro laico, validum est & firmum; quia est iuramentum de re sibi præcepta. Nec opus est, casum necessitatis excipere; quia iam exceptus subintelligitur. Ad hæc reduci possunt iuramenta, quæ frequenter mercatores emittunt de non emendo auctiori pretio, vel non vendendo viliori: quæ minimè obligatoria sunt. Quia neque in Dei honorem cedunt, nec in proximi vtilitatem. Ad summum cedunt in vtilitatem propriam, cui ipse iurans, facilè cedere potest. Sanch. *l. 3. sum. cap. 9. num. 15.* Bonac. *to. 2. d. 4. quæst. 1. punct. 4. num. 2.*

PROBL. XLIV.

Medici tenentur, & non tenentur seruare Iuramentum præstitum monendi ægrotum, solùm quandò infirmitas vitæ indicit periculum.

276 *Statum quæstionis exprimo.* PIus V præscripsit, vt Medici cum eis facultas medendi conceditur, iuramentum præstent, monendi infirmum vt confiteatur. Difficultas autem huius legis est, quæ infirmitas esse debet, ad cuius curationem, iuxta constitutionem illam *super gregem*, editam *anno 1566. die 8. Maij*, Medici procedere non debent, quin ægrotum moneant de confessione gerenda.

277 *Tenentur iuramentum seruare solùm cum æger subit mortis periculum.* Tenentur iuramentum implere solùm quando ægritudo vitæ indicit periculum. Quia secluso hoc graui periculo etiam Medici timorati non admonent infirmum de confessione facienda: sæpeque in febribus malignis vno vel alio die medicamenta applicant quin hanc monitionem præmittant. Non igitur intelligi debet de quacumque periculosa infirmitate, sed de ea, quæ proximum periculum affert: in hac enim solummodo vrget ratio legis, ne ægrotus sinè confessione è vi-

ta discedet. Sic Nauar. *cap.* 25. *sum. num.* 61. Graf. *p.* 1. *decis. l.* 3. *cap.* 14. *num.* 7. Manu. *to.* 1 *sum. cap.* 246. Rosel. *v. Medicus, num.* 3. Angel. *ibi, num.* 9. dicens. Quod periculum solùm constingit, quando ratione eius tenetur æger præcepto diuino confessionis.

278 *Antè hoc periculum tenetur.*

Tenetur iuramentum implere non solum quando vitæ instat periculum, sed quando infirmitas ex se lectum petit, etiamsi periculum proximum mortis non immineat. Quia Innocentius III. *in cap. Cum infirmitas. de pœnit. & remis.* fatur: *Præsenti decreto statuimus, & præcepimus*, Iunctis his, quæ dicit Pius V. in sua constitutione, se nolle *hoc tam salubre præceptum vlla temporis præscriptione aboleri.* Quæ denotant nouum præceptum ferri. Medicosque obligare ad aliquid aliud vltrà obligationem, quam habent ex iure diuino ægroti, quæ quidem obligatio indicta Medicis nulla temporis præscriptione aboleri potest. Constátque ex ratione decidendi *cap. Cum infirmitas*, quæ est, nè cum infirmi admonentur, existiment, se iam esse in mortis periculo, & tristitia affecti facilius mortis periculum incurrant. Supponit ergo Pontifex debere monitionem fieri antequam æger in hoc periculum deueniat. Ità Sanchez *l.* 3. *sum. cap.* 16. *num.* 7. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 35. *sect.* 3. *num.* 4. Caiet. *sum. v. Medicus, ad finem.* Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 1. *punct.* 16. *num.* 10. Tabie. *v. Medicina, quæst.* 12. *num.* 13. Sylvest. *v. Medicus, quæst.* 3. *dicto* 3. Palaus *tom.* 3. *tract.* 14. *d.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 3.

279 *Hoc teneo, si lex attendatur: aliud ex consuetudine, resoluo.*

Existimo, secundam sententiam germanum decretorum illorum sensum, & rationem Pontificum attigisse: ac proindè præferendam esse. Hoc autem dixerim, spectato iuris rigore. At si consuetudinem spectem, credo, in Hispania hoc decretum consuetudine esse derogatum: Video enim medicos timoratos inuisere infirmos graui morbo affectos, quin de confessione gerenda moneant, quoúsque periculum mortis videant imminere: neque exigunt (iuxtà Pij constitutionem) testimonium in scriptis de confessione facta, neque pœnæ eis illo decreto latæ imponuntur. Quocirca cum iuramentum emittunt Medici seruãdo Pij V. decreto intelligi debet provt decretum vsu est receptum: vt Monent Suar. & Santius *vbi supra*. Ego autem aduerto, opus non esse, vt Medicus per se ipsum infirmum admoneat, sed sufficienter satisfacere, si per interpositam personam id gerat.

PROBL. XLV.

Ex Iuramento facto Decuriones, vulgò Regidoret, Iurados, *tenentur, & non tenentur, peccata publica sub mortali inquirere.*

280 *Quæstionis statum explico.*

HI quidem iuramenrum emittunt prospiciendi bono communi Reipublicæ, & munas suum fideliter obeundi. Quæsierim, an ex vi huius iuramenti teneantur decuriones sub mortali peccata publica inquirere?

281 *Tenentur peccata inquirere.*

Tenentur planè inquirere, an sint publici concubinarij, an mensæ ad ludum expositæ adsint: mulieres mediatrices, maleficæ: num vigeãt rixæ, iurgia, odia, & alia similia, quę Rempublicam inficiunt; & facta inquisitione obligati sunt Iudici denunciare, vt remedia adhibeat: Quod si in his gerendis notabiliter negligentes fuerint periurij mortalis erunt rei. Quia iurarunt prospicere commune Reipublicæ bonum; imò etiam si id iuramentum non emisissent, sui officij id postularet ratio. Sic Petr. Nauar. *de restit. l.* 2. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 20. Manuel. *tom.* 2. *sum. cap.* 28. *num. vni. in* 4. *interrogat.*

Non tenentur. Quia iuramentum illud propiciens bono communi Reipublicæ, non est intelligendum de spirituali bono, sed de temporario, quale est, vt populus recte prouideatur, pretia rerum venalium non sint excessiua, nè Ministri publici iniuriam ciuibus inferant, nevè grassentur latrones, sed viæ publicæ sint tutæ, etsi alicubi pestis vigeat, Ciuitas custodiatur. &c. Ita Sanch. *l.* 3. *sum. cap.* 14. *num.* 16. affirmans se consuluisse peritissimos Aduocatos Regiæ Cancellariæ Granatensis: omnésque respondisse, Decuriones (seu *Regidores*) ex proprio officio, (& iuramento consequenter) solum teneri prospicere bono publico, ac temporali Reipublicæ: Non autem peccata publica inquirere, ac denunciare. Consentit Palaus *tom.* 3. *tract.* 14. *d.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 2. Azeuedo *in Curia Pisana l.* 2. *c.* 3. *num.* 1. 282 *Non tenentur.*

Eiusdem sum sententiæ. Quia præceptá non sunt multiplicanda, vbi clare de illis non constat. Et quia forma iuramenti quam hi Decuriones præstant, nec verbum continet, ex quo appareat teneri eos publica piacula inquirere, ac denunciare. 283 *Eiusdem mentis sum.*

PROBL. XLVI.

Ex vi iuramenti tenentur Decuriones (seu Regidores veintiquatros Iurados) *Auditores Regij &c. & non tenentur sub mortali, seruare secretum earum rerum, quæ in Consistorio, aut Aula tractantur.*

284 *Tenentur sub mortali seruare secretũ, absolutè.*

IVrant etiam Decuriones & Auditores Regij secretum seruare earum rerum, quæ in consistorio, vel Regia aula pertractantur. Teuentur hi sub mortali hoc Secretum non reuelare. Quia id pertinet ad rectam Reipublicæ, aut Curiæ gubernationem, & exigit Iuramenti religio. Sic absolutè D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 10. *cap.* 8. §. 3. Nauar. *sum. cap.* 17. *num.* 23.

285 *Non tenentur absolutè sub mortali.*

Non tenentur sub mortali absolutè. Quia Secretorum leuis momenti reuelatio nullatenus grauem culpam inducit, nec Reipublicæ aut Curiæ graue infert damnum, nec iuramenti religionem grauiter offendit. Ità Sanch. *l.* 3. *sum. cap.* 14. *num.* 5. Palaus *to.* 3. *tr.* 14. *d.* 2. *pun.* 7. §. 5. *num.* 3.

289 *Teneri sub mortali aut veniali iuxta materiæ grauitatem rem.*

Profecto iuramentum hoc seruandi secretò, ea, quæ in congregationibus tractantur, quale faciunt vrbium, ac oppidorũ Rectores, Auditores, & quidam alij publici Ministri, minimè obligat sub mortali in quauis re modica. Sed iuxtà materiã quæ detegitur, culpa est iudicanda

Si enim

da. Si enim ea sit grauis momenti, detectio erit mortalis: si autem leuis, venialis erit. Atque idē iudico, etsi aliquod speciale secretum iuret quispiam se seruaturum. Nec enim erit mortalis transgressio, sed venialis, si leuis momenti id secretum existat. Et sic intelligo Antoninum, & Nauarrum. Lege Santium *l.3. cap.4. num.23.* vbi probat, solam culpam venialem esse transgressionem iuramenti in re leui, siuè res illa sit totalis, siue partialis iuramenti materia.

PROBL. XLVII.

Procuratores, scribæ, aliique officiales Curiæ tenentur, & non tenentur seruare Iuramentum emissum de seruanda taxa sibi à Rege præscripta, vulgò *el Arancel.*

287 *De taxa officialium Curiæ.* SCio ferè omnes Ministros Curiæ clamare, esse taxam illam magna ex parte consuetudine derogatam: in cuius confirmationem allegant, pretia rerum post illam taxam notabiliter excreuisse, ita vt se, suamque familiam sustentare non valeant, si taxæ iuramentum obseruent. Certè ab obseruatione taxæ nullus poterit excusari nisi ob contrariam consuetudinem. At vsque modo nulla est equidem consuetudo contraria. Nam si aliqui taxam excedunt, clam accipiunt Republica minimè consentiente. Vndenam ergò allegare contrariam poterunt consuetudinem? Item omnibus hisce Officialibus præscriptum est, vt in fine cuiuslibet scripturæ salarium pro illa acceptum apponant. Si ergò abundans accipientes diminutum apponunt, clarè ostendunt excessum à Republica non permitti. Quo ergo titulo illud habere possunt? Attamen gratis admitto, taxam hodie esse iniustam: vel consuetudine esse derogatam: & requiro, vtrum ob iuramentum de illa seruanda emissum, illi officiales tenentur illam seruare, ita vt periurus taxæ violator existat?

288 *Tenentur seruare iuramentum.* Tenentur planè. Quia illud iuramentum est de re honesta, ac licita, cedenteque in magnam litigantium, ac Reipublicæ vtilitatem; sed esto taxa iniusta sit, adhuc iuramentum est seruandum. Quia iurans latroni cogenti se daturum nummos, tenetur soluere, etsi inique latro exigat, eo quod id iuramentum licitè obseruare valeat. Cum ergo iuramentum seruandę illius taxæ possit licitè obseruari, obligabit vtique, etsi iniuste exigatur. Sic viri doctissimi, quos consului, & quorum sententiam admodum esse probabilem censeo.

289 *Non tenentur.* Non tenentur. Non quia ad illud iuramentum seruandum sese illi obligare non poterant, sed quia censendi sunt, non voluisse se obligare. Cum enim quis aliquam legem seruandam iurat, iurat eam seruare eo modo, quo recepta est, & sub ea obligatione. Quia iuramentum est legi accessorium, & illius obligatione volunt illi legis obligationem firmare. Si igitur lex nullam inducit obligationem, quia est derogata: aut solum obligationem leuem: iuramentum de illius obseruatione eandem, vel nullam obligationem habebit. Ita loquens de scribis Sancho, *l.3. sum. cap.14. num.4.* Palaus *to.3. tr.14. d.2. pun.7. §.5. num.5.*

290 *Auctoris resolutio.* Ego autem cum his sentiens affirmo ex iuramento non teneri, quādo probabiliter iudicatur à viris doctis esse successu temporis taxa illa (seu *el Arancel*) minus sufficiens ad officialium sumptus, & ideo iniustum. (Quod quando eueniat ex multis pendet ad pœnitentiæ tribunal pertinentibus circumstantiis, sed in casu, quo ita esset, tractamus.) Ratio est, quia iuramentum seruandi statuti intelligitur, quatenus illud iustum est, & obligatorium. Non ergo obligabit iuramentum ad eam taxam, quatenus est iniusta. Nec obstat argumentum de iuramento latroni facto. Quia latro petit, vt ea pecunia non sibi debita sed iniustè extorta sibi promittatur. At authoritas publica suo munere fungens non petit iniustè iuramentum: nec legis, quatenus iniusta est; sed id iuramentum exigere censetur seruandæ legis, quatenus iusta est, ac vim obtinens obligandi.

PROBL. XLVIII.

Contractus vllus inualidus, potest, & non potest iuramento firmari.

291 *Nullus contractus inualidus firmari potest iuramento.* NOn potest firmari iuramento inualidus contractus vllus. Quia iuramentum eam vim non habet nec ex iure naturali, nec ex ciuili Regio, aut Pontificio. Ergo confirmare contractum iure inualidum minimè potest. Antecedens probo. Ex iure naturali id non habere, est manifestum, quia iuramentum solùm petit, vt iurans verum efficiat, quod iurat, quod præstare optimè potest, etsi contractus inualidus persistat. Aliàs si ex sua natura haberet, firmitatem contractibus, tribuere eam concederet contractibus per iniuriam extortis. Ex iure item ciuili nullibi inuenitur, iuramentum eam vim habere: imò contrarium non leuiter colligitur ex *l. 3. Non dubium. C. de legib.* Vbi Imperator non solum prohibet apponere iuramentum contractibus lege probatis: sed illud irritat, & annullat. Inquit enim: Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tàm veteres, quam nouellas trahi generaliter imperamus. &c. *Secundum itaque prædictam regulam, qua vbicumque non seruari factum lege prohibente censuimus, certum est, neque stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum vllius esse momenti, neque Sacramentum admitti.* Quid clarius dici potuit, ad probandum Sacramentum, seu iuramentum non admitti ad contractus reprobatos firmandum? Denique ex iure Pontificio non satis hæc firmitas colligitur. Quia esto ius Pontificium diuersimode loquatur de iuramento per iniuriam extorto, ac de iuramento absque vi, & fraude præstito vt iuramentum per vim dicat esse obseruandum, & iuramento sine vi, & dolo

dolo addat particulam, *omninò & inuiolabiliter*: inde non constat. Pontificem fiimasse contractus alioquin inualidos: sed voluisse his iuramentis negare relaxationem, quam aliis iuramentis ob iniuriam & iniustitiam, concedebat; sic multi Doctores, quos refert Sanch. *l. 3. sum. c. 12. num. 8.* & sequitur Basil. Legion. *l. 12. de spons. cap. 8. num. 43.*

292 *Eos firmare potest,*

Iuramentum firmare potest contractus iure inualidos ob vtilitatem priuatam, dummodo non sit in creditore turpitudo. Quia si contractus alioquin inualidus iuramento non firmatur, & relaxari iuramentum poterit: & casu quo non relaxetur, non transibit obligatio contractus ad hæredes iurantis. At contrarium colligitur ex Authent. *Sacramenta puberum, & ex cap. 2. de iureiur. in 6. & ex cap. Quamvis pactum, de pact in 6. & ex c. Cum contingat, de iureiur.* In quibus casibus receptissima Doctorum sententia est, relaxari iuramentum non posse, & obligationem contractus ad hæredes iurantis transire. Ergò iuramentum hanc vim confirmandi contractus aliàs inualidos habet. Item si iuramento contractus alioquin inualidus non confirmatur, cogendus necessariò debet is, cui iuramentum præstatur, vt remittat: Quia est præstitum in contractu nullo, & inualido, & consequenter ex quo nullum ius acquiritur. At nec leges, nec canones talem insinuant remissionis obligationem: Ergo dicendum est contractum confirmari. Ità Sanch. *l. 3. cap. 12. num. 11.* Fachinæus *in controuers. l. 3. cap. 11.* Gutier. *de iuram. p. 1. c. 40. num. 3.* & Authent. *Sacramenta puberum. à n. 10.* & innumeri apud ipsos.

293 *Cum his opinor, sententiamque magis expono.*

Ego quidem maximè propendebã cum Palao *tom. 3 tract. 14. d. 2. pun. 9. §. 3. num. 4.* in primam sententiam, quam valde probabilem reputat Suar. *tom. 2. de Relig. l. 2. de iuramen. cap. 29. num. 1.* sed quia aduersus illam grauiter vrgent textus alij: mediam tero viam, distinguens inter contractus inualidos naturaliter, vel ciuiliter. Contractus inualidos naturaliter, hoc est quia iure positiuo impediente, naturalem obligationem non producunt, censeo iuramento confirmari non posse: bene tamen illos, quibus sola obligatio ciuilis defuit. Moueor, quia quod nullam vim habet, confirmari nullatenus potest: ideò enim promissio vsurarum haud potest firmari iuramento, quia nulla est, nec naturalem obligationem gignit: deinde ius partis non prouenit ex iuramento, sed ex promissione; alias si iuramento soluendi vsuras ius parti esset acquisitum, & in promissione valida iurata duplex obligatio iustitiæ respectu hominis esset: alia, quæ nasceretur ex promissione, alia quæ nasceretur ex ipsa vt iuramento affecta vltra obligationem Religionis in ordine ad Deum. Quod quidem est contra omnes Doctores supponentes vt certum, in iuramento promissorio duplicem tantum obligationem esse, vnam respectu hominum, aliam respectu Dei. Ergò iuramentum cadens super promissionem irritam, ac nullam, qualis est promissio instituendi hunc hæredem, aut soluendi pecuniam ludo prohibito acquisitam, nequaquam valebit tribuere firmitatem. Quod si obiicias textus in *Authent. Sacramenta puber. & c. Cum contingat, de iureiur. & c. 2. eodem tit. in 6. & c. Quamvis pactum, de pactis, in 6.* ex quibus colligitur contractus alioquin inualidos iuramento firmari: respondeo, non firmari directè, sed indirectè, quatenus firmatur iuramento promissio non retractandi illos contractus: quæ promissio naturalem obligationem parit cum non sit à legibus reprobata: esto non sit ita firma, quin Iudicis officio mutari possit. Iuramentum ergo non afficit illos contractus alienationis fundi dotalis, renunciationis legitimæ in se; quia sunt omnino inualidi; sed afficit promissionem non contraueniendi illis. Quæ promissio res distincta est ab ipso contractu: atque adeo iuramentum reddens illam promissionem firmam, & immutabilem: ex consequenti reddet contractum omnino firmum. Secus verò est, quando promissio non contraueniendi non distinguitur ab ipso contractu: vt est promissio non reuocandi testamentum, instituendi aliquẽ hæredem. Quia tunc cum iuramentũ non cadat super promissionem inducentem obligationem naturalem, non reddit contractum firmum. Mecum Lessius *l. 2. cap. 17. dub. 5. num. 56.* Suar. *l. 2. de iuramen. cap. 29. numer. 3.* Rebel. *pun. 2. de oblig. iust. l. 1. quæst. 9. n. 2.*

PROBL. XLIX.

In obligatione iuramenti potest, & non potest dari compensatio.

QVæstio est, an promittens verbi gratiâ sub iuramento pecuniam soluendã possit vti cõpensatione tantundẽ Debiti, & sic à solutione ac periurio excusari? Minimè potest. Quia *c. Ad nostrã, de iureiurando. el 1.* accipientes mutuo pecuniam, & concedentes creditori in pignus quasdam possessiones, iurarunt, nullum grauamen se esse illaturos circa eas possessiones & reditus, quoúsque ei mutuatam pecuniam persoluerent. Quo iuramento non obstante, antè quam creditor mutuatam pecuniam percepisset, excommunicatione eo actus est, possessiones & redditus in pignus sibi datos reddere mutuatariis. Summus verò Pontifex mandauit Archiepiscopo Rothomag. quicensuram tulit, vt eum ab excommunicatione absoluat, accepta prius ab eo sufficienti cautione. Deinde mandauit, vt mutuatarij restituant redditus & possessiones mutuanti, quoúsque pecunia mutuata persoluatur, nè in periurio perseuerent, molestiam mutuanti inferentes. Postremò præcipit, vt postquam pecunia fuerit integrè soluta, mutuantem moneat, vt quidquid vltrà sortẽ cõstiterit recepisse, id totum mutuatariis restituat. Quod si parère noluerit, iterum excommunicationis sententia innodetur: quoúsque opere compleat. Hæc in illo *cap.* Ex quo infero iurantem absolutè soluere debitum, vti non posse compensatione, neque ei debitis iuratis suffragi hanc posse exceptionem: si quidem iis mutuatariis non permittitur, computare in sortem fructus, quos mutuatos ex pignore sibi dato recepit: sed eis præcipitur pecuniam soluere, sicut iurarunt: & quòd postea recipere possint, quidquid vltra sortem constiterit mutuantem recepisse. Sic Innocent. Ian. Andre.

294 *Minimè potest.*

dre. Anton. Felin. & alij *ad c. Administram. el. 1. de iureiur.* quos refert, ac sequitur Gutier. *3. p. de iuramen. cap. 6. num. 5. & 7.* Qui quidem aliis testibus, ac rationibus sententiam hanc eruditè comprobant.

295 *Potest planè.* Potest planè iurans soluere debitum vti compensatione eamque exceptionem potest apponere, cum debitum soluere imperatur. Quia *lege 4. §. soluisse ff. de re iudica.* dicitur: *soluisse accipere debemus non tantum eum, qui soluit, verùm omnem omninò, qui ea obligatione liberatus est.* sed compensans debitum liber manet ab illius solutione *leg. si amos ff. de compensat. l. si peculium. 1. §. de ill. vers. Quid si haredi. ff. de statuliberis.* vbi seruus quilibet efficitur, traditis decem hæredi, si hæres totidem seruo debeat, & seruus compenset, liber manet; quia compensando, censetur tradidisse: Ergo compensans censendus est soluisse; Ergo & vere satisfecisse iuramento. Ità Nauarra *l. 3. de restit. cap. 1. p. 4. dub. 9. num. 341.* Sanch. *l. 3. cap. 17. num. 15.* Molina *de iust. tr. 2. d. 560.* Suar *l. 2. de iuram. cap. 37. num. 9.* Sa *v. Iuramentum, n. 10.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 8. quæst. 10.* Bonac. *tom. 2. d. 1. quæst. 1. punct. 16.* Palaus *tom. 2. tract. 14. d. 2. punct. 10. num. 1.*

296 *Etiam sum mentis.* Cum his opinor, monens, aliquos Doctores hanc sententiam limitasse, vt procedat in debitis post iuramenti obligationem contractis, secus autem in contractis tempore iuramenti. Nam si tempore, quo quis iurauit creditori soluere, erat creditor & poterat suum debitum alterius debito compensare: & non obstante hac potentia, iurauit, soluturum: clare indicauit compensationi renunciasse. At si post iuramectum contraxit debitum, cum iam res mutatæ sunt, non videtur ille compensationi renunciasse. Sic Gutierrez apud Palaum *citatum, nu. 3.* Attamen verius putarim in vtrisque debitis illũ vti posse compensatione. Quia nostræ sententiæ ratio æque probat, siue debita contractus sint tempore iuramenti, siue post. Et quia necesse non est sic iurantem habere intentionem compensationi renunciandi: sed potius credendum est, ea intentione iurare, quæ sibi vtiliot, ac commodior est: qualis est intentio soluendi solutione legitima, & à iure approbata.

PROBL. L.

Potest quis, & non potest compensatione vti, si cum iurauit soluere alicui, intentionem habuit, non vtendi compensatione.

297 *Non potest ea vti.* NOn potest illa vti. Quia intentionem habens non vtendi ea cum iuramentum fuit emissum, visus est id ipsum iuramento affirmasse, sicut enim iurans soluere, tenetur solutionem gerere, sic etiam tenetur id iuramentum obseruare impleta simul adhibita non vtendi compensatione circumstantia. Sic Bonac. *to. 1. d. 4. q. 1. pun. 16.*

298 *Potest quidem.* Potest quidem, si eam intentionom verbis, aut signis alteri non indicauit, vt ab eo acceptaretur.. Quia promissio homini facta etiam iurata minimè obligat antè alterius acceptationem. At promissio illa æterna ob altero acceptata non excludit hanc compensationem, & reuocationem ratione ingratitudinis, nec diuersus iurantis animus illa excludens est illi verbis, aut signis intimatus, vt ab eo acceptetur? Ergo potest iurans retrocedere vtendo compensatione illa, & non soluendo ratione sibi fidei violatæ. Ita Sanch. *l. 3. sum. c. 17. num. 16.* Palaus *tom. 3. tra. 14. d. 2. punct. 10, num. 4.*

299 *Idem affirmo, & amplius expono.* Proculdubio si iurans, huiusmodi intentionem creditori manifestarat, ipseque iuramentum sic sibi factum acceptaret, minimè posset compensatione vti. Quia in eius fauorem hac via soluendi debitum renunciauit: & sic censent plures factum esse in casu *c. Ad nostram. 1. de iureiur.* Verum si eam intentionem creditori non declarauit, ei obesse non potest, quominus compensatione vtatur. Quia illa promissio sub ea qualitate non vtendi compensatione non fuit à creditore acceptata. Deficiente autem acceptatione, in promissione etiam iurata, deficit obligatio, vt doctissime probat Sanch. *l. 1. de matrim. d. 7.* Neque obstat, creditorem acceptare promissionem sibi factam modo sibi vtiliori. At modus (esto sic acceptet) sibi incognitus, & alienus à natura promissionis sibi non est possibilis: ac proinde non potest acceptare promissionem solutionis sub exclusione compensationis, cum talis exclusio sibi non fuerit manifestata; sed potius incognita, sitque à communi promittendi ratione aliena.

PROBL. LI.

Cum quis contractum Iuramento firmauit, & Iudex Ecclesiasticus relaxet iuramentum ad effectum agendi: potest is & non potest coram ipso Ecclesiastico Iudice de valore contractus litigare.

300 *Nonnulla suppono.* SVppono ex *c. fin. de foro compet. in 6.* posse laicum ratione iuramenti coram Iudice Ecclesiastico conueniri. Quod adeò est verum, vt licet mota lis fugrit coram Iudice sæculari de contractu iurato, possit nihilominus Ecclesiasticus Iudex adiri, vt cogat partem, ac Iudicem sæcularem ad Iuramenti obseruantiam. Nec ei obiici potest litispendentia, vt cum Ioan. Andrea, Maranta, ac Gutierrez docet Sanch. *l. 3. sum. c. 13. n. 14.* Quæsierim verò, num relaxato iuramento per Iudicem Ecclesiasticũ ad effectum agendi, possit coram ipso litigari de valore contractus.

301 *potest planè.* Potest plane. Quia Iudex causæ præparantis est causæ præparatæ Iudex, eo quod vnum ex alio sequatur. At Iudex Ecclesiasticus est Iudex causæ præparantis, nempè relaxationis Iuramenti. Ergo est Iudex causæ præparatæ, nempè rescissionis contractus. Sic Bald. Iason. & alij relati à Couar. *l. 1. variar. cap. 4. num. 8.* & Gutier. *de iuramen. confirm. p. 3. c. 12. num. 6.*

302 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia textus *in cap. fin. de foro compet. in 6.* solum ob obseruantiam iuramenti concedit, posse laicum coram Iudice Ecclesiastico conueniri. Relaxato autem iuramento,

mento, iam cessat illius obseruantia, solumque de rescindendo contractu agitur. Ergo solùm sæcularis Iudex cognoscere potest, nisi fortè contractus ad forum Ecclesiasticum pertineat. Qualis esset, si controuersia moueatur an sit cõtractus vsurarius, simoniacus, vel illicitus, iuxtà *c. Venerabilem de electione.* Ita Couar. Gutier. *citati* Sanch. *l. 2. sum. c. 13. num. 15.* Palaus *to. 4. tr. 4. d. 2. pun. 11. n. 5.*

303 *Hoc longe probabilius.*

Hoc longe probabilius esse crediderim addens si Iudex Ecclesiasticus eò quod fuerit Iudex causæ præparantis scilicet relaxationis iuramenti: posset etiam esse Iudex causæ præparatæ: eadem ratione, & fortiori dicere possemus, non solum iurantem, sed etiam eius hæredes posse conueniri coram Iudice Ecclesiastico, eo quod Iudex sit originis, & causæ, vnde ille contractus vim habuerit, scilicet iuramenti. Monuerim tamen, laicum iurantem tametsi ratione iuramenti apud Iudicem Ecclesiasticum conueniri possit, non tamen ob id forum suum amittere. Quia iuramentum forum non mutat, sed addit forum foro. Quocirca coram Iudice sæculari conueniri poterit, ac si non iurasset. Vnde poterit coram Iudice sæculari de obseruantia iuramenti agi, etiam si materia feudalis existat. Item cogi potest coram illo ad pœnam periurij. Demum compellere potest turpe iuramentum recipientem, vt illud relaxet. Lege Santium *citatum n. 16.*

PROBL. LII.

Potestas ciuilis, quæ potest probibere Iuramentum apponi: potest etiam, & non potest Iuramenti semel appositi vires impedire.

304 *Quæstionis limes.*

DE potestate ciuili est dubitatio, num possit impedire obligationem iuramenti, antèquam præstetur, nam de Ecclesiastica nemini dubium esse potest? cum id factum fuerit in Tridentino *sess. 24. c. 26.* vbi redditur iuramentum irritum appositum renunciationi bonorum à nouitio factæ ante bimestre professionem præcedens. Quæsierim igitur, num ciuilis potestas, quæ quidem prohibere valet, nè iuramentum apponatur, possit etiam eiusdem iam appositi vires impedire.

305 *Non potest vires iuramenti impedire.*

Potestas ciuilis tantùm potest prohibere, iuramentum apponi: nunquam tamen impedire vires illius si cõtractibus alias licitis apponatur, tametsi contractus, quibus iuramentum apponitur, irritos, ac nullos reddiderit. Quia iuramenti obligatio est spiritualis: Ergo sæcularis & ciuilis potestas nequit de ea disponere. Et quia ciuilis potestas impedire non potest Ecclesiasticam iurisdictionem. At si vires iuramenti impedire posset, iurisdictionem Ecclesiasticam impediret, cum medio iuramento iurans iurisdictionis Ecclesiasticæ efficiatur. Ergo. Sic Couar. *de pactis p. 2. §. 1. n. 8.* Barbosa *l. 1. §. 1. n. 70. & 71. ff. soluto matrimonio.* Suar. *l. 2. de matr. c. 30. n. 15.* Parlador. *l. 2. rerum quotid.* Osuvald. *ad Lonel. l. 21. c. 13. in notis, lit. A, & P.*

306 *Potest planè.*

Non solùm ciuilis potestas valet iuramentum impedire, ne fiat, sed etiam facti vires inhibere. Et sic factum esse in Regno Castellæ, & in Regno Lusitaniæ testatur Molina *to. 1. tr. 2. d. 149.* Pinel. *leg. 2. C. de rescindenda vendit. p. 3. c. 1. n. 11.* Ratio est. Quia lex ciuilis reddere potest inhabilem ad acceptandam promissionem hac, vel illa forma præstitam: sed absque acceptatione iuramentum promissorium obligationem non inducit: Ergo. Deindè potest lex ciuilis remittere obligationem eo ipso, quod intentetur. Cum enim iuramentum promissorium non obliget, si is, in cuius fauorem est præstitum, statim remittat obligationem: eadem ratione non obligabit, si superior nomine ipsius eandemmet obligationem remittat. Ita Sanch. *l. 3. sum. cap. 22. num. 10.* Lessi. *l. 2. cap. 42. dub. 12. num. 51.* Bonac. *tom. 2. d. 4. quæst. 1. punct. 17. num. 1.* Pala. *tom. 3. tr. 14. d. 2. pun. 13. num. 3.* Basil. *l. 12. de sponsal. cap. 8. num. 38.*

307 *Idem asser.*

Censeo potestatem ciuilem non solum posse vires iuramenti impedire, sed de facto in Regno Castellæ, & Portugaliæ impediisse: Nam in *leg. 10. & 11. tit. 1. l. 4. nou. collect.* statuitur sub grauibus pœnis imponendis, tùm iurantium creditori, tùm Tabellioni, ne contractibus iuramentum apponatur: & si appositum fuerit, annullatur obligatio. Annullata ergo obligatione contractus & personæ redduntur inhabiles ad contrahendum, & obligatio omninò remittitur, & materia prohibetur, & incapax obligationis redditur: Cessat ergò iuramenti obligatio. Itaquè (vt corruat primæ sententiæ fundamentum) prohibito, & annullato contractu, iuramentum prohibitum, & annullatum est, vtpotè super materiam indebitam cadens.

PROBL. LIII.

Petrus & Antonius litem in arbitrum compromittunt vt intrà certum diem illam decidat, iuramento parendi eius sententiæ præstito: si ex communi vtriusque consensu dies illa prorogetur, censetur quoque, & non censetur Iuramentum prorogari.

308 *Regula ad interpretationem iuramenti præmittenda.*

PRæmitto in huius, & innumerum aliarum quæstionum resolutionem duplicem regulam præscribentem, qua ratione iuramentum sit interpretandum. Prima est: Si de intentione iurantis constat, nulla indiget iuramentum interpretatione, vt per se patet: si verò intentio manifesta non est, semper interpretandum est iuramentum, vt seruata proprietate verborum, quo ad minus fieri possit obligationem inducat. Quia creaturam adstringi, & obligari ad aliquid determinatè gerendum, vel omittendum, odiosum est, & graue. Secunda est: Iuramentum restringendum est iuxtà naturam actus super quem cadit. Vndè omnes restrictiones ac conditiones, quas propositum, aut promissio habet ex iure, vel ex recepta consuetudine, omnes illas habere censendum est iuramentum. Quia accessorium, quale est iuramentum, sequitur naturam principalis cui adiungitur, iuxta *reg. iuris 42. in 6.* His præmissis, quæsierim, an in casu proposito, prorogato sententiæ die, iuramentum etiam prorogari censeatur? 309

Censetur prorogari. Quia prorogatio illa sententiæ

Censetur prorogatum illud iuramentum.

sententiæ, siuè diei, quo sententia ferenda est videtur facta cum omnibus qualitatibus, & clausulis illius rei, quæ prorogatur *l. lecta, ff. si certum petatur. l. Legem. Cod. Locati.* Sic nonnulli apud Couar. *de pactis p. 1. initio, num. 6.*

Non censetur prorogatum.

310 Non censetur prorogatum illud iuramentum, & ideò neuter tenetur ex vi illius parêre sententiæ arbitri latæ post diem ab initio constitutum, sed ex vi solius simplicis promissionis. Quia cum finito die in compromisso constituto extinguenda esset prorsus illa conuentio, & obligatio: illa prorogatio censetur noua prorsus conuentio, nouáque obligatio: ac proindè non censetur in ea repeti iuramentum, & pœna in priori compromissione apposita, nisi denuo apponantur. Ità iuxta regulas præmissas benignè iurantem à iuramenti obligatione liberant. Couar. *citatus.* Azor. *l. 11. cap. 8. quæst. 12.* & Sanch. *l. 3. sum. cap. 17. num. 21.*

Cum hu opinionis.

311 Cum his opinor, addens secus esse dicendum, si ab initio compromissum cum iuramento ita constitutum sit, vt ipsi arbitri, vel compromittentes possint diem progare: tunc enim prorogatio intra diem facta, eadem qualitates habet etiam quoad iuramentum. Quia ab initio iuramentum eum sensum habet, vt iurans sub Religione iuramenti promittat sententiæ arbitrorum parêre, quam ipsi intra diem definitum, vel postmodum prorogatum tulerint.

Interpretandi benignè iuramenta a plura exempla proponi.

312 Cæterùm in huius materiæ confirmationem ex regulis præmissis plures casus resoluam, speciatim secundam regulam illustrans. Iurauí Petro dare æquum, ipse verò non seruat, quæ promisit: dare non teneor. Quia hæc absoluta & liberalis promissio iurata habet tacitam conditionem: Nisi alius ingratus se ostendat, vt ostenditur promissum non implens. Sanch. *l. 3. sum. cap. 17. num. 16.*

Iurauí fidelitatem Petro, eique non esse contrarium: subintelligitur; Nisi ius meum, vel meorum, vel Ecclesiæ petere, defendereve necessarium fuerit. Quia hæc promissio habet hanc subintellectam conditionem *cap. Petition de iureur.* Sylvest. *verb. Iuramentum 3. quæstion. 3.*

Iurauí Ecclesiæ mandatis parêre, vel Iudicis, eiúsque stare sententiæ: potero appellare, si me iniustè grauatum sensero. Quia hoc generale iuramentum rationabilem appellationem non excludit. *cap. Trovt nobis, de dolo.* Gutier. *de iurament. part. 1. cap. 37. num. 25.* Sylvest. *verb. Iuramentum 4. q. 1.*

Iurauí obedire Superiori, si ipse ab officio remoueatur, mea obediendi obligatio cessat. Quia ex iure supponitur ad obligationem iurisdictio in superiore, vt possit præcipere. *cap. Venerabilem, de elect.* Lessi. *lib. 2. cap. 42. dub. 4. num. 22.*

Iurauí stare sententiæ arbitri sub certa pœna ad vtrúmque non obligor, sed tantum parêre sententiæ, aut pœnam soluere. Innocent. & Gloss. *ad cap. Per tuas, de arbitris.* Sylvest. *verb. Iuramentum 1. quæst. 4.*

Iurauí, non expellere conductorem domus, vel agri: possum expellere, si biennio conductionis pensionem non soluerit. Quia hic contractus hanc tacitam conditionem habet, vt conductor biennio non soluens, valeat expelli. *l. Quæro. §. inter*

locatorem. ff. locati. Sanch. *l. 3. sum. cap. 17. num. 14.*

Admissus in Collegium iuratus Collegis suis ferre auxilium, quoties fuerit opportunum: Subintelligitur, dummodò alius dignior non existat. Quia alias non esset licitum, neque obligatorium iuramentum. Basil. *l. 12. sponsal. cap. 8. num. 27.*

Si vrbanitatis causa quis iurauit, non ingredi primum, nobiliori loco non sedere, non præcedere: non tenetur, si alter roget, vel illi sit molestum. Quia subintelligitur iurasse non accipere primum locum quantum in ipso est, sed rogatum. Tolet. *lib. 4. cap. 2.* Lessi. *l. 2. cap. 42. dub. 4. num. 22.*

Admissus in Collegium Ybernium, aut Anglicanum iurauit, post studia absoluta ad patriam redire: poterit ingredi Religionem. Quia hic status vtpotè maioris perfectionis semper censetur exceptus. Basil. *lib. 12. de sponsal. cap. 8. num. 27.*

Iurauit quis non resignare Beneficium in alterius fauorem vel non permutare absque Ordinarij consensu: non obligatur, si Religionem inierit. Quia hæc occasio tacitè censetur excepta eo quod finis, ob quem Ordinarius illud iuramentum exigere assolet, est, ne beneficiati accipientes Beneficium, & manentes in sæculo, cum pensione renuncient, iterúmque alia Beneficia obtineant. Sanch. *libr. 3. sum. cap. 17. num. 11.*

Promittens sub iuramento aliquid absenti; ad id implendum non tenetur, donec ipse, vel alius validè ipsius nomine acceptet. Quia hæc promissio, cuius naturam sequitur iuramentum, reuocabilis est, quoúsque per acceptationem firmetur. Lessi. *lib. 2. cap. 42. dub. 4. num. 22.* Bonac. *tom. 2. d. 1. quæst. 1. punct. 16.*

Iurans soluere pecuniam sibi mutuatam, poterit intra biennium exceptionem opponere non numeratæ pecuniæ. Quia sub ea conditione censendus est obligatus soluere, si sibi adfuerit pecunia numerata: *l. vltim. Codice de non numerata pecunia, & l. 27. titul. 11. partita 3.* Couar. *de pact. part. 1. §. 3. num. 10.* Gutier. *part. 1. de iurament. cap. 37.*

Iurans contractum fideiussionis, non se obligans instar principalis: soluere non tenetur, quoúsque principalis debitor excutiatur. Quia hanc habet tacitam conditionem. *l. Decem, ff. de verb. obligat.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 17. num. 14.* Plura mitto.

PROBL. LIV.

Iuramentum soluendi debitum intra certam diem, extenditur, & non extenditur ad aliam diem per creditorem prorogatum. Vndè erit, & non erit periurus, si die destinata in prorogatione non soluat.

313 *Non extenditur, nec periurus ille erit.*

NOn extenditur, nec erit periurus, non soluens die destinatâ in prorogatione. Quia iusiurandum antiquum ad alia non trahitur, nisi denuo iuretur. Vndè excommunicatio lata indebitorem si certa die non solue-

sit, prorogata ea die per creditorem, omninò cessat: nec contrahitur non soluendo die destinata. Sic Cardin. Corta, Baldus, Decius, Iason, ques refert Couar. *de pact. punct. 1. initio, num. 6.*

314 *Extenditur, & erit periurus.*

Extenditur quidem, & periurus erit debitor non soluens die prorogata. Quia in hoc euentu non est noua obligatio, sed eadem, met ab initio contracta, solaque dies solutionis differtur: Ergò manet eadem iuramenti affectu qualitate. Ita Baldus, Iason, Decius sibi ipsis contrarij. Bartol. Imola. Felin. Curti. Blanchus, Rebuf. quos affert, ac sequitur Couar. *citatus.* Gutier. *de iuram. punct. 1. cap. 49. num. 9. & 10.* Perez *l. 1. paulo. post princip. ti. 4. l. 3. ordinamenti.* Sa *v. Iuramentum, num. 15.* Azor. *l. 11. cap. 8. quæst. 13.* Sanch. *l. 3. sum. c. 17. num. 24.*

315 *Hoc omninò tenendum iudico.*

Hoc omninò tenēdum iudico. Quià ille duo iurauit, nempe se soluturum, & tali die. Ergò remittente creditore, seu prorogante posteriorem obligationem, non manet debitor liber ab obligatione priori, sed illa ad diem prorogatam protenditur. Nec est simile illud de excommunicatione. Nam Iudex excommunicauit ad diem illam solam: & cum excommunicare sit actus iurisdictionis, non potest ex consensu partis excommunicatio ad aliam diem prorogari. At iurans obligauit se simpliciter ad soluendum, & ad soluendum eo termino: quare hoc termino prorogato per creditorem, manet debitor iuramento ligatus ad soluendum termino per eum prorogato.

CAPVT XIX.

Circa Iuramenti Relaxationem, Irritationem, & Commutationem.

PROBL. LV.

Habentes potestatem dispensandi, vel commutandi Vota delegatam, habent, & non habent dispensandi, vel commutandi iuramenta potestatem.

316 *Status quæstionis.*

SI loqueremur de habentibus potestatem Ordinariam, recepta est omnium sententia affirmans potentem dispensare, vel commutare vota, posse etiam iuramenta eius materiæ Deo præstita dispensare, vel commutare. Lege Santium *l. 3. sum. c. 19. n. 5.* Quæstio est, num habentes potestatem delegatam commutandi vel dispendi vota, ea etiam ad dispensanda vel commutanda iuramenta potiantur?

317 *Non habent potestatem huiusmodi.*

Ea potestate minimè potiuntur. Quia iuramenti vinculum est diuersum à vinculo voti. Ergò concessa potestate soluendi vinculum voti non debet censeri concessa potestas soluēdi vinculum iuramenti licet vinculum iuramēti minus sit, quam vinculum voti. Illa namque regula: *Cui conceditur maius, concedi censetur id quod minus*, procedit, cum id quod minus est, continetur in maiori, tanquam pars in toto, aut species in genere. At cum vinculum iuramenti hac ratione in voto non contineatur, effici videtur, facultatem cōcessam dispensandi, vel commutandi vota, ad iuramenta non extendi. Sic Petr. de Ledes. *tom. 2. sum. tr. 11. c. 4. dissic. 4.* Nauar. *sum. c. 27. n. 275.* Azor. *to. 1. l. 11. c. 10. q. 2.* Bonac. *to. 2. d. 4. q. 1. pun. 17. n. 11.*

318 *Habent omninò.*

Ea quidem potiuntur potestate: vnde priuilegium concedens commutationem aut dispēsationem votorum extenditur ad iuramenta in Dei honorem præstita siue accessoria sint voto, siue non. Quia hæc iuramenta ob affinitatem cum votis, in communi hominum existimatione vota reputantur *c. Peruenit. 2. de iure iuram.* Vbi dicitur *Propositū aut promissū non infringit, quin melius cōmutet.* Nomine autē propositi, aut promissi, nō solum votū, sed & iuramentum intelligitur, tùm quia sub titulo *de iureiurando* ponitur: tùm quia certissimum est, iuramentum, cuius Deus creditor est, posse in melius commutari; quia illi est gratius. Ergò priuilegium respiciens vota hæc iuramenta respicit. Ita Suar. *l. 6. de voto, cap. 14. num. 4.* Sa *v. votum, de voti irrit. num. 16.* Basil. *l. 8. de matr. cap. 11. num. 4.* Palaus *tom. 3. tract. 14. d. 3. pun. 1. num. 5.*

319 *Media via procedo.*

Ego quidem tempero sententiam primam, media via procedens. Distinguo inter iuramenta voto accessoria, quæque ad firmandam promissionem assumuntur: & inter iuramenta, quæ voto accessoria non sit, & ad firmandum bonum propositum assumuntur. Priora iuramenta ex facultate dispensandi vel commutandi vota posse dispensari, vel commutari censeo, secus verò posteriora. Priorem partem probo. Quia eo ipso, quo iuramentum sit voto accessoriūque promissionē confirmet, sublato voto, ac promissione, ipsum necessū est corruere, sed potens dispensare in votis, potest votum, cui iuramentum accedit dispensare: cum ex aduentu iuramenti non mutetur eius natura: Ergò potest etiam in iuramento illi accessorio. Secundam partem sic ostendo: Priuilegium gratis concessum, & præcipue ad tollendam obligationem naturalem, & diuinam strictè interpretandum est, *c. Porrò, de priuil. cap. cum in illos 17. & ca. Cui de non Sacerdotali 27. de prebend. in 6.* Ergo priuilegium dispensandi in votis non est extendendum ad iuramenta. Equidem primam & secundam sententiam valde probabiles reputo, libuit tamen sic primam temperare, & eligere cum Lessio *l. 2. c. 42. dub. 12. n. 60.* Santio *l. 8. de matri. d. 2. n. 23. & l. 4. de voto c. 53. num. 18. & 20.*

PROBL. LVI.

Creditor potest, & non potest iuramentum præstitum principaliter in Dei honorem remittere.

320 *Notandum suppono.*

SVppono, remissione seu condonatione creditoris de materia sibi promissa, cessare iuramenti obligationem. Quia cessat illus fundamentum. Deus enim in tantum obligari iurantem vult, in quantum is, in cuius gratiam fit, obstat esse obligatum, si igitur is remittit obligationē, & Deus remittere censetur. Difficultas autem est, num possit creditor iuramentum,

mentum principaliter præstitum in Dei honorem remittere, eo quod tota obligatio in sui gratiam, & fauorem cedat, verbi gratiâ intuitu pietatis quis sub iuramento promisit alicui pauperi eleemosynam: poterit ne pauper obligationem remittere?

321 *Non potest.* Minimè poterit. Quia cum principaliter Deo pietatis intuitu facta fuerit illa iurata promissio: Deus solus est creditor huiusmodi promissionis. Ergò pauper non potest remittere. Sic graues Neoterici; quorum sententiam Palaus *citandus* probabilem esse affirmat, siquidem contrariam probabiliorem esse testatur.

322 *Potest planè.* Potest planè. Quia illud iuramentum censetur tacitam conditionem habere: Si velit promissum acceptare is, de cuius commodo agitur. Et quia intuitu pietatis factum est iuramentum, tota illius obligatio in creditoris pauperis vtilitatem cedit, cui potest ille cedere. Nec enim qui iurauit, intendit inuitum ad beneficium acceptandum cogere, vel remittentis vltroneè gratiam non acceptare. Ità Lessium refert, ac sequitur Palaus *tom. 3. tract. 14. d. 1. punct. 2. num. 3.*

323 *Hoc tenco, & suppono.* Profectò si iurans subuenire pauperi, eum non determinauit, certum est nullum esse, qui possit obligationem remittere, præter Deum. Quia illud iuramentum Deo est factum, & inducit voti rationem: neque enim res promissa cedit in gratiam huius pauperis determinati: sed huius, vel illius: Ergò nullus est in particulari, qui remittere possit. Verùm, si iurans pauperem determinauit, probabilius censeo, remittere posse obligationem, nolendo promissum acceptare, aut condonando propter secundæ sententiæ fundamentum. Scio Santium *l. 1. de sponsal. d. 52. num. 7.* & Suarium *l. 2. de iurament. cap. 39. num. 8. 11. & 12.* insinuasse, posse pauperem remittere obligationem iustitiæ, remanente obligatione iuramenti, si velit promissum impleri. At mihi non placet. Quia nulla ex supradicto iuramento obligatio iustitiæ, aut fidelitatis in promittente oritur comparatione pauperis, sed tota obligatio est comparatione Dei: esto in pauperis cedat vtilitatem. Vndè nulla alia via potest pauper obligationem remittere, nisi vel condonando promissum: vel nolendo illud acceptare.

PROBL. LVII.

Iuramentum soluendi ea, quæ ludo vetito sunt acquisita, vel quæ in Hispania in ludo ad creditum acquiruntur: potest, & non potest Episcopus relaxare.

314 *Nonnulla suppono.* REcolo, duplicem in genere esse relaxationis causam: aliam, quæ bonum commune directè respicit: aliam, quæ pœnam creditoris. Bonum commune directè respicit, si obseruatio iuramenti bono communi obstet: verbi gratiâ si quis iurasset, non denunciare, non accusare, non contra testari: hæc enim iuramenta obstant rectæ administrationi, quia obstant, ne crimina detegantur. Quare à quolibet authoritatem Episcopalem habente relaxari possunt. Imò crediderim, regulariter nulla relaxatione indigere, vtpote nullam inducentia obligationem. Ad hanc causam reducuntur omnia iuramenta cadentia super contractus lege prohibitos: præstat enim sufficientem relaxationis causam legis transgressio, si fortè necessaria fuerit; nam iuramentum licitum & obligatorium esse non posse assero, nisi promissionem validam confirmet: aut in vexationis redemptionem apponatur. Hinc quæsierim, num iuramentum soluendi ea, quæ ludo vetito sunt acquisita, vel quæ in Hispania in ludo ad creditum acquiruntur, possit Episcopus relaxare?

325 *Non potest.* Minimè potest. Quia ex communiori sententia non tenetur recipiens hanc pecuniam restituere. Ergò nullam turpitudinem committit: Ergò nullam præbet causam relaxationi. Sic Sanchez *libr. 1. de sponsal. d. 31. numer. 2.*

326 *Potest quidem.* Potest planè. Quia iuramentum id est in legis fraudem emissum, & turpitudinem continet aduersùs leges, saltem cum de facto acceptatur. Ita aliis relatis. Gutier. *part. 1. de iurament. confirmat. cap. 5. num. 8.* & probabile reputat Sanchez *l. 3. sum. cap. 21. num. 10. & l. 1. de sponsal. d. 52. num. 24.* plures Doctores pro hac parte adducit Palaus *tom. 5. tract. 14. d. 3. punct. 3. num. 3.*

327 *Probabilius hoc imò putarim relaxationem necessariam non esse.* Non solùm hoc probabilius existimo, sed credo, hoc iuramentum relaxatione non indigere, quia super materiam indebitam cadit. *Leges* enim *Castellæ 8. & 9. titul. 7. l. 8. recopil.* ita has promissiones, & obligationes prohibent, vt prorsus irritas, ac nullas faciant: ibi: *Damos por ningunas quales quier obligaciones, escripturas, promessas, que las tales personas a cerca de esto hicieren.* Ex quibus verbis manifestè efficitur, recipientem sic acquisita retinere non posse: obligarúmque esse, si recipiat, restituere. Quia alienum recipi non potest, nisi debeatur. At vi illius promissionis non debetur eo ludo acquisitum, cum promissio nulla: Ergò recipi non potest. Deindè iuramentum de illa solutione facienda nullum est; quia est de actu quodam vano, ac inutili, neque ex redemptione vexationis honestato. Lege Vasquium *opusc. de testam. cap. 5. dub. 2. num. 4.*

PROBL. LVIII.

Relaxatio iuramenti potest, & non potest concedi, cum turpitudo versatur in modo exequendi iuramentum, nō in re iurata.

328 *Nonnulla præmitto.* PRoblem. proximo dixi, secundam causam, ob quam iuramentum possit relaxari esse turpitudinem eius, cui præstitum est, vel quia inique exegit, vel quia delictum commisit dignum priuatione iuris acquisiti; pertinet enim ad bonum Ecclesiæ delicta punire s & iniustitias tollere, fraudésque remouere: Et quidem posse relaxari iuramentum in delicti commissi pœnam nullus est qui non sciat. Relaxari autē posse quia iniquè est extorrū patet. Quia nullum ius parti, in cuius vtilitatē cedit, acquiritur,

sed solùm Deo. Potest ergò Dei vices gerens obligationem remittere, ne iniustus ex iustitia facta commodum assequatur, neve iurans iniustè diuexetur. Quod verum puto, etiam si turpitudo non sit commissa a creditore, sed ab alio tertio. Quia iam tertius iniustitiam perpetrat, & iurans iniustè vexatur, quæ est potissima huius relaxationis causa. Hanc relaxationem concedere potest Episcopus, & qui potestatem quasi Episcopalem habent. His positis quæsierim, num relaxatio possit concedi, cum turpitudo versatur in modo exigendi iuramentum, non in re iurata: vt contingit, quandò creditor debitorem cogit metu, vi vel fraude iurare debitum legitimum soluturum.

329 *Non potest relaxatio concedi.* Non potest concedi relaxatio. Quia cum debitum sit legitimum materia est apta, vt possit iuramento obfirmari: & licet iniustitia adfuerit, tenet in re iurata promissio, cuius relaxatio iam creditoris cedit in in commodum. Sic aliqui, quos, presto nomine memorat Palaus *tom. 3. tra. 14. d. 2. punct. 3. num. 5.*

330 *Potest planè.* Potest planè huiusmodi relaxatio concedi. Quia in petitione illius iuramenti creditori intulit iniuriam Debitori, & consequentèr tenetur, illam, quoad fieri possit, reparare. At nulla alia via apriori reparari valet, quam remissione iuramenti. Ergò. Ità Palaus *citat.*

331 *Idem sibero alia adiiciens.* Idem iudico, adiiciens si ipse creditor illius iuramenti non procuret ad satisfactionem illatæ iniuriæ relaxationem, id ex efficio debere Prælatum exercere. Nam certissimum est, quoties superior cogere potest creditorem ad remittendum iuramentum, posse ipsum id remittere. Ad hæc, satis bono communi expedit huiusmodi concedere relaxationem, ne iniustè vexantes effectum suæ iniquitatis obtineant: & ne vexati sinè causa grauentur. Mecum Suar. *l. 2. de iuram. cap. 41. num. 51.*

PROBL. LIX.

Concedi potest, & concedi non potest ab Episcopo relaxatio Iuramenti si metu leui extortum sit.

332 *Concedi non potest.* COncedi non potest. Quia *c. si verò, de iureiur. & c. verum, eodem tit.* de grauissimo metu fit mentio, qui debet iuramento addici, vt valeat Episcopus id relaxare: Sic multi Doctores relati à Santio *l. 4. de matr. d. 20. n. 9.*

333 *Potest concedi.* Potest concedi relaxatio. Quià iuramentum metu etiam leui factum spontè non præstatur, & spontaneum consensum requirit iuramentum, vt relaxari non possit, *c. si licitè, & c. Accepta, de restitut. spoliator. & Authent. Sacramenta puberum. C. si aduersus venditionem.* Ità alij plures relati à Santio *vbi supra.*

334 *Auctoris resolutio.* Porrò doctissimus Pater eos sic, me annuente, conciliat. Vt negatiua sententia procedat in foro externo: eo quod in eo non admittatur rescissio contractus ex metu leui. Secunda vero procedat in conscientiæ foro, quia adest turpitudo ex parte recipientis taliter, quod in illo foro nequit sic metum incutiens retinere ea via acquisita, sed obligatus est restituere, sicut si metus grauis esset incursus. Consonat Suar. *l. 2. de iuramen. cap. 41. num. 19.* Addiderim esto hoc verum sit, nihilominus etiam in foro externo dari huus iurament i relaxationem, quando non ad petitionem partis Iudex procedit, sed ex officio. Tunc enim conuenientissimum est, hanc relaxationem concedere, ne iniustitiæ etiam leuissima sortiantur effectum. Sic Palaus *to. 3. tra. 14. d. 3. punct. 3. num. 6.*

PROBL. LX.

Præfata Iuramenta inique extorta possunt, & non possunt post commissum periurium relaxari.

335 *Concedi non potest.* COncedenda non est huiusmodi relaxatio, neque pars potest remittere postquam altera pars incidit in periurium. Quia *cap. Quia frustra 14. de vsur.* dicitur: *Frustrà legis auxilium inuocat, qui committit in legem.* Qui ergo committit in legem iuramenti frustra petit illius relaxationem. Ità Cardin. *c. Debitores, de iureiur. fine.* Imola *ibi, num.* 8. Abbas *c. 1. eodem tit. num.* 3. & *ibi* Felin. *num.* 28 Federic. Senens. Anchar. & alij, quos sequitur Couar. *de pactis p. 2. §. 3. num. 1.*

336 *Potest etiam.* Potest planè concedi huiusmodi relaxatio iuramenti inique extorti post commissum periurium non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in externo foro. Quia ex commisso periurio non tollitur potestas in relaxante. Non enim turpitudo alterius superiori ob esse poterat. Ergò poterit relaxare, ac si nullum esset commissum periurium. Ità Sanch. *l. 1. de sponsal. d. 12. num. 16.* Suar *l. 2. de iuram. cap. 41. nu. 22.* & alij apud ipsos. Hos sequitur Palaus *to. 3. tr. 14. d. 3. pun. 3. n. 7.*

337 *Hoc mihi probabilius.* Hanc partem probabiliorem esse reor, nec obstare illud *capitis Quia frustrà.* Fateor enim vti legis beneficio, qui committit in legem: qualiter committit vsurarius, qui virtute literarum recuperare sibi debita intendit, & tamen non vult ipse restituere, quæ debet. Hic enim non vtitur beneficio literarum ad excutiendum peccatum, sed ad perseuerandum in illo. At postulans iuramenti relaxationem commisso periurio, intendit peccatum excutere: imò quando eam petit, non perseuerat in periurij peccato: & consequenter non committit in legem, etiamsi in illam commiserit. Quia vt bene docet Suarius *numer. 23.* obligatio soluendi non ita vrget pro singulis momentis, quin possit quis & dolere de iuramenti transgressione, & proponere illam, non amplius perpetrare, vel soluendo, vel sinè mora quærendo iuramenti relaxationem. Quarè dum illam quærit, periurium non committit. Quia iuramentum semper intelligitur factum sub conditione petendi relaxationem, si causa subsit. Addo nulla lege periurium reddi incapacem talis relaxationis. Licet enim propter commissum periurium puniri possit non tamen inuenitur punitus in relaxationis denegatione. Cur ergo id est affirmandum.

* *
*

PROBL.

PROBL. LXI.

Potest, & non potest contractus rescindi, & relaxatio Iuramenti obtineri, etiam ob enormissimam læsionem, si Iuramento præstito fuerit ille geminatus.

338 *Nonnulla suppono.* SVppono, non esse locum rescissioni contractus, nec relaxationi iuramenti ob enormē, vel enormissimam læsionem in contractibus gratuitis; sed solùm in reciprocis, vbi interuenit, *do, vt des: Facio, vt facias.* Quia donator clare intelligit, se læsum esse in tota illa quantitate, & sciens vult, id beneficium in alium conferre. Sanch. *l. 3. sum. c. 21. num. 19.* Quæsierim ergò, an possit rescindi contractus, & relaxatio iuramenti obtineri, etiam ob enormissimam læsionem, si iuramento præstito, fuerit geminatus?

339 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia vt præscribit *Authentica, Siue à me, & lex si mulier. C. Ad Senatusconsultum Velleianum*, quamvis mulier fideiubendo pro alio obligari non possit, quin ei competat exceptio Velleiani: si tamen in eadem causa bis se obligauerit, tenet obligatio & cessat exceptio. Sic videtur dicendum in contractibus iuratis. Nam minor, vel maior iurant contractum: esto minori competat exceptio *l. 2. C. de rescindenda vendit.* ratione enormis læsionis: & maiori exceptio læsionis enormissimæ: si tamen geminent obligationem, cessabit exceptio, ac iuramenti relaxatio. Sic Decius *cons.* 181. Couar. *de pactis p. 3. §. 4. num. 6. concl. 8.*

340 *Insuper.* Ob geminatam obligationem etiam cum biennij interuallo, iurans non priuatur potestate petendi rescissionem contractus, & iuramenti relaxationem illis in casibus, in quibus aliàs peterè poterat. Quia nullibi cauetur talis effectus: & cum fraudibus faueat, non est absque claro fundamento asserendus. Ità Palaus *tom. 3. tract. 14. d. 3. punct. 4. num. 7.* Burgos de Paz *cons. 28. num. 22.* aliis relatis.

341 *Hoc verius existimo.* Hoc verius existimo, nec ex legibus *siue à me*, & *si mulier* desumi posse argumentum. Tum quia illa decisio est specialis in illo casu. Tùm quia est ratio diuersa. Nam in contractu fideiussionis mulieris, de se nulla est deceptio, neque ob deceptionem conceditur: exceptio Velliani; sed ob mulieris fragilitatem, & imbecillitatem. At in læsione enormi & enormissima deceptio est, & defectus consensus: & ob eam causam rescissio contractus, & relaxatio iuramenti conceditur. Ergo quantumvis obligatio multiplicetur, non impediet hanc rescissionem, & relaxationem. Neque enim æquum erat, ob repetitam iniuriam priuari deceptum iuresibi concesso reparandi deceptionem; potius quidem ob deceptionem geminatam celerius relaxatio iuramenti, & contractus rescissio est concedenda.

PROBL. LXII.

In illis casibus, in quibus ob læsionem enormem, aut enormissimam potest quis agere ad rescissionem contractus, aut pretij supplementum: indiget, & non indiget Iuramenti relaxatione.

342 *Relaxatione non indiget.* NOn indiget, & potest agere non obstante iuramento. Quia ea de causa in illis casibus quis agere potest, quia non censetur iuramentum ad illos casus se extendere: censetur enim ille iurare, se perseueraturum in contractu, dummodo læsus grauiter, aut grauissimè non fuerit: Ergò etiamsi agat absque iuramenti relaxatione, id non violabit. Porrò ea de causa minor, qui expressè iurauit stare contractui, illique non contrauenire ratione minoris ætatis: potest absque relaxatione iuramenti contrauenire ob enormem læsionem; quia ob hanc causam non censetur iurasse non contrauenire: sed idem præsumitur de minore absolutè iurante, & de maiore, comparatione læsionis enormissimè: Ergò in omnibus his casibus nulla est necessaria iuramenti relaxatio. Sic Rolandus à Valle *consil. 59. num. 27. l. 1. & consil. 60. num. 68. l. 4.* & plures relati ab Arias Pinelo, Couarruuias, & Gutier. *allegandis.*

343 *Indiget relaxatione.* Indiget iuramenti relaxatione, vt ad contractus rescissionem agere possit quis ex læsione enormi, si sit minor, & ex læsione enormissima, si sit maior. Quia iurans stare contractui, videtur iurasse, nunquam contrauenire, dum iuramentum non fuerit relaxatum. Ità Arias Pinel. *repetit. legis 2. C. de rescindenda vendit. p. 1. cap. 1. num. 8.* Gutier. *in Authent. sacramenta puberum. num 96.* Couar. *de pactis p. 3. §. 4. & p. . de iuram. cap. 26. num. 6.* Matien. *l. 5. recopil. tit. 11. leg. 1. glos. 8. num. 51.* Padilla *lege 2. num. 32.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 21. num. 18. & 28.*

344 *Sententias has ad concordiam adduco.* Ego quidem vnam & alteram sententiam conciliabo, asserens, primam in foro interno procedere, secundam verò in externo. Nam cum in foro interno veritas spectetur, & præsumptiones cessent: si iurans certus est, se enormiter, vel enormissimè læsum esse: poterit ad rescissionem contractus, vel pretij supplementum, non obstante iuramento, procedere; quia non censetur eis renunciasse. At in externo fero cum præsumptiones ibi locum habeant, præcipue cum veritas vestigata non est: nequaquam sic iurantes permitti possunt agere ad contractus rescissionem, quin iuramentum ad effectum agendi relaxetur. Quia cum intentat quis contractum rescindere, non constat in illo fero de læsione: & consequenter non constat cessare iuramenti obligationem. Ergò est concedenda iuramenti relaxatio: sin minus impedietur actio ob periurij periculum. Sic meus Ferdinand. de Castro *tom. 3. tract. 14. d. 3. pun. 4. num. 11.*

PROBL. LXIII.

Si iuramenti relaxatio non in totum, sed solùm ad effectum agendi, vel excipiendi concedatur: necessariò pars debet, & non debet citari.

345 *Nonnulla supponuntur.*

REquiri potest ad hanc iuramenti relaxationem concedendam citatio partis, cuius interest, nempè illius, in cuius gratiam iuramentum est præstitum. Et quidem si relaxatio esset in integrum concedenda, ita vt in totum extingueret iuramenti obligationem: omnes Doctores censent fieri non posse absque partis citatione. Quia concessa hac relaxatione, simul contractus rescinditur, & iurans liber ab obligatione declaratur. Quod fieri absque citatione partis, esset sententiam ferre contra partem inauditam: Quod est absurdum. Quæsierim verò, nùm si relaxatio non in totum, sed solummodò ad effectum agendi, vel excipiendi concedatur debeat necessario pars citari?

346 *Necessariò pars requiri debet.*

Debet profectò. Quià citatio necessaria est, quoties tractatur de alterius præiudicio *c. 1. de causa possessionis, & proprietat. Clement. Pastoralis de re iudic. & leg. de vno quoque, ff. de re iudic.* sed in hac relaxatione agitur de partis præiudicio, cum molestetur vocatione, & obligatione iustificandi contractum: Ergo absque eius citatione fieri non potest. Sic Felin. *cap. 1. n. 25. de iureiur.* Paz *in pract. to. 2. prælud. 2. n. 38.* Didac. Perez *in lege 1. tit. 2. l. 3. ordinam. col. 824. quæst. 16.*

347 *Non debet necessariò requiri.*

Non debet necessariò pars citari. Quià hanc relaxationem Prælatus concedere ex officio potest, eo solum, quod summarie probatum fuerit, iniustitiam in contractu intercessisse: vt multi Doctores fatentur *ad c. 1. de iureiur.* sed in his, quæ Prælatus ex officio facere potest, quæque plenam probationem non exigunt, citatio necessaria non est: Ergò item hæc citatio ad nullum effectum vtilis esse potest: si quidem pars consentire non tenetur in relaxatione: imò potius, ipsa dissentiente, conceditur, vt in iudicio examinetur contractus, & inuentus iniustus, rescindatur: sin minus iurans tanquam calumniosus condemnetur, & soluat expensas, quas altera pars litigando, & contractum defendendo, fecit. Ità Couar. *l. 1. variar. cap. 4. n. 6.* Gutier. *in Authent. Sacramenta puberum, n. 112.* Sanch. *l. 3. sum. cap. 21. num. 28.* Pala. *tom. 3. tr. 14. d. 3. pun. 5. num. 4.*

348 *Idem assero.*

Hoc verius esse reor. Quia ex omissione citationis parum, aut nihil præiudicatur ei, in cuius gratiam illud iuramentum fuit emissum.

PROBL. LXIV.

Iudex secularis potest, & non potest cognoscere de nullitate relaxationis iuramenti ab Ecclesiastico Iudice concessa.

349 *Plura circa.*

PRæmitto, Iudicem Ecclesiasticum solummodo posse iuramenti relaxationem gerere: nullum autem sæcularem Prælatum esse, qui propriam relaxationem concedere valeat. Quia hæc concessio est actus spiritualis iurisdictionis, cuius sæcularis est incapax. Est enim directa vinculi iuramenti remissio nomine Dei. Suar. *l. 2. de iuram. c. 14. n. 16.* At licet relaxationem propriam concedere non valeat, potest tamen nomine partis obligationem remittere. Nam si sæcularis Princeps potest cogere subditum, vt iuramenti obligationem remittat, & ipse, nolente subdito, remittere poterit; quia superior supplere potest consensum, quem subditus tenetur præstare. Vt autem superior laicus subditum compellat ad iuramenti remissionem vel ipse nomine subditi remittat, debet prius probare, in illo iuramento ex parte recipientis turpitudinem interuenisse, & rem per iuramentum promissam ad iudicium sæculare pertinere. Nam si dubium sit, an in iuramento adfuerit turpitudo, vel rei promissæ cognitio ad iudicium sæculare non spectat: potestas laica remittere iuramentum minimè poterit. Sanch. *l. 3. sum. cap. 22. nu. 1. & 15.* Hæc tamen condonatio, seu iuramenti remissio necessario facienda est à superiore ipsius, cui est iuratum. Siquidem condonatione hac exercetur in ipsum iurisdictio, loco ipsius obligationem condonando. Molina *tom. 1. de de iust. d. 149.* Moneo tamen, condonationem hanc absolutam iuramenti fieri non posse à laica, nec Ecclesiastica potestate absque partis citatione. Siquidem omninò ab obligatione iuramenti liberat, & contractum dissoluit. At si remissio iuramenti non esset absoluta, sed limitata, nempè ad effectum agendi: partis citatio necessaria non est, vt suprà vidimus. Lubet autem inquirere, num Iudex sæcularis cognoscere possit de nullitate relaxationis iuramenti ab Ecclesiastico Iudice concessæ?

Laicum potestas remittere iuramenti remissionem Ecclesiæ.

350 *Potest quidem.*

Potest quidem, si relaxatio ab Ecclesiastico Iudice concessa sit euidenter nulla, vel iniqua Quia huiusmodi potestati annuere videtur Ecclesia, ne iniustitia vlla geratur. Sic Felinus *ad cap. 1. de iureiur. num. 12. & ad cap. 2. numer. 3. de sponsal.* Paz *in sua pract. p. 2. num. 18.* Sanch. *l. 2. sum. cap. 12. num. 4.*

351 *Minimè potest.*

Minimè potest. Quia *c. fin. de exceptionib. in 6.* dicitur, Iudicem sæcularem debere sequi Iudicis Ecclesiastici sententiam: Ergo non potest de relaxationis nullitate cognoscere. Ità idem Felin. *c. 2. n. 3. de sponsal.*

352 *Prima sententia à bene si cauè intelligatur.*

Primam sententiam veriorem esse iudico, si cautè intelligatur. Nam si nullitas vel iniquitas relaxationis non appareat: sed probatione, & examine indigeat, minime admiserim posse sæcularem tali relaxatione cognoscere: ne sæcularis Iudex superior fieri Ecclesiasticæ potestati videatur. Quando autem euidenter apparet nullitas, vel iniquitas, nec sit necessaria examinatio, non obstat *caput* illud *fin.* Debet enim Iudex sæcularis sequi sententiam Ecclesiastici Iudicis, quando euidenter non constat iniquam. Sic textum Felinus exponit, citans Ancharanum.

* *
*

DE

DE VOTO.

CAPVT XX.

Circa Voti essentiam.

PROBL. LXV.

Propositum exequendi rem honestam, sufficit, & non sufficit ad Votum.

353 Sufficit promissio.

VIDIMVS *sect.* 1. Votum esse *Promissionem deliberatam, & spontaneam Deo factam de meliori bono.* Verùm an promissio hæc necessaria sit, vel solùm propositum exequendi rem honestam & de meliori bono sufficiat, quæsierim? Sufficit planè. Quia hoc propositum obligationem inducit. Quod probat textus *in cap. qui bona* 17. *quæst.* 1. vbi Magnus Gregorius inquit: *Qui bona agunt, si meliora agere deliberent, & post deliberata non faciunt, licèt in prioribus bonis perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.* Sed cadere in Dei conspectu, est culpam coram illo committere saltem leuem *Prouerb.* 24. *Septies in die cadit iustus.* Ergò propositum inducit obligationem. Et quia ipso quo quis in gratiam Dei bonum faciendum proposuit, obligatur illud exequi, nè inconstantiæ, infidelitatis, & mendacij arguatur. Sic Canonistæ cum Glossa *ad cap. Literarum, de voto, v. proponens, & cap. Consulti, & c. Statuimus, de Regular.* Fauet Palud. *in 4. dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 11. D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 11. *cap.* 2. & alij plures relati à Gutier. *l.* 2. *qq. Canonic. cap.* 22. *n.* 32.

354 Promissio non sufficit.

Minimè sufficit solum propositum quamvis absolutum, & efficax. Quia non inducit obligationem, quæ ad votum necessariò requiritur. Hæc nánque obligatio nasci debet ex aliqua lege extrinseca imponente obligationem omnibus illis, qui de bono aliquo faciendo bonum propositum conceperint: vel ex propria voluntate proponentium: vel ex ipsius propositi natura. At ex nullo capite hæc obligatio nascitur. Non quidem ex lege: nulla enim talis ostendi potest. Non ex propria proponentium voluntate: cum hæc solùm sit faciédi quod proponunt; nõ tamen se obligandi. Neque ex natura ipsius propositi. Aliàs si quis proponeret firmiter diuina præcepta seruare duplici peccato inficeretur, quodlibet propositum violando, vno aduersus præceptum violatum, altero aduersus obligationem proposito inductam. Ita Syluest. *verb. Votum* 1. *quæst.* 2. Nauar. *cap.* 12. *sum. num.* 26. Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *quæst.* 2. *pun.* 1. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 4. *num.* 21. Suar. *lib.* 1. *de voto, cap.* 2. *num.* 3. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 2. *num.* 20. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 1. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. Couat. *de pactis. p.* 1. §. 3. *n.* 12. Gutier. *l.* 2. *qq. Canon. c.* 22. *n.* 32.

355 Hoc mihi certum.

Hoc mihi certum. Quia si aliquod Euangelicum consilium seruare proponerem: verbi gratiâ eleemosynam elargiri, vel audire Missam singulis diebus, & hæc omitterem: grauiter delinquerem, grauis enim est materia si facto voto omitteretur. Ergò si propositum hanc similem obligationem inducit, illius transgressio lethalis erit. Quæ omnia absurda esse quis dubitet? Igitur concludo, propositum ex se nullam inducere obligationem, & consequenter ad votum non sufficere.

PROBL. XLVI.

Si promissio est absque animo exequendi rem promissam, constituit, & non constituit Votum.

REcolo, tripliciter posse contingere simulationem. Primò si quis promittat verbo tenus, & non animo. Secundò si promittat animo promittendi, sed non animo se obligandi executioni. Tertiò, si promittat animo se obligandi, sed non animo exequendi rem promissam. Verùm posita prima, & secunda simulatione, voti obligatio impediri verius est. Quia ea simulatione posita solùm quoad apparentiam est promissio. At si de tertia simulatione loquamur, quæ consistit in defectu intentionis exequendi rem promissam, quæsierim, num huiusmodi promissio votum constituat?

356 Nonnulla suppono.

357 Non constituit Votum.

Non constituit, sed hæc simulatio voto obstat. Quia D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. fatur, ad votum tria requiri, deliberationem voluntatis, propositum, & promissionem. Propositum, inquam, non tantùm se obligandi, sed etiam rem promissam exequendi. Et quia illud est de essentia voti, quod est de essentia promissionis: sed de essentia promissionis non solùm est obligatio faciendi rem promissam, sed etiam propositum illam gerendi: Non enim promittere quis potest, quin significet, se animum habere, rem promissam agendi. Ergò in promissione hic animus includitur, & consequenter in voto. Sic Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 1.

358 Votum constituit.

Constituit quidem, nec huiusmodi simulatio voto obstat. Quia executio operis promissi, & obligatio ad illud sunt distincta, vt per se patet. Ergo potest adesse animus amplectendi obligationem, quin adsit animus exequendi promissum: Ergò potest esse promissio absque animo promissum exequendi: nam promissio in animo suscipiendi obligationem consistit. Id confirmatur emptionis ac venditionis exemplo: qui contractus validi esse possunt absque animo traditionis. Quia illi contractus non in traditione, sed in obligatione ad traditionem consistunt. Cum ergò votum non in executione rei promissæ sed in obligatione illam exequendi consistat, potest absque dubio esse, quin animus executionis adsit, modo adsit animus obligationis. Ità Suar. *l.* 1. *de voto, cap.* 4. *num.* 3. Sanch. *l.* 1. *de spons. d.* 9. & *l.* 4. *sum. cap.* 1. *num.* 23. Azor. *part.* 1. *l.* 11. *cap.* 12. *quæstion.* 9. Lessi. *l.* 1. *cap.* 40. *dub.* 1. *num.* 7. Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 2. & alij apud ipsos.

359 *Hoc longè probabilius.*

Fateor, me non inuenisse alium Auctorem, qui P. Valentiæ sententiæ in terminis hæresceret: eam tamen satis probabilem esse ratus, contrariam longè esse probabiliorem existimo. An non præcipere quis subdito potest aliquod opus, quin voluntatem habeat, vt illud exequatur? Certè id manifestat præceptum Abrahæ impositum de filio sacrificando: in quo Deus voluntatem habuit obligandi Abrahamum ad Sacrificium: non tamen voluntatem habuit, vt Sacrificium executioni mandaretur: Ergò similiter quis poterit obligationem sibi imponere ex voto ad aliquid gerendum, quin voluntatem habeat illud exequendi. An non qui Sacros Ordines suscipiunt in concubinatu persistendo, voto castitatis tenentur, tametsi animo eam seruandi caruerint? Profectò pro voto licitè faciendo, propositum gerendi rem promissam requiritur. At pro voti essentia, & valore, sufficit propositum faciendi votum, & super se obligationem induendi.

PROBL. LXVII.

Sufficit ad votum, & non sufficit ea deliberatio seu libertas, quæ ad peccatum lethale sufficit.

360 *Nonnihil refert.*

REquiri ad votum libertatem est certum. Quia est lex, quam sibi vouens imponit. Quæ autem libertas necessaria sit, & sufficiat, haud satis exploratum. Quæsierim igitur, an ad votum sufficiat libertas, quæ ad lethale sufficit peccatum?

361 *Minimè sufficit.*

Minimè sufficit. Quia cum deliberatione, quæ ad peccatum sufficiens est compatitur leuis consideratio in vouendo, & consequenter Dei offensio: qualis adest, cum calore iracundiæ, aliáve passione percitus quis votum emittit: Ergò non sufficit ad votum. Nam voto colitur diuinas Maiestas, non offenditur. Et quia in votis sic emissis adest transgressionis periculum. Non ergò censendus est Deus, ea admittere. Sic nonnulli memorati à Santio *citando.*

362 *Sufficit omnino.*

Ea libertas quæ ad lethale peccatum sufficit, sufficit ad votum. Quia libertas sufficiés, vt diabolo deuincti simus? sufficere debet vt Deo obstringamur. Aliàs si ad votum requisita esset ea matura, & exacta deliberatio, quæ omnem circumstantiam conuenientiæ, & disconuenientiæ in vouendo ponderaret, nullus ferè esset, qui verum Votum emitteret. Sufficit ergò ea deliberatio, quæ ad meritum & demeritum sufficiens esse videbitur: Ità D. Thom. & alij antiquiores, quos sequuntur Nauar. *sum. cap.* 12. *nu.* 24. Valent. 2.2. *d.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 1. Sanch. *lib.* 4. *sum. cap.* 1. *num.* 2. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 3. Suar. *lib.* 1. *de voto, cap.* 6. *num.* 4. & 8. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 1. *num.* 2. Palaus *tom.* 3. *tractat.* 16. *d.* 1. *punct.* 4. *numero* 2.

363 *Hoc vnicè verum esse reor.*

Hanc sententiam veram vnicè puto. Quam videor decidi *in cap. Sicut nobis, de Regular.* Vbi ad Votum obligatur, qui maximè pressus infirmitate illud emisit: sed non est credendum, tunc adesse ita perfectam deliberationem, vt omnia rimetur. Idem colligo ex *cap. Veniens, de Voto.* vbi Votum commutatur, quia in puerili ætate absque plena deliberatione fuit emissum. Et in *cap. sunt qui opes* 17. *quæst.* 4. qui opes quasdam Ecclesiæ contulerunt tumultuario mentis impulsu de temeritate taxantur: sed Sacrilegi iudicantur, si reuocent donationem. Profectò eorum factum ex calore iracundiæ, & absque matura, ac perfecta deliberatione peccatum est: sed non indè sequitur, Votum non esse. Quia solùm extrinsecè, & in circumstantia vitiatur, non in substantia.

PROBL. LXVIII.

Spectato iure naturæ, metus incussus etiam iustè ad extorquendum Votum illud annullat, & non annullat illud.

364 *Nonnulla suppono.*

REcolo ex *sect.* 1. metum alium esse grauem, alium leuem; alium prouenientem à Deo, seu à causis naturalibus, alium ab extrinseco illatum tùm iustè, tùm iniustè; alium illatum ad extorquendum Votum, alium non. Si metus à Deo seu à causis naturalibus proueniat, aliquis verò vt malum euitet, vouet, Votum validum est tam iure naturæ, quam Ecclesiastico. Quia estò per simplicem affectum nollet Votum facere, si alia via vitare malum illud posset: at quia censet vel id esse impossibile, vel difficillimum: prudenti consideratione Votum eligit, vt medium ad malum vitandum: Valet ergò Votum. Idem dixerim, cum ab extrinseco metus sit incussus siue iustè, siue iniustè: si tamen incussum non est ad extorquendum Votum. Quia est eadem ratio, cum eo casu liberè quis assumat Votum, vt medium aptum ad malum vitandum. Quod medium Deo gratum est, licèt occasio illius ei sit ingrata. Difficultas itaque est, num metus incussus ad Votum ipsum extorquendum, id annullet? Et quæstio procedere potest de nullitate spectato iure naturæ, vel Ecclesiastico. Item de metu iustè, vel iniustè incusso: ac denique de metu graui, & leui.

365 *Illud annullat.*

Porrò spectato iure naturæ metus grauis incussus etiam iustè, ad extorquendum Votum, illud annullat. Quia votum ob eius perfectionem illius extrinsecæ coactionis est incapax. Quarè etsi aliquis habeat potestatem minandi accusationem, vel mortem: nunquam tamen potestatem habet, minandi ea ad Votum extorquendum. Sic Manu. *tom.* 2. *sum. cap.* 93. *num.* 3. & 5. Ludouic. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 45. Vega. *tom.* 2. *sum. cap.* 129. *casu* 17. Et satis probabile putat Sanchez *lib.* 4. *de matrimon. d.* 13. *numer.* 1. & 2. & *l.* 4. *sum. capit.* 3. *num.* 20.

366 *Non annullat illud.*

Ob nullum metum iustè incussum Votum, iure naturæ spectato, annullatur. Quia postulans Votum huiusmodi metu illato, potius censendus est Votum offerre vt medium ad vitandum malum ortum ex natura delicti, aut aliàs: quàm metum inferre. Quæ ratio procedit, etiam si ad professionem, vel matrimonium cogat; quia in hac petitione nulla est coactio, sed potius oblatio cuiusdam Beneficij, vel remedij mali imminentis. Ità Sa *v. Votum, n.* 8. Suar. *l.* 1. *de Voto, cap.* 7. *num.* 16. Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. §. 1. *n.* 7. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 3. *nu.* 15. Sanch. *lib.* 4. *sum. cap.* 3. *num.* 21.

Certè

367 *Hoc votum esse reor.*

Certe probabilius duco, id votum esse validum, siue simplex sit, siue solemne. Quia quoties metus damni delicto debiti alicui incutitur, tunc potius censetur metus ille oriri ex lege, & natura delicti, & proindè ab intrinseco, quam ab extrinseco incuti: eo quod intrà illum sit iusta timendi causa, radixque timoris. Quare id malum minans, non censetur metum inferre, sed potius metum iam ex delicto conceptum auferre, offerendo immunitatem si voueat. Præterea quia nulla irrogatur iniuria, nec aliqua simoniæ labes admittitur offerendo delicti veniam, dummodo delinquens Religionem (verbi gratiâ) voueat.

PROBL. LXIX.

Metus grauis, seu cadens in constantem virum, iniustè incussus causa extorquendi voti: illud irritat, & illud non irritat, iure naturali spectato.

368 *Iure naturali irritatur.*

IVre diuino naturali irritatur. Quia *cap.* 1. *de his quæ vi.* non irritatur professio eo metu extorta, sed tanquam irrita declaratur: & nullus textus eam irritans inuenitur: Ergò supponit, eam esse iure naturali irritam. Et quia spontaneum militem diligit Deus, nec promissionem coactam acceptat; nam cum votum sit Religionis actus, ad quam solùm spontaneum spectat obsequium, petit necessario materiam spontè oblatam. Sic Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. & *l.* 8. *q.* 1. *art.* 7. & aliqui, Neoterici. Et in simili, nempè in matrimonio tali metu inito tenent multi alij, quos Sanch. *l.* 4. *de matrim. d.* 14. *num.* 1. refert, & *l.* 4. *cap.* 3. *num.* 8. hanc sententiam satis esse probabilem profitetur.

369 *Non irritatur naturali iure.*

Non irritatur iure diuino naturali, sed solo Ecclesiastico. Quia stando in iure naturæ ea deliberatio exigitur, ac sufficit ad voti valorem, quæ exigitur, & sufficit ad lethale piaculum (vt *Probl.* proximo vidimus) At hæc inuenitur cum tali metu: si quis enim eo metu coactus fornicaretur, mortaliter delinqueret. Ità Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 15. *q.* 6. Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 1. *pun.* 3. §. 1. *num.* 6. Suar. *l.* 1. *de voto, cap.* 7. *num.* 12. Sanch. *l.* 1. *sum. cap.* 3. *num.* 9. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 3. *num.* 18. Basil. *l.* 7. *de impedim. ord. cap.* 29. *num.* 5. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *pun.* 5. *num.* 6.

370 *Eiusdem sum sententia.*

Cum his opinor. Quia neque ex iniuria, neque ex defectu libertatis potest votum iure naturæ annullari: Ergo nullo ex capite. Antecedens probo quo ad libertatis defectum. Talis namque metus non tollit libertatem sufficientem ad meritum & demeritum: sed possunt cum illo opera bona ac mala compati. Ergo non tollit, vt sic coactus valide vouere valeat. Deindè diminutio libertatis æque prouenit ex metu iusto, ac ex metu iniusto. Si ergo metus iustus non impedit libertatem ad votum requisitam, nec illam metus iniustus debet impedire. Et hinc infertur non impediri voti valorem ex iniuria. Nam iniuria commissa in tantum impedire voti valorem poterat, quatenus impediret, causas illius adesse, nempè deliberationem ex parte vouentis, & honestatem rei: promissæ. Cum ergò hæc non impediantur, neque voti valor impeditur.

PROBL. LXX.

Votum metu coactum irritum est, & non est irritum Ecclesiastico iure.

371 *Iure Ecclesiastico est irritum.*

COnstat irritum non esse iure naturæ, restat discutiendum, num Ecclesiastico iure sit irritum; Omnia vota metu graui facta iure Ecclesiastico sunt irrita. Quia *cap.* 1. *De his, quæ vi.* de puella metu mortis à marito compulsa professionem emittere, & postea, mortuo marito, matrimonium contrahente, inquit Pontifex, debere compelli ad Religionem, si non constiterit, ex graui metu consensisse, nec liberè ratificasse. Ergò à contrario si constet graui metu consensisse, nec liberè ratificasse: ad Religionem non erit compellenda. Supponit ergo Pontifex metum grauem professionem irritare. Cum ergò eadem ratio in reliquis votis esse videatur, omnia vota dicenda sunt irrita. Sic Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 1. *art.* 1. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *pun.* 4. Nauar. *cap.* 12. *sum. num.* 52. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 15. *q.* 7. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 3. *num.* 12. Lessi. *l.* 1. *cap.* 40. *dub.* 3. *num.* 18.

372 *Non est irritum iure Ecclesiastico.*

Nullum votum metu graui emissum irritum est iure Ecclesiastico, sed relaxandum venit. Quia nullibi constat, ius positiuum vllũ votum irritare. Ergo non est asserenda hæc irritatio, cum sit iuris naturalis derogatoria. Porro textus, quibus hæc irritatio nititur, id minimè probant. Non textus *in cap. Perlatum.* solum enim de professione loquitur. Ergo non est ad vota simplicia extendendus. Imo nec professionem irritat, neque irritam supponit. Non enim decidit, quid esset faciendum, si constaret, puellam metu coactam velum sumpsisse, nec postea liberè ratificasse. Ad summum colligitur per argumentum à contrario non esse compellendam ad Religionem, si hoc constaret. Quod optimè stare posset cum voti obligatione: quia loco compulsionis relaxatio erat concedenda ob metum incussum. Alij textus citantur, qui minus sunt efficaces: verbi gratiâ *cap. Cum dilectus.* Nam ibi nullum fuit votum, sed quædam promissio (quæ votum vocatur) Cistercienſibus facta, ac iuramento firmata. Sed do, ibi votum, ac iuramentum fuisse, textus solum dicit, obseruandum esse: quia nec obseruatum vergit in dispendium salutis æternæ, nec fuit graui metu factum. Ex quo non liceret colligere, votum factum graui metu non esse obseruandum. Aliàs probaret, iuramentum metu graui factum irritum esse: quod falsum omnino. Solùm liceret inferri, ob talem metum esse facilè dispensandum. Demũ alia iura, quæ indicant, consensum coactum non esse consensum vt est ille *cap. Cum locum, de sponsal.* facilis explicatu est, si dicas, non esse consensum plenè & perfectè liberum: si quidem mixtus est inuoluntario. Ergo nullus est textus huiusmodi irritationem probans: Haud est igitur asserenda. Ità Cardin. *cap.* 1. *q.* 1. *caſu*

casu 4. de his, quæ vi. Sylvest. *verb. Metus quæst. 8. & verb. Votum 2. quæst. 12.*

373 *Probabilius puto, solùm professionem esse irritam, reliqua autem Vota irritanda.*

Probabiles satis vnam, & alteram sententiam existimo. Ego autem putarim probabilius, professionem Religionis graui metu factam irritam esse Ecclesiastico iure: reliqua verò vota, etiam illud, quod in susceptione Sacri Ordinis assumitur valida esse, veniréque relaxanda. Ratio prioris partis est, quia esto in *cap. Perlatum* expresse non irritetur professio Religionis coacta; at satis supponitur, irritam esse aliis decretis: verbi gratiâ in *cap. Præsens 20. quæst. 3.* vbi de Lamberto, quem pater coëgit Monasticam vitam profiteri Nicolaus Papa profatur. *Præsentem Clericum nomine Lambertum minimè debere existimamus, sub tali violentia fieri Monachum.* Et Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 10.* concedit quinquennium ad reclamandum de nullitate professionis ob vim & metum, & ante debitam ætatem facta. Secunda conclusionis pars, nempè nullum aliud Votum iure Ecclesiastico esse irritum sic ostendo: Effectus irritationis est odiosus, ac proindè absque firmo fundamento haud est introducendus: At nullum in iure reperitur fundamentum, quo reliqua vota præter professionem Religionis irritentur, vt ex pendenti textus facilè constat: Ergò non sunt censenda irrita. Moneo sub professione Religionis vota post biennium in nostra Societate Iesu emissa comprehendi debere. Quia verè constituunt Religiosum. Hæc didici ex Basilio *lib. 7. de matrimon. cap. 19. num. 9.* Suario *lib. 1. de voto, cap. 8. num. 5.* Palao *tom. 2. tractat. 15. d. 1. punct. 5. numero 13.*

PROBL. LXXI.

Metus leuis, quando est causa, sine qua Votum non emitteretur, illud irritat, & non irritat illud.

374 *Statum quæstionis expono.*

NOn disputo, quando hic leuis metus respectu fragilitatis personæ, cui incutitur cadens in virum constantem censetur: tunc enim irritat Votum, vtpotè qui verè in virum constantem verè cadit. Quæstio est quando is metus respectu personæ, cui incutitur censetur leuis, & viri inconstantis, at est causa sine qua Votum non emitteretur.

375 *Irritat Votum.*

Profectò Votum id siue simplex, siuè solemne professionis, siue Ordinis Sacri irritum est in foro conscientiæ, nullámque obligationem parit: Secus autem in foro externo. Quia ius constituens discrimen inter vtrúmque metum, innititur præsumptione, qua inclinatur credere, metum grauem esse causam, sine qua actus non fieret: Secus autem de leui præsumit. At ius præsumptioni innitens non habet locum in foro conscientiæ, quando in eo contraria veritas constat. Item quia metus grauis ideò irritat, quod plenam consensus auferat libertatem. Ergò metus quoque leuis irritabit, quando eandem aufert existens causa vt actus fiat. Sic Nauar. *sum. cap. 22. num. 51.* Vbi generaliter tradit ad reddendum actum inefficacem coram Deo, sufficere quemlibet timorem minorem iusto, qui est causa sine qua non est actus. Et in propriis terminis voti solemnis professionis, & Ordinis Sacri tenet idem Nauar. alios allegans *lib. 1. Consil. titul. de his, quæ vi cons. 1. num. 9. & consil. 3. num. 4. & consil. 9. num. 2.* & alibi.

376 *Minimè Votum irritat.*

Quodcúmque sit votum ex metu leui minimè irritatur, licèt sit causa, sine qua Votum non immitteretur. Quia metus non irritat Votum eo quod quomodocúmque voluntarium auferat, sed quod prudenter, ac rationabiliter auferat, eligendo rem tam grauem, ac est Votum, & professio, ratione illius timoris vitandi. Quod non contingit, quando metus est leuis. Sed imprudenter, & irrationabiliter agitur. Nec verum est, iura hoc in casu niti præsumptione. Ita Sotus *libr. 4. de iust. quæst. 2. art. 1. ad 2.* Ludouic Lopez *part. 1. Instruct. cap. 45.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 6. punct. 4.* Sanchez *l. 4. sum. cap. 3. num. 24.* Sa *verb. Metus, num. 3.* Philiarch. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. l. 3. cap. 18.* Azor. *part. 2. l. 11. cap. 15. quæst. 7.*

377 *Hoc probabilius iudicant alia adnuerit.*

Hoc probabilius reor. Addo tamen quamvis hic leuis metus Votum non irritet, faciliorem tamen irritandi id causam præstare. Sicut de errore circa causam impulsiuam Sanchez docet *libr. 4. cap 2. num. 51.* Quia similiter motus hic voluntarium imminuit. Item quia hic est sufficiens, vt iuramentum homini præstitum possit ab Episcopo relaxari. Hinc deduxerim, metum reuerentialem tantùm irritare professionem, & quodvis Votum, quando vltrà reuerentiam adsunt minæ, & probabilis timor alicuius grauis incómodi, qui quidè est timor in virú constantem cadens. Demum quando est dubium, an metus sit grauis, necne, ad professionem, vel Votum simplex irritanda, præsumendum est in valoris voti fauorem, eum metum fuisse leuem, ac proindè non irritare. Quia cum constet de Voto, & excusatio dubia sit, stat pro Voto sine dubio possessio.

PROBL. LXXII.

Votum obligat, & non obligat, quando error non adest. Voti tempore circa substantiales eius circumstantias, sed posteà illæ mutantur.

378 *Nonnulla suppono.*

REcolo multiplicem esse errorem, vel ignorantiam. Primus ac præcipuus versatur circa Voti essentiam, vt si quis ignoret, Votum obligare: vel credit, non obligare semper, sed quousque violetur. Secundus versatur circa eius materiam. Tertius circa aliquas circumstantias, & conditiones. Quartus circa causam motiuam, vel impulsiuam voti. Certè si ignorantia, vel error sit in obligatione Voti, votum non obligat: & idem est de ignorantia, seu errore in materia promissa. Ignorantia seu error circumstantiarum non impedit voti valorem, nisi in materiam promissam redundet. Si verò error adsit circà finem voti, eius valorem impedit: Secus si adsit circa occasionem, seu causam impulsiuam. Quæsierim itaque, an quando non est error vel ignorantia tempore Voti circa substantiales eius circumstantias, redundantes

dantes scilicèt in materiam promissam : sed posteà illæ mutentur, Votum obliget ?

379 *Minimè obligat.* Minimè obligat, quando circumstantiarum substantialium ea mutatio facta est, quæ si promittenti occurreret, dum promisit, eam exciperet, aut de ea tunc interrogatus responderet, mentem suam non fuisse, in eo euentu se obligare, quamvis absolutè promiserit, nil de illis euentibus cogitans. Quia liberalis promissio non est extendenda vltrà promittentis intentionem : At huius intentio est, nolle se in eo euentu obligare. Sic Molina *tom. 2. de iust. d. 272.* Nauar. *sum. cap. 18. num. 7.* Tabie. *v. Iurare, q. 15. num. 16.* Armil. *v. Iuramentum, num. 35.* Angel. *v. Iuramentum 4. in princ.*

380 *Obligat planè.* Obligat planè. Quia si prima sententia vera esset, nullus esset in rebus humanis firmus contractus. Quippe sæpe contingunt aliqua, quæ si fuissent præuisa contractus non celebrarentur, nec ad eum euentum se contrahentes obligassent. Ita Caiet. 2. 2. *q. 88. art. 3.* Sotus *l. 7. de iust. q. 2. art. 1. ad 3.* Ludou. Lopez *p. 1. Instruct. cap. 43.* Valent. 2. 2. *d. 6. q. 6. pun. 4.*

381 *Vtrámque sententiam conciliat.* Ego quidem cum Santio *l. 4. sum. cap. 2. n. 20.* vtrámque sententiam conciliabo. Certissimum est, rebus mutatis excusari quempiam à voti, iuramenti, aut promissionis obligatione. Quod in promissione omnes fatentur, etsi promissio illa voto, vel iuramento fuerit firmata: hæc enim intelliguntur, rebus in suo statu permanentibus. *cap. Quemadmodum, de iureiur.* Porrò non omnis mutatio satis est, vt votum, vel iuramentum vel promissio deobligent, sed exigitur notabilis mutatio. Vt docet Henriq. *l. 1. cap. 14. num. 1.* Alioquin passim dissoluerentur omnes contractus, omniáque vota, & iuramenta cessarent: cum aliqua rerum mutatio sit frequentissima : & hoc solum probat primæ sententiæ fundamentum. Nec est firma regula in vniuersum intellecta, nempè eam mutationem satis esse, ad quam vouens de hoc interrogatus dicit, fore, vt non voueret, si prænosset. Sed debet intelligi, quando mutatio rei promissæ ità est notabilis, vt quasi eam alio in statu constituat, & diuersa res ab ea, quæ promissa est, videatur.

PROBL. LXXIII.

Obligat & non obligat votum nunquam peccandi, aut venialiter non delinquendi.

382 *Nonnulla præmitto.* REgula est ab omnibus recepta, impossibilia Deo promitti non posse. Quia ad illa facienda, non potest suscipi obligatio. *Regula, Nemo potest, de regu. iuris in 6.* Quod non solum verum habet in rebus absolutè impossibilibus: sed etiam in iis, quæ comparatione promittentis impossibilia sunt. Nam eo ipso non poterit promittens ad illa se obligare. Multipliciter autè votum non peccandi fieri posse præmitto. Primo, si votum fiat non peccandi mortaliter. Secundo, si fiat non peccandi mortaliter, nec venialiter. Tertio, si fiat non peccandi absolutè. Quarto, si fiat non peccandi venialiter in hac materia determinata, vel in hoc genere peccatorum. Si votum fiat non peccandi mortaliter, validum est, vt potè de re possibili non viribus naturæ, sed gratiæ, quæ omnibus ea vti volentibus, diuinamque misericordiam implorantibus est parata. Quæsierim autem, an validum sit votum non peccandi mortaliter, nec venialiter?

383 *Votum validum est.* Validum est. Quia lex diuina obligat, vitare omnia peccata mortalia, & venialia: aliàs quis non peccaret si propositum haberet, aliquando venialiter delinquendi : sed ad id, ad quod lex diuina obligat, quilibet potest se per votum obligare, vtpote ad rem perfectam, & possibilem : Ergo potest se quis obligare non solum ad vitanda peccata mortalia, sed etiam venialia. Sic Nauar. *sum. cap. 12. num. 34.* expresse tenere videtur, dum ait, vouentem in genere, se amplius non peccaturum, teneri, dum peccat exprimere voti circumstantiam siuè mortaliter, siue venialiter deliquerit. Angles *p. 2. q. vni. de voto, art. 1. diffic. 8.*

384 *Non est votum validum.* Non est validum votum quoad omnium peccatorum collectionem. Quia etsi vitare omnia peccata mortalia, ac venialia sit cuique (speculatiue loquendo) physice possibile, at moraliter & spectato communi rerum cursu, & auxiliis à Deo concessis, impossibile est: vt experientia docet: sed ad ea quæ moraliter impossibilia sunt, lex humana positiua obligare non potest: Ergo neque votum. Ità Sotus *l. 7. de iust. q. 1. art. 3.* Valent. 2. 2. *d. 6. q. 6. pun. 2.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 5. num. 10.* Less. *l. 2. cap. 40. dub. 7. num. 31.* Suar. *l. 2. de voto. cap. 3. n. 5.* Pala. *tom. 3. tr. 15. d. 1. pun. 8. §. 1. num. 5.*

385 *Hoc mihi longè verius.* Hoc longè verius putarim, nec obstare, legem diuinam naturalem ad vitanda omnia illa peccata obligare, vt manifestè probat primæ sententiæ fundamentum : vt indè inferatur, quem per votum obligari posse. Quia illa obligatio est velut rationalis naturæ proprietas: ac proinde non mirum, si solùmmodo potentiam physicam spectet. Nam rationali naturæ, qua talis est, accidentaria est moralis impossibilitas prouenies ex appetitu rationi non subiecto. At obligatio voti, & cuiusuis legis positiuæ cum subsequatur hanc moralem impossibilitatem, illam spectat, ac proinde cum illa comparari non potest.

PROBL. XXIV.

Votum vitandi omnia peccata tam mortalia quàm venialia quod non potest obligare ad totum : obligat, & non obligat ad partem.

386 *Obligat ad partem.* ESto votum vitandi omnia peccata sit absolute moraliter de materia impossibili: quæsierim tamen, an obliget ad partem nempè ad vitanda saltem peccata mortalia ? Obligat quidem. Quia quoad illam partem possibile est huiusmodi votum : & cum sit pars omninò distincta, & separabilis ab alia parte, non peccandi venialiter : credendum est, ex huius coniunctione alteram non vitiari. Sic Suar. *l. 2. de voto, cap. 3. num. 16.* & alij.

Minimè

387 *Non obligat ad partem.* Minimè obligat. Quia sic vouens, per modum vnius collectionem omnium peccatorum vitare intendit: Ergo constituta impossibilitate aliquot peccata vitandi, votum videtur ex nullâ parte tenere. Nam comparatione vouentis non habet partes, cum omnes per modum vnius Deo offerantur. Et confirmo. Si illud votum, qua parte respicit vitationem peccatorum mortalium: subsistere debet, quia hæc vitatio & possibilis est, & separari potest à vitatione venialiũ. Cũ autẽ in ipsis peccatis venialibus plura sint, quæ vitari possũt, & ab aliis sint separabilia: efficitur sanè, votũ quoad illa tenere. Hoc autẽ esse nõ potest. Tùm quia non est maior ratio de his peccatis, quam de illis, cum quodlibet in particulari sumptum vitabile sit. Tum etiam, quia omnia illa per modum vnius offeruntur vitari. Ita Sanch. aliis relatis, *l.* 4. *sum. c.* 5. *n.* 10.

388 *Auctoris resolutio. Vbi plura de hac obligatione.* Dixerim, si expressam voluntatem quis habuit, non se obligandi vitare mortalia, nisi simul obligatus maneret omnia venialia vitare: votum minimè tenere. Quia non purgatur conditio, sub qua ille obligationem intendebat suscipere; sed rarò quis hanc voluntatem habet; potius enim intendit se obligare, quantum obligari potest. Nam qui amore virtutis, ac reuerentiæ Deo debitæ promittit, non peccaturum, offert Deo vitare omnes, & singulas eius offensiones & peccata, quæ per se, & ex natura rei ab aliis separantur censendus est offerre. Ergo vouens non peccaturum censendus est obligatus ad non peccandum mortaliter; quia & peccatum mortale à veniali separatur, & obligatio vitandi mortalia ab obligatione vitandi venialia frequenter seiungitur. Hinc colligo, votum de re possibili partim, & partim impossibili, non valere, si vouens expressam voluntatem habuit non se obligandi ad partem possibilem, quin ad totum obligatus maneret. Quia votum est lex, quam sibi vouens imponit, & vltra illius intentionem non est extendenda. At si de hac expressa voluntate non constat, spectanda est materia promissa, quæ si partes habeat separabiles, & obligatio partis possibilis ab impossibili comparte non pendeat spectato communi stylo, & vsu vouendi, votum quoad partem illam possibilem tenet: secus verò si partes inter se copulentur. Quià quisque præsumi debet intentione obiecto accommodata vouere. Exemplum voti habentis partes separabiles est. Si mulier, quæ viuente marito, & absque eius consensu vouit castitatem: obligata manet ad non petendum, tametsi ad non reddendum obligari non potuit. Verùm voti habentis partes inseparabiles sit: si voueat quis Monasterium ædificare, & paupertate superueniente, non possit nisi partem, ad eam non tenetur; quia per modum vnius censendus est, Monasterij extructionem promisisse.

PROBL. LXXV.

Validum est, & non est validum votum, quo quis promittit, quantum in se est omnia peccata venialia vitare.

389 *Validum est.* VAlidum planè est. Quia talis promissio possibile habet obiectum, conuenitque cum proposito vitandi omnia peccata venialia, quantum cum diuina gratia, & humana fragilitate id fieri possit: quod propositum passim viri perfecti habent, obligatque specialem curam, ac diligentiam adhibere. Sic Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 5. *n.* 13. Lessi. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 7. *n.* 11.

Minimè est validum. Quia est de obiectio humana ratione incognoscibili. Quis enim dignosceret, quandò debitam diligentiam adhibet, præcipuè in peccatis, quæ ex surreptione contingunt, quæque plenam aduertentiam, ac considerationem præueniunt? Ita Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *pun.* 8. §. 1. *num.* 11. 390 *Non est validum.*

Hoc probabilius esse reor. Nam votum cum obligationem inducat, debet esse de re certa, ac determinata, vouentique cognoscibili. Secus, verò est in proposito, quod quia obligatorium non est, eam non postulat distinctionem. Econtra est votum fatendi omnia venialia, quod quidem est validum. Quia est de materia possibili, ac determinata. Non enim intelligitur factum de fatendis omnibus venialibus absolutè, sed de fatendis iis, quæ facta mediocri diligentia, memoriæ occurrerint. Sanch. *citat. numer.* 20. 391 *Hoc probabilius esse reor.*

PROBL. LXXVI.

Valet, & non valet votum eleemosynam faciendi, si quis ex bello iniusto euadat incolumis.

SVppono ex *sect.* 1. votum debere esse necessario de re bona, & honesta. Quia debet esse grata Deo, cui fit votum: alias illam non acceptabit. Deo autem gratum esse non potest, quod non sit bonum, & honestum. Nam in eius cultum, & obsequium cedere non potest. Hinc fit, nullum actum indifferentem, dum in ea indifferentia persistit, voti esse materiam. Quia actus indifferens honestus saltem non est, & consequenter incapax diuini cultus, & obsequij. Verùm aliqua sunt vota, de quibus non constat, num finem honestum, vel turpem habeant. Quocirca quæsierim, an votum eleemosynam gerendi, si ex bello iniusto quis euadat incolumis, valeat? 392 *Nonnulla vota.*

Valeat quidem est. Quia res promissa in huiusmodi voto, bona est; & finis, sub quo promittitur, etiam est bonus; bonum namque est, & petitione dignum, posito bello iniusto, quod quis aggredi intendit, incolumem, & saluum euadere. Et licèt in re hic finis actum illicitum supponat, at in vouentis intentione non videtur supponi: sed præscindi ac separari. Sic Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 7. *num.* 38. Suar. *l.* 2. *de voto, cap.* 5. *numer.* 14. & 16. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 6. *num.* 13. aliis relatis. 393 *Valeat quod.*

Non est validum. Quia ea eleemosyna oblata non intendit ille incolumitatẽ absolutè obtinere, sed bello iniusto: Ergo votum hoc finem turpem habet: siquidem in incolumitate optata bellum iniustum imbibit. Ita Palaus *tom.* 3. *tr.* 15. *d.* 1. *pun.* 8. §. 3. *num.* 3. 394 *Non est validum.*

Planum hoc mihi, quod alio exemplo confirmarim. Quis ex concubina filium expetit accipere, & vt impetret antequam eam cognoscat, votum eleemosynæ gerendæ emittit. Votum 395 *Hoc longè verius.*

tum non valet; quia filius quem impetrare exoptat est ex illicito concubitu: Ergò intentio obtinendi talem prolem ab illiciti concubitus intentione separari non potest. Idem est de incolumitate ex bello iniusto exorta. Nam licèt iniustum bellum non sit medium ad incolumitatem, est tamen medium ad incolumitatem, quam ille desiderat; quia desiderat incolumitatem quæ terminus sit belli iniusti. Simile quippiam de voto facto à ludente ludo illicito, si in ludo vicerit, ac lucrum reportauerit: & à meretrice, si abusu sui corporis magnam pecuniæ vim obtinuerit. Hæc omnia Vota irrita sunt & blasphema, vtpotè pro impetratione turpi emissa.

PROBL. LXXVII.

Validum est, & non est validum votum emissum in gratiarum actionem pro iniusta victoria parta, vel pro filio ex concubina edito.

396 *Non est validum.* NOn est validum, sed Blasphemum. Quia vouens indicat, Deum fuisse iniustitiæ, ac turpitudinis authorem. Si enim Deum per votum excitare ille non poterat, vt victoriam iniustam concederet, & filium ex concubitu turpi donaret: quia horum author non est, quomodo poterit quis pro illis Deo gratias offerre? Ergò qua ratione vnum votum est irritum, etiam & aliud. Sic Sanch. *lib. 4. sum. cap. 6. n. 1. & 15.* Lessi. *lib. 2. cap. 40. dub. 7. num. 37.* Laym. *lib. 4. tract. de voto, cap. 7. num. 2.* & alij communiter.

397 *Validum est.* Validum per se est huiusmodi votum. Quia non est censendus ille agere gratias pro victoria iniusta ex ea parte, qua iniusta fuit, & à se processit: sed pro ea victoria, quatenus processit à Deo: & idem de filio inique acquisito dixerim: Sed secundum hanc rationem bonum quid est, & honestum: Ergo in eius laudem, gratitudinis causa. Votum offerri potest. Ità Suar. *lib. 2. de Voto, cap. 4. numer. 19.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. punct. 8. §. 2. num. 4.*

398 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem sum mentis. Neque obstare existimo antè partam iniustam victoriam, vel turpitudinis executionem illum non potuisse Votum offerre Deo pro illa obtinenda, aut filio accipiendo tametsi non videatur illud offerre pro ea parte, quæ iniusta est, & ab illo procedit; sed pro ea parte, qua à Deo est processura. Quia est longè diuersa ratio. Nam eo ipso, quo offert Votum ad impetrandum à Deo auxilium pro iniusta victoria, aut prole iniqua: intendit Deum habere cooperatorem suæ iniustitiæ, ac turpitudinis: quod est cœlesti Numini iniuriosum. At iniustitia, & iniquitate iam perpetrata, optimè potest auxilium Dei ab ea præscindere: & pro illo gratias agere ac Votum offerre. Et à fortiori potest præscindere ab iniquitate effectum victoriæ, scilicèt incolumitatem, honorem recuperatum: & in gratiarum actionem horum bonorum Votum Deo litare.

PROBL. LXXVIII.

Vitiatur, & non vitiatur votum, quando emittitur pro rebus temporarijs, obtinendis, quæ ex se indifferentia sunt, nec à vouente referuntur ad alium superiorem finem, quo honestentur, sed in illis solis sistitur.

399 *Non vitiatur hoc votum.* NOn vitiatur votum rei bonæ, eo quod finis sit indifferens. Quia ratio voti solum petit, vt eius materia sit melior, quam contraria: id autem minimè petit circa eius finem. Et quia quamvis Deus non acceptet votum ob solas res obtinendas emissum tanquam meritorium, placet tamen ei, vt hæc obligatio valida sit: vti postea per vouentis intentionem ad meliorem finem ordinetur. Sic Richard. *in 4. dist. 38. a. 1. q. 2. & 3.* Angel. *v. Votum 1. n. 4.* Sylvest. *v. Votum 1. quæst. 4. dicto. 2.* Palati. *in 4. dist. 38. d. 1.*

400 *Vitiatur plane.* Vitiatur votum rei bonæ, si finis sit indifferens ordinatus ad ea temporaria assequenda aliunde quam à Deo. Quia quicumque suo voto, & suis bonis operibus intendit aliquid temporarium obtinere à Deo, vel pro illo obtento gratias agere, eo ipso Deum authorem illorum bonorum esse fatetur: vnde res illa voto promissa conducit ad Dei honorem, & erit legitima voti materia. Quod quidem minimè reperitur, quando aliundè eas res obtinere vouens intendit. Ita quidam Iuniores, quo, presso nomine Sanch. memorat. *l. 4. sum. cap. 7. numer. 24.*

401 *Vsus distinctione quæstionem resolvo.* Certe loquendo de voto, cuius finis est res quædam indifferens, sic distinguo: si res illa indifferens sit finis materiæ per votum promissæ, eo quod hæc materia solum ordinetur ad finem illum à Deo, vel aliundè assequendum: votum est prorsus irritum. Quia cum in moralibus species rei sumatur à fine, talis est res, qualis est finis. Ergo sicut si finis illius rei promissæ esset malus, ipsa quoque mala esset: ità si finis sit indifferens, ipsa quoque indifferens erit. At votum rei indifferentis minimè obligat, si autem finis rei promissæ ordinet eam ad agendas Deo gratias pro illa re indifferenti obtenta: aut sit finis solius voti, ordinando illud vt illam rem indifferentem obtineat siuè à Deo, siuè aliundè, sum ad agendas Deo gratias pro re indifferenti obtenta, votum valebit. Itaque tunc tantum non valet, votum hoc quando res promissa ordinatur ad rem indifferentem assequendam. Quia quando votum, siue res ipsa promissa ordinantur ad gratiarum actionem pro iis obtentis; finis non est indifferens, seu optimus. Si autem sit finis voti solius ordinati ad solam eius finis indifferentis assecutionem: quamvis hic finis sit omnino indifferens, & proinde si rem promissam afficeret, votum irritaret: at non irritat, quando est finis solius voti. Quia tunc, cum res promissa non afficiatur eo fine: vtpote qui non est eius finis: manet bona, ac legitima voti materia.

PROBL. LXXIX.

Votum potest, & non potest esse de rebus præceptis.

401 *Non potest esse votum.* NOn potest propriè esse Votum. Quia votum quis assumit ad firmandam suam voluntatem, illámque obligandam operis promissi executioni. Sed comparatione operis præcepti est firmata eius voluntas, & obligata executioni talis operis Superioris præcepto, & voluntate: Ergò opus præceptum non potest proprie esse Voti materia. Sic D. Thom. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1.* Durand. *ibi, q. 1.* Lyra. *Deut. 23. in ea verba: Cum Votum voueris.* Gerson. *part. 2. alphab. 25. litt. I, & T.* D. Antonin. *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 1.* Angel. *v. Votum 1. num. 1.* Sylvest. *ibi, quæst. 4.* Tabien. *quæst. 2.* Arboreus *lib. 19. Theosoph. cap. 6.*

403 *Votum esse potest.* Potest esse votum de rebus aliàs præceptis, quamvis Votum propriissimè sit de rebus consilij. Quia huiusmodi res sunt absolutè ac simpliciter liberæ, & solùm secundum quid necessariæ, nempè necessitate præcepti: Item sunt honesta, & Deo ita grata, vt oppositа grata non sint. Ergo sunt apta, vt Deo in cultum offerantur. Hæc enim oblatio libera, & spontanea ex præcepto non impeditur. Quia præceptum non cogit ad obligationem, neque voluntatem necessitat; sed liberam absolutè relinquit, vt opus præceptum exequatur. Ità Valent. *2. 2. d. 6. qu. 6. pun. 2.* Nauar. *c. 12. sum. n. 25.* Azor. *p. 1. l. 11. c. 13. q. 1.* Sanch. *l. 4. sum. c. 5. n. 6.* Suar. *l. 2. de Voto, c. 6. n. 4.* Less. *l. 2. c. 40. dub. 7. n. 47.* Laym. *l. 4. tr. de Voto, c. 2. n. 9.* & alij apud ipsos, ex D. Tho. *2. 2. d. 88. a. 2.* & ibi Caiet. *dub. 1.*

404 *Hoc omnino ibi indubitatum.* Hoc omninò mihi indubitatũ, Cuilibet enim actui plures obligationes adesse possunt. Potest enim quis iuramento obstringi ad seruandum ieiunium ex præcepto temperantiæ debitum: & ad seruãdam Fidem diuinam ex præcepto Fidei debitam: & ad seruandam promissionem homini factam ex iustitia vel fidelitate debitam humana; & in professione Religionis Religiosi obligantur ad castitatẽ seruandam, alioqui ex præcepto naturali debitam. Non igitur vna obligatio alteram impedit: Sed potiùs virtutem promouet, & volũtatem in bono firmiorem reddit, vtpotè pluribus vinculis illigatã. Cæterùm siue hanc, siue illam sententiam eligas: minimè tamẽ audias Gersonem, & Tabienam citatos asserentes, transgressionem huiusmodi votorum grauiorem esse ratione voti, quã si solùm præceptũ esset: (quod certum est:) at non mutare speciem nec esse necessariò voti fatendam circumstantiam. Quippè ęquè certum est, mutare speciem, ac necessariò aperiendam esse in confessione. Quod constat ex *c. Impudicas, & cap. Sacrilegij, 27. q.* Vbi fornicantes contrà castitatis Votum. Sacrilegi appellantur.

PROBL. LXXX.

Votum non vouendi, validum est, & non est validum.

405 *Certũ reculo.* COnstat ex *sect. 1.* ad votum non sufficere rem promissam esse bonam & honestam; Sed debere esse meliorem, quam sua contradictoria. Ne obligatus sit vouens ad omittendum id, quod melius est, ac Deo gratius: quod nec diuino obsequio, nec nostræ est consonum perfectioni. Sunt itaque aliqua Vota, de quibus dubium est, num meliori bono opponantur. Quæsierim in primis, an votum non vouendi validum existat.

406 *Non est validum.* Non est validum. Quia opponitur contradictoriæ Votorum emissioni, ad quam Deus consulit, & inclinat. Sic Doctores, & verè quidem: Loquendo sic absolutè. Nam vouere est consilij Euangelici, atque Religionis actus. Vndè Sanch. *citandus* docet, ex se, & absolutè Votum non vouendi esse irritum, quia opponitur consilio Euangelij. Verùm omnia Vota consiliis Euangelicis opposita nulla sunt: verbi gratia Vota non suscipiendi Ordines, non ingrediendi Religionem: non mutuandi, non fideiubendi, non erogandi eleemosynam, & similia. Quia hæ negationes per se nullam habent honestatem, & ex se maioris boni executionem impediunt cum consilia semper de meliori sunt bono. Ergò Votum non vouendi impediens melius vouendi bonum irritum est omninò.

407 *Non est irritum huiusmodi Votum.* Non est irritum, sed omninò validum. Quia potest quis Votum non vouendi emittere, ad vouendi temeritatem, ac facilitatem, scrupulos, & alia peccata indè exurgentia præcauenda. Exempli gratiâ, si quis voueret, se nunquam emissurum Votum, nisi ex Confessarij consilio, vel nisi verbo aut scripto coram aliquibus personis. Quia conditiones hæ non excludunt Votum, sed Votorum emissioni conuenientem planè conditionem apponunt, ad eorum vitandam temeritatem. Ità Azor. *p. 1. l. 11. cap. 11. q. 6.* Suar. *l. 2. de voto, c. 11. n. 5.* Less. *l. 2. c. 40. dub. 7. n. 45.* Sanch. pluribus relatis *l. 4. sum. c. 8. n. 14.* Pala. *tom. 2. tract. 15. d. 1. punct. 8. §. 5. num. 3.*

408 *Hoc temerè exponi.* Hoc certum esse puto adiiciens, eum, qui absque huiusmodi circumstantiis votum emiserit, peccare, temeritatis reum, vt Lessius, & Santius aduertunt: Votum autem sic emissum etsi peccaminosum (regulariter quidem venialiter ob leuem materiam) tenere, si alioquin sit de re meliori. Quia peccatum in vouendo commissum non tollit voti valorem, vt probat Sanchez *ibi, n. 16.* Quod si immemor prioris Voti, quis Votum emitteret, distinxerim: Si cum prius Votum emisit expressam habuit voluntatem non solùm non vouendi absque præfatis circumstantiis, sed nec se obligandi, si fortè voueret, Votum non tenet. Quia prior illa voluntas non se obligandi, perseuerat: nec censetur noua voti emissione retractari. At si illam voluntatem non habuit, valet omninò Votum. Quia nihil est, quod illius valorem impediat. Suar. *l. 2. de voto, cap. 11. num. 5.*

PROBL. LXXXI.

Validum est, & validum non est Votum non petendi Voti dispensationem.

409 *Quid rerum suppono.* PRofectò si sub aliqua limitatione Votum emittatur, nempè non petendi Voti relaxationem

tionem absque causa legitima, certum est, votum valere. Quia est votum de non gerendo peccatum. Si quidem petere, vel concedere voti relaxationem absque causa, peccatum proculdubio est. At si hanc limitationem non exprimat, sed generaliter vouet non petiturum dispensationem, quæsierim, an votum sit validum?

410 *Non est validum votum.* Non est validum votum. Quia vouenti melius & vtilius est aliquando, petere dispensationem, quam illam non petere, nempè quando transgressionis periculum adest. Ergo ad illum casum non se potuit votum extendere: Ergo non se extendit ad non petendum dispensationem, quando hæc maior cessat vtilitas. Vltimam probo consequentiam. Quia per modum vnius omnes casus vtiles, comprehenduntur: neque apparet, quo iure, aut consuetudine ad solos casus vtiles extendatur. Sic Sanchez *lib. 4. de voto cap. 8. num. 21.* Cui fauet Sotus *lib. 8. de iust. q. 1. a. 9.*

411 *Est planè validum.* Est validum votum, & obligat, quoties non fuerit vtilius vouenti dispensationem non petere. Quia votum habens materiam diuiduam, & separabilem aliam aptam, aliam ineptam: si ea, quæ apta est, frequentius, & in plurimum contingat: credendum est, diuisibiliter, & separabiliter eam aptam materiam respicere, dum de contraria intentione apertè non constat. Quia hic respectus est materiæ proportionatus, & fauet actus valori. Ita Suar. *lib. 2. de voto, cap. 11. num. 6.* Palaus *tom. 3. tr. 15. punct. 8. §. 5. num. 4.*

412 *Verius est crediderim.* Verius hoc credo, nec obstare, votum non fideiubendi, non mutuandi absolutè prolatum invalidum esse: tametsi habeat materiam aptam, & ineptam. Quia in voto non fideiubendi, nec mutuandi per se, & frequenter materia inepta respicitur: cum fideiubere, ac mutuare per se consilij sint opera. At in voto non petendi dispensationem per se materia apta respicitur, nempe firmari in obligatione voti absque spe liberationis. Vnde votum non petendi dispensationem validum esse potest, tametsi votum non mutuandi, aut non fideiubendi sit invalidum.

PROBL. LXXXII.

Ex voto non petendi communicationem, manet quis obligatus, & obligatus non manet, ad non petendam compensationem, vel irritationem.

413 *Obligatur, ad non petendã dispensationẽ, vel irritationem.* EX vi voti non petendi dispensationem, aut irritationem, commutatio pura non excluditur. Quia commutatio non tollit absolutè voti vinculum, sed in aliud commutat, & subrogat. At vouens non petere dispensationem, vel irritationem libertatem à vinculo voti sibi interdicit, non autem subrogationem: & hoc verissimum. Secus dicendum de voto non petendi commutationem, quod quidem ad non petendam dispensationem, aut irritationem extenditur. Quia qui sibi imperfectam libertatem à voto interdicit, à fortiori cessetur, sibi interdicere liberationem plenam, atque perfectam. Verùm si votum sit de non petenda dispensatione extenditur ad irritationem non petendam: & è contra. Quia animus sic promittentis est non liberari à voti obligatione. Sic Sanch. *lib. 4. sum. cap. 8. num. 21.*

Ex vi voti non petendi commutationem, nõ prohibetur quis dispensationem, aut irritationẽ petere: neque ex vi voti non petendi dispensationem, prohibetur irritationem postulare, aut è contra. Quia hi modi omninò sunt distincti, neque vnus in alio includitur. Non enim qui habet potestatem vota commutandi, ea dispensare potest, neque qui potestatem habet dispẽsandi, ea potest irritare, & è contrà: Ergò ex parte obiecti, & materiæ promissæ vnum in alio non includitur: sed obligatio voti nõ desumitur ex solo animo promittentis, nisi talis animus in obiecto, ac materia promissa exprimatur: Ergo quamuis vouens, non petere commutationem, vel dispensationem, intenderit, nunquam liberari à voto: quia tamen id non expressit non liberari à voto illo modo: censendus est, solam hanc voti obligationem, sibi interdixisse. Ita Palaus *tom. 3. tr. 15. d. 2. punct. 8. §. 5. n. 5.*

414 *Non obligatur.*

Licèt censuerim Santij sententiam valde esse probabilem, iudico mentem amicissimi Ferdinandi à Castro Palao esse probabiliorem. Moneo tamen, si causa subsit obtinendi dispensationem à principali voto, non impediri efficaciter ex voto dispensationem non petendi. Quia huius vltimi voti, quod reseruatum non est, potest dispensationem quis petere: & illo sublato, secundum poterit dispensari. Item potest votum vtrumque Prælato manifestare, vt ipse ex officio præstet dispensationem, si vtiliorem vouenti esse iudicauerit. Suar. *lib. 2. de voto, cap. 11. n. 6.* & Sanch. *ibi, num. 36.*

415 *Probabilem valde reor primam partem, sed secundam adhuc probabiliorem iudico.*

PROBL. LXXXIII.

Validum est, & non est validum votum, ad Episcopatum non ascendendi.

VAlidum non est. Quia qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Ergo illius susceptio bona est: Ergo illius priuatio bona esse non potest. Certè Episcopatus status est perfectionis; Ergo quis nequit se obligare ad illum non assumendum: quia esset obligatus viam perfectioni præcludere, & Ecclesiæ statum perfectissimum fugere: & fortasse ea de causa Gregorius Magn. *cap. vnic. 85.* mandat inquiri de quodam Archidiacono Florentino, qui ad Episcopatum fuerat electus, an iusiurandum emisisset, nunquam ascendendi ad Episcopatum. Non autem eam inquisitionem fieri iuberet, si tale iuramentum, aut votum esset honestum. Ergo dicendum est huiusmodi votum non valere. Sic Glos. *ad c. vnic. v. Sacrosanctis.* Nauar. *sum. c. 12. n. 16.* Syluest. *v. Iuramentum 4. num. 1.* Azor. *p. 1. lib. 11. c. 5. q. 1.*

416 *Non est validum voti.*

Est validum huiusmodi votum. Quia negari non potest, Episcopatum ob splendorem honoris, & diuitiarum, & animarum regimen, multis periculis esse obnoxium. Vnde cuique si propriam spectet vtilitatẽ commodius, vtilius erit illum fugere exẽplo D. Augustini, Ambrosij, ac Gregorij, aliorúmque Sanctissimorum Pontificum

417 *Votum est validum.*

ficium, qui hunc statum totis viribus réspuebant. Ergò potest materia huius voti de meliori bono existere. Ecclesiæ verò hoc votum non præiudicat, cum non impediatur sic vouentem præficere Episcopatui, cum sibi vtile esse adiudicauerit. Ità D. Tho. 2.2.q.185.a.3.& 2. Suar. *l.2.de iuram.c.13.n.13.& l.2.de voto,c.11.n.10.&* 11. Laym *l.4.tr.4.c.2.n.14.* Sanch. *l.4. sum.c.8.n.* 37. Manuel. *to.2.sum.c.94.n.15.* Corduba *sum.q.* 154. Sotus *l.10.de iust.q.2.a.2.ad* 3. Gutier. *p.1. de iuram.c.72.num.9.*

418 *Hoc teneo & expono.* Profectò tale votum validù esse certissimum puto, si recta intentione emittatur, hoc est, si fiat de non procurãdo, neque acceptãdo Episcopatum quantum est ex parte vouentis, nisi necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, vel superioris præceptũ vrgeat. Votum verò sic omissũ valdè vtile Ecclesiæ esse reor. Reddit enim Ministros aptiores, ac vtiliores, ad regimen obeundũ. Nã quo magis ab ambitione sunt abstracti, digniores fiũt, & exactius officia exercẽt. Admitto quidem, Episcopatũ opus esse bonũ, ab eo, qui irreprehẽsibilis est & qualitates habet ab Apostolo 3. *Tit.* 1. re quisitas, quas de se nemo debet præsumere; sed esto sit opus perfectũ: est tamẽ periculosũ: ac proindè consultius cuilibet particulari eũ ex parte sua respuere, quã appetere. Crediderim verò D. Gregoriũ inquisitionẽ gessisse, anille Archidiaconus iurauerit, ad Episcopatũ nõ ascẽdere, nõ quod tali in iuramẽto piaculũ patrasset: sed vt videret, nũ expediret sic iuramento obstrictum ad Episcopatum promouere, an potius eum in suæ conseruare humilitatis affectu.

PROBL. LXXXIV.

Validum est, & non est validum votum abstinendi à delicatis cibis, & ab honesta recreatione.

419 *Validum non est.* VAlidum non est. Quia vti cibis delicatis quando expedit valetudini, honestum est, & idem est de honesta recreatione in leuamen naturæ assumpta: At priuatio actus honesti honestatem non habet formaliter: Ergò votũ de priuationibus præfatis est inualidum. Et quia nulla est virtus moralis, cuius exercitium consuli non valeat, & à superiore præcipi: Ergò præcipi potest recreatio honesta, & cibi vtilioris sũptio: Ergò potest de iis esse votũ: Ergo de oppositis non potest. Sic plures, quorũ sententiam meritò veram esse ait Palaus *citandus*

420 *Validum est.* Est validum. Quia licèt moderata recreatio, & temperata cibi moderati sũptio actus virtutis sint: at cum ob aliquam circumstantiam specialiter non sunt valdè necessaria, melius, ac vtilius animò est, ab his abstinere. Eorum namque abstinentia & corporis mortificatio, & pœnitentiæ virtus exercetur, & anima disponitur, vt nobilioribus virtutis operibus incumbat, remotis impedimentis, quæ illi obstare possent. Qua ratione votum pauperatis est validum. Nam esto bonum esse possit diuitias habere ad pietatis opera exercenda: quia tamen assolent impedimento esse, melius est eas renũciare. Ita Sanch. *l.1.de sponsal. d.4.n.4.* & 5. Lessi. *l.1.c.4.dub.5.n.43.* Palaus *to.3.tr.15 d.1.pun.8.§.5.n.10.* Suar. *l.2. de voto,c.* 8. *n.* 5. Azor. *p.1.l.11.c.13.q.7.*

421 Profectò illa vota frequenter sunt inualida, vt fert prima sententia. Aliquis tamen casus specialis dari potest in quo ob charitatẽ propriam, vel alienam, vel ob alium rectum finem, iudicaretur, melius recreari aut cibis delicatioribus aut ludo honesto, quàm ab iis abstinere, quod ratò contingit. *Frequenter inualidum esse reor.*

PROBL. LXXXV.

Tenet, & non tenet votum, perpetuò in Xenodochio inseruiendi, aut laxiorem ingrediendi Religionem.

MInimè tenet. Quia obstare videtur Religionis ingressui, & consequẽter meliori bono, & impedit, ne quis strictius Regulare in eat institutum. Sic aliqui Neoterici in manuscriptis. 422 *Minimè tenet.* 423

Tenet omninò. Quia quando votum includit aliquod bonũ, quod est sufficiés ipsius materia, quãvis perfectiora bona excludat validũ est. Nã materia illa promissa nẽpe perpetuum in Xenodochio obsequiũ, & in Religione laxiori professio est sufficiens voti materia respectu status imperfectioris, quem tunc vouens habet. Ità Suar. *l.2.de voto,c.7.n.6.& c.9.n.* 22. Valent. 2.2.*d.6.q.6.p.2.conc.*2. Sanch. *l.4.sum.c.* 8. *n.*40. Laym. *l.4.tr.4.c.2.n.*12. & alij cõmuniter. *Tenet omnino.* 424

Primam sententiam improbabilem omninò esse ratus, secundam esse certam affirmo. Quia contradictorium horum votorum non est melius. Non enim melius est non inseruire Xenodochio, quam ibi pauperibus ministrare. Et licet stante huiusmodi seruitio, quis non possit Religioni addici. Quia tamen illud seruitium potest quis omittere, & loco illius Religionem inire: illud votum non est meliori boni impeditiuum. Similiter votum ingrediendi Religionem laxiorem, tenet. Quia esto non sit melius quam inire strictiorem, laxiorem ingredi: tamen absolute melius est ingredi laxiorẽ Religionem, quam nullam suscipere. Certe non est necesse; materiam voti esse quid optimum: sed satis est, contraria sua esse quid melius. Denique per hæc vota non præcluditur via ad statum perfectiorem. Nam relicto Xenodochij seruitio fas est vouenti ad Regulare migrare institutũ: & antè & post professionẽ in Religione laxiori, ad strictiorem transitum gerere. *Hoc certum esse nihil.*

PROBL. LXXXVI.

Validum est, & validum non est, votum de matrimonio contrahendo, si fiat animo nõ consummandi, sed Religionem petendi.

VOtum de matrimonio contrahẽdo absolutè sumptũ, omnino est inualidũ. Quia excludit virginitatẽ, ac celibatum, qui est status perfectior. Trid. *sess.24.can.*10. Tamẽ queisdam additis circumstantiis validum est huiusmodi votum: verbi gratiâ si alias matrimonium esset in præcepto: vt si quis puellam violasset sub fide data de matrimonio contrahendo. Quia tum votum non impedit melioré statum; sed illum aliundè impeditum & obligatũ ex data fide, firmiorem reddit. Alij sunt difficiliores casus, quos problematicè resoluam. Quæ 425 *Nonnulla praxim.*

Quæsierim itaque, num votum de matrimonio contrahendo validum sit, si fiat animo non consummandi, sed Religionem petendi?

416 *Validum est omnino.* Validum est. Quia non impedit statum perfectiorem, siquidem relinquit liberum Religionis ingressum. Quod à fortiore procedit, cum ex parte vtriusque votum castitatis fuerit emissum, tunc enim nec cælibatus impeditur ex voto. Sic Sotus *l. 7. de iust. q. 1. a. 3.*

427 *Validum non est* Non est validum. Quia matrimonij contractus contrahentem constituit in periculo castitatem violandi, & ab statu cælibatus recedendi. Ergo non est gratior Deo, quam illius carentia. Non enim gratius esse potest, quod viam perfectionis difficiliorem reddit. Ità Sanch. *l. 1. de sponsal. d. 4. num. 1. & l. 4. sum. c. 8. n. 52.* Gutier. *de matr. c. 4. n. 7.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 2. n. 12.* Suar. *l. 2. de voto, c. 9. n. 6* Palaus *tom. 3. tr. 15. d. 1. pun. 8. §. 5. num. 12.* & alij.

428 *Hæc sententia longè est probabilior.* Hoc longe probabilius esse reor, præfatamque rationem convincere, licet contrahentes inter se convenerint de Religione assumenda, vel de castitate seruanda, etiam voto castitatis remisso. Quia semper adest periculum à tali proposito recedendi, & castitatem violandi. Quod periculum quia in Sanctissima Virgine & B. Iosepho abfuit, & eorum matrimonium in fines perfectissimos à Diuina prouidentia dirigebatur: viam perfectionis nec præcluſit, nec difficiliorem reddidit. Quando autem ab vno coniuge, altero ignorante, matrimonium contraheretur animo aduolandi ad Religionem, certius est, votum de tali coniugio validum esse non posse; quia est de contractu grauiter coniugi præiudicante. Rarus enim esset, qui, eo animo cognito, vellet contrahere; nè maneret periculo suspicionis expositus ob aliquod vitium fuisse desertum: quod periculum non subit, quando bona fide contractus celebratur.

PROBL. LXXXVII.

Votum de matrimonio contrahendo validum est, & non est validum, quando quis se experitur adeò ad carnis pracula procliuem, vt vix possit se continere.

429 *Validum planè est.* VAlidum planè est. Quia posita illa facilitate delinquendi, consulrius, & vtilius illi matrimonium inire, quam existere cælibem; & id vtrem vtiliorem ei potest confessatius consulere: Ergo & is poterit se se voto ad illud ineundum obstringere. Sic Caiet. *2. 2. q. 88. a. 2. dub. vlt.* Gutier. *de matr. c. 4. n. 8* Sanch. *l. 1. de sponsal d. 4. n. 7. & l. 4. sum. c. 8. n. 52.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 11. q. 1.* Valen. *2. 2. d. 6. q. 6. pun. 1. diffic. 4.* Tolet. *l. 4. c. 7. n. 8.* Bellarm. *l. 1. de Monach. cap. 14.* Nauar. *cap. 21. sum. num. 41.*

430 *Non est validum.* Non est validum. Quia adhuc posita illa facilitate, & peccandi consuetudine, votum de matrimonio contrahendo impedit maius bonum formaliter, nempe viram cælibem, ac Religionis statum: Ergo à Deo acceptari non potest. Ità Sotus *l. 7. de iust. quæst. 1. art. 2.* Arag. *2. 2. quæst. 88. art. 3. circa 5. conclus. assert. 2.* & plures docti Neoterici

431 *Probabilius hoc mihi.* Hanc sententiam probabiliorem esse reor, & priorem admitterem eo solummodò casu, quod quis nollet oratione, Sacramentorum frequentia, ieiuniis aliisve remediis vti ad vincenda tentamina. Matrimonium namque ea solum ratione illi esse posset vtilius cælibatu quatenus est medium ad lapsus arcendos. At non est vnicum, cum sint plura Domino gratiora; quibus si ille vteretur, medium matrimonij non obligaretur assumere. Ergo solum posset obligari, casu quo nolit aliis vti remediis, quæ est solùm quædam conditionalis obligatio: quam pro libito posset infringere. Didici ex Suario *l. 2. de voto, cap. 9. n. 12.* Lessio *cap. 40. dub. 7. num. 45.* & Laymano *l. 4. tract. 4. cap. 2. num. 12.*

PROBL. LXXXVIII.

Validum est, & validum non est votum absolutè prolatum ducendi pauperem meretricem titulo pietatis: quia continet & non continet eam conditionem: si aliquem ducturus sum.

432 *Non valet præsentialiter.* CErtum est, non valere, si absolutè sumatur. Quia huiusmodi titulus non excusat, quin res promissa excludat à vouente statum perfectiorem, & continentiam Deo gratiorem. At si hoc votum non absolutè sumatur, sed cõditionaliter, scilicet hac forma: si matrimonio illigandus sum, ducam pauperem: validum est. & firmum. Quia ex vi illius voti non obligatur ad matrimonium, sed matrimonio ex eius voluntate assumpto, ad perfectissimum illius vsum obligatur. Solùm est difficultas, an votum prolatum sub hac forma absoluta: Promitto Deo, me ducturum puellam pauperem validum, sit eo quod habeat hunc sensum cõditionatum: si aliquam ducturus sum, ducã pauperẽ fœminã.

433 *Validum est, eo quod habeat hunc præfatum.* Habet quidem hunc sensum. Quia sic vouens intendit se obligare quantum potest: cum ergo non possit se obligare ad matrimonium absolutè, censendus est, voluisse se obligare ad illud sub præfata conditione. Ergo votum absolutè prolatum ducendi pauperem meretricem, est validum, sic Suar. *l. 2. de voto, c. 9. n. 11.*

434 *Validum non est, eo quod præfatum sensum non habet.* Validum non est illud votum absolutè prolatum. Quia hunc sensum conditionatum non habet. Verba enim illa sunt absoluta, quibus per modũ vnius matrimoniũ cum puella pauperẽ promittitur. Ergò votum non potest esse validum. Ita Sanch. *l. 1. de sponsal. d. 4. n. 12. & l. 4. sum. c. 8. n. 51.* Palaus *to. 3. tr. 15. d. 1. p. 8. §. 5. n. 15.*

435 *Hoc obligo.* Hoc probabilius credo. Quia dum de conditionata intentione non constat, sine fundamẽto verba illa explicantur, præcipuè cũ obligatio voti affirmari nõ debeat, nisi de illa clarè cõstet,

PROBL. LXXXIX.

Valida sunt, & non sunt valida hæc Vota: Promitto, me nullam Religionem ingressurum, nisi Societatis Iesu (v. g.) Promitto, non recitaturum nisi flexis genibus, *& similia.*

436 *Valida sunt hæc acta.* VAlida omnino sunt. Quia hoc est votum conditionatũ obligãs ad rẽ perfectã scili-

cet ad ingressum in Religionem, ad recitationem recurrentem: & licèt alia bona excludant, id est consequenter, & non directè. Certè consultius est cuilibet, ad opus pietatis sub conditione obligari, quam omninò liberum esse: sed ex vi illarum promissionum obligatur vouens sub conditione opera pietatis exercere. Ergò illa sunt valida vota. Sic Sanch. *lib. 4. sum. cap. 8. num. 47.*

437 *Non sunt valida.* Minimè sunt valida. Quia illa vota ad summum hunc sensum conditionatum habent: si aliquam Religionem ingrediar, promitto Societatem Iesu inire: si orationi dedero operam, flexis genibus geram: sed in hoc sensu conditionato tacitè seu indirectè promittitur materia Voto inepta adeò, vt ab ea non possit promissio separari. Ergò illa vota sunt inualida. Minorem probo: Non enim solùm promittitur ingressus in Societatis Religionem. Sed promittitur non ingressus in alias: non solùm promittitur recitatio flexis genibus, sed & nulla alia; aliàs non esset peccatum aliam inire Religionem, & preces sedendo profundere: Ergo præfata vota nullius sunt valoris. Ita Palaus *tom. 3. tractat. 15. d. 1. punct. 8. §. 5. num. 16.* & probabile iudicat Santius *vbi suprà.*

438 *Eiusdem sum mentis.* Hanc eligo sententiam existimans, illa Vota retrahere promittentem ab operibus bonis absolutè, & solùm sub conditione pendente à propria vouentis voluntate obligant ad opus perfectum. Ergo minimè cadunt in Dei obsequium, neque in vouentis vtilitatem. Illud tamen aduerto cum Santio *num.* 48. Valida esse Vota illa, si negatio excludat materiam Voto ineptam: verbi gratiâ si quis promittat, non recitare, nisi attente. Quia per hanc negationem excludit sine attentione recitationem. Idem est, si promittas: nullam aliam ducere nisi pauperem; excludis namque coniugium omnium aliarum, nisi pauperis: quæ est exclusio materiæ Voto ineptæ.

CAPVT XX.

Circa Voti Obligationem.

PROBL. XC.

Ex sola intentione vouentis, suppositâ materiâ grauitate, potest, & non potest Voti obligatio limitari, vt sit leuis.

439 *Non nulla recolo.* RECOLO, de Fide esse, ac lumine naturali notum, Votum ad ipsius executionem obligare. Nam si fides data homini obligat, vt seruetur: quantò magis fides data Deo? Obligat autem ex virtute fidelitatis, quæ comparatione Dei est vera Religio; colitur namque Deus, & honoratur, dum seruatur id, quod ei est promissum. Porro hæc obligatio voti ex suo genere grauis est. Quia graue est Deo fidelitatem præstare, & cultum debitum exhibere. Verùm ex leuitate materiæ posse Votum leuiter obligare eiúsque transgressionem culpam venialem non excedere communiter Doctores affirmant. Quæritur verò, num ex sola vouentis intentione, suppositâ materiæ grauitate, possit voti obligatio limitari?

440 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia posito Voto, obligatio, illius à lege diuina, & naturali immediatè prouenit: lex namque diuina obligat promittentem, in promissis esse fidelem. Sed obligatio legis diuinæ, & naturalis semper est iuxta materiæ grauitatem: Ergò obligatio Voti leuis esse non potest ex intentione vouentis, materiæ grauitate suppositâ. Sic Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. in corp.* Corduba *sum. quæst. 188. punct. 1.* Vasq. *1. 2. d. 158. cap. 4. num. 34.* Basil. *l. 12. de sponsal. cap. 2. num. 12.*

441 *Potest maximè.* Maximè potest. Quia lex in materia graui potest leuiter obligare, vt disertè probat Palaus *tom. 1. tractat. 1. de peccatis d. 2. punct. 8.* Ergo Votum, quod est quædam lex priuata grauis quidem ex se, leuiter poterit obligare ex vouentis intentione. Nam sicut ex intentione legislatoris nascitur obligatio legis, sic ex vouentis intentione Voti obligatio: Ergò iuxta eius intentionem commensurari debet. Ità Suar. *lib. 4. de voto, cap. 4. num. 7.* Palaus *tom. 3. tr. 15. d. 1. pun. 11. n. 4.* Sanch. *l. 1. de spons. d. 9. n. 6.*

442 *Hæc mihi probabilior.* Probabilius hoc mihi, quod amplius exponno. Liberum est promittenti, se velle obligari, cum obligatio promissionis ex illius pendeat voluntate. Ergò liberum ei est, nolle totam obligationem subire. Possum ergo vouere Rosarium; vel officium Deiparæ, vel ieiunium (quæ grauem continent materiam) sub venialis piaculi obligatione litare.

PROBL. XCI.

Obligatio Voti est, & non est solius fidelitatis.

443 *Quæritur.* POsito, Votum per se grauiter obligare, & aliquandò tum ex vouentis intentione, tùm ex materia promissa leuem obligationem inducere, est inquirendum, qualem inducat obligationem, an fidelitatis tantùm, an etiam illius virtutis, ad quam pertinet materia promissa? verbi gratiâ; Promittit quis Sacrum facere, seruare ieiunium eleemosynam elargiri obligatus ne est solùm ex fidelitate seruare promissum, an etiam ex speciali virtute Religionis, Temperantiæ, vel Liberalitatis.

444 *Obligatio est non solùm ex fidelitate.* Obligatus est non solùm ex fidelitate, sed etiã ex speciali ea virtute, casu quo ex speciali affectu virtutis, ad quam pertinet materia promissa, Votum emittat. Quia legislator præcipiens actum obligat præcepto illius virtutis, cuius est actus præceptus: præcipiens enim ieiunium obligat ex virtute Temperantiæ & præcipiens Sacrum audire, vel dicere obligat ex virtute Religionis: sed Votum est quædam lex priuata: Ergò hanc sibi obligationem imponit. Sic Sanch. *l. 4. sum. cap. 11. num. 6.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 6. punct. 4. quæst. 1. concl. 2.*

Votũ de re aliàs non præcepta solã obligationé fidelitatis inducit, quãtũvis vouẽs intẽdat

dat per votum habere rectitudinem virtutis materiæ promissæ. Quia vouens quantumvis afficiatur ad materiam promissam non potest illius habendæ aliam obligationem sibi imponere, nisi quatenus Deo illam promittit: sed ex hac ratione solum nascitur naturalis obligatio fidei seruandæ absque speciali obligatione ad materiam: illam enim accidentaliter respicit: Ergo ex vi voti sola est fidelitatis obligatio. Ità Suar. *l. 4. de voto cap. 3. num. 11.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 11. num. 23.* Caiet. *2. 2. q. 88. art. 5. dub. vlt.* Palaus *tom. 3. tr. 15. d. 1. pun. 11. num. 8.*

445 *Solum est obligatio ex fidelitate.*

Hæc mihi sententia magis arridet. Ex qua colligo, transgressiones omnium votorum eiusdem esse speciei infimæ. Quia eorum malitia tota consistit in non seruandis promissis. Quod verò promissa diuersa sint, parum interest ad huius transgressionis considerationem. Nec vrget primæ sententiæ fundamentum. Dispar enim est ratio legis, & voti. Nam lex non extrahit materiam præceptam à propria ratione virtutis, sed in illa necessitatem imponit: quia media illa intendit subditos studiosos efficere. At votum quia cultum Dei respicit, non imponit necessitatem in honestate materiæ promissæ: sed illa honestate suppositа, diuino cultui offert, & consecrat: & ex hac oblatione executionis necessitas oritur.

PROBL. XCII.

Quis se obligare potest & non potest voto ad solos actus externos, & ad internos minimè.

446 *Non potest.*

NOn potest se quis ad actus externos voto obligare, quin ad internos simul obligetur. Quia esset ea ad impossibile obligatio. Prohibito námque actu externo, consequenter videtur prohibitus internus, qui circa illum versatur. Sic Sanch. *l. 4. sum. cap. 11. num. 12.*

447 *Potest quilibet.*

Potest se quis voto obligare ad actus externos, quin simul ad internos obligetur. Quia hoc obligatio & possibilis est, & intentioni vouentis accommodata. Quare si votum est (verbi gratiâ) de vitanda fornicatione, vel pollutione obligatur vouens ex vi voti non habere voluntatem fornicandi, nec polluendi: non tamen obligatur ex vi talis voti ad fugiendas morosas delectationes de fornicatione, vel pollutione. Quia illæ delectationes nec directè huic voto aduersantur, vt de se constat: neque etiam indirectè, siquidem non sunt de fornicatione, vel pollutione voti affectis circumstantia: sed absolutè sumptis. Ita Vasquez *1. 2. d. 112. cap. 2. num. 9.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. pun. 11. nu. 10.*

448 *Auctoris sententia.*

Dixerim, P. Santij sententiam veram esse, si vouens expresse voluerit nequaquam se obligare ad vllum actum internum vitandum. Nam talis voluntas est de obiecto impossibili. Qui enim promittit non fornicari, consequenter promittit, non habere fornicandi voluntatem. Nam voluntas fornicandi est voluntas transgrediendi promissionem factam. Non ergo stare potest promissio de vitanda fornicatione quin sit promissio de vitanda etiam illius voluntate. At si vouens hanc expressam voluntatem non habet, sed solum se obligandi ac actus externos vitandos, probabilius censeo, votum valere, & vouentem manere obligatum ad vitandos actus internos transgressioni voti directè repugnantes, ad alios minimè, vt fert secunda sententia.

PROBL. XCIII.

Qui vouit Rosarium Deiparæ recitare, satisfacit, & non satisfacit id alternatim recitando.

INtendens ostendere, qualiter votum obliget, cum eius materia determinata non est, recolo ex *sect. 1.* votum semper obligare secundum vouentis intentionem: cum autem de intentione vouentis non constat spectandam esse materiam promissam, & iuxta illam censendum esse, an obligationem illud votum inducat: At si hac spectata, dubium subest, verba secundum communem sensum esse accipienda, & iuxta illum voti obligationem commensurandam: Votum item benignè, quoad fieri possit interpretari debere. His ad memoriam reuocatis, ostendam, qualiter hæ regulæ ad casus singulares frequentiores quidem applicari valeãt. Ac primùm quæsierim, an qui vouit recitare Rosarium satisfaciat alternatis recitando cum socio?

449 *Nonnulla recolo.*

Satisfacit planè. Quia modus ille recitandi conformis est Ecclesiæ consuetudini etiam in Rosarij recitatione: vt patet ex vsu Religionis Camaldulensis, vbi Religiosi alternatim Rosarium recitant. Sic Bonac. *tom. 2. d. 4. q. 2. pun. 6. num. 17.* Azor. *l. 10. cap. 7. q. 10.*

450 *Planè satisfacit.*

Non satisfacit. Quia Rosarium communi vsu, & consuetudine haud alternatim recitatur: Ergò votum de illius recitatione non est præsumendum fieri de recitatione extra vsum & consuetudinem, nisi alia fuisset vouentis intentio. Ità Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. pun. 12. num. 5.* Nauar. *ad cap. Quando, de consecr. dist. 5. cap. 10. a num. 22.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 11. num. 38.*

451 *Non satisfacit.*

Hanc sententiam probabiliorem esse hi-Doctores existimant, quibus annuo: mihi autem primam eligo, vt plurium deuotioni, qui gregatim sic publice ac priuatim Rosarium recitant, geram morem. Addiderim autem, eum qui recitandi Rosarium votum emisit, non teneri integrum recitare: sed sufficere, si tertiam partem recitet. Quia iuxtà frequentiorem vsum sub nomine Rosarij tertia pars intelligitur. Suar. *l. 4. de voto, cap. 8. num. 5.* Vouentem verò Rosarium haud crediderim satisfacturum si solum mente & non voce recitaret. Quia de recitatione vsitata, quæ est vocalis, credendum est votum fieri dum contrarium non constat. Sanch. *l. 4. sum. cap. 11. num. 36.*

452 *Eligo primam sententiam.*

PROBL. XCV.

Quis Voto emisso, promisit in D. Iacobum (verbi gratiâ) peregrinationem gerere: at mercede conductus, vel alterius negotij causa, aut curiositatis, aut vi coactus peregrinationem huiusmodi suscepit: Hic satisfacit, & non satisfacit Voti obligationi.

453 *Non satisfacit Voto.* MInimè in omnibus hisce casibus satisfacit. Quia ille vouit peregrinationem voluntariam, Religiosam, & piam: Sed peregrinatio assumpta per vim non est peregrinatio voluntaria, & Religiosa & multò minùs quæ solo titulo curiositatis, vel alterius negotij profani assumitur: quæ verò ex stipendio non tam est peregrinatio ob pietatem, quàm ob iustitiam: Ergò in his casibus peregrinationis Voto non satisfacit. Sic Sanchez *libr.4. sum.cap.11.num.31.*Bonac.*tom.2.d.4.quæstion.2. punct.6.num.25.& 16.*

454 *Voto satisfacit.* Satisfacit omninò. Quia si vis illata non tollit integram libertatem, esto illam diminuat: Voto satisfaciet coactus peregrinando. Quia absolutè peregrinationem piam voluntariè suscipit. Deindè expeditio alicuius negotij, aut curiositas impedire satisfactionem Voti potest, quando solus ille finis peregrinationis adesset; secùs si cum ipso esset inuisendi D. Iacobi Basilicæ voluntas. Quia tunc iam esset Religiosa peregrinatio. Saltem quoad actus substantiam. Ita Palaus *tom. 3. tract. 15. d.1.punct.12.num.9.*

455 *Cum Palao sentio.* Cum amicissimo Ferdinando de Castro Palao sentio. Nec video qua ratione obligatio iustitiæ ob stipendium acceptum impediat Voti satisfactionem: cum obligatio Voti & iustitiæ in eandem possint materiam cadere: & obligatio iustitiæ non impediat, peregrinationem religiosam existere. Si enim ex Voto obligatus esset, singulis diebus sacrum facere, cur non possis pro illo sacro gerendo stipendium accipere? Sicut è contrà si stipendio obligatus esses sacrum facere, posses & voto ad illud faciendum te obstringere.

PROBL. XCVI.

Excusatur quis, & non excusatur à Voto ieiunandi sextis feriis vel Sabbato, vel die alia, si hisce diebus dies Natalis Domini inciderit.

456 *Omninò excusatur.* EXcusatur omninò. Quia si tempore, quo quis vouet, illius solemnissimæ diei meminisset, non est præsumendum, eum se Voto ad ieiunandum illa Die obligaturum. Sic Molina *tom.2.de iust.d.272.*Azor.*part.1.l.11. quæst.20. quæstiunc.3.*

457 *Non excusatur* Minimè excusatur. Quia Votum illud eo modo, quo pronunciatum est, diem illam comprehendit, vt constat: At exceptio Ecclesiæ solam præcepti sustulit obligationem, non autem Voti, vt colligitur ex *cap. fin. de obseruatio. ieiun.* ibi: *Qui nec Voto, nec regulari obseruantia sint astricti.* Ergò Votum obligat, ac si nulla ab Ecclesia illius diei facta fuisset exceptio. Ità Sanchez *l.4.sum.cap.11.num.60.*Palaus *tom.3.tract. 15.d.1.punct.11.num.12.*Bonac.*tom.2.d.4.quæst. 2.punct.6.num.9.*Reginal.*lib.8.num.190.*Vasq. *1.2.d.90.cap.4. n.26.* in hanc partem inclinat. Suar.*lib.4.de Voto,cap.20.num.8.*

Fateor, me in primam sententiam inclinare ob tãtæ diei celebritatem, ob Ecclesiæ adeò receptam consuetudinem, quæ mihi videtur simul in Voto dispensare, cùm in præcepto dispensat. Attamen qui *cap. finalis* textus vrget, existimo primam sententiam satis esse probabilem, sed secundâ probabiliorem. Neque enim obstat, vouentem si illius diei recordaretur, fore illam excepturum. Quia obligatio, vel deobligatio Voti non desumitur ex eo, quod vouens faceret, sed ex eo quod de facto fecit, & promisit. 458 *Primam partem probabilem nõ damnatum vere ex, sed secundam probabiliorem.*

PROBL. XCVII.

In transgressione ieiunij feria sexta Natalis Domini committitur, & non committitur duplex piaculum, vnum in omissione Præcepti, alterum in violatione Voti.

459 *Duplex peccatum committit.* VOto, aut regulari obseruantia adstrictus ad seruandum ieiunium omnibus sextis feriis, si feria illa sexta, qua dies Natalitia Domini incidit, carnes edat, duplex peccatum perpetrat, aliud contrà Votum, aut regularem obseruantiam, (si regularis obseruantia obligat ad peccatum) aliud contrà Ecclesiæ præceptum. Quia Pontifex solùm excepit à præcepto, & obligatione abstinendi à carnibus, eos, qui nec Voto, nec regulari obseruantia sint astricti, *cap. fin.de ieiun.obseruat.*ibi: *Illi, qui nec Voto, nec regulari obseruantia sint astricti in sexta feria, si festum Natalis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis.* Ergò astricti Voto, vel regulari obseruantia à præcepto non excusantur. Ergò contrà Votum, & præceptum delinquunt. Sic Medina *l.1. sum.cap.14.§.10.fol.99.*

460 *Non committit duplex peccatum.* Non committit duplex peccatum, nec alia obligatione adstrictus Voto, vel regulari obseruatione tenetur illa die abstinere à carnibus, præter obligationem Voti, aut regularis obseruantiæ. Quia generalis consuetudo præceptum de abstinentia illa die sustulit ob festi excellentiam. Ità Sanch. pluribus relatis, *l.4.sum.cap.11. num.64.*Palaus *tom.3.tract.15.d.1.pun.12.n.13.*

461 *Longè hoc probabilius.* Longè hoc probabilius. Nec quid contrarium ex textu citato colligo. Quia inibi solùm dicit Pontifex eos, qui nec Voto, nec regulari obseruantia astricti sunt, haud obligatos esse abstinere à carnibus sexta illa feria. Alij enim astricti Voto, aut regulari obseruantia, verè sunt obligati nõ obligatione præcepti, sed obligatione, quam Votum, vel obseruantia regularis illis indicit.

PROBL.

PROBL. XCVIII.

Violans ieiunium ex voti obligatione, peccat, & non peccat toties, quoties carnes comedit illa die.

462 *Non peccat, quoties comedit carnes.*

NOn peccat quoties comedit, sed vnicum peccatum repetita sæpe comestione committit. Quia vouens ieiunium, in tantum vouet à carnibus abstinentiam, quatenus illa abstinentia est ad ieiunium necessaria. Ergo soluto ieiunio, cessat obligatio, quæ accessoria erat. Sic Sanch. *l.4.sum.c.11.n.42.* & probabile reputat Laym. *l.4. tract.4.cap.3.num.3.* & Palaus *citandus.*

463 *Peccat, quoties comedit carnes.*

Peccat quidem quoties ea die carnes comedit Quia de ratione ieiunij Ecclesiastici est vnica tantum comestio, & abstinentia à carnibus in omnibus illius diei horis: Ergò vouens ieiunium, vouet non comesturum amplius, quam semel, & in nulla illius diei carnes. Igitur, quacumque hora illius diei carnes comedit, peccat. Esto enim violauerit ieiunium bis comedendo, non violauit omnimodo, quo potest, nam potest, sæpe comedendo carnes, sæpe violare. Ità Palaus *tom. 3.tr. 15.d.1.pun.12.num.5.* Suar. *l.4 de voto, cap.7. num.9.* qui *num.12.* inquit, contrarium dicere, absurdissimum esse, & contra omnes.

464 *Veriorem hãc vtrumque esse sententiam.*

Verius censeo, vouentem ieiunium obligatum esse, à carnibus abstinere eo modo, quo præceptum Ecclesiastici ieiunij obligat: ac proinde toties peccare aduersus votum, quoties carnes exederit. Fateor, vouentem abstinentiam à carnibus, eatenus illam vouere, quatenus necesse est ad Ecclesiasticum ieiunium. At quia ad ieiunium Ecclesiasticum necessaria est abstinentia à carnibus semper & pro semper tota illa die: ea de causa toties peccatur contra votum, quoties hæc abstinentia violatur. Non tamen ideo tam acri censuræ P. Santij sententiam obnoxiam esse reor, satis enim eam probabilem iudico. Quia cum vouens solo voto ieiunij abstinere à carnibus obligetur, cessante obligatione ieiunij ob eius violationem, illa abstinentia cessat.

PROBL. XCIX.

Carens Bulla Cruciatæ ex vi Voti ieiunij, tenetur & non tenetur à lacticiniis abstinere in Quadragesima, aliisve temporibus, in quibus ex consuetudine ab iis abstinetur.

465 *Nonnulla suppono.*

CErtum est, extra tempus Quadragesimæ illis in locis in quibus consuetudo non viget ab his abstinendi, posse voto ieiunij astrictum vesci lacticiniis. Quia præsumendum non est, vouentem voluisse se obligare ad strictiorem ieiunij formam. Idem assero de voto ieiunij in Quadragesima vel illis in locis, in quibus viget abstinendi consuetudo, si Cruciatæ Bullam habeat. Habentes enim Bullam excusantur ob obligatione abstinendi ab his: quam excusationem non est præsumendus vouens voluisse reiicere: sed potius credendus est, voto se voluisse adstringere, ad seruandum ieiunium ea forma, qua exprecepto Ecclesiastico teneretur. Quæsierim verò, an carens Bulla teneatur ex vi voti ab ouis, & lacticiniis abstinere in Quadragesima, aliisve temporibus, in quibus ex consuetudine ab his abstinere fideles assolent?

466 *Non tenetur.*

Non tenetur. Quia sic vouens solum obligatur ad seruandum ieiunium eo modo, quo ab Ecclesia institutum est: At Ecclesia in præcepto ieiunij hanc abstinentiam non præscripsit, sed alio distincto precepto independenti à ieiunio. *cap. Denique* 4. ibi: *Par est, vt qui his diebus à carnibus abstinemus, ab his, quæ sementinam trahunt originem a carnibus ieiunemus.* Et ità in Dominicis Quadragesimæ ibi quoque præcipitur hæc abstinentia, cum tamen tunc non ieiunetur. Atque pueri, & omnes à ieiunio excusati tenentur à lacticiniis abstinere. Sic Sanch. *l.4. sum. cap.* 11. *num.* 53. Palud. *in 4. dist.* 15. *q.* 4. *art.* 4. *num.* 33. D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 3. Angles *p.* 1. *q.* 9. *art.* 1. *post difficul.* 7. *dub.* 2. *propos.* 3.

467 *Tenetur quidem.*

Tenetur quidem. Quia licèt abstinentia ab ouis, ac lacticiniis supponatur præcepto Quadragesimalis ieiunij: at quia hoc necessario supponitur & tanquam pars integralis talis ieiunij: ea de causa vouens illo tempore ieiunare, censendus est votum emittere de ieiunio sub illa forma. Ità Corduba *q.* 168. *pun.*2. Ludou. Lopez *p.*1. *Instruct. de ieiunio fol.* 714. Azor. *p.*1. *l.*7. *cap.* 10. *q.*6. Suar. *l.*4. *de voto, cap.*7. *num.*9. Pala. *tom.* 3. *tract.* 15. *d.*1. *pun.*12. *num.*18.

468 *Probabilius hoc existimo.*

Probabilius hoc existimo. Quia Ecclesiasticum Quadragesimale ieiunium non est sola abstinentia à duplici refectione; sed etiam abstinentia ab his, quæ à carnibus ducunt originem. Igitur carens Bulla, ex vi voti tenetur his diebus ab ouis ac lacticiniis abstinere.

PROBL. C.

Emisit quis Votum ieiunandi in pane, & aqua, quòd semel violauit vinum hauriendo: Hic autem post primam violationem potest, & non potest sæpius bibere, absque noua voti violatione.

469 *Nonnulla præmitto.*

CErtum est, qui ieiunium in pane & aqua vouit, obligari, ne aliud comedat, aut bibat. Quod si pisces, aut legumina comederit hora consueta, aut vinum biberit, peccat: Sed non obinde excusatur seruare Ecclesiasticum ieiunium, cum possit. Quia non est censendus Ecclesiasticum ieiunium promisisse dependenter ab illa circumstantia & conditione. Benè tamen conditio illa & circumstantia promissa est dependenter à ieiunio. Quia ieiunio violato, nulla est obligatio seruare eam abstinentiam, vtpotè accessoriam. Quæsierim autem, an circumstantia illa violata, eo quòd quis semel vinum biberit, possit ille sæpiùs bibere absque noua Voti transgressione?

470 *Potest planè.*

Potest quidem. Quia iam impossibile est, illam circumstantiã seruare. Sicut promittens ieiunare, si bis comedat, à ieiunio excusatur, & potest sæpiùs comedere. Quia violato ieiunio,

ieiunio, impossibile est, illud seruare. Ergò idem dicendum de vouente in pane & aqua ieiunare. Sic Sanchez *libr. 4. sum. cap. 11. num. 47.*

471 *Minime potest.* Minimè potest. Quia illa abstinentia ab omnibus aliis cibis, ac potu annectitur ieiunio promisso pro toto die, ac pro singulis eius partibus: ac proindè dum obligatio Ecclesiastici ieiunij perseuerat, obligatio huiusmodi abstinentiæ persistit. Ità Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. punct. 12. num. 29.*

472 *Æquè probabilè vtrámque partem reor, dupliciq; quæstiunculæ respondeo.* Ego quidem æquè probabilem vtrámque sententiam esse putarim. Addo tamen duplicis quæstiunculæ fine pugna resolutionem. Quis vouet, à carnibus abstinere; rogas an Votum hoc abstinentiam à lacticiniis comprehendat? Et an Votum abstinendi à lacticiniis, comprehendat ab ouis, & à carnibus abstinentiam? Respondeo, per se non comprehendere. Quia sunt res omninò distinctæ, & licet in præcepto Ecclesiastico vniantur: non indè infertur, in Voto vniri debere: cum hæc obligatio pro intentione vouentis suscipiatur, qui specialem finem habere potest, in vna obligatione, quam in altera suscipienda. Sa *verb. Votum, num. 25.* Sanchez *lib. 4. sum. cap. 11. num. 46.* Quis vouet abstinere à vino: rogitas ad quid obligatur? Respondeo, Votum sub graui culpa obligare, ne bibatur in ea quantitate, quæ vino moderatè vtentibus pro vna comestione sufficeret. Non tamen obligare, vt abstineat à cerusia. Quia cerusia vinum non est, tametsi Votum sit emissum fine ebrietatem vitandi. Finis námque extrinsecus Voti sub voti non cadit obligationem. Sanch. *citat. numer. 44.*

PROBL. CI.

Promittit quis Ecclesiæ vnum seruum ex iis, quos habet: & antè Voti adimpletionem pereunt omnes serui præter vnum: Hic tenetur, & non tenetur integrè ad voti executionem.

473 *Quid certum promitto.* ANtequam serui alij pereant, potest vouens eligere, quem maluerit. Quia cum non constet de voluntatis eius determinatione, non est, cur ad pretiosiorem obligetur. Bonac. *tom. 2. d. 4. quæst. 2. punct. 6. num. 32.* Quæsierim verò, si omnes serui perierint, præter vnum, an vouens integrè ad Voti executionem teneatur?

474 *Minimè tenetur.* Minimè tenetur. Quia seruus remanens non est magis promissus, quam alter ex iis, qui periere. Cur ergò quilibet ex his, qui perierunt, perire integrè debet promittenti, & non Voti obligationi? Pereat igitur & Voti obligationi, & promittenti: & consequenter seruus superstes remaneat & promittenti, & Voti obligationi, ac proindè diuidatur. Sic Molina *tom. 2. de iust. d. 270.* Sanchez *libr. 4. sum. cap. 13. num. 19.*

475 *Tenetur omninò.* Tenetur omninò tam vouens, quam eius hæredes tradere Ecclesiæ seruum remanentem. Quia in illo Voto nullus seruus fuit determinatè promissus, sed quilibet promissus fuit sub disiunctione, hoc sensu: Dabo vnum ex seruis, quos habeo, hunc, vel illum: Ergò remanente vnico seruo, remanet tota materia sufficiens ad Voti executionem. Tenetur igitur vouens, Votum integrè adimplere. Ità Bonac. *tom. 2. d. 4. quæstion. 2. punct. 6. num. 34.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. punct. 12. numer. 26.*

476 *Veriorem hãc partem esse credo.* Hanc partem crediderim esse veriorem. Concedo námque, non esse magis promissum seruum remanentem; quam reliquos, qui periêre: sed omnes æquè sub disiunctione esse promissos. At non indè infertur obligationi Voti seruos illos perire debere. Quia cum Voto determinatè addicti non fuerint, obligatio Voti integra perseuerat, quoties persistit materia executioni Voti sufficiens.

PROBL. CII.

Rem determinatam quis vni Ecclesiæ specialim promisit: Sed pest Votum emissum, dubitat, cuinam promiserit Ecclesiæ: Potest hic, & non potest rem promissum cui maluerit ex his Ecclesiis applicare.

477 *Potest facilè.* POterit planè. Quia tota voti obligatio ex voluntate vouentis exoritur. Cum ergò vouens nesciat, quamnam ex illis Ecclesiis applicauerit, non est, cur eius obligatio determinata censeatur. Neque est simile de eo, qui obligatus est, rem aliquam restituere, ignorat autem cuinam è duobus debeat: quam tenetur pro ratione dubij singulis dimidere; quia singuli, posito illo dubio iustitiæ ius habent. At Ecclesiæ, quibus per Votum res est promissa, nullum ius habent, sed totum ius penes Deum, in cuius honorem res est promissa, residet. Sic Sanchez. *lib. 4. sum. cap. 13. num. 18.*

478 *Non potest.* Minimè poterit, sed obligatus est, rem dividere. Quia cognoscit rem illam vni ex illis Ecclesiis determinatè promisisse; quod verò postea ignoret, cui promiserit, non tollit, quominus vni ex illis determinatè debita fuerit ex determinatione, quam vouens nequit reuocare. Ergo neque tollit, quominus illi donari debeat. Cum igitur cognoscere non potest, cuinam ex illis debeatur, recta ratio postulat, vt pro qualitate dubij rem dividat, siquidem hæc divisio in eius damnum non cedit, & ex alia parte debito contractui meliori possibili modo satisfacit. Ità Palaus. *tom. 3. tract. 15. d. 1. punct. 12. numer. 27.*

479 *Veriorem hanc partem esse credo.* Veriorem hanc partem esse existimo. Quia si vni Ecclesiæ res integra tradatur, vouens se periculo exponit tradendi eam, cui non debet. Secus dixerim, cum à principio Ecclesia, cui res donanda est, determinata non fuit. Quia tunc relinquitur arbitrio vouentis, & ipsius hæredis determinatio, vt idem Palaus, cui adhæreo, edocuit.

* * *

PROBL.

PROBL. CIII.

Executio Voti potest, & non potest differri quousque vouentis conscientiam pro executione remordeat, si vouens tempus non determinauit.

480 *Nonnulla præmitto.*

SI vouens tempus assignauit ad voti executionem non obligat vsque ad illius aduentum. Nec tenetur tempus præuenire, si præsumat, eo tempore esse impediendum. Quia mensura obligationis voti est intentio vouentis: & cum hæc solum sit pro tempore assignato, solo eo tempore obligatio est adstruenda. Si igitur votum fiat sine aliqua temporis determinatione, quæsierim, quonam tempore obligabit?

481 *Votum obligat ad executionem cum conscientia pungit.*

Certè votum pro tunc obligat, quando vouentis conscientia pro eius executione remordet. Quia ipsa conscientia est intentionis index. Sic Caietan. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 3. Nauar. *c.* 12. *sum. num.* 42. Ludou. Lopez *p.* 1. *Instr. c.* 44. Reginal. *l.* 8. *num.* 86.

481 *Non est differenda executio ad conscientiæ punctum.*

Executio voti non est differenda ad tempus quo conscientia remordeat. Fallax enim hæc regula. Quia timoratis nimis est stricta: at negligentibus suæ salutis nimis lata, quippè qui nullis scrupulis vrgentur. Obligat igitur executio quam primum commodè fieri possit. Quia obligatio voti nascitur promissione, & acceptatione Dei: ergo promissio facta absque vlla assignata dilatione, & sic à Deo acceptata, obligationem executionis inducit absque vlla dilatione. Certe eo ipso, quo promissio facta est, debetur promissum Deo, & potest Deus illud expostulare: nam debitum sine termino exigere debitor potest, quoties sibi placuerit *leg. Promissor*, §. 1. *ff. de constitut. pecu.* Ergo executio voti non debet differri ad tempus, quo conscientia pungit ad impletionem. Ità Sylvest. *v. Votum.* 2. *quæst.* 2. & 5. Armil. *ibi, num.* 15. Sa *v. Votum, num.* 18. Valent. 2.2. *d.* 6. *quæst.* 6. *pun.* 4. *quæstiunc.* 3. Azor. *pun.* 1. *cap.* 15. *quæst.* 10. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 14. *num.* 5. Suar. *l.* 4. *de voto, cap.* 12. *num.* 6. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. Bonac. *to.* 2. *d.* 4. *quæst.* 2. *pun.* 5. §. 1. *num.* 13.

483 *Hoc mihi certum.*

Certum mihi est, executionem huius voti instare eo tempore, quo commodè fieri possit, non antea, nec postmodum. Quia votum, quo nullum tempus executioni determinatur, sic exæquitate explicandum venit, vt credatur vouens voluisse se cum hoc temperamento obligare iuxta *leg. Quod dicimus, ff. de solution.* Ex quo fit occasionem rationabilem esse differendi voti executionem, si spes subsit; quod melius & vtilius ea dilatione posita, votum exequendum. Quare si quis ad Religionis labores perferendos satis non se videat idoneum sperat autem fieri, si differat, poterit differre. Vt aptè Layman *citat. num.* 5. Sanch. *num.* 11. & Corduba *sum. quæst.* 39. monuêre. Hinc concludo, fallacem, & incertam esse regulam illam à Doctoribus primæ sententiæ indicatam.

PROBL. CIV.

Mortale est, & non est mortale peccatum voti Religionis, aut seruitij perpetui in Xenonochio (verbi gratiâ) executionem vltrà sex menses differre.

484 *Non est mortale.*

MOrtale non est. Quia plures Doctores iudicant dilationem duorum vel trium annorum absque periculo obliuionis, vel impedimenti, vel vlterioris dilationis non esse mortale. Sic Petrus de Ledes. *to.* 2. *sum. tr.* 10. *cau.* 3. *dub. penult.* Armil. *v. Votum, n.* 16. Manu. *to.* 2. *sum. c.* 95. *n.* 9. In votis verò, in quibus nil ex dilatione omittitur implendum censent alij tunc esse mortale quando adest ex dilatione periculum nunquam ea exequendi. Quia parum videtur interesse, quod hoc vel illo tempore votum reddatur, si tota res promissa redditur, & tempus designatum non sit. Sic D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 11. *cap.* 1. §. 1. & indicat Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 14. *num.* 31.

485 *Mortale est.*

Est quidem mortale. Quia votum Religionis aut perpetui in Xenedochio seruitij vltra sex menses notabilis est, cum cedat in grauem diuini cultus diminutionem & propriæ vtilitatis iniuriam. Ita expressè Sanch. *citat. num.* 22. Pala. *d.* 1. *punct.* 13. *num.* 7.

486 *Primæ sententiam minus latam esse iudico adhærens secundæ.*

Eis quidem adhæreo, iudicans Ledesmæ, Armillæ & Manuelis sententiam ita latam probandam non esse ob Santij & Palai rationem. Minorem verò dilationem sex mensium notabilem esse non censeo ob tanti operis difficultatem. In reliquis autem votis ex dilatione non diminutis crediderim, dilationem duorum vel trium annorum esse notabilem. Quia licet res promissa sit integrè exequenda, eius tamen executionem tanto tempore contra voluntatem Dei creditoris differre, grauem deordinationem continet. Quod probarim ex dilatione debiti hominibus promissi, quod nullus negabit, grauem culpam si immoderata sit: constituere.

PROBL. CV.

Si cum quis Votum emittit, se cognoscit fore impotentem ad illius executionem: tenetur, & non tenetur, per alium implere.

487 *Nonnulla certa recolo.*

VIdimus *sect.* 1. votum siue personale, siue reale solum vouentem adstringi posse. Quia solum astringere potest eum qui intentionem se obligandi, habuit: & cum nullus alius eam intentionem habere possit, nisi qui verè vouet & promittit, efficitur, nullum alium præter vouentem adstringi posse. At sic rogites, num à solo vouente possit votum impleri? certum est si votum personale sit à solo vouente impleri posse. Quia nullus implere potest votum nisi exequendo rem promissam: sed res promissa in voto personali est actio propria vouentis, non alterius: Ergo nullus alius à vouente votum personale valet implere. Quare si vouens impotens

potens sit votum implere, non tenetur curare, vt alius loco illius impleat. Quia hanc obligationem per votum non suscepit: neque alterius executio est proprij voti emissi satisfactio. Quod verissimum est, siue culpabiliter, siuè absque culpa huiusmodi impotentiam contraxerit. Quæsierim verò, an si cum quis votum emittit, se cognoscit impotentem fore ad illius executionem, teneatur per alium implere?

488 *Tenetur implere per aliũ.* Tenetur quidem. Quia dum contrarium non constat, præsumendum est, hanc fuisse eius intentionem, nempè votum per alium implere, nè vanè & irrisoriè vouisse censeatur. Sic Abbas *ad cap. Licet, de voto. num.* 13. Sylvest. *v. Votum, 2. q.* 10. Nauar. *sum. c. p.* 12. *n.* 55. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 2. *num.* 26. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *cap.* 3. *q.* 5. *corol.* 4.

489 *Per alium implere non tenetur.* Non tenetur, per alium implere. Quia fundamentum primæ sententiæ leue est ad illam præsumptionem adstruendam, cum nullum ex verbis vouentis indicium ad huiusmodi obligationem colligatur: si quidem non alienum factum, sed proprium promiserit. Ita Suar. *l.* 4. *de voto, cap.* 10. *num.* 7. Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 2. *pun.* 5. *§.* 3. *num.* 2. Palaus. *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *pun.* 15. *num.* 4.

490 *Verius hoc mihi.* Hanc partem crediderim, & vouentem potius temere, & arroganter promisisse, quam contra verba promissionis obligationem voluisse contrahere.

PROBL. CVI.

Quis Religionem ingressus post votum reale factum, vult votum illud professione non extingui: Manet quidem, & non manet hæres obligatus.

491 *Plura suppono circa hæredum obligationem ad vota defuncti.* REcolo, voti personalis obligationem cum persona extingui, nec ad hæredes trasire posse. Quia hæc obligatio actiones vouentis respicit, ideóque nequit in alterum deriuari. Obligationem verò voti realis ad hæredem siuè necessarium siue voluntarium transire iuxta vires hæreditatis, salua hæredis legitima. Quia defunctus cum votũ reale emisit, obligatus fuit suis bonis illud exequi: Ergò si de facto executus non est, hæres in bonis illius succedens, eiúsque personam repræsentans, eam subiit obligationem. At hæc hæredis obligatio non excedit vires hæreditatis. Quia ratione hæreditatis acceptæ hæc obligatio nascitur. Porrò ad executionem huius obligationis hæres compelli potest tum excommunicatione, tum priuatione hæreditatis, tametsi non promiserit. Quia defectus promissionis non impedit, quin hæres sit ex iustitia obligatus. Dicmum suppono professione Religionis tam vota personalia, quam realia extingui, iuxta communem sententiam. Vnde hæres non tenetur vota Religiosi professi soluere. Quæsierim itaque si Religiosus vult votum reale suum professione non extingui, an hæres teneatur implere?

492 *Tenetur hæres illud votum implere.* Tenetur quidem. Quia illud votum non manet extinctum, si quidem non extinguitur superioris irritatione, vt de se constat: nec etiam professi commutatione, quia ad hanc extinctionis modum vouentis consensus requiritur. Ergò hæres tenetur votum illud implere ac si vouens sæculari in statu obiisset. Sic Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 2. *pun.* 5. *§.* 2. *n.* 9.

493 *Minimè tenetur.* Minimè tenetur, sed omninò votum illud extinguitur. Quia vota emissa ante professionem Religionis ipsa professione extinguntur non irritatione, nec commutatione, ahàve relaxatione: sed solutione illius perfectissima, quam talem esse ius reputat illam obligationem Deo perpetuo inseruiendi: Ità Palud. *in* 4. *dist.* 38. *art.* 1. *concl.* 6. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 15. *num.* 23. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *pun.* 16. *num.* 8.

494 *Hanc partem reputo veriorem.* Hanc partem longè existimo veriorem. Nam professi consensus, vel dissensus, suppositio Regularis professionis vi, huiusmodi solutionem perfectissimam, quam Deo ipse gessit, immutare non potest. Ergò perfectè Deo est satisfactum: Ergò hæres omninò à voti illius solutione seu obligatione liberatur.

PROBL. CVII.

Cum pluribus votis realibus obstrictus est defunctus, nec hæreditas sufficit omnium solutioni: tenetur, & non tenetur hæres pro rata diuidere.

495 *Nonnulla præmitto.* SVppono hæredem debere defuncti vota sic soluere, nempè post debita iustitiæ, & ante legata pia. Ratio prioris partis est, quia Deus non acceptat oblata cum iuris tertij præiudicio: neque bona defuncti reputantur, ex quibus hæres vota debet soluere, nisi quæ deducto ære alieno supersũt *leg. Mulier, iuncta Glos. v. Aliena. ff. de iure dot.* secunda pars conclusionis scilicet, vota queiscũque legatis piis esse præferenda, est manifesta. Quia vota defunctum obstringunt, non autem voluntaria legata. Sed quid dicendum, cum defunctus plurib. votis fuerit obstrictus, neque hæreditas seu pars hęreditatis post debita iustitię reliqua ex quo soluẽda sunt vota, eorum solutioni non sufficit. An hæres tenetur pro rata diuidere?

496 *Tenetur diuidere.* Tenetur quidem. Quia argumentum sumitur ex legatis, quorum integræ solutioni si hæreditas non sufficiat, pro rata est diuisio facienda. Nam obligatio hæredis ad soluenda vota est eiusdem rationis, ac obligatio soluendi legata, cum vtraque sit iustitiæ, orta ex additione hæreditatis. Quare stare optime potest, quòd defunctus obligatus sit votum dere meliori manifestè, prius exequi: & in casu dubio, quod prius emissum est. Et tamen hæres hanc obligationem non habet. Quia defunctus directè obligatus est Deo ex vi voti, & promissionis, vnde mirum non est, obligari exequi, quod Deo gratius fuerit. At hæres non obligatur Deo, sed defuncto, & consequenter omnibus, in quorum vtilitatem vota sunt facta: Ergo quod ipsis gratius fuerit, debet exequi. Credendum autem est, gratius fore, si pro rata fiat diuisio: Ergò gerenda est. Sic docti Neoterici, quorum sententiam haud omninò improbabilem esse iudicarim.

Minimè

497 Minimè tenetur, pro rata diuidere: sed obligatus est, votum de re meliori præferre: & in casu dubio, votum, quod prius emissum esse constiterit. Quia hæres defuncti personam repræsentat. At defunctus illa vota eo ordine tenebatur exequi. Ita Sanchez *l. 4. sum. cap. 15. nu. 41.* Bonac. *tom. 2. d. 4. q. 2. pun. 5. §. 2. num. 14.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. punct. 16. num. 11.*

Non tenetur diuidere.

498 Hoc omninò tenendum esse reor, nec obstare, quod hæres ob aditam hæreditatem defuncto obligetur: quia obligatur defuncto iuxtà ipsius defuncti obligationem, & voluntatem: quæ alia esse non potest nisi ea, quam secundæ sententiæ Auctores assignant.

Hoc omninò tenendum esse iudico.

PROBL. CVIII.

Quando non constat quodnam votum melius sit: aut quodnam prius fuit emissum à defuncto vouente: hæres tenetur, & non tenetur pro rata diuidere omnium votorum satisfactionem.

499 DIxi Problem. proximo, hæredem obligatum esse votum defuncti de re meliori præferre, & in casu dubio, votum quod constiterit prius fuisse emissum, cum pluribus votis adstructus obiit vouens, & cunctis implendis non sufficit hæreditas. Si verò non constiterit, quodnam eorum votorum sit melius, neque quodnam fuit prius emissum, quæsierim quid agendum hæredi?

Quæstionis status.

500 Porrò tenetur satisfactionem inter cuncta vota pro rata diuidere. Quia licèt defunctus in illo casu electionem facere posset, non inde infertur posse hæredem. Defuncto, dum superstes erat præfata electio concedebatur, quia Deum creditorem habebat, cui æquè gratum esset votum vnum integre implere quàm duo vota æqualia dimidiatè. At hæres non Deum creditorem, sed defunctum habet, cui ob aditam hereditatem obligatus fuit: & consequenter obligatus est omnibus illis in quorũ vtilitatẽ vota cedũt; ob quã rationẽ hæres neque cõmutationem, neque dispensationem irritationémve votorum facere potest: quæ quidem vouenti concederentur. Sic Sanch. *l. 4. sum. c. 15. n. 41.*

Diuidere pro rata tenetur satisfactionem.

501 Non tenetur pro rata diuidere satisfactionem, sed in nostro casu potest, eligere quòd malucrit votũ vt illi satisfaciat vt defũctus poterat. Quia ea obligatio Religionis, quæ in defuncto erat, translata est in hæredem, & facta obligatio iustitiæ, non tamen aliquo modo est immutata. Ita Palaus *to. 3. tr. 15. d. 1. pun. 17. n. 12.* Bonac. *to. 2. d. 4. q. 2 pun. 5. §. 2. n. 15.*

Non tenetur.

502 Veriorem hanc partem esse existimo. Cui crediderim non obstare, hæredem obligari, & aliis, in quorum vtilitatem vota sunt facta. Quia non obligatur nisi cum qualitatibus, quibus testator Deo obligabatur. Quod verò non possit commutationem, vel irritationem petere, inde prouenit, quod eius obligatio non sit voti, sed quasi contractus, ex aditione hæreditatis prouenientis. Limitat tamen Bonacina, Sanctio consentiente, vt præfacta doctrina non procedat, si ab his, in quorum gratia facta sunt vota fuerit promissio acceptata. Tunc enim non electio, sed diuisio pro rata (inquiunt) facienda est. Rogitas, quando nulli sunt hæredes quinam illorum teneatur in solidum vota defuncti soluere; Respondeo, neminem in solidum teneri. Quia solum tenetur quatenus est hæres: & cum solum in parte sit hæres, pro ea parte vota soluere tenetur. Colligitur ex *leg. In executione 85. vers. Secunda, ff. de verb obligat.* & tradit Sanchez *num. 42.* asserens esse omnium.

Hoc verius esse reor.

PROBL. CIX.

Filius votum Religionis emittit sub hac conditione: si pater consenserit: Impleta est, & impleta non est conditio, si declarato filij voto, pater consentiat, licèt postea dissentiat.

503 SVppono, verissimum mihi esse, intentionem communem filiorum in hac conditione apponenda, esse, molestiam parentum vitare, ac proinde non tam positiuum eorum consensum quam carentiam dissensus expostulare: æquiualereque hanc conditionem, *si pater consenserit*, huic, *si pater non contradixerit.* Quæritur autem, num censeatur impleta hæc conditio, si declarato filij voto, pater consentiat, esto postea dissentiat?

Quædam præ-via suppono.

504 Impleta est planè conditio. Quia sicut non impletur conditio, si dissentiat, esto postea, consentiat: sic impletur conditio si pater consentiat esto postea dissentiat. Illo namque primo consensu exhibito iam obligatus est filius ingredi Religionem: quòd verò postmodum pater dissentiat accidentale est. Sanchez pluribus relatis, *l. 4. cap. 23. numer. 14.* Laym. *l. 1. tr. 4. cap. 6. concl. 4.*

Impleta est conditio.

505 Minime est conditio impleta, si pater primo consentiat, & postea dissentiat, antè quam Religionem ingrediatur. Quia ex vi illius conditionis, non vult filius se obligare ad Religionis ingressum, stante patris dissensu. Ita Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1 pun. 17. num. 3.* & alij docti Neoterici.

Non est conditio impleta.

506 Ego quidem hoc probabilius reor: & ipse Santius *num. 34.* fatetur de hac conditione expressa, *si pater non contradixerit.* At hæc conditio, *si pater consenserit*, non positiuum consensum, sed carentiam dissensus toto tempore ante ingressum Religionis significat: Ergò idem est dicendum de hac conditione, *Si pater consenserit*, ac dicitur de hac conditione, *Si pater contradicerit*: scilicet non impleri, quandocumque ante ingressum Religionis pater dissentiat. Verùm si pater tempore voti mortuus fuerit, vel antequàm dissensum præstiterit: conditio impleta censebitur. Quia patris dissensus esse non potest, sub cuius carentia Religio promittitur.

Hoc probabilius existimo.

* *
*

PROBL. CX.

Conditio Voti debet, & non debet in specifica forma impleri: sufficit, & non sufficit, si in æquivalenti impleatur.

507 *Non debet necessariò in specifica forma Votum impleri.*

NOn debet necessariò Voti conditio in specifica forma impleri, sufficit in æquivalenti, dummodò per illam æquivalentiam idem intentus sequatur effectus. Quia eo casu non spectatur conditio in se, sed quatenus via est, & dispositio, ad faciliùs effectum obtinendum Si ergò hæc dispositio & facilitas alia via obtinetur, conditio æquivalenter impleta est, & vouentis intentio satisfacta. Exemplis expono. Religionis Voto obligatur ille, qui se ingressurum promisit, quando soror eius matrimonio collocata fuerit, si de facto ipsa obiit, vel in Religione professionem gessit, vel cum fratribus diuitibus fuerit absque sui præsidij necessitate: quando solum ea causa suum in Religionem differt ingressum, ne sororem destitutam relinquat. Item voto Religionis tenetur ille, qui ingredi vouit, quando pater obierit, quia existimabat, præ paupertate parentis toto vitæ tempore fore ei necessarium. At posteà pater ad pinguiorem fortunam ascendit: ac proindè cessat finis, ob quem differt Religionis ingressum. Sic Sanch. aliis relatis, *lib. 4. sum. cap. 23. num. 27.*

508 *Necessariò debet impleri in forma specifica.*

Necessariò debet conditio in specifica forma impleri, nec sufficit æquivalenter. Quia satis commune est, conditionem in specifica forma impleri debere iuxtà *leg. Qui hæredi. §. 1. & leg. Mœnius, ff. de condit. & demonstrat.* Conditio enim induit formam. Et licèt ab hac regula excipiantur conditiones, quæ tanquam dispositiones & media, ad effectum intentum assumuntur, vt non sit necessarium in specifica forma impleri, si æquè alia via effectus obtinetur, (vt probat Menoch. *de præscript. l. 4. de præsump. 185. à n. 6.*) id non ex natura rei, sed ex iuris dispositione habetur. At cum in Votis, & eorum obligationibus nulla talis dispositio inueniatur, asserendum est, conditiones oppositas illorum obligationibus in specifica forma impleri debere. Cum enim tota Votorum obligatio non ex lege, vt in humanis contractibus, sed ex intentione vouentis pendeat, & hæc astricta sit illi conditioni, non videtur sufficere, quod altera loco illius apponatur, esto finis intentus æquè imò perfectius possit obtineri. Ita Palaus *tom. 3. tractat. 15. d. 1 punct. 17. num. 5.*

509 *Hoc teneo, & expono.*

Hunc sequor, & doctrinam appositis pro prima sententia exemplis expono. Vouens Religionem, quando soror collata fuerit in matrimonium, vel quando pater mortuus fuerit, animo non relinquendi sororem, vel patrem desertum, non vouet Religionem, quando finis vtcúmque obtinetur, sed quando tale medium apponitur ad illum obtinendum. Non enim dicit: *Ingrediar Religionem, quando soror, vel pater meo præsidio non indiguerint*: Hic namque est finis intentus in illa conditione, sed non est ipsa conditio. Sed dicit, *Ingrediar Religionem, quando soror matrimonio competenti fuerit collocata, & pater obierit*, ac proindè conditio non est de fine, sed de aliquo medio ad finem determinato. Ergò tali medio non posito, esto aliundè finis obtineatur, non impletur conditio, sub qua obligat Votum.

PROBL. CXI.

Culpabiliter impediens Voti appositam conditionem, tenetur, & non tenetur Voto, ac si conditio impleta esset.

CErtum est, si impediatur conditio à propria vouentis voluntate pendens, nullum esse peccatum. Quia eo ipso, quo propriæ voluntatis iudicio remissa est: potest pro libito, impediri, vel non impediri. Quod verissimum est, quando conditio, sub qua Votum obligat, nulla lege præcipitur. Si autè conditio ex alterius voluntate pendeat, & lege prohibita sit, certum est, vouentem obligatum esse totis viribus conari conditionem impedire: vt si promiserit Religionem, si eius filius in fornicationem lapsus fuerit. Non enim Religio esse potest contraria charitati: ac proindè nec impedire, quin fornicationem filij euitare conetur. At si conditio nulla lege prohibita sit, obligatus est ex vi Voti conditionem non impedire. Quia vouens sub conditione ab alterius voluntate pendente, in eius voluntatem sui Voti obligationem remittit. Ne igitur hæc remissio inanis sit, cogitur voluntatem alterius non impedire. Porrò vouens Religionem sub conditione paterni consensus, non agit contrà Votum, si de facto procuret precibus, & rationibus, ne consentiat. Quia hæ preces, ac rationes consensum paternum absolutè non impediunt: si quidem illum liberum ad consentiendum relinquunt. Esset autem contra Votum, si per vim aut fraudem consensus impediretur. Si quis verò votum emitteret ineundi Religionem, si integram recuperaret sanitatem, & cóntra Votum immoderatè cibis noxiis vtatur, vel media necessaria ad recuperandam sanitatem non apponat, animo subterfugiendi Voti obligationem: contrà Votum delinquit. Quia conuincitur irrisoriè Religionem Deo promisisse sub conditione, quam malitiosè de medio tollit. Secus erit si passione ductus cibis noxiis vtatur. Quia ex vi huius Voti non est credèdum, eum voluisse obligari ad procurandam sanitatem aliter quàm anteà esset obligatus. Demum si quis Religionem voueat, si Deus eum anno integro à mortali crimine patrando præseruarit, contra Votum delinquet, si ex industria, vt Voti obligationem fugiat, incidat in peccatum: Secus si passione percitus corruat. Quia hoc Voto solùm obligari potest, nè malitiosè, & in Voti fraudem cōditionem præseruationis impediat: non autem, si eam impediat, qualiter, secluso Voto, impediret. Iam quæsierim, num in præfatis casibus impediens culpabiliter Voti conditionem teneatur Voto, ac si de facto conditio esset impleta?

510 *Multa sciatu digna præmitto, circa Vota conditionata.*

511 *Tenetur Votum si malitiosè impedierit conditionem.*

Tenetur Voto, si ex culpa graui (licèt non ex industria, vt voti fugiat obligationem) eui-tet conditionē. Quia iā per eum stat, quominus conditio

conditio impleatur. Sic supplent, Gabriel. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. Tabie. *verb. Votum* 2. *quæst.* 2. Angel. *verb. Votum* 1. *num.* 10. Alij addunt, hanc culpam debere esse ex malitia, & non ex infirmitate. Sic Sylvest. *verb. Votum* 2. *q.* 2. Manu. *tom.* 2. *sum. cap.* 98. *fine.* Quia si impedire conditionem ex infirmitate, sufficeret ad obligationem, semper Votum obligaret. Alij adiiciunt hanc malitiam debere esse in Voti fraudem: ita vt impediat conditionem animo Voti obligationem vitandi. Sic Navar. *sum. cap.* 12. *n.* 24. Sanch. *lib.* 4. *sum. cap.* 22. *num.* 47. & 53. Bonac. *tom.* 3. *d.* 5. *quæst.* 2. *punct. num.* 6. & 7. Quia si quis Religionem voueat sub conditione ab altero ponenda, quamque licitè impedire non potest: tacitè obligatur ad Religionem si per ipsum non steterit talem conditionem apponi: alias non esset obligatus conditionis euentum expectare: Ergò obligatur, si malitiosè conditionem impediat; quia non per alium, sed per eum stat, quominus conditio impleatur.

512 *Non tenetur licèt impediat malitiosè.* Minimè tenetur, licet malitiosè conditionem impediat. Quia obligari potest eo quod conditio impleta sit: & hoc non, quia supponimus malitiosè conditionem fuisse impeditam. Vel obligatur Votum implere ob peccatum commissum in conditione impedienda: & hoc minus verum est; nam hoc peccatum solam obligationem pœnitentiæ, non restitutionis, ac satisfactionis affert. Ergò nullo ex capite potest oriri exequendi promissum obligatio. Ità Maior. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *corollar.* 7. Suar. *lib.* 4. *de Voto, cap.* 17. *num.* 20. & valdè probabilem reputat Layman. *lib.* 2. *tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 3. Palaus autem *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *punct.* 17. *num.* 11. planè probabiliorem.

513 *Idem iudico.* Idem iudico. Quia cum tota obligatio Voti pendeat ex vouentis intentione, & in Voto conditionali non sit nisi sub impleta conditione: efficitur, conditionem impleri debere, ad obligationem absolutam contrahendam. At eo ipso, quo conditio impeditur, non impletur: Ergò Votum illud conditionatum obligare non potest.

PROBL. CXII.

Qui duplex Votum emisit, alterum de fornicatione vitanda alterum pœnale de peregrinatione gerenda: Sublato Voto de fornicatione vitanda, sublatum censetur, & non censetur sublatum Votum de pœna illa incurrenda, si deliquerit.

514 *Explico quæstionis titulum.* DIxi, *De pœna incurrenda*, si deliquerit: quia si cum pœna sit incursa, nam primum Votum transgressum est: constat manifestè, sublato Voto vitandi fornicationem per dispensationem, vel irritationem, non tolli Votum de pœna incursa. Quia iam est ab illo omninò independens. Notauit Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 9. Qu æsierim itaque, an per dispensationem, vel irritationem sublato primo Voto fornicationem vitandi, censeatur sublatum votum de pœna illa incurrenda?

515 Non censetur sublatum. Quia est duplex Votum, quorum vnum ab alio non pendet. Potest enim esse obligatio ad pœnam, quin sit obligatio ex Voto vitandi fornicationem. Et è contrà potest esse obligatio vitandi fornicationem, quin sit obligatio pœnam subeundi: Ergò credendum est sic hæc Vota fuisse emissa. Sic nonnulli docti Neoterici, quorum sententiam non omninò crediderim improbabilem. *Non censetur sublatum votum de pœna incurrenda.*

516 *Sublatum censetur.* Sublatum censetur Votum de pœna subeunda, sublato Voto de fornicatione vitanda. Quia hoc votum emissum est vt accessorium priori, & in illius perfectam obseruationem. Ità Sanchez *libr.* 4. *sum. cap.* 22. *num.* 9. Layman. *citat.* Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *punct.* 18. *num.* 4.

517 *Hæc sententia placet omninò.* Placet mihi admodum hæc sententia. Nam esto independenter Votum alterum ab altero possit emitti: hîc non est præsumendum, eo quod frequenter, & in plurimum Votum pœnale vt accessorium priori Voto emittatur.

PROBL. CXIII.

Si quis duplici Voto est adstrictus, altero vitandi fornicationem, altero pœnæ subundæ, si non vitauerit: ad impetrandam dispensationem Voti principalis, debet, & non debet necessariò Voti accessorij pœnalis mentionem facere.

518 *Debet necessariò mentio fieri voti accessorij.* VOti accessorij debet necessariò mentio fieri. Quia ob eius accessum materia Voti principalis securior est reddita: ac proindè dignior, & Deo gratior: & frequenter maiori causa indiget ad sui dispensationem. Quod exemplo vouentis pergere ad limina Apostolorum sacco indutum illustro. Hic quidem non potest dispensationem obtinere huiusmodi peregrinationis, quin circumstantiam illam manifestet. Sic docti Neoterici, quorum mentem Palaus probabilem esse fatetur, dum contrariam sententiam satis probabilem solummodò profatur, *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *puntio* 18. *numero* 5.

519 *Non debet.* Non debet necessariò fieri Voti accessorij mentio in Voti principalis dispensatione, vel commutatione. Quia hæc mentio ideò facienda erat, quòd votum accessorium aliquo modo annecteretur Voti principalis materiæ, eámque digniorem, & gratiorem Deo redderet. At non sic se habet hoc votum pœnale: non enim annectitur Voti principalis obseruationi, sed potius illius transgressioni. Quia non obligat quousque Votum principale violatum fuerit: ac proindè materiam Voti principalis nec digniorem, nec gratiorem Deo reddit. Ità Sanchez *libr.* 4. *sum. cap.* 22. *num.* 9. Layman. *libr.* 4. *tractat.* 4. *capit.* 5. *corollar.* 2. Palaus *vbi supra.*

520 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Secus verò esse dicendum crediderim in exemplo adducto Romanæ cum sacco peregrinationis. Quia hæc circumstantia in obseruatione Voti peregrinationis ità adhæret, vt Votum principale sine ipsa obseruari non possit: itaque huius est mentio necessariò facienda, non illius.

PROBL. CXIV.

Votum quis emisit de vitando ludo, & casu quo non vitet, de subeunda pœna: Votum pœnæ debet, & non debet intelligi de sola prima vice.

521 *Nonnulla suppono.*

GRauis est difficultas an quoties quis violat votum, seu materiam, ad cuius obseruationem votum pœnale emisit, pœnam incurrat: vel tantum illam incurrat illa prima vice; v. gr. promisit si luserit peregrinationem Romanam, Religionem ingredi, eleemosynam agere: quæritur, an ad multiplicationem delicti pœna sit multiplicanda. Scio, id Emanuelem de Sa *v. Votum, num.* 26. negare, cuius ratio esse potest, quia pœnæ multiplicandæ non sunt absque manifesta ratione: neque obligatio voti in casu dubio est extendenda, sed positis præfatis verbis, est satis dubium, illum velle obligari ad pœnam illam subeundam, quoties luserit. Quia solum ex illis colligitur, eum velle obligari, ad illam pœnam subeundam si de facto luserit: quod vnica vice completur, & confirmo: Cum aliquis vouet absolutè vigilia alicuius Diui ieiunare, de prima vigilia sequenti tantum intelligitur, nisi aliquod vniuersale signum addat: vt tradit Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 14. *num.* 40. Ergo similiter votum de pœna subeunda, si luserit, de primo ludo videtur intelligendum. Quia voti obligatio extendenda non est. Quod quidem probabile admodum esse reor, quandò solum est votum de subeunda pœna in casu ludi: non tamen est votum de ludo vitando: quæsierim autem si votum sit de ludo vitando, casu quo illum quis non vitet, de subeunda pœna an de sola prima vice votum debeat intelligi?

522 *Non debet solum de prima vice intelligi.*

Non debet intelligi solum de prima vice. Quia votum illud pœnale est accessorium voto non ludendi, seu de vitando ludo: sed votum de vitando ludo non est de sola prima vice: Ergo nec illud votum pœnæ subeundæ de prima vice debet iudicari solummodò. Confirmo: Votum pœnæ quis assumit ad se à ludo noxio quidē, continendum: sed is intendit non solum semel, sed in perpetuum à ludendi habitu continere: Ergo votum pœnæ non vnico ludo, sed omnibus est ludendi occasionibus annexum. Sic Sanchez *l.* 4. *cap.* 22. *num.* 21.

523 *Debet intelligi de prima vice.*

De sola prima vice debet intelligi. Quia ex eo, quod votum pœnæ accessorium sit voto non ludendi vnquam: non infertur indè pœnam multiplicandam esse pro qualibet voti transgressione. Potest enim quis sub vna singulari, & ineuitabili pœna sic promissa se continere in perpetuum à ludo, dum illam non contrahit: esto post illius incursionem cesset. Ità Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *punct.* 17. *num.* 6.

524 *Consentio, dū pœna sit grauissima.*

Ei lubens adhæreo, si pœna, quam quis per votum promittit, grauissima sit, quæque itegrari non solet, qualis est Religionis, peregrinationis Romanæ, vel Herosolymitanæ, aut exorbitatis eleemosynæ: tunc quidem de prima vice tantum votum, intelligendum esse reor. Quia pœnæ grauitas potest illum à ludo æternùm continere, & non est credendum intendisse vouentem se ad tàm ingentem pœnam subeundam sæpius, obligasse. De aliis verò pœnis moderatis verius reor, cuilibet transgressioni suam pœnam correspondere ad illamque subeundam, vouentem se obligare voluisse. Quia hac ratione efficacius se eum à praua consuetudine expediri, quis dubitet.

PROBL. CXV.

Cum quis subditus petit à superiore facultatem ad Voto promissam gerendam, tenetur, & non tenetur, Votum manifestare.

525 *Certa, minus quadam suppono.*

CErtum est, votum de re honesta, & solum prohibita quo ad modum, valere, verbi gratiâ prohibet Prælatus, ne eorum subditi tali, vel tali die ieiunent absque eius licentia: votum de ieiunio gerendo, sub intellecta conditione, si Prælatus consenserit, validum est. Quia ieiunium cum facultate non prohibitur: sed potius consulitur: & concessio licentiæ non est relaxatio præscripti, sed illius exeutio. Suar. *l.* 5. *de voto, cap.* 6. *num.* 9. Tenetur tamen sic vouens, licentiam à superiore petere. Quia promissum absque licentia illa non est voti materia: vt ergo voti materia sit, illa licētia sub re promissa cōtinetur. Ergo etiā cōtinetur illius petitio, vt potè medium moraliter necessariū ad eā obtinendā. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 7. Quæsierim verò, an teneatur vouens, eum licentiam à superiore postulat, votum factum manifestare?

526 *Tenetur, votum manifestare.*

Tenetur sanè. Quia hæc voti manifestatio conducit regulariter loquendo, vt facilius licentia concedatur: & casu quo neganda sit, prudentius negetur. Tenetur ergò eam gerere manifestationem: tenetur enim licentiam eo modo petere quo credit obtinendam, esse, vel esse prudenter denegandam. Alias conuincetur subditus, non habere verum propositum votum exequendi. Sic Azor. *punct.* 1. *l.* 11. *cap.* 16. *numer.* 6. Lessi. *l.* 1. *cap.* 40. *dub.* 13. *numer.* 73. Sayr. *in Clau, l.* 6. *cap.* 5. *num.* 20. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 6. & alij apud Santium *citandum.*

527 *Non tenetur, manifestare votum.*

Non tenetur votum manifestare, nisi se expresè ad id gerendum obligasset. Quia ex vi voti solum obligatus fuit licentiam petere. Ad petitionem autem licentiæ, illiúsque concessionem necessaria non est voti manifestatio: si quidem cessante voto, & peti, & concedi licentia poterat. Ità Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. Sanchez alios referens *l.* 4. *sum. cap.* 15. *num.* 29. Nauar. *sum. cap.* 12. *numer.* 69. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 1. *punct.* 19. *num.* 9. Suar. *l.* 3. *de voto, cap.* 6. *num.* 15.

528 *Hanc partem probabiliorem esse iudico.*

Hanc partem probabiliorem esse iudico, nec obstare, facilius licentiam obtinendam fore, si votum manifestaretur. Quia ad hanc facilitatem procurandam vouens non se obligauit. Addiderim, incertum esse, ex manifestatione voti licentiam facilius esse concedendam

dendam: fortè enim difficilius concederetur. Nam ægrè ferunt Superiores, huiusmodi Vota, eis consultis emitti.

PROBL. CXVI.

Parochi, aliive Clerici Beneficium habentes residentiam requirens, possunt & non possunt Religionem vouere nisi sub conditione petendi ab Episcopo facultatem. Licèt opus non est eam ab illo impetrare.

529 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quia absque huius licètiæ petitione transitus ad Religionem illis est interdictus *cap. Licèt, de Regular. cap. Admonet, de renunciat.* Sic Suar. *lib. 3. de Voto, cap. 4. num. 10.* Sayr. *in Clavi, l. 6. cap. 5. num. 25.* Graf. *part. 2. decis. l. 2. cap. 11. num. 24.* Azor. *part. 1. l. 11. cap. 6. quæst. 3.*

530 *Possunt quidem.* Possunt quidem. Quia nullus est textus, ex quo hæc obligatio petendi licentiam ab Episcopo colligatur. Nam textus in *cap. Licèt*, loquitur de Regularibus ad Religionem strictiorem transeuntibus, & sic non est ad rem. Textus verò in *cap. Admonet*, prohibens dimissionem Ecclesiarum Episcopo inconsulto: intelligitur de dimissione extra casum Religionis à iure concessum, vt indicat ibi Glossa. Ità Sanch. *lib. 4. sum. cap. 25. num. 48.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 1. punct. 19. num. 13.* Hostiens. Cardin. Anton. Abbas ad *cap. Licèt*, apud Santium.

531 *Hoc mihi certus.* Verius hoc mihi. Quia præter quam quod nullus textus contrarium præscribens inuenitur, extat textus ferè clarus & manifestus pro nostra sententia *cap. Duæ, 19. quæstion. 2.* in quo Vrbanus II. liberè permittit, quoslibet Clericos ad Religionem transire, neque ab Episcopo reuocari posse. Cum igitur nullius licentiæ petendæ mentionem gesserit, non est, cur illis hoc sit onus imponendum.

PROBL. CXVII.

Pœnitere de Voto facto, seu affici tristitia, quod illud emiserit: est, & non est veniale piaculum.

532 *Certum quid suppono.* Certum mihi huiusmodi tristitiam non esse per se Voti violationem. Quia cum hoc dolore, ac tristitia compati potest voluntas efficax promissum exequendi: sicut de facto esse potest voluntas absoluta exequendi præceptum: tametsi quis sentiat, & doleat, tali se præcepto grauari: Ergò dolor & tristitia Voti illius non est violatio. Nauar. *cap. 12. sum. num. 35.* Bonac. *tom. 1. d. 4. quæst. 1. punct. 5. §. 4. num. 14.* Notanter dixi per se non esse Voti violationem. Nam si ex dolore & tristitia, quo votum quis fecerit, periculo exponitur non gerendi promissum, Votum violatur. Quia Votum obligat firmum propositum de illius executione habere: nec periculo transgressionis exponi. Suar. *lib. 5. de Voto, cap. 7. num. 7.* Quæsierim autem, num hic dolor ac tristitia de Voto emisso sit saltem veniale piaculum?

Non est peccatum veniale. Quia ex obiecto nullam malitiam continet. Siquidem non appareret præceptum, cui talis dolor, ac tristitia aduersetur. Sicut enim nullum fuit præceptum Vouendi, ita nullum præceptum esse videtur perseuerandi in eo Voto: & sicut à principio poterat quis nolle vouere, sit post Votum factum potest nolle vouisse; quia vtriúsque actus idem est obiectum. Ergò ex parte obiecti dolor & tristitia de Voto facto nullam malitiam continet. Ex parte verò finis sæpè hic actus honestari potest. Si enim cognoscas, votum tibi fore damnosum, eo quod ob tuam malitiam occasio sit peccata multiplicandi: dolere de voto facto ob illum finem, non videtur illicitum: sed potius honestum. Sic Suar. citatus *num. 4. & sequent.* 533 *Non est peccatum.*

Regulariter, dolere de voto facto, veniale piaculum est. Quia hic dolor aliquomodo propositum Voti exequendi infirmat, retrahítque hominem à via perfectionis assumpta. Et quia frequenter huiusmodi dolor concipitur ex proprio amore, quo quis vult onera, & obligationes vtiles, ac sanctas excutere: ac proindè ex fine non licito. Ità Palaus *tom. 3. tractat. 15. d. 1. punct. 21. num. 3.* 534 *Regulariter peccatum veniale est.*

Crediderim, si aliquando quis doleat de Voto emisso ob trãsgressiones factas, talem actum virtuosum esse. Quia non est tam dolor de Voto facto, quam de illius transgressione. Potrò dolere de Voto per se & directè præcepto non aduersatur: aduersari tamen indirectè iudico: præcepto scilicèt non aduersandi, quod obligat, ne Voti executionis propositum aliqualiter infirmetur per hunc dolorem. Quare etsi nulla fuerit obligatio Votum emittendi, poterat esse de perseuerando in illo: aliàs posset quis pro libito illius obligationem excutere. Neque est simile; nolle vouere; ac nolle vouisse. Nam aliud est, viam perfectionis non accipere, aliud ab ea incœpta deflectere, illiúsque pœnitere, quod quidem regulariter inordinatum esse videtur. 535 *Hæc pars tenenda probabiliorem reputo.*

CAPVT XXI.

Circa Voti Irritationem.

PROBL. CXVIII.

Irritandi Vota potestas ortum habet, & ortum non habet à naturali iure.

EXPLICATA essentia Voti, eiúsque obligatio, restat exponere, quonã modo dissolui valeat. Vidimus autem *sect. 1.* triplici via hanc relaxationem fieri posse. Irritatione scilicèt, Dispensatione, ac Commutatione, Recolo igitur Irritationem esse actum, liberum, quo is, à quo Votum pendet, tollit Voti obligationem. 536 *Non nulla præmitto ad tractatum de Voti irritatione.*

Duplicem autem esse irritationem alteram directam & propriam, alteram indirectam, & impropriam. Directa est, quæ subiectione voluntatis fit; quia hæc respicit actum vouendi, illumque de medio tollit. Indirecta est, quæ materiam promissam respicit, impediendo illius executionem: quæque potius suspensio, quam irritatio vocatur. Deinde suppono irritatione prouenientem ex subiectione voluntatis non esse actum iurisdictionis, sed dominij: quatenus superior ratione potestatis dominatiuæ habet ius, ne subditus obligetur aliter quam pro suo consensu, ac voluntate. At irritatio ex promissa materia prouenies, aliquando est actus iurisdictionis, aliquando dominij. Est autem iurisdictionis tùm spiritualis, tùm temporalis: spiritualis, quando Pontifex, vel Episcopus materiam promissam prohibet, vel aliquid cum illius executione incompatibile præcipit. Temporalis, quando Lex, vel Magistratus iustè præcipit aliquid, ex quo executio voti redditur impossibilis. His præmissis ad totius tractatus intelligentiam, quæsierim inprimis, num irritandi vota potestas ortum habeat ex naturali iure an ex Pontificio?

537 *Potestas irritandi habet ortum à naturali iure.*

Ex iure naturali habet ortum. Quia filius naturaliter subditur patri, seruus domino, vxor viro, & Religiosus Prælato: At hæc subiectio est radix huiusce potestatis: Ergò à iure naturali hæc potestas oritur. Sic Petr. de Ledes. *tom. 2. sum. tract. 10. cap. 7. dub. 2.* Azor. *punct. 1. l. 11. c. p. 17. quæst. 3.* Suar. *l. 6. de voto cap. 6. num. 2. & 3.* loquens de potestate parentum in filiorum vota. *& cap. 7. numer. 3.* loquens de Prælatis Religiosorum. Sotus *l. 7. de iust. quæst. 3. art. 1.* Sayr. *in Claui l. 6. cap. 10. num. 7.*

538 *Non à naturali iure ortum.*

Potestas irritandi vota non habet ortum à naturali iure, sed ex iure positiuo. Quia si sermo sit de potestate irritandi indirecta, id est impediendi materiæ promissæ executionem, cum hæc sæpius impediatur ex iurisdictione à iure positiuo concessa, vel saltèm ex dominio iure gentium introducto, manifestum est, non ex iure naturali sed potius ex positiuo ortum habere. At si de irritatione directa ac propria loquamur, facilè ostendam ex iure positiuo prouenire. Id probo in Religiosis, ac in filiis familias. Porrò tria vota substantialia Religionis ex iure positiuo Regularem statum constituunt, redduntque Religiosum ita Prælato subiectum, vt nullum votum firmum, valeat emittere sine eius facultate. Certè non omnia Religiosorum vota possunt Prælati Regulares irritare; siquidèm votum assumendi strictiorem Religionem, irritare non possunt, *cap. Licet, de Regular.* Et sicut hoc votum fuit exceptum à dominatiua potestate, poterant alia excipi. Pendet ergò ex voluntate Pontificis limitare, vel extendere potestatem irritandi vota superioribus concessam. Ergo hæc potestas ex iure Pontificio oritur. Item de filiis familias constat ius naturale non magis dictare puberes subiici in votis realibus, quam in personalibus: neque magis in promissionibus homini factis, quam Deo: & tamen vota realia irritari possunt à patre, etiam post pubertam facta: & non personalia: & promissiones pupillorum homini factas, non potest pater irritare, vt in promissione sponsalium contingit; cum tamen votum reale, & personale irritari possit. Signum ergò est, ex iure positiuo hanc prouenire potestatem. Ita Grabriel Vasquez *l. 2. quæst. 96. art. 4. d. 165. cap. 3. 29.* Lessi. *de iust. l. 2. cap. 40. dub. 10. numer. 74.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 2. punct. 1. numer. 4.* Sanch. *l. 4. cap. 24. num. 32.*

Probabiliorem admodū hanc iudico sententiam. Ad cuius probationem vberiorem non feci de vxoribus, ac seruis mentionem. Quia non satis constat eorum vota posse directè irritari: sed tolum quatenus marito, vel domino præiudicant. 539 *Hoc longè probabilius.*

PROBL. CXIX.

Competit, & non competit Pontifici, aliisque Ecclesiæ Prælatis directa irritandi vota potestas.

COmpetit quidem fruunturque huiusmodi potestate ratione iurisdictionis sibi à Christo Domino concessæ. Quia ad rectam Ecclesiæ gubernationem videtur expedire, vt fideles in suis votis ita Pontifici, aliisque Prælatis subiiciantur, vt secundum eorum beneplacitum obligentur, & non alitèr. Sic Glos. *ad cap. Quemadmodum, de iureiur. v. Conditio,* Metina *de Sacror. homin. contin. l. 5. cap. 44.* Llamas *methodo curat. pun. 3. cap. 44. §. 41. fine.* 540 *Competit quatenus.*

Minime competit Pontifici aliisque Ecclesiæ Prælatis directe irritādi Christianorum vota potestas. Quia nullibi habetur hanc potestatem à Christo Domino datam esse, neque erat Ecclesiæ regimini necessaria, neque conueniens; potius enim decebat fideles liberos relinquere, vt firmiter Deo obligarentur. Siquidem ex hac libertate non impediebatur, quin posset Pontifex, iusta intercedente causa eos ab obligatione voti per dispensationem eximere, aut illorum executionem per potestatem præceptiuam impedire. Non igitur erat conueniens Pontifici concedi facultatem irritandi omnes promissiones hominibus factas. Nihil enim esset firmum & stabile. Ita Bonac. *to. 2. d. 4. q. 2. pun. 7. §. 1, n. 2.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 24. 18.* Vasq 1. 2. *d. 165. cap. 4.* Lessi. *l. 2. cap. 40. dub. 14. numer. 81.* Azor. *l. 11. c. 17. quæst. 3.* Suar. *l. 6. de voto, cap. 2. numer. 3.* Nauar. *sum. cap. 12. numer. 79.* Caiet. ex D. Tho. 2. 2. *quæst. 88. art. 12. in corp.* 541 *Minimè competit.*

Hoc omnino tenendum existimo, vnde à fortiori constat, non posse alios inferiores Prælatos, & multo minus Reges ac Principes temporales vota suorum subditorum directè irritare. Quia minore potestate in suos subditos gaudent, quam Pontifex. At si loquamur de potestate indirecta, quæ ex prohibitione materiæ prouenit, ea fideliū vota poterit Pōtifex irritare, quæ Ecclesiæ regimini obstiterint, quæque de materia specialiter sibi subiecta vouentes 542 *Hoc omnino tenendum indica.*

uentes emiserint. Vndè irritat vota Episcoporum & clericorum muneri sibi commisso præiudicantia. Alia vota nec hoc modo indirecto poterit irritare. Lessi. & Sanch. *citati*.

PROBL. CXX.

Peccant, & non peccant mortaliter superiores, qui subditis reuocant licentiam datam ad vouendum, facta promissione non reuocandi.

543 *Nonnulla præmitto, circa irritandi vota potestatem.*

AGimus, ad quænam vota irritatiua potestas sit extendenda, & supponimus ad vota interna extendi. Quia cum tota hæc potestas nitatur conditioni, quam subditi apponunt in suis votis: *si superiori placitum fuerit*, & superior circa vota interna sibique non manifesta, displicere potest: poterit planè ea irritare. Vasq. 1. 2. *d.* 60. *cap.* 4. *num.* 17. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 4. *sect.* 2. *num.* 8. *& l.* 6. *de voto, cap.* 7. *num.* 8. Eadem ferè certitudine tenendum esse, potestatem irritatiuam ad vota futura extendi. Quia quicumque gaudens potestate dominatiua, potest nolle, vt vota emittenda à subdito, eique prius non communicata nulla & irrita sint. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 24. *num.* 49. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 6. *concl.* 3. si superior maior concessit subdito facultatem emittendi aliquod votum, inferior Prælatus haud irritari posse. Quia in tantum vota subditi irritantur à superiore, quatenus iis superioris voluntas contradicit. At superiore maiore consentiente, nulla est inferioris Prælati contradictio. Suar. *l.* 6. *de voto, cap.* 8. *num.* 1. si autem localis superior licentiam emittendi, exequendique votum impertierit, posse Prouincialem illud irritare. Quia illo contradicente, tollitur inferioris Prælati consensus, & conditio beneplaciti superioris, sub qua votum à subdito fuit emissum. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 27. *num.* 5. At si de irritatione facienda ab eodem superiore, vel æquali eo, qui licentiam dedit, sermo sit, existimo, fieri posse valide, tametsi promiserit, licentiam non reuocaturum. Quia huius licentiæ concessione non eximitur subditus à subiectione, neque fit sui iuris, vt discurrendo per singulos subditos, apte quidem Ferdinand. de Castro Palao probat *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 2. *pun.* 3. §. 2. *num.* 4. Ego autem id solummodo (vt quæstioni locum statuam) in licentia data seruis ostendam. Si seruo à domino solum simpliciter concessa fuit ad votum emittendum, non impedit potestatem, id votum irritandi. Quia concedens licentiam, intendit quoad minus fieri possit, proprio iuri cedere: & consequenter solùm intendit impertire facultatem, & libertatem ad vtendum illa, dum sibi contrarium visum non fuerit. Verùm si licentia sub promissione non reuocandi fuerit concessa, irritare vota non poterit. Quia sibi non præiudicant, & illa in parte iam seruus est sui iuris. Nam si cum possit dominus seruo concedere simpliciter libertatem, à fortiori poterit libertatem largiri in aliqua peculiari materia siue reali, siue personali: qua libertate concessa, cessat irritationis fundamentum. Sanch. *l.* 4. *cap.* 27. *num.* 21. Iam requiro, num reuocans sine causa licentiam concessam, facta promissione non reuocandi: mortaliter delinquat?

Delinquit mortaliter. Quia si licentia concessa fuit sub tacita, vel expressa promissione non reuocandi, reuocatio sine rationabili causa facta est contra iustitiam, vel saltem contrà fidelitatem in re graui: Ergo est mortale. Adde, hanc reuocationem in Dei irreuerentiam cedere, siquidem materia ei promissa & dicata, & firmata superioris licentia, sine causa tollitur. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 3. Sanch. pluribus relatis, *l.* 9. *de matr. d.* 40. *num.* 7. *& l.* 4. *sum. cap.* 27. *num.* 28. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 18. Nauar. *sum. cap.* 12. *num.* 73. Aragon 2. 2. *d.* 88. *art.* 8. *post* 6. *concl.* 544 *Delinquit mortaliter.*

Non delinquit mortaliter, sed venialiter solùm. Quia reuocatio licentiæ concessæ sub non reuocandi promissione, non est contra iustitiam, si quidem ex licentia ad vouendum data subdito non amisit superior ius, quod habebat in subditum, ratione cuius ei competit irritandi potestas: ac proinde violans promissionem non reuocandi: contrà iustitiam non delinquit: ea enim promissione subditus non acquisiuit ius, nè à superiore gubernaretur, nèvè illi maneret subiectus. Ad summum est contra fidelitatem, quæ per se secundum probabilem sententiam, ad culpam tantum obligat venialem. Ità Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 3. *art.* 1. Rosel. *v. Votum* 3. *num.* 2. Suar. *l.* 6. *de voto, cap.* 4. *ad finem.* Et probabile reputant Sanch. *cit. num.* 32. Laym. *ibid.* & Palaus *tom.* 3. *tr.* 15. *d.* 2. *pun.* 3. §. 2. *n.* 9. 545 *Non delinquit venialiter.*

Ego autem non solum id probabile reputo, sed & probabilius esse iudicarim. Quia contra iustitiam non est, vt videmus. Contrà fidelitatem esse, solum est venialis culpa, quæ etiam excusari potest, si ipse, cui est data vouendi facultas, & promissio facta de ea non reuocanda cedat, & consentiat reuocationi. Neque etiam hæc reuocatio & irritatio est grauiter contra Religionem. Quia superior non vouit, neque irritando votum, facit, vt subditus votum transgrediatur: cum potius faciat, vt votum non sit, neque obliget: quod de se non est malum. Quare tota malitia sita esse videtur in quadam leuitate, & inconstantia animi, qua rem, vel personam Deo dicatam absque vlla causa à dedicatione detrahit & à via perfectionis excludit. Quod cum non fiat per violentiam, sed & suæ potestatis dominatiuæ vsum, non videtur grauem culpam constituere. 546 *Hoc mihi probabilius.*

PROBL. CXXI.

Taciturnitas, ac dissimulatio superioris sufficit, & non sufficit, vt censeatur licentiam vouendi subdito seu voti emisit approbationem impertire.

CErtum mihi, censeri superiorem concedere subdito licentiam vouendi non solùm quando conscius voluntatis subditi, tribuit facultatem, vt votum emittat: sed etiam quando conscius voti facti illud approbat. Quia quoties consensus non requiritur ad actus valorem, potest præstari antè & post, & in ipso actu: vt multis citatis, probat Marienzo *l.* 1. 547 *Quia certum suppono.*

recopil. titul. 9. leg. 5. gloss. 1. num. 1. & 2. Quod in hoc casu contingit, cum Votum subditi antè Superioris consensum validum sit, & obligatorium, solúmque ab illo consensu pendeat, vt accipiat firmitatem, nè possit licitè absque graui causa reuocari. Sanch. affirmans esse omnium, *l. 4. sum. cap. 27. num. 42.* Quæsierim verò enùm sufficiat taciturnitas & dissimulatio Superioris, Voto emisso cognito, vt censeatur licentiam, seu consensum, vel approbationem impertire?

548 *Sufficit quidem.* Sufficit, ex ea regula: *Qui tacet consentire videtur.* Quia Numeror. 30. dicitur: *Quod si audiens vir tacuerit, & in alterum diem distulerit sententiam: quidquid vouerat* (scilicet vxor) *reddet*, neque potest eius Votum iam pro libito irritari. Sic Innocent. *cap. Scripturæ, de voto, num. 4.* Ioan Andr. *ibi, num. 4.* Cardin. *quæst. 12.* Valent. *2. 2. d. 6. quæst. 6. num. 16.* & alij relati à Santio *lib. 9. de matr. d. 50. num. 9.* Addentes, debere Superiorem, audito voto, contradicere statim, vel saltem eo die. Nam eo transacto contradictioni locum non erit.

549 *Non sufficit.* Non sufficit taciturnitas absque interno Superioris consensu ad voti confirmationem: nec est illius signum sufficiens. Prior pars conclusionis clara est, quia Votum subditi nulla alia via firmatur, quam Superioris consensu: sub illius enim conditione emittitur: Ergò deficiente consensu, manet infirmum: Pars secunda probatur, quia consentire in Votis subditorum non est fauorabile Superiori, sed subdito: si quidem eo consensu posito, non potest pro libito Votum irritare, sed graui causa indiget. Ità D. Thom. *in 4. dist. 32. fine.* Suar. *lib. 6. de voto, cap. 6. num. 14. & cap. 4. num. 20.* Sanch. aliis relatis *lib. 4. sum. cap. 27. num. 46.* Palaus *to. 3. tract. 15. d. 2. punct. 4. §. 2. num. 14.*

550 *Hæc pars mihi probabilior.* Probabilior mihi hæc pars est. Quia regula illa, *Qui tacet*, in fauorabilibus intelligitur. Locus verò *Numer.* inferens consensum ex sola taciturnitate vnius diei, cæremonialis erat: ac proindè talis dispositio cessauit: & quocúmque tempore est locus contradictioni, dum non fuerit datus consensus.

PROBL. CXXII.

Si Superioris taciturnitati internus consensus addatur: esto vouenti subdito non manifestus: Sufficit, & non sufficit, vt Superior licentiam, aut consensum impertire censeatur.

551 *Sufficit profectò.* SVfficit quidem, vt tale Votum dicatur, de Superioris licentia fuisse emissum. Quia est iam apposita conditio ad Voti firmitatem requisita, quæ erat Superioris consensus, neque vllibi cauetur, quod consensus hic debeat esse manifestus. Addo, talem consensum aliquo modo manifestari, scilicèt taciturnitate. Nam licèt taciturnitas, & dissimulatio in præiudicantibus non sit indicium sufficiens consensus: tamen quia hæc taciturnitas efficit validum, ac firmum actum: præsumptio pro valore actus potior est, & præferenda, vt ex multis probat Menoch. *de præsumptionib. l. 1. quæst. 29. num. 3.* & latius *libr. 6. præsump. 4.* Sic Suar. *libr. 6. de voto, capit. 6. numer. 14. & cap. 4. numero 20.* Sanchez *libro 4. sum. capite 27. numero 47.*

Minimè sufficit Sed necessarium est, vt Superior consentiens in Votis subditi subdito talem consensum manifestet per se, vel per literas, vel per nuncium proprium. Quia hic consensus est fauor & gratia subdito facta, ac proindè debet ipsi intimari iuxtà *cap. Si tibi absenti, de præbend. in 6.* At cum taciturnitas non sit sufficiens indicium consensus in præiudicantibus sibi, absolutè dicendum non est, concessam esse licentiam subdito, ex eo quod Superior audito Voto taceat, aut dissimulet, etiam si internum habeat consensum. Ità Palaus *tom. 3. tractat. 15. d. 2. puncto 3. §. 2. numer. 15.* 552 *Non sufficit.*

In ore duorum hoc verbum stabit. Indico enim sententiam mei Ferdinandi de Castro veriorem esse, cui non obstat, præsumptionem pro valore actus omnibus aliis præsumptionibus esse præferendam. Id enim lubens admitto in actibus elicitis ab eadem persona, & sibi fauentibus: non tamen in actibus sibi præiudicantibus. Potrò hæc intimatio debet fieri à Superiore immediatè, vel per nuncium ad id specialiter destinatum. Quia voluntates Superioris, & subditi debent aliquo modo vniri. Illud tamen omninò certum esse reor, teneri subditum Votum exequi, si videat, superiorem non contradicere, cum possit. Quia talis non repugnantia, licet non sit approbatio Voti, vtpotè damnosa Superiori: est tamen permissio rei promissæ exequendæ: vt monet Sanchez *libro 4. sum. cap. 17. numero vltim.* 553 *Eiusdem sum sententia.*

PROBL. CXXIII.

Pater, & Mater possunt: & non possunt post pubertatem, & emancipationem irritare vota filij, antè pubertatem emissa, nec in pubertate confirmata, seu approbata.

554 *Certa quædam supponi.* CErtum est, Vota realia filiorum puberum non posse à parentibus irritari postquam sui iuris fuerint effecti. Quia cessat in parentibus fundamentum iritationis, quod est bonorũ filij administratio. Idem est de Votis personalibus filiorum impuberum post pubertatem confirmatis. Quia ratione confirmationis exempta fuêre à parentum iurisdictione; sicut si tempore pubertatis fuissent de nouo emissa. Suar. *lib. 6. de voto, cap. 5. num. 13.* Sanchez *lib. 4. sum. cap. 30. num. 12.* Quæstio verò procedit de Votis antè pubertatem emissis, nec in pubertate confirmatis, possit nè pater, curator, aut mater ea post pubertatem, & emancipationem irritare.

555 *Non possunt parentes, ea Vota irritare.* Non potest. Quia licèt impuberum Vota emissa fuerint sub tacita conditione: *Si parenti placuerint*: at hæc conditio subintelligenda est cum addito: *Si parenti placuerint, dum personam filij gubernat*: sicuti in votis realibus in pubertate emissis intelligitur, quæ tamen tranacta pubertate non irritantur. Sic Sotus *l. 7. de iust. q. 3. art. 2. dub. vlt.* Aragon. *2. 2. q. 88. ar. 9.* Alcozer.

Alcozer. *sum. cap.* 16. *concl.* 5. Rosel. *v. Votum.* 2. *n.* 13. *concl.* 3. & probabilem reputat Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 30. *n.* 4.

556 *Possunt planè.* Potest quidem pater, matervè irritare filij vota impuberis post eius pubertatem, vel emancipationem, si tempore pubertatis confirmata non fuerint. Quia occasio, ob quam ius concessit parentibus posse irritare impuberum vota fuit, vt illis in obligatione contracta in ætate ita debili, & infirma subuenirent. At si parentes non possent post pubertatem vota impuberum irritare, non satis prouisum esset eorum imbecillitati. Ergò dicendum est, parentes & tutores hanc potestatem semper habere. Ità Caiet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 5. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 7. *q.* 7. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *pun.* 6. *quæstiunc. vlt.* Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 2. *pun.* 7. §. 2. *num.* 19. Suar. *l.* 7. *de voto cap.* 6. *num.* 8. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 83. Sanch. *citat. n.* 9. Sayr. *in Clau. l.* 6. *cap.* 10. *num.* 26. Nauar. *sum. cap.* 12. *num.* 71. & alij apud ipsos.

557 *Hanc sententiam puto esse veriorem.* Hanc sententiam veriorem esse iudico. Quam efficaciter roboro ex *cap. vlt. de sentent. excommunic.* Vbi conceditur Episcopis potestas absoluendi à sententia excommunicationis pueros, qui antè pubertatem Clericos percusserint: tametsi post pubertatem petierint absolui. Quia non spectatur tempus, in quo petunt absolui, sed in quo fuit delictum commissum. Haud aliter spectari non debet tempus, in quo irritatio petitur, sed in quo contracta fuit voti obligatio.

PROBL. CXXIV.

Curator potest, & non potest post pubertatem vota personalia minoris in pueritia emissa, irritare.

558 *Minimè potest.* MInimè potest. Quia curator datus est ad gubernationem minoris in bonorum administratione, non in persona. *leg. In copulandis, 9. C. de nuptiis*, ibi: *Nec curatoris, qui solum rei familiaris sustinet administrationem, cuius officium durat vsque ad vigesimum quintum annum completum: quo tempore finitur pubertas.* Sed irritare vota personalia, est actio spectans personam minoris, non eius bona: Ergò curator hac potestate minimè gaudet. Item illa vota fuerunt emissa sub conditione, *Si patri placuerint*, & illo defuncto, *Si placuerint tutori*: non autem emissa fuerunt sub conditione, *Si curatori placuerint*, quia tempore, quo fuerunt emissa non erat dabilis curator. At tutoris officium cessat obtenta pubertate. *Instit. Quibus modis tutela finitur*: Pupilli, pupillæque cum puberes esse cœperint, à tutela liberantur. Ergò cessat in tutore potestas ea vota irritandi, neque in curatorem transit. Quia sub beneplacito curatoris non fuerunt emissa, & quia curator non succedit patri in gubernatione filij tempore impubertatis, sed pubertatis. Sic Suar *l.* 6. *de voto, cap.* 6. *num.* 24. Satis, quidem probabiliter.

559 *Potest equidem.* Potest equidem curator minoris sui vota in pueritia facta, nec in puberta e confirmata irritare, sicut poterat pater, si esset superstes. Quia curator succedit in gubernationem filij, in potestatéque, quæ patri conuenire debebat eo tempore, si viueret: sed pater irritare potest Vota filij puberis antè pubertatem emissa, nec post pubertatem confirmata: Ergò idem poterit curator. Ita Sa *verb Votum, vbi de Voti irritatione, num.* 5. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14. *num.* 83. Sanch. *lib.* 4. *sum. cap.* 20. *num.* 5. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 2. *punct.* 3. §. 1. *num.* 6. Laym. *libr.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 11.

560 *Cum his opinor, remque uberius discutiam.* Cum his opinor, asserens curatorem non solùm gaudere potestate res minoris administrandi; directè enim bona minoris administrat, indirectè autem gaudet potestate administrandi personam. Sicut tutor primo & per se datur ad personam pupilli gubernandam. Secundariò ad regenda eius bona, vt constat ex §. *Datus, instit. de excusat. tutoris.* Et ratione huius potestatis indirectè potest curator vota personalia minoris in pueritia facta, nec post confirmata irritare. Neque obstat, non posse dari curatorem eo tempore, quo Vota fuerunt emissa; quia curator non succedit parenti, pro eo tempore, sed pro tempore pubertatis in potestate, quæ tunc parenti competeret: & cum hæc extendatur ad Vota antea emissa, etiam curatoris potestas extenditur. Idem dixerim de matre, si curatrix sit, ac de curatore. Verùm si hoc munus non exercet, tametsi nullus sit curator, Vota impuberis post pubertatem irritate non poterit. Quia matri, qua mater est, nulla filij puberis gubernatio à iure conceditur neque personæ, neque bonorum. Sanchez *lib.* 4. *sum. cap.* 30. *num.* 17.

PROBL. CXXV.

Irritatiua potestas extenditur, & non extenditur ad Vota emissa tempore subiectionis, implenda tamen subiectione dissoluta.

561 *Nullus Superior id potest.* NVllus Superior huiusmodi potestate gaudet. Quia spectato tempore, pro quo Votum obligat, cui videtur attendendum, nec voluntas vouentis, nec materia promissa subiectionem habent. Sic plures Doctores, quos refert Sanch *l.* 4. *sum. c.* 19.

562 *Omnes tu Superiores possunt.* Omnes superiores huiusmodi fruuntur potestate. Quia esto voluntas vouentis, & materia promissa, spectato tempore, pro quo obligat votum, non habeant subiectionem: at illam habent tempore, quo obligatio contrahitur: & cum hæc obligatio inconsulto superiore fiat, in cuius grauamen, & irreuerentiam cedit, potest ab illo irritari. Ita plures alij apud ipsum Santium *vbi sup.*

563 *Vtrumque probabile, sed verius vtrique distinctione respondeo.* Vnam & alteram sententiam probabilem satis esse existimo. Ast ego distinxerim. Si subditi sint plenè quoad voluntatem, vel quoad solam materiam promissam. Si subditi sint plenè quoad voluntatem: horum vota etsi in tempus libertatis referantur, superior poterit irritare. Qua ratione poterit irritare superior vota Religiosi emissa in tempus, quo à subiectione liber extiterit: & pater, vel tutor vota filij, vel pupilli impuberis in pubertatis tempus relata. Quia horum voluntas plenè est superioribus subiecta: ac proindè

proindè obligari non potest, nisi cum superiorum dependentia. Si verò subdit sint quoad materiam promissam tantum: horum vota relata in tempus libertatis, nullatenus superior poterit irritare. Quia sibi non præiudicāt. Quocirca nec vir irritare potest vxoris vota, nec pater filij puberis, nec dominus serui implenda tempore libertatis. Quia facta pro eo tempore nullum afferunt præiudicium.

PROBL. CXXVI.

Emittit filius puber, vel vxor, vel seruus votum quod ex se, vel ex intentione vouentis est perpetuum: Potest id votum à parente, à marito, à domino penitùs irritari.

564 *Possunt quidem.* EXempl. gr. Vouit filius pubes, vxor, aut seruus se quotidiè eleemosynam elargiturum, vel recitaturum quotidiè Rosarium Deiparæ, vel omnibus Sabbatis in eius honorem vitæ suæ ieiunaturum: dubium est, num huiusmodi vota possint à parente, à marito, à domino penitus irritari; Possunt quidem. Quia hæc vota æque libertatis ac subiectionis tempus afficiunt ac proinde irritatione perfecta sunt capacia. Sic Sanch. *l.4.sum.c.29.n.7.*

565 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quià præfati domini solum irritare possunt subditorum vota, quatenus sibi præiudicant: sed illa vota solum possunt dominis hisce præiudicare quo ad materiam contingentem tempore subiectionis: non autem postea. Ergò solum quo ad illam partem possunt vota suspendere. Ità Lessi. *l.2.c.40.dub.14.n.86.* Palaus *to.3.tr.15.d.2.pun.3.§.4.n.2.* Bonac. *to.2.d.4.quæst.2.punct.7.§.3.*

566 *Probabilius hoc iudico.* Probabilius hoc iudico, nec obstare, hæc vota æque libertatis ac subiectionis tempus afficere. Quia afficiunt illud diuisibiliter; est enim materia illis promissa, diuidua singulis diebus correspondens: ac proinde secundùm partem implendam tempore subiectionis, parens, maritus ac dominus possunt pro subiectionis tempore, manentibus firmis votis quoad partem tempore subiectionis implendam. Alioquin votum castitatis emissum ab vxore irritari posset à viro ita vt soluto matrimonio nulla illius esset obligatio: quod est omninò falsum, vt satis colligitur ex *cap. Quidam, & ex cap. Placet, de conuersat. coniugator.*

PROBL. CXXVII.

Irritatiua directa potestas extenditur, & non extenditur ad vota emissa tempore, quo vouentes sui iuris erant.

567 *Extenditur sanè irritatiuas directa potestas, ad vota ante subiectionem emissa.* EXtenditur quidem. Quia superior Religiosus irritare potest vota à Religiosis in sæculo emissa, & tutor signatus pupillo, eius vota emissa tempore, quo carebat parente, & tutore. Ergò potestas irritatiua directa extendi: potest ad vota emissa tempore, quo vouens sui iuris erat. Nam esto non fuerint emissa sub tacita conditione absoluta beneplaciti superioris, quia nullus superior tunc aderat: fuerunt tamen emissa ex iuris interpretatione sub conditione beneplaciti superioris, si existeret. Quod videtur necessarium in pupillo vouente, dum caret parente, ac tutore: vt hac ratione eius imbecilli iudicio, ac diminutæ discretioni prouideatur. Sic Lessi. *l.2.cap.40.dub.15.num.33.* Et probabile reputat Palaus *citandus.*

568 *Non extenditur directa irritatiua potestas, sed indirecta solùm.* Potestas irritatiua directa nullatenus extenditur, neque extendi potest ad vota emissa tempore, quo vouentes sui erant iuris: bene tamen indirecta, & suspensiua. Quia ea sola vota superior potest irritare, quæ sub eius beneplacito fuerunt emissa: sed vota non habentis superiorem sub nullius beneplacito emittuntur: Ergo directæ irritationis haud sunt capacia. Quod verò indirectè irritari possint, manifestum. Quia virtute potestatis dominatiuæ superuenientis, impedire potest superior votorum sibi præiudicantium executionem, in qua suspensione, indirecta irritatio consistit. Sic Doctores communiter teste Palao, & me contestante.

569 *Teneo communem hanc sententiam.* Profectò licèt satis probabilem primam sententiam esse existimem, secundam communem teneo, ratus quidem superiorem Religionis non irritare vota Religiosi in sæculo emissa; quia professione Religionis tanquam solutione illorum perfectissima extinguntur. Quod si ea tempore professionis Religiosus approbauerit, & in eis voluerit persistere: irritari poterunt à Prælato; quia iam sunt subiectionis tempopore emissa. Vota verò pupilli nemini subiecti, suspendi quidem poterunt, sed non irritari à tutore (idem de curatore respectu minoris sui dixerim) superueniente. Quia nullibi est cautum eos habere potestatem talia vota irriritandi directè: & indirecta facultate sufficienter prouidere possunt pupilli, seu minoris administrationi. Vndè infero, vota vxoris tempore libertatis emissa suspendi à marito posse quatenus sibi præiudicauerint, & non aliter. Quòd à fortiori procedet in votis seruorum tempore libertatis emissis, quæ à superueniente domino solum suspendi, non irritari poterūt.

PROBL. CXXVIII.

Irritatio, & suspensio voti procedens à dominatiua potestate, potest, & non potest licitè sine causa concedi.

570 *Hoc certum suppono.* CErtum mihi, irritationem & suspensionem Voti procedentem à dominatiua potestate nullam ad sui valorem causam requirere. Quià subditus in sua promissione imbibit conditionem, *Si superior consenserit, vel non contradixerit.* Ergo pro libito contradicentes, cessat obligatio. Suar. *l.6.de voto, cap.1.num.9.* Basil. *l.10.de matr.cap.17.num.22.* Quæsierim verò, an sine causa licitè concedi possit?

571 *Potest iusta.* Potest iustè abque causa concedi. Quia promissiones subditi hanc (vt dicebam) tacitam conditio

ditionem habent, *Si superior consenserit, vel non contradixerit.* superior autem nullo vinculo tenetur, ad præstandum consensum, vel non contradicendum: sed in his liber est, & suo iure vtitur. Ex. gratiâ, si quis promittat eleemosynam gerendam ex aliena pecunia sub conditione, *Si dominus consenserit*: poterit dominus pro libito non consentire absque culpa. At Religiosus, filius familias, vxor, seruus promissionem faciunt sub conditione, *Si eorum dominus consenserit.* Poterit ergo dominus pro libito consentire. Sic Gregor. Lopez *leg. 3. fine, tit. 8. part. 1.* Nauar. *sum. cap. 12. num. 73.* Sylvest. *v. Votum 4. q. 6. art. 6.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 17. q. 5.* Basil. *l. 10. de matr. cap. 17. num. 24.* & alij plures. Qui quidem inferunt, posse voto adstrictum petere absque causa vlla irritationem. Quia petit rem, quam superior licitè sinè causa potest concedere.

572 *Iuste non potest, sed saltem venialiter delinquit.* Minimè potest iustè, sed saltem venialiter delinquit superior, qui absque iusta causa votum subditi irritat, vel suspendit. Quia siuè hæc potestas data sit in vouentis vtilitatem, vt creditur data Prælatis Regularibus: siue in vtilitatem irritantis, vt est potestas domini in seruum, siue in vtriusque vtilitatem, vt datur coniugibus: dissonum, & contra rationem est, eam absque causa vtili irritanti vel vouenti, exercere. Et à ratione est alienum, quod superior absque aliqua causa impediat voluntatem subditi ad bonum voto obfirmatum cum superior ratione superioritatis teneatur de bono spirituali subditi prouidere: nec illi impedimento esse, cùm sibi indè nullum damnum prouenit. Ità Sotus *l. 7. de iust. q. 3. art. 1.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 8. concl. 3.* Valent. *2. 1. d. 6. q. 6. pun. 6.* Laym. *l. 4. tract. 4. cap. 7. n. 18.* Suar. *l. 6. de voto, cap. 1.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 24. num. 13.* Lessi. *l. 2. cap. 40. dub. 12. num. 70. & dub. 13. num. 76.*

573 *Cum his sentiens, &c.* Cum his sentiens, abnegarim, posse dominum cuius ille pecuniam vouit in eleemosynam impertire, absque vlla causa negare consensum in eam elargitionem: habet enim semper causam legitimam abnegandi, nempè propriam vtilitatem, qua priuatur, permittendo propriæ pecuniæ alienationem. At cum in præsenti supponamus, nullam incommoditatem superiori aduenire ex eo, quod subditus votum exequatur: abutetur planè sua potestate, & illum à bono proposito concepto retrahat. Vndè constat, non posse subditum irritationem voti à superiore petere, nisi aliquam causam suæ petitionis habeat. Existimo autem, eam sufficientem esse, si grauatum voto se sentiat: quia ad excusandam venialem culpam, quæ in præsenti interuenire potest, quælibet causa modica sufficit: quare moraliter loquendo nulla culpa in concessione irritationis, illiúsve petitione tunc inuenietur. Sanch. *l. 4. sum. cap. 24. num. 15. & 16.*

PROBL. CXXIX.

Irritatiua potestas potest, & non potest alteri delegari.

574 *Non potest delegari.* DElegari non potest. Quia hæc delegatio non videtur posse fieri sine dominij communicatione: sicut nec delegatio iurisdictionis sine communicatione iurisdictionis. Item quia irritatiua potestas fundatur in conditione beneplaciti superioris, quam vota irritanda imbibunt. Ergò necessariò debet esse dominus & superior, qui votum valeat irritare. Sic Doctores quidam, quos presso nomine, memorat Palaus *to. 1. tract. 15. d. 2. pun. 4. n. 10.*

575 *Delegari potest.* Potest equidem delegari. Quia irritatio est contradictio superioris, dispositioni à subdito factæ. Ergo huiusmodi contradictionem potest superior per procuratorem exercere: sicut Prælatus & dominus possunt per procuratorem contradicere alienationi factæ de rebus, quarum habent dominium. Ità Suar. *l. 6. de voto, cap. 7. num. 17.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 24. num. 54.* Lessi. *l. 2. 40. dub. 18. num. 133.* Palaus *vbi supra.*

576 *Eiusdem mentis sum.* Existimarim, rationem ab Auctoribus primæ partis indicatam concludere, neminem posse nomine proprio vota irritare, quin dominus sit, dominiumque habeat: non tamen concludit, eum qui alterius vices gerit, id tanquam procuratorem alieno nomine agere non posse. Sicut potest delegatus à Parocho potestatem assistendi matrimonio habere, quin Beneficium habeat: & procurator ad contrahendum matrimonium constitui, quin ipse matrimonij sit capax. Quia delegatus non proprio, sed alieno nomine assistit, & contrahit.

PROBL. CXXX.

Potest, & non potest maritus omnia vxoris vota, durante matrimonio, irritare.

577 *Potest omnia.* POtest profecto. Quia *Numer.* 30. eodem modo loquitur textus de voto vxoris, ac de voto puellæ existentis in domo parentis. Et quia vxor subiecta est viro in omnibus, sicut Ecclesia Christo Domino est subiecta *Ephes. 5.* Ergò omnes eius actiones viro subiectæ sunt. Et quia ad conseruandam pacem, mutuumque amorem inter coniuges, necessarium fuisse videtur, vt mulier plenè viro in omnibus esset subiecta: neque velle, aut nolle haberet, nisi iuxtà viri beneplacitum. Quo quidem leuitati & inconstantiæ muliebri in vouendo prouidetur, sicuti impuberibus est prouisum. Sit Sotus *l. 7. de iust. q. 3. art. 1.* Sanch. *l. 9. de matr. d. 3. num. 7. & d. 39. num. 4. & l. 4. sum. cap. 34. num. 3.* Et probabile reputat Lessi. *l. 2. cap. 4. dub. 15. num. 88.* Bonac. *d. 4. q. . pun. 7. §. 2. num. 16.* Ludou. Lopez. *p. 1. Instruct. cap. 47.* vocitat hanc sententiam satis tutam. Faustque D. Thom. *2. 2. q. 88. art. 8. ad 3.* vbi vota vxoris cum Religiosorum votis comparat, quæ quidem superior potest irritare. Id ipsum iudicant alij plures relati à Santio, ob quorum authoritatem sententia hæc probabilem admodum esse iudico.

578 *Minimè potest.* Minimè potest maritus omnia vxoris vota irritare, matrimonio durante: sed ea solùm quæ matrimonij vsui, prolis educationi, vel gubernationi domesticæ præiudicauerint. Quia nec ex natura rei, neque ex iure positiuo efficaciter colligitur, vxorem subditam esse viro in actionibus personalibus, quæ vsum matrimonij, educationem prolis, vel domesti-

cam

cam gubernationem non impediunt. Hæc námque subiectio ex matrimonij contractu oritur: ac proinde commensurari debet fini ipsius: sed plures sunt actiones, quæ præfato fini non officiunt, nempè obseruatio diuinorum præceptorum, moderata pœnitentia, breuis oratio, eleemosina ex propriis bonis, & aliæ similes. Ergò ad hæc gerenda Voto se vxor firmiter sine viri relaxationis metu poterit adstringere. Ità Nauar. *sum. cap.* 12. *num.* 64. Layman. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 12. Palaus *tom.* 3. *tract.* 15. *d.* 2. *punct.* 6. *num.* 2. Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *quæst.* 2. *pun.* 7. §. 2. *num.* 10. Basil. *lib.* 10. *de matrim. cap.* 17. *num.* 3. Suar. *lib.* 3. *de Voto, cap.* 6. *num.* 16. & *l.* 6. *cap.* 4. *num.* 2. Valent. 2. 2. *q.* 88. *d.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 6. Azor. *part.* 1. *l.* 11. *cap.* 16. *quæst. vltim. & cap.* 17. *quæstion.* 12. Sayr. *in Claui, l.* 6. *cap.* 5. *num.* 8. & *cap.* 10. *num.* 19. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 15. *num.* 89. & alij plures.

579 *Hæc sententia mihi probabilior.* Probabilior hæc mihi sententia, cui obstare non censeo locum *Numeror.* Illa enim lex est cæremonialis, ac pro illo populo lata, ac proindè cessauit. Aliàs omnia Vota puellæ etiam puberis existentis in domo parentis posset pater irritare. Verùm concedens vxorem subditam esse viro in omnibus, quæ ad domus gubernationem attinent, abnego in aliis esse subiectam. Ac proindè sola ea Vota, quæ domus gubernationi, ac vsui matrimonij præiudicant, poterit maritus irritare. Ex his colligo, qualiter possit vir Vota vxoris de operibus præceptis, vt de sacro audiendo, de ieiunio seruando, de confessione aut communione gerenda, de non mentiendo, &c. Iuxta opinionem primam omnia hæc Vota potest irritare directe (esto eorum materia non sit marito subiecta.) At iuxtà secundam nullo modo maritus potest hæc Vota directè irritare: tametsi possit, si domesticæ gubernationi necessarium fuerit executionem eorum votorum suspendere, opera incompossibilia præcipiendo.

PROBL. CXXXI.

Votum castitatis ab vxore absque viri consensu emissum, potest, & non potest ab illo irritari.

580 *Potest quidem.* POtest quidem. Quia esto mulier in actu coniugij viro subdita non sit, sed ei æqualis. At subditur in voluntate, nè noua obligatione se implicet: à qua subiectione non eximitur, licèt Votum antè consummatum matrimonium fuerit emissum. Quia non matrimonij consummatione, sed contractu vir caput est vxoris. Neque item eximitur, quamvis ex mariti licentia Votum illud fuerit emissum. Quia licentia non tollit à marito dominium, sed solùm impedit liberam, ac expeditam irritationem: Ne scilicet absque graui causa fiat. Sic Sanchez *lib.* 9 *de matrimon. d.* 3. *num.* 7. & *d.* 37. *num.* 4. & *l.* 4. *sum. cap.* 34. *num.* 3. & alij apud ipsum.

581 *Non potest.* Minimè potest. Quia illud Votum continere poterat obligationem abstinẽdi à debito, petitione, & redditione, venereisque delectationibus. At qua parte continet abstinentiam à debiti redditione, irritatione non indiget. Quia ad hunc effectum extendi non potest ob alterius coniugis præiudicium. Qua parte verò continet obligationem abstinendi à petitione debiti, venereisque delectationibus, firmum est, & inirritabile. Quia secundùm hanc partem marito non præiudicat. Ita Suar. *tom.* 3. *de Relig. libr.* 9. *capit.* 8. *numer.* 5. Palaus *tom.* 3. *tractat.* 15. *d.* 2. *puncto* 6. *numero* 5. & alij.

582 *Hoc assero.* Hoc consequenter assero, adiiciens, si ipse maritus ægrè ferat, semper petere, & ob hanc causam amor coniugalis imminuatur, & discordia excitetur, cessare pro tunc Voti obligationem quoad petitionem debiti, nè sit maioris boni impeditiua. Mecum Laym. *libr.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 16.

PROBL. CXXXII.

Potest, & non potest vxor Votum mariti de non petendo debito irritare.

583 *Certa suppono.* SVppono, vxorem ea sola Vota mariti posse irritare, quæ sibi præiudicauerint. Quia vir subiici non potest vxori quoad voluntatem, sed solùm quoad materiam promissam. Quocirca poterit irritare vxor Votum longæ peregrinationis, nisi sit Ierosolymitanæ in terræ sanctæ subsidium: immoderatæ absentiæ: nimiarum precum, & similium. Quia obstant mutuæ habitationi, & obligationi reddendi. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 15. *num.* 98. Bonac. *d.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 7. §. 2. *num.* 17. Idem dixerim de Voto induendi habitum Eremiticum, seu Tertiæ Ordinis D. Francisci. Quia ob horrorem, quem excitat retrahet fortasse mulierem à debiti petitione, & à facili, ac vltranea redditione. Suar. *lib.* 6. *de Voto cap.* 4. *num.* 8. Lessi. & Bonac. *citati.* At de Voto non petendi est difficultas, num possit ab vxore irritari?

584 *Potest id vxor.* Potest equidem. Quia cogit mulierem, ad semper petendum, quod nimis onerosum est, & fœminæ verecundiæ contrarium. Sic Henriq. *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 8. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 4. *cap.* 7. *num.* 16. Sanch. *lib.* 9. *de matrimon. d.* 42. *num.* 7.

585 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia vxor non habet potestatem obligandi maritum ad petendum, sed solùm ad reddendum. Ergò in abstinentia petitionis maritus iuri vxoris non præiudicat. Et licèt indè vxor molestiam accipiat, sentiens se obligatam esse ad petendum id leuis considerationis est, cum marius vtatur iure sibi dato, ex Voto nunquam petendi. Ita Palati. *in* 4. *dist.* 38. *d.* 1. *circa princip.* Anton. Gomez *in Bul. Cruciat. claus.* 10. *num.* 67. Stunica *quæst.* 5. *de Voto, nu.* 60. Plures Doctores huic sententiæ adhærent, dummodò maritus, se aliquoties offerat paratum debiti redditioni. Quia hac oblatione tollitur vxori verecundia, quam habere poterat in petendo. Sic Sanchez *libr.* 9. *de matr. d.* 42. *num.* 7. Basil. *l.* 10. *de matrimon. cap.* 17. §. 2. *num.* 19. Nauar. *cap.* 12. *sum. num.* 60. Lessi. *libr.* 2. *cap.* 40. *dub.* 15. *numer.* 99.

586 *Hoc probabilius reor, & tenet.* Hanc partem probabiliorem esse reor. Quia obligatio mariti debitum non petendi, minimè in vxoris cedit præiudicium: siquidem non retrahit

Habita hac à Sanctio, & aliis apposita temperatione.

trahit eam à petitione: sed liberius petere potest, sciens maritum impeditum esse ad petendum, tum vt libidini satisfaciat, tum vt annuat inclinationi naturali mariti. Neque video, vndenam maritus teneatur aliquoties se offerre vxori paratum ad reddendum. Nam si de habituali obligatione loquamur, semper maritus paratus esse debet: si verò de actuali oblatione, sicut vxor non potest obligare maritum, vt petat debitum, ità nec vt se actualiter offerat, id enim esset velut petere, contra voti obligationem. Sufficere crediderim semel vxori manifestare, se voto impeditum esse ad petendum, essi se ad reddendum exponat, cum primum vxor minimo suæ voluntatis indicamento petierit. Mecum Palaus *tom. 4. tract. 15. d. 2. pun. 6. num. 10.*

PROBL. CXXXIII.

Sub nomine patris ad voti irritationem venit, & non venit hærus, vel Magister deficientibus patre, tutore, aliisque ascendentibus.

587 *Præmitto, quinam nomine filij, & patris intelligantur.*

REuoco ad memoriam, posse patrem omnia vota siue realia siue personalia filij impuberis quantumvis doli capacis irritare. Quia illa omnia (iure sic disponente) emissa sunt sub parentis beneplacito, qui potest obligationem assumptam à filio elidere, vel confirmare. Porrò sub nomine filij non solùm legitimum, sed naturalem, & spuriũ, si moraliter constet, verè eius esse, intelligi credo. Quia esto pater ciuilem potestatem non habeat ad filium naturalem, & spurium gubernandum: habet tamen potestatem naturalem, vt filij imbecillitati in vouendo consulat, ne maneat hoc conuenienti remedio destitutus. Quod intellige quando nullud adest tutor, qui de hoc remedio prouideat. Nam si tutor adsit, ipsi, & non parenti competit filij illegitimi vota irritare. Tutori enim, & non parenti competit filij illius gubernatio: qui quidem sub tutoris, & non sub patris est potestate. *Instit. de patria potest initio*, sub nomine autem patris ad hæc vota impuberis irritanda venit tutor. Quia loco patris ex iuris dispositione subrogatur. Mater verò, viuente patre, hanc potestatem non habet. Vita verò functo parente, vel amente, vel longissimè absente, si filio datus sit tutor, aut curator, non poterit filij vota irritare. Quia nec personæ, nec bonorum ei competit administratio: sed penès tutorem, vel curatorem existit. Verùm si filio datus tutor non sit, nec ex parte patris est auus, qui loco patris succedere possit, poterit mater vota filij impuberis irritare: nõ quia tutrix sit (tutelam namque ob mortem mariti iure ipso non habet, esto illam petere possit *Auth. Matri, & auiæ C. Quando mulier tutelæ officio fungi potest.*) sed quia iure ipso naturali illi datum est, filium impuberem gubernare, auo, tutoreque deficientibus; ne eius imbecillitati in vouendo consulat. Suar. *l. 6. de voto, cap. 6. num. 22.* Bonac. *to. 2. d. 4. quæst. 2. pun 7. §. 2. num. 18.* Sanch. *l. 4. sum. c. 35. n. 76. & 79.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. n. 10.* Sa *v. Voti irritatio, n. 1.* Quæsierim autem, num sub nomine patris veniat herus, vel Magister deficientibus patre, tutore, aliisque ascendentibus ad munus vota irritandi?

588 *Venit quidē.*

Venit quidem. Qua hoc pietati ac æquitati est consonum, ne impubes hoc remedio, quo suæ imprudentiæ in vouendo consulitur, destitutus existat. Sic Laym. *l. 4. tr. 4. c. 7. num. 10.* Bessi. *l. 2. cap. 40. dub. 14. n. 82.* Suar. *l. 6. de voto, c. 6. n. 23.* Sayr. *in Claui l. 6. c. 10. n. 18. in fine.*

589 *Non venit.*

Minime venit. Quia potestas dominatiua ad irritationem votorum requisita nec iure naturali nec positiuo, hero vel Magistro, nutritio infantis conceditur. Potius namque sui iuris esse reputatur impubes patre, tutore, aliisque ascendentibus carens. Ita Sanchez pluribus relatis, *libro 4. sum. cap. 35. num. 84.* Bonac. *to. 2. d. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 2. numer. 18.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 2. punct. 7. n. 8.* & alij plures.

590 *Hæc mihi probabilia.*

Ego quidem primam sententiam ob pietatem, quam præ se fert, ob tatorum Doctorum authoritatem probabilem sasis esse existimo. At secundam ob rationis vim probabiliorem planè esse crediderim.

PROBL. CXXXIV.

Mater Minoris habet, & non habet eandem, ac pater ad votorum irritationem, potestatem.

591 *Plura de potestate parentis & curatoris ad irritanda vota puberis præmitto.*

SI de votis puberum loquamur, pater irritare eorum vota potest, quæ suæ administrationi, ac gubernationi domesticæ præiudicauerint, non alia. Quia obtenta pubertate, filius præsumitur plenam discretionem habere ad vouendum. Suar. *l. 6. de voto, cap. 5. num. vlt.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 35. num. 62.* Infero, non posse parentem irritare filij puberis votum Religionis, castitatis, Ordinis suscipiendi. Quia in iis filius sui iuris est. Nec votum frequentandi sacramenta, suscipiendi moderata ieiunia. Quia hæc domesticæ gubernationi non obsunt. Nec votum reale ex bonis, quorum filius dominium, & administrationem habet, vt sunt bona castrensia, & quasi. Quia in horum alienatione filius sui est iuris. Bonac. *tom. 2. d. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. num. 21.* Suar. *l. 6. de voto. cap. 5. num. 6.* Deinde nec posse irritare votum filij puberis de bonis aduentitiis, quorum neque vsumfructum, neque administrationem habet. Quia solummodo tale votum ei ob has rationes præiudicare poterat. Sanch. *l. 4. sum. cap. 35. num. 41.* Porro curator eandem potestatem ac pater habet ad irritandum minoris vota, dum durat officium. Quia eo tempore plenè parentum loco subrogatur: & ob hunc finem datus est ei, vt bonis eius prouidere valeat. Quod si plures sint curatores designati (& idem est de tutoribus comparatione pupilli,) penès quem libet ipsorum est integra potestas vota puberis irritandi. Quia hæc competit ratione officij: & nulla est specialis ratio, cur potius vni, quam alteri competat. Suar. *l. 6. de voto, cap. 6. num. 22.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 25. n. 70.* Denique de matre, si curatrix sit, idem dicendum. At si curatrix non

sit,& minor curatorem habeat, certum est, nullam habere potestatem. Quæsierim verò, an possit sicut pater filij puberis irritare vota,si is curatorem non habeat?

592 *Mater eandem ac pater habet potestatem.* Eandem ac pater habet in hoc casu potestatem. Quia deficientibus patre & curatore, aliisque ascendentibus parentis, qui de minoris obligationibus prouideant, nationi consonum esse videtur, vt mater (auiáque) succedat ob naturalem in filium potestatem & amorem. Sic Manu.*tom.*2.*sum. cap.* 91.*num.* 10.*concl.*9.Vega. *tom.*2. *sum.cap.*129. *casu* 96. Stunica *de voto,q.*3.*num.* 95.Sayr.*in Claui,l.*6. *cap.*10.*num.vlt.*Sa.*v.voti irritatio,num.*1.

595 *Non habet.* Mater non habet eandem, ac pater, potestatem ad irritanda filij puberis vota, etiamsi ille careat curatore. Quia pater solùm potest vota filij puberis irritare,dum sub eius est potestate,& quia in eius potestate est: At filius pubes non est sub potestate matris, quatenus mater est,vt deciditur in §. *Fœminæ, instit. de adoptione & lege Regia* 2.& 8.*tit.*17. *partita* 4. Ergò mater, quatenus talis est, potestatem non habet,filij puberis vota irritandi.Ità Suar. *l.*6.*de voto,cap.*5. *fine.* Sanch.*l.* 4.*sum. cap.*35. *num.*77.Palaus.*tom.*3. *tract.*15.*d.*2. *pun.*7. *num.* 15.& alij communiter.

594 *Non amittit sententiam primam.* Nullatenus admiserim sententiam primam ob illorum textuum decisionem. Et quidem de votis realibus pro sententia secunda ratio est manifesta. Quia matri non competit ipso iure administratio bonorum filij puberis, mortuo parente, sed curatori à Iudice designato:& dum nullus designatur, ipsi minori competit. Quia est sui iuris.At potestas patri, & curatoris ad irritanda vota realia in administratione fundatur. Cum ergò hæc matri, quatenus talis est, non competat: nullo modo hæc potestas ei competere potest.

PROBL. CXXXV.

Prælatus Regularis potest: & non potest omnia Religiosi subditi vota irritare.

595 *Quid certum?* CErtum omnino est, posse irritari à Prælatis vota Religiosorũ, quæ eorum iurisdictionẽ,ac regularẽ gubernationem impedierint. Quia non possũt esse voto obediẽtiæ cõtraria,neque in superiorũ præiudiciũ. At quia à Religiosis plura vota possũt emitti iurisdictioni superiorũ non præiudicantia:vt sunt vota de actibus internis,de seruãdis Ecclesiæ,ac Religionis præceptis,&similibus:quæsierim,an hæc cuncta vota possint àPrælatis irritari?an solum præiudicantia?

596 *Non possunt omnia vota irritare.* Solum possunt vota præiudicantia eorum iurisdictioni, vel regulari gubernationi valent irritare.Quia vniuersalis irritatio esse non potest, nisi Religiosi ita Prælatis subiecti sint in obligationibus assumendis,vt in eorum voluntate sit constitutum, illos obligatos existere,aut nullam habere obligationem:sed ex voto obedientiæ, statuque Religioso hæc tam arcta subiectio non colligitur: indè namque solùm colligitur in Religiosis obligatio obediendi in consentaneis regulæ:& in Prælatis potestas ea præcipiendi, prohibẽdique aduersa:Ergò Religiosi non sunt ita Prælatis subiecti, vt non queant aliquam obligationem regulæ consentaneam, statuique Regulari conuenientem, voto emisso, subire independenter à superiorum voluntate. Sic locuti de voto præceptorum, Caiet. 2.2.*quæst.*88.*art.* 8. *dub. vlt* Palaci.*in* 4.*dist.*38.*d.*3.Armil.*v.Votum,n.* 9. Ang.*p.*2.*q.vni.de voto,a.*7.*diffic.*2.*concl.*3.&alij apud Suar. *citandi.* Et probabilem esse docet Lessi.*l.*2. *c.*40.*dub.* 13.*n.*74.

597 *Omnia possunt subditi irritare sensu voti.* Prælati Regulares possunt omnia Religiosi subditi vota irritare cuiuscumque materiæ sint excepto voto ineundi Religionem strictiorem Quia negari non potest potuisse Pontificẽ,vt aptius Religiosi gubernarẽtur,eorũ voluntates ità Prælatis subiicere, vt absque eorũ cõsensu nihil firmiter vouerent.Si enim vt immaturo filiorum,aut pupillorum iudicio prouideret,sic pupillorũ voluntatem parenti, vel tutori subiecit,vt in parentis, vel tutoris arbitrio sit vota eorum firmare, vel cassare: & quælibet Respublica potestatem habet contractibus suorum ciuium eas conditiones apponere,quibuscum & non aliter obligati persistant. Cur non poterit Pontifex de Religiosorum votis sic prouidere, vt hac via in statu assumpto rectius,& securius procedant? Quod verò ita factum sit, probat praxis, & vsus Religiosorum. Ita Lessi *citat.n.*75.Sanch.*l.*4.*sum.c.*14.*n.* 30.Vasq.1.2.*d.*165.*c.*4.*n.*29. Laym.*l.*4.*tr.*4.*c.*7. *n.*6.*concl.*3.Suar.*l.*6.*de voto,cap.*7.*nu.*3. Valent. 2.2.*d.*6.*q.*6.*punct.* 6.*quæstiunc.*5. Nauar. *sum.c.* 12.*n.*65.Azor.*p.*1.*l.*11 *c.*17.*q.*16. & 17. Bonac. *tom.* 2. *d.* 4. *q.* 2.*pun.* 7. §. 2. *num.* 26. & alij plures apus ipsos.

598 *Longe probabilior mihi hæc sententia.* Hæc sententia longe mihi est probabilior Quam approbari à D. August. relato in *c. Non dicatis* 11. *quæst.*2. Vbi dicitur Religiosum non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis enunciare, & se per promissam obedientiam aliorum potestati,& imperio subdere Et Bonif. VIII. *in c. si Religiosus, cuius arbitrium non ex sua, sed ex illius quem vice Dei supra casut suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet.* Hinc concedo, ex præciso voto obedientiæ, statuque religioso hanc latam subiectionem non oriri.Oriri tamen ex ipsis, sic disponente Ecclesia. Cui subiectioni non obstat quod sæpè Prælati executionemę materiæ promisse impedire non possint. Quia impedire possunt nouam, & voluntariam obligationem illius, vt potè non necessariam, ac multoties minimè conuenientem.

PROBL. CXXXVI.

Abbatissæ an Priorissæ Monialium vota omnia possunt, & non possunt, vti Prælati Regulares, irritare.

599 *Non possunt omnia vota irritare.* NOn possunt. Quia non videtur necessaria huiusmodi potestas, cum eam habeant Prælati Regulares, quibus Moniales ipsæ subduntur, & quia Abbatissæ, ac Priorissæ

rissæ spirituali carent iurisdictione. Vt probat Sanch. multis relatis, *lib. 6. sum. cap. 1. num. 17.* Sed potestas irritandi Vota in iurisdictione fundatur: Ergò carentes iurisdictione potestate dominatiua carent: Ergò nulla Monialium Vota poterunt irritare. Sic plures docti viri, apud Santium *citatum.*

600 *Possunt quidem.* Possunt omnia Vota Monialium, (vti Prælati Regulares omnia subditorum Regularium) commutare. Quia Moniales Votum obedientiæ Abbatissis vel Prioribus, sicuti Regulares suis Prælatis emittunt. Ità Sayr. *in Clavi, libr. 6. cap 10. num. 7. & 13.* Sanch. pluribus relatis, *lib. 4. sum. cap. 33. num. 19.* Less. *lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 134.* Suar. *lib. 6. de Voto, cap. 7. in fine.* Consentit ex parte Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 2. pun. 8. num. 7.*

601 *Mediam viã cum Palao sector.* Huius mentem sector affirmans, Abbatissas sola ea Vota posse irritare, quæ domesticæ gubernationi obesse possunt. Quia Abbatissæ nullam aliam in Moniales potestatem habent nisi domesticam, & politicam, & in ordine ad bonum temporale domus & familiæ. Neque Moniales ei obedire promittunt, nisi in his rebus, quæ hanc domesticam, ac politicam gubernationem spectant, vt ipsemet Sanch. probat *lib. 6. sum. cap. 1. n. 20. à num. 17.* Ergò solummodo irritare poterunt, Vota hanc gubernationem domesticam spectantia. Quia solum in hac parte Superiores sunt, & Monialium voluntatem habent subiectam. Mecum Azor. *part. 1. l. 11. cap. 17. q. 3. ad finem.*

CAPVT XXII.

Circa Voti Dispensationem.

PROBL. CXXXVII.

Si petens dispensationem Voti, illámque concedens, bona fide procedant, existimantes, causam adesse legitimam: valet, & non valet, dispensatio.

602 *Certa quadam suppono.* CERTVM est Dispensatione Voti obligationem cessare. Quia dispensans relaxat Dei nomine, quod per Votum debetur. Et sicut, facta creditoris remissione, vel vices illius habentis debitum extinguitur: sic facta huiusmodi relaxatione, seu remissione, vices Dei habentis, Votum cessat. Hanc autem relaxationẽ actum esse iurisdictionis spiritualis Ecclesiasticè à Christo Domino Petro, eiúsque successoribus concessæ. *Mat. 16. Quodcúmque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Vt verò hæc dispensatio licita, ac valida sit, causam iustam expostulare. Quia cum nomine Dei fiat, in tantum fieri poterit, & valebit, in quantum Deus ipse consenserit. At Deus nequaquam est censendus consentire in sui debiti remissione absque causa facta, nam talis remissio irrationabilis est, & rectæ Ecclesiæ administrationi præiudicans: Ergò dispensatio ad sui valorem iustam causam expostulat. Certis hisce præmissis, quæsierim, an si petens dispensationem, illámque concedens, bona fide procedant, existimantes causam legitimam adesse, valeat dispensatio, nec teneatur dispensatus ad Votum suum redire, deprehensa causæ insufficientia?

603 *Valet dispensatio.* Valet equidem dispensatio. Quia æquitati est consonum ad sedandos scrupulos, pacandásque conscientias, & Ecclesiæ rectam gubernationem, vt Deus remissionem Voti nomine ipsius boni fide factam approbet, ac confirmet. Si enim cum causa dubia existit ad dispensandum, potest Prælatus validè, & licitè dispensare: (vti docet Laym. *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 5.* Sanch. *l. 4. sum. c. 45. n. 10.* & alij.) à fortiori id poterit, cum tam ipse quam subditus credunt legitimam dispensationis causam adesse. Sic Less. *lib. 2 cap. 40. dub. 1. num. 119.* Sanch. *lib. 4. sum. cap. 44. num. 10.*

604 *Non valet.* Minimè valet. Quia ad sedandos scrupulos, & pacandas conscientias id non est necessarium: sufficit enim quod præsumatur, legitimam esse dispensationem: quod rectè præsumi potest, quoties conceditur ex causa, quæ legitima existimatur: imò ex causa quæ dubia est. Nam stantè hac præsumptione, tutus est dispensatus, ac securè procedit. Quod verò dispensatio, detecta nullitate causæ subsistat, neque ad rectam gubernationem, neque ad scrupulos vitandos, sedandásque conscientias expedit: sed potius expedit contrarium, ne Deus censeatur, errori fauere. Ità Salas, Basil. quos citat, & sequitur Castro Palao *tom. 1. tract. 3. de leg. d. vlt. pun. 8. §. 2. num. 5.*

605 *Hæc verior mihi.* Verius crediderim, ob causam existimatam legitimam, sed in re illegitimam minimè subsistere dispensationem: esto dispensans, & dispensatus excusentur à culpa. Quia iura & Doctores clamant ad dispensationes valorem causam legitimam veram requiri, ergo causa non vera sed apparens minimè sufficiet.

PROBL. CXXXVIII.

Leuitas in vouendo: est, & non est sufficiens dispensationis causa.

606 *De sufficienti ad dispensationem causæ non ulla p amissio.* PRæmitto, illas esse sufficientes dispensationis causas, quæ Voti obstant executioni. Quia cum obligatio exequendi Votum cedat in Dei honorem, & in vouentis vtilitatem: non est censendus Deus illius remissioni consentire, nisi adsit causa huius executionis obligationem impediens. Causæ verò obstantes executioni Voti sumuntur tùm ex modo vouendi, si imprudenter, temerè, & absque perfecta deliberatione votum sit emissum, quod contingere potest, eo quod in tenera ætate votum quis conceperit, vel quia interueniente metu, in tristitia, aliáve passione, vel errore circa causam impulsiuam vouit: vel quia causa, ex qua motus fuit, ad vouendum cessauit. Nam in præfatis casibus regulariter vouens periculo subest, votum violandi Suar. ex communi Doctorum *l. 6. de Voto, c. 17. num. 8.* Quæsierim verò, si contingat, sic vouentem specialem difficultatem exequendi votum non habere, nec speciali periculo subesse, illud violandi: an eo solùm, quod immaturè, & imperfecta deliberatione votum emiserit, habeat sufficientem causam dispensationem impetrandi?

607 Minimè habet. Quia cessante graui difficul-

Non est leuitas in vouendo causa sufficiens.

tate exequendi Votum grauíque transgressionis periculo, nulla deest causa obstans executioni Voti. At omnes Doctores sentiunt, causam legitimam dispensationis illam tantùm esse, quæ Voti executioni obstat: Ergò defectus plenæ libertatis in vouendo, non dat sufficientem dispensandi causam. Sic Valent. 2.2. *d.6. quæst.6. puncto 7.* Suar. *lib.6. de Voto, cap. 17. num. 14.* fatus: Licèt Votum fuerit temerè factum, si tamen non nocet, sed potius vtile inuenitur: non erit illa sufficiens causa tollendi Votum. Fauent Lessi. *lib.2. cap.40. dub.17. n. 120.* & Layman. *lib.4. tractat. 4. cap.8. num.5.* asserentes, leuitatem in vouendo præstare faciliorem dispensationis impetrationem. Tacitè enim insinuant, leuitatem non præstare causam sufficientem, sed suppositа aliundè causa sufficiente, præstare, vt facilius concedatur.

608 *Est sufficiens causa.*

Habet sufficientem causam dispensandi. Quia Doctores æquè assignant pro causa ad dispensandum in Votis facilitatem in vouendo, & perfectæ libertatis defectum: ac assignant difficultatem exequendi Votum, & periculum violandi illud. Sed grauis difficultas exequendi Votum, & periculum violandi illud, est sufficiens dispensationis causa: Ergò etiam erit sufficiens causa leuitas in vouendo, & defectus plenæ libertatis Ità Nauar. *cap.12. sum. num.25. & 27.* Azor. *part.1. l.1. cap.15. quæst.5.* Ludou. Lop. *part.1. Instr. cap.49.* Arag. *2.2. quæst.88. art. 1. concl.3.* Sa *verb. Voti irritatio, num.9.* Bonac. *tom.2. d.4. quæst.2. puncto 7. §.4. num.14.* Palaus *tom.3. tractat.15 d.1. punct.9. num.7.* & alij.

609 *Verius hoc credo.*

Verius credo, defectum perfectæ, & maturæ deliberationis vndecúmque proueniat, præbere sufficientem causam dispensationi. Admitto námque ex prima sententia, causam sufficientem ad dispensandum debere executioni Voti obstare; sed abnego, defectum plenæ deliberationis non esse huiusmodi. Per se enim obstat, cum Votum emittitur, licèt posteà non obstet, sed id est per accidens. Monuerim tamen licèt defectus plenæ ac perfectæ deliberationis præstet sufficientem dispensationis causam, sed non semper, sed ratò eam præstare sic absolutè, vt sufficiat ad Votum omninò relaxandum absque aliqua commutatione. Prudentis enim arbitrio spectanda est tum grauitas Voti, tum causa, ex qua defectus libertatis est ortus: & ex illis iudicandum, num possit absoluta dispensatio concedi, an potius debeat admista commutatione geri: Mecum Sanch. *lib.4. sum. cap.45. num.28.* & Suar. *lib.6. de voto, cap.17. n. 8. & 14.*

PROBL. CXXXIX.

Prælatus Regularis potest, & non potest, potestate Ordinaria, in Nouitiorum votis dispensare.

610 *Quinam habeant dispensandi Vota Ordinariam potestatem.*

CErtum est, Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem potestatem habere dispensandi in omnibus Votis suorum subditorum, nisi aliqua sint specialiter reseruata. Quocirca non solùm Pontifex, sed Archiepiscopus, Episcopus, Legatus à latere in sua Prouincia, summi Pontificis Pœnitentiarius, Capitulum, sede vacante, Prælati Regulares exempti, Abbates habentes propriam Diœcesim, potestatem ordinariam habent dispensandi in omnibus Votis, quæ reseruata non sint. Quia id rectè Ecclesiæ gubernationi conuenit. Parochus nullo modo huiusmodi potestatem obtinet. Quia iurisdictione in foro externo ad dispensandum requisita non gaudet. Quæsierim autem speciatim de Nouitiis, à quonam eorum Vota sint dispensanda? & suppono posse ab Episcopo dispensari, si quidem ab eius iurisdictione pœnitus exempti non sunt. Sed an ab Episcopo Antiquæ Diœcesis, vel ab Episcopo illius Diœcesis, in qua de præsenti residet? Probabilius reor ab hoc Episcopo dispensandos esse; non solùm quia probabile est per habitationem transeuntem aliquale domicilium, & subiectionem acquiri in ordine ad absolutionem, & dispensationem: sed quia existimo Nouitios ingredientes Religionem, verum & proprium domicilium acquirere, & antiquum relinquere. Quia ingrediuntur animo inibi perpetuò manendi quantum est ex parte sua cui non obstat intentio exeundi, si fortè sibi Religio displiceat. Sanch. pluribus relatis. *l.4. de voto. cap.43. n.20.* An verò Prælatus Regularis eadem Ordinaria potestate fungatur ad Nouitiorum dispensanda vota? quæsieris.

611 *Dispensare non potest.*

Prælatus Regularis huiusmodi potestate non fungitur. Quia Nouitij non videntur subiici Religionum Prælatis, nisi quatenus necessarium fuerit, vt ipsi Religionem experiantur, & Religio ipsos: alia námque subiectio necessaria non est, nec est, vndè oriatur. At ad præfatum finem non est necessaria absoluta potestas dispensandi in votis præfato experimento non præiudicantibus: Ergò Prælatus Regularis huiusmodi potestate nō fungitur. Sic Azor. *p.1. l.11. c.19. q.21.* Sayr. *in Claui, l.6. c.11. n.93.* Suar. *l.6. de voto, c.11. n.9.* & plures alij apud ipsos.

612 *Potest dispensare.*

Prælatus Regularis potest cum nouitiis, sicuti cum professis in votis dispensare. Quia Prælati Regulares exempti esto in nouitios potestatē non habeant dominatiuam: habent tamen potestatem iurisdictionis, ad integrè illos in suis actionibus regendos, & eorum excessus puniēdos: vt constat ex vsu, & praxi Religionum: Sed potestas dispensandi in hac iurisdictione fundatur: Ergò. Ita Lessi. *l.2. c.40. dub.18. n.133.* Manu. *to.2. sum c.89. n. vlt.* Henriq. *l.7. c.12. n.7.* Angel. *v. Dispensatio, n.8.* Syluest. *ibi, q.14. dicto 1.* Sanch. *lib.4. sum. cap.39. num.17.* Bonac. *tom. 2. d.4. q.2. puncto 7. num.27.*

613 *Hanc sententiam veriorem esse reor.*

Hanc sententiam veriorem esse reor, aduertens Episcopum non habere potestatem dispensandi cum Nouitiis, nisi ipsi ei specialiter subiici velint. Facta autem subiectione voluntaria, posse: Neque inconueniens est, à pluribus posse Nouitium beneficium dispensationis accipere: cum id in eius cedat vtilitatem, & in fauorem Religionis. Dixi verò Prælatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem posse dispensare in omnibus votis, quæ non fuerint specialiter reseruata. Certum est enim specialiter reseruari à Pontifice quinque Vota, nempè Castitatis, Religionis, & Peregrinationis in Terram Sanctam, & ad D. Iacobum Compostellanum, & ad D. D. Apostolos Petrum & Paulum in Vrbe.

PROBL.

PROBL. CXL.

Votum illud in quod Votum reseruatum commutatum est Pontificia authoritate: manet, & non manet similiter reseruatum.

614 *Nonnulla de Votorum reseruatione præmitto.*

PRæmitto, reseruationem odiosam esse, eo quod potestatem Ordinariam restringit, & diminuit, ea de causa strictè interpretandam & intelligendam de Voto absoluto, & perfecto Castitatis, Religionis, & Peregrinationis. Vnde deduxerim, Vota diminuta castitatis reseruata non esse nec Votum Religionis non approbatæ, nec Votum peregrinationis Hierosolymitanæ emissum ob alium finem, quam deuotionis, nec Votum castitatis, Religionis, aut peregrinationis emissum sub aliqua circumstantia accidentali, qua ex parte illam circumstantiam spectat. Quæsierim verò, num reseruatum sit Votum illud, in quod Votum reseruatum commutatum est? verbi gratiâ, si Pontifex Votum Religionis in eleemosynam, ieiunium, aliúdve opus pœnale commutaret?

615 *Manet reseruatum.*

Reseruatum manet. Quia extat regula iuris, *Subrogatum sapere naturam eius, cuius loco subrogatur. leg. vni. Cod. de rei vxoriæ acti.* & colligitur ex *cap. Ecclesia, 1. de lite pendent.* Et quia Pontifex transfert vinculum prioris Voti reseruati in materiam de se non reseruatam, vt inferatur manere reseruatum illud votum si non per se tamen ex translatione. Sic nonnulli, quos presso nomine memorat Sanch. *lib. 8. de matrim. d. 9. num. 10. & lib. 4. sum. cap. 4. num. 45.*

616 *Reseruatum non manet.*

Non manet reseruatum, sed dispensari potest Votum illud in quod reseruatum commutatum est, Quia facta commutatione Votum de materia reseruata extinctum est, & loco illius subrogatum est Votum de materia non reseruata. Ità Sanchez *citat. num. 46.* Layman. *lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 11.* Basil. *lib. 8. de matrimon. cap. 8. §. 2. num. 24.* Suar. *lib. 6. de Voto, cap. 20. num. 5.* Lessi. *lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 124.* Sa *verb. Votum, num. vltim.* Pala. *tom. 3. tractat. 15. d. 2. punct. 11. num. 5.*

617 *Eiusdem sum mentis.*

Eiusdem mentis sum. Quia textus citati intelligi debent in fauorabilibus, non in odiosis. Item in iis, quæ pertinent per se, & intrinsecè ad subrogationem: non in iis, quæ subrogationi accidentaria sunt, qualis est reseruatio, quæ ex libera reseruantis voluntate pendet. Certè subrogatum sapit naturam primæuam illius, cuius loco subrogatur: non autem accidens illius. Cum autem secundum naturam primæuam illud Votum, cuius loco alterum subrogatur, reseruatum non fuerit, sed sub potestate cuiuslibet Prælati contineretur: efficitur,

subrogatum reseruatum non esse.

* * *

PROBL. CXLI.

Reseruata sunt, & reseruata non sunt tàm Vota purè conditionalia, quàm pœnalia, post impletam conditionem. sed possunt, & non possunt à Prælatis inferioribus dispensari.

618 *Plura recolo circa potestatem Prælatorum inferiorum circa dispensandum in Votis reseruatis.*

REcolo, plures esse casus, in quibus possunt Prælati inferiores Vota reseruata dispensare, Primus est, si habentibus dignitatem concessa fuerit à Pontifice facultas super his Votis dispensandi. Secundus, si materia Voti sit leuis, quod in præsenti locum habere non potest, nisi vouens voluerit, se ad solam veniam culpam obligare. Tertius est, si casus expostulantes dispensationem frequentes sint. Quia non est credendum, velle Pontificem sibi dispensationem reseruare. Quintus in extraordinario aliquo euentu, quando scilicèt vrget necessitas grauis dispensationis, nec expectari potest Pontificis, aut qui eius locum gerit, responsio, absque graui spiritualis salutis periculo. Quia id rectæ conuenit gubernationi. Sextus; cum dubium est, an Votum sit reseruatum, siue sit dubium iuris, siue facti. Nam credendum est, reseruatum non esse septimus, si consuetudine fuerit præscriptum, posse inferiores Prælatos in his Votis reseruatis dispensare. Quia consuetudo sicut legem potest constituere, ità constitutam poterit abrogare. Octauus est, si Vota fuerint conditionalia. Quia cum consensus in hæc Vota perfectus non fuerit, non videtur reseruatione, quæ stricti iuris est, comprehendi. Porrò vt ad quæstionem accedamus, aduertendum, alia esse Vota purè conditionalia, alia conditionalia pœnalia. Deindè conditionalia sumi posse antè impletam conditionem, vel post illam impletam. Si antè impletam conditionem sumuntur, reseruationi non subsunt. Quia Votum castitatis, Religionisve sub aliqua conditione de futuro contingenti non obligat ad castitatem; vel Religionem antè conditionem impletam; sed solùm obligat in euentu conditionis. Ergò non subest reseruationi antè conditionis euentum. Quid autem post impletam conditionem? Reseruata nè sunt vota tam purè conditionalia, quam pœnalia?

619 *Reseruata sunt.*

Reseruata sunt. Quia purificata conditione, obligatio Voti, quæ anteà suspensa, & imperfecta erat, perficitur, ac consummatur; ac si eo tempore contraheretur. *leg. Potior. 11. ff. qui in pignore potiores habeantur*, ibi: *Cum enim semel conditio extiterit, perindè habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Quod si eo tempore Votum castitatis fuisset emissum absolutè, in pœnam delicti commissi nullus dubitat fore reseruatum: Ergo etiam reseruatur emissum sub conditione delicti committendi, si de facto delictum committatur. Sic Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 1. ad 4.* Conar. *de pactis part. 1. §. 13. num. 12.* Gutier. *qq. Canonic. lib. 2. cap. 22. num. 50.* Basil. *lib. 8. de matrimon. cap. 9. num. 7.* Azor. *part. 1. l. 11. cap. 10. quæst. 3. & cap. 19. quæst. 13.* & alij apud Santium *citandum.*

620 *Reseruata non sunt.*

Reseruata non sunt eiusmodi vota tam pure conditionata, quam conditionata pœnalia impleta conditione. Quia vota conditionalia imbibunt in sua natura imperfectum, & diminutum consensum in rem promissam quippè est consensus sub conditione contingenter futura: sed hic diminutus consensus non mutatur superueniente conditione: aliàs nouum votum fieret: At ex illo diminuto & in perfecto consensu, qui præteriit, posita conditione nascitur absoluta, & perfecta obligatio rei promissæ exequendæ: Ergò hæc vota reseruata non sunt. Quia reseruatio, quæ quidem stricti iuris est, solùm vota ex sua natura perfecta, & absoluta debet comprehendere. Ità Tolet. *l. 4. cap. 18. numer. 11.* citans Victoriam. Anton Gomez *in Bul. Cruc. Claus. 10. num. 99.* Et reputant probabilem Lessi. *l. 2. cap. 40. dub. 18. num. 131.* Laym. *l. 4. tract. 4. cap. 8. num. 10.* & Basil. *vbi supra.* Pala. *to. 3. tract. 15. d. 2. pun. 12. num. 15.* & alij ex recentioribus.

621 *Idem sentio.*

Certè contrariæ sententiæ Doctores admittunt, cum dubium est, an votum aliquod reseruatum sit, non esse reseruatum; quia reseruatio vtpotè odiosa, rem certam afficit, non dubiam: & in casu dubio in benigniorem partem est inclinandum. At negari non potest esse satis dubium, cũ sit sub opinione probabili positum, an vota purè conditionalia sint reseruata etiam post impletam conditionem. Ergò affirmandum est, reseruata non esse, sed absque scrupulo vllo postea Prælatis inferioribus, causa intercedente, dispensari.

PROBL. CXLII.

Cùm alicui delegetur facultas dispensandi in omnibus Votis: intelligitur, & non intelligitur concessa esse etiam ad vota reseruata præter votum castitatis, & Religionis.

622 *Intelligitur concessa facultas ad omnes, excepto castitatis & Religionis voto.*

INtelligitur concessa esse facultas ad dispensandum in omnibus votis: Castitatis, & Religionis excepto. Quia hæc in generali concessione non veniunt, seu indigent speciali. Secus verò de voto peregrinationis vltra marinæ & à fortiori Romanæ, ac Compostellanæ, cuius reseruatio, quia non est tanti momenti, neque ita antiqua ac votũ castitatis & Religionis, nõ videtur hac speciali, & expressa concessione indigere. Sic Sotus *l. 7. de iust. q. 4. a. 3.* Manuel. *p. 2. sum. c. 97. n. 1.* Sanch. *l. 8. de matr. d. 9. num. 2.*

623 *Ad nulla reseruata intelligitur concessa facultas.*

Non intelligitur concessa esse facultas ad vlla vota reseruata. Quia id manifestè colligitur ex *c. si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6.* Vbi Pontifex loquens, de casibus reseruatis: negat in generali concessione comprehendi sed indigere expressione speciali. Et subdit Pontifex rationem. Quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis veto similiter in specie concessurus *regu. In generali, 81. de reg. iuris in 6.* quod non aliter fit, nisi quia sunt reseruata. Cum ergo non solùm vota Castitatis & Religionis, sed triplicis etiam peregrinationis reseruata sint, fit, in generali concessione dispensandi vota, hæc reseruata minimè comprehendi. Ita Suar. *l. 6. de voto, c. 15. nu. 4.* Sanch. retractans sententiam *l. 4. sum. c. 40. n. 16.* Laym. *l. 4. tr. 4. cap. 8. num. 7.* Basil. *l. 8. de matr. cap. 10. num. 5.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 2. punct. 13. num. 1.* & alij.

614 *Eiusdem sententia sum planaque ab initio ita hanc materiam certa theologorum ta.*

Eiusdem opinionis sum. Quia nulla alia de causa vota castitatis, ac Religionis indigent speciali concessione, nisi quia sunt reseruata Quod vero sint antiquitus, & pluribus reseruata decretis, non variat reseruationis qualitatem. Cum ergò vota triplicis illius peregrinationis verè reseruata sint, etiam concessione speciali indigebunt. Porrò id expresse, meo iudicio, indicatur in *Extrau. Etsi dominici 2. de pœnit. & remiss.* Vbi Pontifex omnia illa quinque vota reseruata æquiparat in specialis licentiæ, & expressionis necessitate. ibi: *Nisi ex speciali licentia, & certa scientia nostra.* At si alicui concessa sit facultas dispensandi in votis reseruatis absque vlla exceptione, omnia comprehenduntur. Quia nulla est specialis ratio neque ex vsu, neque ex consuetudine vnum potius, quam aliud excipiendi. Sanch. *l. 4. sum. cap. 40. num. 17.* Suar. *l. 6. de voto, cap. 26. numer. 5.* Basil. *l. 8. de matr. cap. 10. num. 6.* si omnia vota concedantur, excepto voto Castitatis & Religionis censet communis sententia, ne illa concessio sit inutilis, voluisse Pontificem in illa generali concessione reliqua reseruata minora comprehendere. Verùm si concessio esset omnium votorum etiam Castitatis, omnia minora debent censeri concessa. Quia illa dictio ampliatiua *etiam*, arguit idem esse in casibus minoribus Sanch. *l. 4. sum. c. 40 n. 21.* Basil. *l. 8. de matr. c. 10. n. 6.* Equidem hæc facultas dispensandi in votis generaliter extenditur ad vota antè & post concessionem emissa. Quia petit latam interpretationem. Suar. *l. 6. de voto, cap. 13.* Nunquam tamen censetur extensa ad vota in commodum tertij facta, si à tertio illo excepta sint. Quia tunc non solum habent voti obligationem, sed etiam promissionis humanæ acceptæ: ac proinde obligationem fidelitatis, ac iustitiæ. Basil. *l. 8. de matr. cap. 10. num. 7.* si autem rogites, quibusnam potestas dispensandi re ipsa delegata sit? respondeo generaliter solum inueniri Religiosis delegatam. Nam Innocentius VIII. concessit Mendicantibus, vt possint dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi excepto voto peregrinationis vltra duas dietas, hoc est vltra viginti leucas. Et Martinus V. impertiit Benedictinis omnia vota Episcopalia absque vlla limitatione; qua facultate gaudent omnes Religiosi, qua eorum priuilegiis communicant. Ex qua concessione constat mãifestè, posse Religiosos dispẽsare in omnibus votis (excepti illis quinque reseruatis) sicut possunt Episcopi: cum hac tamen differentia, quod Episcopi possunt etiam in illis quinque reseruatis dispensare, cum vrget necessitas maturandi dispensationem, neque patet aditus ad Pontificem, seu ad vices illius habentem. Religiosi verò in hoc casu dispensare nõ possunt. Possunt autẽ cum quibuscúmque fidelibus ex quacũque Diœcesi ad se venientibus. Quia cũ omnes Pontifici priuilegium concedenti subiiciantur, non est, cur ad fideles vnius

Diœcesis

Diœcesis limitetur: secus verò. Episcopi, qui cũ iure ordinario procedant, & ex officio: solùm ex comparatione fidelium suæ Diœcesis eam possunt exercere potestatem. Sanch. *l. 4. sum. cap. 40. num. 17.* Præter priuilegium præfatum concessum est Prouinicialibus Mendicantium, & Religiosis ab ordinario approbatis, quibus ipsi communicauerint, potestas dispensandi ad petendum debitum cum, qui post votum castitatis matrimonium contraxerint. Sic Pius v. *viuæ vocis oraculo*, vt testantur plures relati à Santio *l. 8. de matr. cap. 16. num. 3.* & refertur *in compend. priuileg. Societatis Iesu. v. Dispensatio. §. 9.* Neque opus est, matrimonium consummatum esse. Quia nec priuilegium eam restrictionem non apponit, & quia incontinentiæ periculum semper ad est, cum cohabitationẽ deserere minimè teneatur. Basil. *l. 8. de matr. cap. 10. num. 12:* Denique huius priuilegij virtute haud possunt dispensari ij, qui post matrimonium contractum, castitatem vouerunt. Quia de hisce priuilegium non loquitur.

PROBL. CXLIII.

Concessa alicui dispensandi potestate, eo ipso censetur, & non eo ipso concessa, commutandi vota potestas.

625 *Quid Doctores communiter.*

COmmuniter Doctores docent, concessa potestate ad vota commutanda, potestatem ad dispensandum non concedi, vtpotè maiorem, nec vllo modo contentam sub potestate ad commutandum. Suar. *l. 6. de voto. cap. 12. num. 4.* Barbosa *p. 2. de potest. Episc. alleg. 37. num. 4.* Quæsierim autem, num concessa potestate dispensandi, eo ipso censeatur concessa, commutandi vota, potestas?

626 *Non censetur eo ipso concessa.*

Non censetur, eo ipso concessa. Quia sunt potestates omninò diuersæ, nec vna sub alia comprehenditur. Nam potestas dispensandi, est potestas auferendi integrè obligationem: at commutandi potestas non est auferendi obligationem, sed eam in aliam materiam transferendi. Non igitur vna sub alia valet comprehendi. Sic Nauar. *sum. cap. 13. n. 79.* Sanch. aliis relatis, *l. 8. de matr. d. 2. num. 15. & l. 4. sum. cap. 40. num. 4. & 5.* Valent. *t. 2. d. 6. q. 6. pun. 7.*

627 *Eo ipso concessa censetur.*

Azor. *p. 1. l. 11. c. 10. q. 44. & c. 18. q. 7.*

Concessa ad dispensandum potestate, concessa censetur ad commutanda vota potestas. Quia commutatio est quædam partialis, seu diminuta dispensatio: si quidem obligationem voti tollit non absolutè sed sub onere alterius subrogatæ materiæ, quod longè minus est, & potestati absolutè dispensandi subordinatum. Ergò habens potestatem dispensandi vota, ea poterit commutare, iuxta *regul. iuris 53. Cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus.* Præcipuè cum minus sub eodem ordine continetur. Ità Barbosa *p. 2. de potest. Episc. alleg. 37. num. 13.* Sotus *l. 7. de iust. q. 4. art. 3.* Sa. *v. voti dispensatio, num. 19.* Basil. *de matr. l. 8. cap. 10. num. 3.* Leym. *l. 4. tr. 4. cap. 8. num. 20.* Lessi. *l. 2. cap. 40. dub. 16. num. 108.* Suar. *l. 6. de vote, cap. 12. num. 9.*

628 Probabiliorem hanc sententiam credo, quam sic explicarim: Ad tollendam integrè voti obligationem, difficile est causam legitimam inuenire: quæ tamen sæpe inuenitur, eo ipso quod volens loco prioris obligationem aliam acceptet. Poterit ergo dispensans obligationem voti tollere, ea conditione posita, & non aliter. At in hoc consistit commutandi potestas: Ergo. Certè ipse Sanch. (à cuius sententia difficile vnquam recedo) re ipsa consentit, potentem dispensare posse expræsumpta delegantis voluntate miscere commutationem. Quia hic modus dispensandi melior, ac tutior est, & à Pontifice vsitatus. Ex qua doctrina conuincitur, posse votum inæquale commutare. Nam multo minus est commutationem in æquale facere, quam in minus. *Credo, hanc sententiam probabiliorem esse.*

CAPVT XXIII.

Circa Voti Commutationem.

PROBL. CXLIV.

Potest quis, & non potest, propria authoritate votum in rem æqualem commutare.

629 *Nonnulla suppono.*

SVppono ex *sect. 1.* Commutationem à pura dispensatione differre, quòd commutatio tollit obligationem voti non simpliciter & purè, sicut dispensatio, sed sub onere nouæ obligationis priori subrogatæ. Hæc autem obligatio subrogata priori potest esse grauior, æqualis, ac leuior, pro grauiori, æquali, vel leuiore materia subrogata. Certum verò est, si quis votum commutet in rem euidenter meliorem, id posse propria authoritate, & absque vlla causa gerere, nisi specialiter aliqua lege, præceptovè prohibeatur. Nauar. *cap. 12. sum. num. 75.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 18. q. 1.* & alij communiter. Quia si res in quam votum obligatio transfertur, omnibus consideratis, est melior, consequenter erit Deo gratior. At in rem leuiorem, seu inferiorem nullatenus votum propriâ potest authoritate commutari. Quia est contra rationem velle obligare Deum creditorem, vt rem inferiorem loco superioris debitæ acceptet. Idem dixerim de re sub dubio, vel sub opinione æquali, cuius obligatione satis facere quis non potest debito certo. Quia ignorat gratum fore creditori, ab eo que acceptari. *Omnes communiter.* Quæsierim autem, num quis valeat votum in rem æqualem propria authoritate commutare?

630 *Potest quidem.*

Potest quidem. Quia posita æqualitate materiæ subrogatæ, videtur certum vtrámque esse æque Deo gratam existere. Ergo vtráque satis fieri debito potest. Nam licet inuito creditore, vnum pro alio solui nequeat: bene tamen si ipsi gratum sit. *Instit. Quibus modis tollitur obligatio.* At materia subrogata æqualis est æque grata Deo ac illa, quæ fuit determinatè promissa Ergò ipsius oblatione debito fit satis. Sic. Medin a *l. 1. sum. cap. 14. § 7.* Henriq. *l. 5. de pœnit. cap. 20. n. 5. & l. 7. de indul. cap. 30. num. 5.*

num. 5. Manuel. *tom.* 2. *sum. cap.* 110. *num.* 4. *concl.* 4. Sa *v. Voti irritatio*, *num.* 9. & probabile reputat Aragon. Suar. Alcozer, Lessi. apud Santium *l.* 4 *sum. cap.* 40. *num.* 10.

631 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia licet materia subrogata æque Deo grata sit, illique placeat, sicut illa, quæ fuerat promissa, si vtraque per se spectetur: At posita promissione, & obligatione vnius specialiter ac determinatæ soluendæ, non est æque Deo gratum, illam offerre. Si quidem pro parte materiæ promissæ stat promissionis firmitas, & constantia, cuius variatio non videtur, honestari posse, nisi aliquis manifestus defectus sit in materia subrogata. Ità Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. *numer.* 105. Suar. *l.* 6. *de voto, cap.* 19. *numer.* 3. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 19. Sanchez *l.* 4. *sum. cap.* 49. *numer.* 12. Sayr. *in Claui l.* 6. *cap.* 12. *numer.* 8. Palaus *tom.* 2. *tract.* 15. *d.* 2. *punct.* 15. *num.* 4. & alij apud ipsos.

632 *Proba-bilius hec iudico.* Hanc sententiam probabiliorem iudico, communem equidem, eamque confirmo. Si absque fidelitatis detrimento offerri potest Deo materia æqualis & quæ promissa fuit: manifestè infertur, sic offerentem non esse ex vi voti obligatum magis reddere rem determinatè, promissam, quam quamlibet aliam æqualem: quod quidem est conuenienti disciplinæ, rectæque morum institutioni contrarium: Ergò. Cæterum impossibile ferè reor, æqualitatem in materia subrogata euidenter cognoscere: Plures enim sunt materiæ, quæ per se spectatæ æquales apparent: at omnibus perpensis, æquales non sunt. Multis exemplis Suarius *l.* 6. *de voto, cap.* 19. *num.* 11. exornat. Ad commutandum itaque votum in rem euidenter æqualem necessaria est authoritas Prælati habentis iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Quia hæc commutatio est quædam dispensatio diminuta, ac debiti remissio nomine Dei facta: ac proinde iurisdictionem expostulat. Ad commutationem faciendam in rem manifestè meliorem, nulla specialis causa requiritur. Quia ipsamet susceptio perfectioris obligationis Deo quidem gratior, pro causa sufficit. Denique ad commutationem faciendam in rem æqualem leuis causa sufficit. Quia non est absoluta obligationis vllius remissio, sed illius translatio. Communiter censent Doctores sufficere, si quis commutationem ardenter postulet, sperans maiori cum fructu materiam subrogatam executuram.

PROBL. CXLV.

Commutatio potest, & non potest fieri in paulo minus minorem materiam.

633 *Potest quidem.* POtest quidem. Quia æqualitatem inuenire in materia subrogata difficillimum est. Si igitur potentes commutare vota contenti esse non possent, minori materia subrogata, eorum potestas esset inutilis, quippè quæ raro, vel nunquam posset exerceri. Sic Tolet. *l.* 4. *cap.* 18. *num. penultim.* Sa *v. Voti irritatio, num.* 10. & alij relati à Santio *l.* 4. *sum. cap.* 50. *num.* 2.

634 Minime potest extendi hæc potestas ad commutationem in paulò minorem materiam, sed ad æqualem solum. Quià commutatio est contractus, in quo vnum pro alio ex voluntate creditoris subrogatur. Petit ergo æqualitatem: alias commutatio non erit, sed donatio. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. Laym. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 24. Suar. *l.* 6. *de voto, cap.* 19. *num.* 7. Sanch. *citatus numer.* 4. Couar. *punct.* 1. *de pactis*, §. 3. *numer.* 4. Palaus *tom.* 2. *tract.* 15. *d.* 2. *punct.* 16. *numer.* 2. & alij apud Santium. *Minime potest.*

Probabilius mihi admodum hoc. Nam si remissio obligationis sub minori materia est commutatio, quamvis materia subrogata notabiliter minor sit, commutatio erit: quia non apparet, vnde limitetur. Ergo priuilegium commutandi ad eam commutationem vt potè propriam extendi poterit: quod falsum est, nec ab aduersariis admittitur; coincideret enim potestas commutandi cum dispensandi potestate, provt communiter exercetur. Ergo potestas commutandi spectata vocis proprietate, & communi acceptatione, ad solam æqualem subrogationem, non ad minorem extenditur. Cæterùm hæc æqualitas non ità rigidè, ac scrupulose sumenda esse, vt certò de illa Prælato debeat constare: sufficit enim, vt probabiliter constet. Neque enim mathematica æqualitas exigitur, sed moralis. 635 *Probabilius longè hoc mihi.*

PORBL. CXLVI.

Commutatio Voti facta propria authoritate, vel alterius carentis iurisdictione in æquale, vel in minus, est, & non est omninò irrita, si vouens suppleat, quod commutationi defuit, vt esset in bonum euidenter melius.

635 *Non est omninò irrita commutatio.* NOn est omnino irrita. Quia si rem venditioni quinquaginta aureorum expositam quis surriperet, aut pro ea quadraginta tantùm domino exhiberet, credens dare quinquaginta: satis faceret quidem in casu priori tradendo quinquaginta, & in posteriori tradendo decem, quin teneretur rem domino reddere. Nam posito, quod ipse voluntatem absolutam habuit vendendi, solum defectus fuit in modo. Cum ergo Deus vota omnia commutationi habeat exposita, velitque ea, iusta causa intercedente, in æquale, vel in melius commutari: faciens commutationem in minus, solum in modo, non in substantia deficit, cum quod defuit, omninò suppletur. Sic Sanch. *l.* 4 *p. sum. c.* 51. *nu.* 11.

637 *Est irrita omninò.* Est irrita omninò. Quia nullus propria authoritate se eximere potest à voti obligatione nisi maiorem compensationē subrogando: quippè quæ sola excepta fuit in priori voti obligatione. Ergò obligatio voti cessare non potest subrogatione minoris compensationis, licèt quis addat materiam ad æqualitatem. Et quia nullus, qui Prælatus non sit iurisdictionem habet ad commutandum vota in rem æqualem: Ergo cōmutatio facta propria authoritate eius, qui iurisdictionem non habet, in rem minorem quantumuis postmodum suppleatur, quod defuit: vel in rem æqualem, nulla est prorsus. Ita Pulaus *to.* 2. *tract.* 15. *d.* 2. *pun.* 17. *num.* 2.

Non

638 *Hoc longe probabilius existimo.*

Non placet Santij sententia. Quia licèt verum sit furantem rem venditioni expositam obligatum non esse rem furatam reddere, sed tradendo integrum pretium satisfacere, dummodo dominus in eadem perseueret voluntate. Attamen dum pretium non tradit, nulla est venditio, nec rei sublatæ possessio. Sic nulla erit commutatio voti, dum vouens, rem superiorem loco promissæ non subrogat. Nam aliam Deus non acceptat. Nec est verum sic nulliter commutantem non peccare transgrediendo votum. Si vrget obligationis tempus: etiamsi animum habeat supplendi commutationis defectum. Quia cum commutatio in minus nulla fuerit, votum eodem modo obligat, ac si facta non esset: à qua obligatione non liberat animus supplendi defectum commutationis. Aliàs quilibet posset votum suum transgredi, animo commutandi in melius: quod absurdum esse quis non videat?

PROBL. CXLVII.

Quando commutatio fit in minus authoritate Prælati, etiamsi nulla ad commutandum causa subsit, nedum ad minuendum: valet, & non valet commutatio cum sola obligatione supplendi id, quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa.

639 *Valet quidè.*

VAlet quidem. Quia contractus permutationis, sicut & venditionis non annullatur ex inæqualitate rerum, quæ permutantur: sed solum est obligatio supplendi defectum. *leg. 2. C. de rescind. vendit.* Ergò etiam contractus permutationis voti, qui fit, cum Prælato nomine Dei, in æqualitate non vitiabitur. Si quidem mitius cum Deo, quam cum hominibus agitur. *leg. Celsus. ff. de recept. arbitr.* Sic Sanch. *l. 4. sum. cap. 51. n. 8.*

640 *Non valet.*

Minimè valet. Quia à voti obligatione neminem Prælatus liberare potest, nisi quatenus Dei vice fungitur. At habentes solùm commutandi facultatem solummodo gerunt Dei vices ad liberandum vouentem à voti obligatione, subrogata æquali materia. Ea enim potestas ad solam hanc (vt Sanchez fatetur *cap. 50. num. 4.*) commutationem extenditur. Ergò, dum materia æqualis non subrogatur, vouens liber non est à voti obligatione. Certè commutatio valida esse non potest, nisi Deus acceptet. Sed commutationem in rem inferiorem Deus non acceptat, vtpotè nomine ipsius minimè factam: Ergo vi illius vouens non potest ab obligatione liberari. Ità Suar. *l. 6. de voto, cap. 19. num. 14.* Nauar. *l. 3. consil. tit. de voto, consil. 5. num. 1. & consil. 19. num. 2.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 18. q. 12.* Palaci. *in 4. dist. 38. d. 3.* Ludou. Lopez *p. 1. Instr. cap. 50.* Alcozer *sum. cap. 16. concl. 2.*

641 *Probabiliorem sententiam hanc existimo.*

Propter Santij authoritatem dixerim primam sententiam satis esse probabilem, pluribus ab ipso confirmationibus roboratam. Longe verò probabiliorem esse secundam hæc mihi ratio suadet: liberari vouentem à voti obligatione subrogatione materiæ inferioris est actus potestatis dispensatiuæ vt vidimus superius: Ergo non est actus commutatiuæ solùmmodò potestatis: Igitur hac sola gaudentes illum præstarè minimè possunt.

PROBL. CXLVIII.

Facta materia subrogata inutili, vel impossibili ob culpam vouentis: reuiuiscit, & non reuiuiscit voti obligatio.

642 *Reuiuiscit planè.*

REuiuiscit sanè. Quia commutatio, vtpotè quæ prius vinculum non omninò extinguit, sed transfert: fit instar contractus conditionalis: Facio, dummodò facias: & sic sub tacita conditione, si materia subrogata impleatur. Et quia facta commutatione, est licitus vouenti transitus ad priorem voti materiam: Ergo manet obligatio disiunctiua vnius, aut alterius materiæ: At debitor sub disiunctione tenetur ad alteram partem, quoties ex culpa sua, aut ex inculpabili impotentia alteram partem non soluit: Ergo. Sic Manuel. *in addit. ad Bullam Cruc. §. 9. num. 117. & 118.* & alij apud Sanch. *citandum.*

643 *Non reuiuiscit.*

Minimè reuiuiscit, sed facta commutatione, nulla est obligatio exequendi priorem materiam, tametsi subrogata inutilis, vel impossibilis fiat, & siuè culpabiliter id acciderit. Quia per commutationem est obligatio prorsus extincta circa priorem materiam, nouæ materiæ suscepta obligatione. At obligatione semel extincta non reuiuiscit, vt pluribus ex ornat Glossa ad *leg. Qui res. §. Arcam, ff. de solut.* Quod præcipuè locum habet in obligationibus voti, & iuramenti, quia propria voluntate suscipiuntur: in quibus nequit extincta obligatio reuiuiscere, quin voluntariè votum, aut iuramentum renouetur. Affirmare autem commutationem fieri sub illa conditione, ac proindè non extinguere obligationem prioris materiæ, sed suspendere, est contrà communem sensum, & præter rationem. Nam cum commutatio sit fauor vouenti factus, grauari ea non debet, sed leuari. Ità Sayr. *in Claui l. 6. cap. 12. numer. 24.* Graf. *punct. 1. Decision. l. 2. cap. 30. numer. 3.* Suar. *l. 6. de voto, cap. 20. à numer. 9.* Sanchez *l. 4. sum. cap. 55. numer. 15.* Isla. *tom 3. tract. 15. d. 2. punct. 18. numer. 2.* Laym. *lib. 4. tract. 4. cap. 8. numer. 28.*

644 *His adhæreo Doctoribus.*

His adhæreo. Quia si obligatus esset qui commutationem accepit priorem exequi materiam, subrogata inutili, vel impossibili facta, non leuaretur commutatione, sed potius grauaretur: quippe qui ex commutatione duplicem obligationem subiret, primam, absolute exequendi materiam subrogatam; secundam exequendi priorem in casu impossibilitatis aut inutilitatis in subrogata: quod grauamen præponderat fauori commutationis factæ, non solùm in qua materia subrogata est melior, sed in qua æqualis est, imò etiamsi sit paulo minor.

* *
*

PROBL.

PROBL. CXLIX.

Redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ in voto castitatis, & Religionis extinguitur & non extinguitur materiæ subrogatæ obligatio.

645 *Quæstionis vim enuncio.* Quis dispensatus est, (verbi gratiâ) vt non obstante voto castitatis, vel Religionis matrimonium contrahat sub onere commutationis in confessionem menstruam aliqua pia opera quotidie præstanda : contingit, eo viuente, & potente votum implere mor. coniugem & matrimonium dissoluit: quo casu obligatio voti redit ; quia solùm ad effectum contrahendi ille fuit dispensatus : Quæritur, an teneatur commutationem illam simul exequi ?

646 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem. Quia id expresse tenor indicat literarum, quibus conceditur Confessario facultas ad hæc vota dispensanda, quæ quidem perpetuitatem videntur indicare. Inquit enim Pontifex : *Dispensando commutes in frequentiam Sacramẽtalis confessionis, singulis scilicet mensibus semel, vel quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera per te iniungenda : inter aliqua sint aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem : vt ea adimplens, meminisse semper possit obligationis, qua huiusmodi voto astringebatur.* Pondero illa verba *singulis mensibus*, & *Quæ quotidie facere teneatur*. & *Vt meminisse semper possit*. Quæ quidem omnia quandam important perpetuitatem, Præterea quià si vellet Pontifex, subrogatio, nem materiæ non fore perpetuam, sed extingui, reuiuiscente voto, id exprimeret sicut expressit, voti dispensationem extingui, matrimonio dissoluto. Certè cum votum illud sit ita excellens, & perfectum, & ad statum perfectissimum assumendum : possitque contingere, ex vi illius dispensationis nunquam vouentem ad illius executionem obligari, præstat ea opera, in quæ commutatur esse perpetua, vt sic relaxatio illa temporalis, & dimidiata voti aliquomodo compensetur. Sic Santius *l.4. sum. cap. 55. numer. 21.* Qui quidem docet, Secus dicendum esse in aliis commutationibus temporaneis. Itaque in P. Sanchez sententia solum excipitur materia subrogata voto Religionis, aut Castitatis, cum quis vno aut altero eorum astrictus ad matrimonium contrahendum dispensatur.

647 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia non apparet firmum fundamentum huius exceptionis. Cum enim regula generalis sit, voto principali redeunte perire subrogatum : opus erat clarè, & manifestè hanc voti Castitatis & Religionis commutationem excipi : quod tamen non videtur in præsentiarum fieri. Nam verba illa, *singulis mensibus. Quotidie*, & *semper* id non exprimunt; optime enim explicantur de tempore, quo votum non redit ; illo namque tempore æquum est, singulis mensibus confiteatur, & aliqua pietatis opera quotidie exerceat ; vt sic semper (hoc est, continuo) meminisse possit obligationis, qua astringebatur. Ita Palaus *tom.3. tract.15.d.2.pun.18.n.6.*

Ego quidem assero P. Santij sententiam vtilem, & securam esse. At qua parte excipit à communi regula commutationem factam de Voto castitatis, & Religionis contrarium mihi probabilius apparet. Quia & benignius est, & vt ait Palaus nullum adest firmum huius exceptionis fundamentum. Imò ex vltimis illis Pontificis verbis : *Vt sic semper meminisse possit obligationis, &c.* non leue fundamentum ad secundam sententiam adstruendam collegerim. Si enim menstrua confessio, & piorum operum quotidiana exercitatio ad eum finem imponitur, vt vouens meminisse valeat obligationis, qua Voto dispensato astringebatur : si dispensatio perit, & Votum redit, cessat finis huius nouæ impositionis, & obligationis, cum iam ipsummet Votum sufficienter sui memoriam excitet ; neque verum sit, menstruam confessionem, & piorum operum exercitationem excitare eo in casu memoriã Voti quo dispensatus *astringebatur* ; sed quo de facto astringitur. 648 *Eiusdem sum sententiæ.*

PROBL. CL.

Si Commutatio facta sit in rem æqualem licitum est, & licitum, non est, vouenti, ad priorem materiam redire.

649 *Vtram æquæ sit enim partem.* Certè si commutatio voti facta sit in rẽ minorẽ, omnes Doctores cõueniunt, licitũ esse vouenti, ea omissa, ad priorem remeare materiam promissam. Quia excellẽtior est, nobilior, & Deo gratior. Si verò facta sit in rem æqualem, quæsierim, num licitum sit vouenti, ad priorem materiam redire?

650 *Non est licitum.* Licitum non est. Quia nemini licet propria authoritate votum in rem æqualem commutare. At si facta commutatione ab eo qui potest, & à vouente acceptata, ei liceret, ad priorem materiam redire: iam vouens posset, votum in æqualem rem propria authoritate commutare: Ergo minimè id est concedendum. Sic aliqui Doctores, quos presso nomine memorat Palaus *citandus*, qui probabilem hanc esse sententiam profitetur.

651 *Licitum est.* Licitum est vouenti, omissa materia subgata, ad priorem propriam, & natiuam voti redire. Quia posita æqualitate materiæ subrogatæ cum qualitate materiæ primò promisse, gratius Deo esse videtur, priorem exequi, quam secundam. Ità Azor. *p.1.l.11. cap.18. q.10.* Sayr. *in Claui l.6.cap.12.num.22.* Suar. *l.6. de voto, cap. 20.num.4.* Lessi. *l.2.cap.40. dub.16.* Sanch. *l.4. sum.c.55.n.26.* & alij. 652 *Longe hoc mihi probabilius.*

Longe hoc mihi probabilius. Existimo enim certum esse huius sententiæ fundamentum, scilicet prius opus cœlesti Numini fore gratius. Quia materia secunda solum ex benignitate conceditur, & in vouentis gratiam, si velit illam exequi : non quia in Dei honorem, & cultum, maioremque vouentis vtilitatem specialiter cedat.

* *
*

PROBL

PROBL. CXLI.

Si Votum, vel authoritate propria, vel Prælati in melius fuerit commutatum: licitus est, & non est licitus ad materiam priorem transitus.

653 *Non est licitus.* LIcitus non est. Quia huiusmodi transitus vtpotè diminuens diuinum cultum, & vouentis vtilitatem, non est Deo gratus. Fateor, hanc commutationem fieri in fauorem vouentis: sed hoc solùm probat potuisse vouentem eam commutationem antè acceptationem respuere: non tamen post acceptationem. Nam accepta illa commutatione, cessat fauor vouentis, & est ius acquisitum Deo ad illius obseruationem, absque potestate retro cedendi: quia id pertinet ad maiorem Dei cultum, ac vouentis vtilitatem. Sic Suar. *l. 6. de voto, cap. 20. num. 4.* & quidem satis probabiliter.

654 *Est licitus.* Est licitus reditus ad materiam priorem. Quia commutatio ex benigna Dei concessione facta fuit sub facultate redeundi ad priorem materiam. Nam cum sic fieri possit, tum ad Dei benignitatem declarandam, tum vt vouens facilius vota exequatur, & ad noua emittenda excitetur: præsumendum est, sic factam fuisse. Ità Lessi. *l. 2. cap. 40. dub. 16. fine.* Sayr. *in Clau, l. 6. cap. 12. num. 22.* Sanch. *l. 4. sum. cap. 55. num. 26.* Palaus *tom. 3. tract. 15. d. 2. pun. 18. num. 18.* Laym. *l. 4. tract. 4. c. 8. n. 27.*

655 *Urget Suarij ratio, sed contrariam sententiam probabiliorem existimo.* Non possum non ingenuè profiteri, Suarij rationem vehementer vrgere: quæ quidem vel ex humanis promissionibus roboratur. Nam si Antonius Ioanni promitteret hordei (v. gr.) mensuram, & ex eius consensu in mensuram tritici promissionem commutaret, non liceret Antonio retrocedere. Quia licèt Ioannes fauorem Antonio, præstaret præfatæ commutationi consentiendo, at post illius consensum, & ab Antonio factam commutationem Ioanni vtiliorem: cessat fauor, & solùm quid Ioanni gratius sit, & vtilius spectatur. Sic in præsenti dicendum videtur, facta commutatione in melius, haud esse licitum vouenti retrocedere. Quia esto Deus ob vouentis fauorem hanc concesserit permutationem, non est credendum, ea facta regressum permittere, vtpotè contrarium suæ maiori gloriæ, ac vouentis vtilitati. Verum quia communior est sententia affirmans, quomodocúmque fiat commutatio materiæ promissæ siue in æquale, siue in melius, posse vouentem ad priorem materiam redire relicta posteriori subrogata, id teneo, credens non obstare, quod hic reditus cedat in diuini cultus diminutionem; nam alio ex capite maximè in Dei gloriam cedit, vt vouentes intelligant, mitius cum Deo agi posse, quam cum hominibus: neque esse ità rigidum exactorem sui iuris, quin aliquam remissionem illius gerat in vouentis fauorem.

LIBER XXX.

DECALOGI PRÆCEPTVM TERTIVM.

ASSOLENT Doctores sub tertij Præcepti Decalogi titulo non solùm de Festorum obseruatione, sed & de Missæ audiendæ obligatione disserere, imò de aliis sex Ecclesiæ Præceptis pertractare. Ego quidem solummodo ad materiam de Festorum Obseruatione tertio huic agnatam Præcepto enodandam accingor, Præceptorum Ecclesiæ tractationem in Volumen sextum remittens. Meum itaque in præsenti erit disquirere Diei Dominicæ aliorúmque Festorum institutionem. Opera prohibita, ac permissa in die festo. Causásque, quæ laborantes in die festo à piaculo excusant.

SECTIO PRIMA.

De tertio Decalogi Præcepto receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De diei Dominicæ, & aliorum Festorum Institutione.

1 *Hoc præceptum partim est naturale, partim cæremoniale, & partim humanum.*

PRÆCEPTVM celebrationis Festorum partim est *naturale*; partim *cæremoniale*, & partim *humanum*. Quatenus est naturale omnes obligat. Quia luminæ naturæ dignoscimus, aliquos dies cultui diuino esse deputandos: vndè ab aliquibus *Morale* vocitatur, id est, ad mores pertinens. Quatenus diuinum, & cœremoniale est, non obligat in ipsamet Sabbati die. Quia cæremonialia legis veteris delata per Christi mortem fuêre. Denique quatenus est humanum indicit certos dies determinatos ab Ecclesia, vt diem Dominicam loco Sabbati, & quasdam etiam Deiparæ, ac Diuorum solemnes. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 1. Sayr. *in Claui, lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 1. Graff. *part.* 1. *libr.* 2. *cap.* 34. *num.* 1. Reginal. *lib.* 19. *num.* 2.

2 *Obseruatio Dominicæ dici ab Apostolis manauit.*

Apostoli authoritate sua, non autem lege diuina, cœpêre diem Dominicam obseruare, idémque gerendum fidelibus præscripserunt. Vndè colligitur obseruationem Dominicæ diei non esse de iure diuino, sed de Canonico, & consequenter, posse vel consuetudine, vel humana potestate abrogari, & in aliam commutari diem. Ac de Festis Sanctorum idem est asserendum. Nauar. *cap.* 13. *sum. num.* 1. Suar. *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. Azor *part.* 2. *l.* 1. *cap.* 2. *quæs.* 3. Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *quæstion. vni. puncto* 1. Filliuc *tract.* 27. *cap.* 2.

3 *Quinam possint dies festos instituere, & instituere iam abrogare.*

Potestas instituendi dies festos, & institutos iam abrogandi pro tota Ecclesia est penes summum Pontificem & Concilium generale. Quia Pontifex & Concilium sunt suprà totam Ecclesiam, nec requirunt populi consensum in festorum institutione, aut abrogatione: Episcopi autem dies festos nouos non possunt instituere nisi in suis particularibus Ecclesiis: nec communiter id agere debent sine vrgentissima causa, idque ex Cleri, populíque consensu: licèt consuetudine iam receptum sit, vt festi dies adhibito solùm Clericorum consilio instituantur. Suar *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. Sa *verb. Festum num.* 1. Sanch. *lib.* 2. *sum. cap.* 43. *num.* 11. Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 26. *quæst.* 4. Diana *part.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 178.

4 *Non potest Episcopus instituere festum alicuius Beati nondum Canonizati.*

Episcopus non potest instituere festum in alicuius Beati nondum relati in Sanctorum numerum, honorem: nec abrogare festos dies, qui sunt

à Pontifice Summo instituti, vel à generali Concilio, aut totius Ecclesiæ consuetudine. Potest tamen abrogare festos dies, qui sunt instituti vel à solo prædecessore, vel à suæ Diœcesis consuetudine particulari. Reginal. *libr.* 19. *num.* 6. Diana *part.* 3. *tract.at.* 15. *resol.* 9.

5 *Consuetudo festos dies instituit, & abrogat.*

Consuetudo scita, & tolerata circa dies festos idem potest, quod circa alia præcepta humana, scilicèt dies festos abrogare, vel nouos instituere. Quia licèt sanctificatio alicuius temporis etiam in lege Euangelica de iure diuino sit, & præceptum naturale, ac morale: determinatio tamen diei est de iure humano: consuetudo autem plurimum valet in omne ius humanum. Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 5. Philiarc. *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. Reginal. *libr.* 19. *num.* 7.

6 *Secular. potestas non autor. instituere dies festos tanquam sacros.*

Princeps sæcularis, Ciuitas, aut Respublica dies festos tanquam sacros instituere non potest. Quia diei festi cultus vnus est ex Religionis actibus quo Deus colitur: de cultu Dei curam gerunt solummodò Ecclesiæ Prælati. Posset tamè sæcularis Princeps ciuilis honoris prætextu, vel alio titulo, præcipere subditis, vt tali die à forensibus negotiis, à seruilibus operibus ciues abstineãt; populus autè die illa abstinere tenetur, Missã tamè audire, nõ obligatur, nisi huiusmodi festus dies cum Papæ aut Episcopi consensu instituetur. Quia accedente tunc Ecclesiæ consensu, verè dies festus esset. Suar. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 26. *q.* 5. Sayr. *in Clavi, lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 17.

7 *Peccat populus non adimplens vota festorum populi Superioris ætatis.*

Delinquit populus, qui non adimplet vota festorum populi Superioris ætatis. Quia licèt vota personalia sint, & communiter ad alios nõ transeant: tenetur saltem ex vi contractus, ac promissionis, quæ in vniuersalem successorem pertransit. Manu. *sum. part.* 2. *cap.* 101. *concl.* 13. Nauar. *sum. cap.* 12. *num.* 79.

8 *Modus incipiendi, ac terminandi festa sumendus à præscripta consuetudine.*

Modus incipiendi, ac terminandi festum, an scilicèt à vespera in vesperam, an à media nocte in mediam noctem: à consuetudine recepta loci sumendus est. Cõmuniter tamen more Romano festum incipit à media nocte, & in media nocte terminatur: ilicèt quoad officium à vesperis incipiat. Imò potest dies festus instituì colẽdus solùm vsque ad meridiem: Quia qui potest totum, potest etiam partem præcipere: & tunc Sacrum esset audiendum. Alexand. III. *ad cap. Quoniam, de feriis.* Suar. *l.* 1. *c.* 31. *n.* 4. Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 26. *q.* 8.

9 *Festa obseruanda vniuersim ex præcepto.*

Festa verò obseruanda pro vniuersa Ecclesia instituta sũt hæc: Ex pertinentibus ad Christum Dominum, Dies Dominica, Dies Pentecostes cũ duobus sequentibus diebus, in memoriam illius beneficij, cum Spiritus Sanctus in Apostolo descẽdit. Dies Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duobus sequẽtibus. Ascensionis, Corporis Christi, Sanctę Crucis inuẽtio. Ex festis verò ad Deiparam attinentibus sũt Natiuitas, Annunciatio, Purificatio, & Assũptio: & in Hispania ex concessione Innocẽtij X. Cõceptio immaculata. Ex festiuitatibus Sanctorum hæ sunt solùm ex præcepto obseruandæ post Bullam restrictiuam festorum editam ab Vrbano VIII. Natiuitas S. Ioãnis Baptistæ, Duodecim Apostolorum, Stephani, Innocentium, Sylueſtri, Laurentij, Iosephi Deiparę sponsi, Annæ Matris Beatissimæ Mariæ, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Festiuitatis omnium Sanctorũ. Ex de-

Qua assolent ex deuotione agi.

uotione celuntur vniuersaliter solùm dies Conceptionis Deiparentis, SS. Fabiani & Sebastiani, Barnabæ, Luciæ, Marci, Magdalenæ, Festum B. Matiæ ad Niues, Visitationis, Præsentationis, ac Festum Transfigurationis Domini. Necnon dies Sanctorum Dominici, & Francisci: & alibi alij peculiares dies. Lego Suarium *to.* 1. *de Relig. l.* 2. *a c.* 2. *vsq ad* 9. Azor. *to.* 2. *a c.* 1. *vsque ad* 16.

CAPVT II.

De operibus prohibitis, & permissis in die Festo.

10 *Quodnam opus seruile dicatur.*

PRæceptũ Ecclesiæ de obseruandis festis partim est negatiuum, partim affirmatiuum: negatiuũ, prohibet opus seruile: affirmatiuũ præcipit Missæ auditionẽ, de quo suo loco. Opus seruile dicitur, quod ex se habet quendam famulatum, & ab iis solùm communiter exercetur, qui aliis inseruiunt: vt fodere, arare, suere, nere, & alia huiusmodi, quæ seruis propriè conueniunt, etiamsi per liberos nonnunquam, vel sæpè exerceantur: & hæc dicũtur mechanica, eo quod artes mechanicæ in illis debeant operantes dirigere. D. Tho. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. Tolet. *l.* 4. *cap.* 24. Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 9. Reginal. *lib.* 9. *num.* 36.

11 *Tri-plex seruile opus. Religiosum, Peccaminosum, & Indifferens. Religiosum commendabile est.*

Opus seruile est triplex. *Religiosum, Peccaminosum,* & *Indifferens* siuè *Humanum.* Religiosũ seruile opus dicitur, si per illum Deus colatur: Peccaminosum, si per illud seruiatur dæmoni, & peccatum sit: Indifferens, si homini seruiatur in iis, quæ ad corpus pertinẽt. Verũ opera seruilia Religiosa non sunt in die festo prohibita, quin potius commendata. Quia attinet ad externum Dei cultum, & Sãctorum honorem, ob quæ dies festi sunt instituti. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. & Caiet. *ibi.*

12 *Peccaminosum non est specialiter prohibitum in festis.*

Opera peccaminosa non sunt specialiter prohibita in die festo, quasi per illa dies festus violetur. Quia præceptum diuinum, & Ecclesiasticum: de colendis festis non obligat specialiter ad non peccandum hisce diebus opus enim peccati formaliter non est seruile, quamvis ex parte actus materialis esse seruile possit: vt si quis furãdo, aliena ligna cedat. Et licèt peccatum commissum in die festo contrahat maiorem aliquam grauitatem, & malitiam intrà eandem speciem: quia tamen non est grauis deformitas, hæc circumstantia, non est necessariò in Confessione aperienda. Suar. *de Relig. lib.* 2. *c.* 18. Nauar. *cap.* 6. *sum. num.* 10. Azor. *tom.* 2. *l.* 1. *cap.* 28. *quæstion.* 10. Couar. *c. Almã mater, p.* 1. §. 5. *num.* 3.

13 *Tri-plex operis seruilis indifferentis species.*

Operis seruilis indifferẽtis, vel humani triplex est species. Prima est necessarij ad hominis sustentationem. Secunda ad curandum proximum. Tertia ad cultum, & seruitium Dei. Ex consuetudine non est prohibitum in die festo opus corporale necessarium ad hominis sustentationem, quamvis seruile sit: vt parare cibos, coquere, colligere fructus, vt exindè saniores sint, occidere animalia, excoriare. Imò, & coquere panes licet, quando, vel ob multitudinem populi, vel quia multiplicantur festi dies, & præueniri non potuit: quando autem præueniri potest, minimè licet, nisi id ex consuetudine permittatur. Excusantur etiam molitores pristinorum, qui molendinis fluctualibus, aut vẽti vtũtur: in quibus labor exiguus impenditur. Nauar. *c.* 23. *sum. num.* 3.

num 3. Sayr. *in Claui, l.7.c.2.* Sylueſt. *v. Dominica, queſtio* 5. Manu. *ſum.cap.*122. *num.* 4.

14 *Licita eſt curatio proximi,*

Opera neceſſaria in curando proximo etiam ſi ſeruilia ſint, vel non ſunt prohibita, vel ob neceſſitatem excuſantur. Vndè ratione huius neceſſitatis nec venialiter delinquunt Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ, modo medicamina pro illius diei neceſſitate confíciant. Tolet. *l.4 cap.24.num.4.* Filliuc. *tra.27. num.*152. & 153.

15 *Quanam ſeruilia opera in Dei cultum liceant, quanam ſint prohibita?*

Opera ſeruilia, quæ in Dei cultum geruntur, ſunt in triplici genere. Alia immediatè pertinent ad Dei cultum, & hæc licitè fiunt in die feſto, v. gr. organa pulſare, vti muſicis inſtrumentis, portare Crucem, &c. Alia ſunt præparatoria ad diuinum cultum: & hæc etiam licitè geruntur, ſi paulo antè agenda ſint, & coniuncta ſint cum ipſo cultu diuino: vt eſt campanæ ſonitus, ornatus altarium, extractio Sacrarum veſtium, & ſimilia. Alia deniquè ſunt, quæ remotè, & accidentaliter ad Dei cultum ſpectant: & hæc haud licitè fiunt in die feſto, cum agi poſſint diebus præcedentibus: vt mundare ſcopis Templum, veſtire tapetibus parietes, &c. Non tamen erit mortale piaculum excluſo contemptu, præſertim vbi pietas interueniret. Suar. *l.2.c.21.num.*11. Caiet. *v. Feſtorum violatio.* Filliuc. *l.27.num.*156.

16 *Delinquit colens Eccleſiæ agros Templa exornantes &c. in die feſto.*

Minimè à mortali excuſatur, qui colit Eccleſiæ agros in die feſto, vel cõficit calices vel ædificat Tẽpla, vel apportat lapides, vel net ad fabricanda Sacra linteamina. Quia cũ hæc ſint per ſe opera ſeruilia, & ad Dei cultum remotè ſpectent: non expediuntur à culpa niſi vrgente fiant neceſſitae, vel facultate Epiſcopi, vel Parochi, vbi eſt conſuetudo Nauar *ſum.c.*13. *n.*4.10. & 11. Reginal. *l.19.n.*48. Diana *pun.*4. *tr.*2. *reſol.* 177.

17 *Opera liberalia quæ cultum Dei continent, ſunt, licita.*

Opera liberalia, quæ cultum Dei continent vel ad illum proximè conferunt, vt eſt oratio, lectio Sacra, concio, & ſimilia in die feſto commendabilia ſunt. At ſtudium Theologiæ, Philoſophiæ, Iuris Canonici, & ciuilis, Medicinæ, & ſcientiæ artium mechanicarum, quatenus dicunt inſtructionem mentis, non autem quatenus dicunt praxim & vſum ipſius artis licita ſunt, dummodo Miſſæ præcepto ſatisfiat. D. Tho. Caiet. Sylueſt. Sotus, Nauarr. quos refert, ac ſequitur Suar. *l.2.cap.* 22. *num.*3.

18 *Scribere non eſt opus ſeruile.*

Certè cum ſcribere ſit opus mentis, & lot cutio quædam permanens ordinata ad propriam, vel alienam inſtructionem, liberale opus eſt: nec fit ſeruile ex eo, quod fiat ob lucrum. Quia Eccleſia non prohibuit operari in die feſto propter mercedem, niſi in quantum ipſum prohibet opus. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. Nauar. *ſum.cap.*13 *num.*13. Medina *l.*1. *ſum.cap.*14.§.8. Laym. *l.4.tract.7.cap.2.nu.*3.

19 *Imprimere libros non licet.*

Imprimere libros non licet. Quia tam formatio literarum, quam compoſitio, & impreſſio ſeruile eſt opus, cum ſolùm dirigatur ad exprimendam in charta literarum formulam, quod corporale quiddam eſt, nec fit per modum locutionis, & expreſſionem mentis. Suar. *l.2.cap.*25. Sayr. *in Claui, l.7.cap.2.num.*15. At proprium circa hanc propoſitionem Problema inſtituam, & circa pingendi artem.

20 *Itineratio non eſt ſeruile opus.*

Itineratio non eſt opus ſeruile, nec per ſe in die feſto prohibita. Quia potius videtur opus naturale ordinatum ad corporis conſeruationem, & ad negotia vbique exercenda. At ſi itinerationi addantur circumſtantiæ operibus ſeruilibus annexæ: verbi gratiâ ſi magno cum labore imponenda ſint iumentis, vel curribus onera, quæ ducantur; vel ſi currus onuſti de vno loco ad alium deferantur: opus eſt ſeruile per ſe loquendo. Non autem erit ſeruile, transferre animalia ſine onere de vno loco ad alium, vel iter agere, comitantibus iumentis ſupellectili onuſtis, vbi eſt conſuetudo, & neceſſitas poſtulat. Ob publicam verò vtilitatem, vel ob graue nocumentum vitandum poteſt continuari iter antè diem feſtum inchoatum bona fide cum oneribus. Suar. *l.2. c.*27. *num.*2. Reginal. *l.*19. *num.*38. Azor. *to.*2. *l.*1. *c.*27. *q.*2. Sa *v. Feſtum, n.*5. Bonac. *to.*1. *d.*5. *q. vni. pun.* 2. *num.* 15. Diana *p.*2. *tr.* 1. *reſol.* 36. & *p.* 4. *tr.*4. *reſol.* 222.

21 *Nec curſoratum equeſtrium, vel pedeſtrũ officium.*

Non eſt prohibitum, curſores ſiue equeſtres, ſiue pedeſtres die feſto iter ſuum continuare, aut etiam incipere. Quia quod fiat currendo, non variat actionis rationem: ſicut neque variat, quod ex mercede fiat. Sanch. *tom.*1. *Opuſc. l.*5. *cap.*2. *dub.*7. *num.* 5. citans Caietan. *v. Feſtum,* §. *de violatione.*

Saltandi, ducendi choreas, canendi & pulſandi inſtrumenta muſica ſeruiles non ſunt. Quia muſica inter artes liberales computatur. Hinc non ſunt prohibitæ ex vi prohibitionis operum ſeruilium: ſed aliunde ſi fiant cum exceſſu, cum libidine, cum ſcandalo. Filliuc. *tr.*17. *n.*171. Bonac. *to.*2. *d.*5. *q. vni. pun.* 2. *n.*25.

22 *Venatio recreationis gratia ad opus liberum accedit, piſcatio in flumine,*

Venatio ob voluptatem, & recreationem, & quæ in induſtria poſita eſt volucrum, & ſimiliũ, maxime ad opus liberũ accedit & communiter tali modo exercita non reputantur ſeruile opus. Piſcatio verò, quæ fit in mari cum retibus propiùs ad opus accedit ſeruile. Quæ autem fit in flumine recreationis gratia & cum arundine, vel ſimili ratione, nõ videtur prohibita. Porrò venatio & piſcatio ex officio, & quę tota poſita eſt in corporis defatigatione, opus eſt ſeruile, & in die feſto prohibitum. Quia hæ actiones cũ magna corporis defatigatione ſũt propriè ſeruorum. Nauar. *ſum.c.*13. *n.* 11. Suar. *l.* 2. *c.* 28. citans Medinam, & Ludou. Lopez Tolet. *l.4.c.*24. *n.*10. Diana *p.*4. *tr.*4. *reſol.*222.

23 *Militia actualis ad ſeruile opus accedit, ſed ex cauſa in die feſto licitè exercetur.*

Militia actualis, id eſt opus ipſum bellandi quo ad executionem proximè ad opus ſeruile accedit. Quia ars militaris inter mechanicas cõputatur. Hinc militia per ſe prohibita eſt in die feſto: per accidens tamen, & ex cauſa toleratur: cum ſemper adſit aliqua vtilitas vel neceſſitas in non differendo bello ad aliud tẽpus, ſi ſtatim commodè fieri poſſit. Vndè excuſãtur, qui aggeribus, foſſa, & vallo, arces, vrbes, oppidáve muniunt, & alia ſimilia gerũt. Hinc conſuetudine receptũ eſt, iuuenes diebus feſtis artẽ gladiatoriã ediſcere. Quia eſto, diſcatur vſu, & exercitio operis ſeruilis, ob neceſſitatem Reipublicæ permittitur, videtibus, ac conſentientibus Prælatis. Scio probabile eſſe militarẽ artem non eſſe mechanicam, ſicut nec bellum ex ſe eſſe opus ſeruile. De quo *ſect.* 2. Suar. *l.*2. *c.*28. *n.*8. Filliuc. *tr.*27. *c.*175. Caier. 2. 2. *q.*40. *a.*4. Valẽ. *to.*3. *d.*3. *q.*16. *pu.*5. Manu. *p.*1. *ſu. c.*122. *n.*3.

24 *Animæ opera permittuntur.*

Animæ opera, id eſt, quæ ab anima procedunt, in die feſto permittuntur, exceptis queiſdam caſibus in iure expreſſis. Quia animi

animo opera non sunt seruilia. Hinc Aduocatus potest in die festo dare operam studio, causa litium, scripto iudices informare, agere priuatim de lite cum Procuratore, referre causam apud Iudicem, vt ea cognita commodius ferat sententiam. Necnon licèt Doctori conficere consilia, & ciuibus ad consilia conuenire, eligere ad officia. Quia electio est opus animæ, quamvis ad negotia temporalia terminetur, quæ se habent tantùm materialiter ad electionem. D. Thom. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. Graf. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 16. Caiet 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. Suar *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 9. Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27 *q.* 11.

25 *Literas scripturas facere, dummodò actus prohibitos non contineant.*

Licitum est Tabellionibus seu Notariis scripturas publicas die festo facere, dummodò non contineant illos actus, qui in illo die sunt prohibiti. Nam si actus essent prohibiti, (nempè solemnis testium examinatio) scriptura etiam tales actus continens essent prohibita. Quia est pars illius actus, qui prohibetur, ideóque sub eadem continetur prohibitione. Nauar. *cap.* 13. *sum. num.* 14. Ludou. Lopez *libr.* 1. *Instruct. cap.* 51. Sanch. *tom.* 2. *opusc. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 2.

26 *Licitum est, extra necessitatem testamenta conficere,*

Etiam extra necessitatem licitum est die festo, Testamenta conficere, scripturas donationis, renunciationis, debiti soluti: instruere Procuratorem ad exigendum, & soluendum, ad contrahendum matrimonium, &c. facere instrumenta emptionis, & venditionis in iis locis, in quibus vel ex consuetudine, vel ex permissione mercatus exercentur. Quia cum emptio, & venditio tunc sint licitæ, erit etiam licita scriptura. Doctores communiter, Bassæus *sum. verb. Festum* 2. *num.* 4.

27 *Non licet mercatus exire, sed licitus est consuetudine. Nomine autem mercatus tria possunt intelligi.*

Quatuor opera non seruilia, iure prohibentur *cap.* 1. *de feriis*, in die festo. *Mercatus, Placitum, Iudicium* ad mortem, vel aliam pœnam ciuilem. *Iuramentum*, in iudicio interpositum, nisi causa pacis, vel necessitatis interponatur. Nomine mercatus intelliguntur nundinæ, quæ semel vel bis in anno fieri assolent. Sed consuetudine legitimè præscripta ius hoc commune abrogatum est Item quasi nundinæ, quæ semel, bis, aut ter in hebdomada alicubi habere consuescunt: dum vulgares homines ad forum deferunt oua, pullos, fructus: hic mercatus non licèt in diebus festis, nisi in aliquo loco consuetudo contraria obtinuerit; quæ quidem non debet de nouo faciliter induci; nec inducta extendi. Necnon nomine mercatus possunt intelligi quicúmque actus siuè emptionis siuè venditionis: siuè locationis, & conductionis: siuè cuiuscúmque huiusmodi contractus. At huic præcepto etiam derogatum est consuetudine. Quia vniuersaliter permittitur, vt panis, vinum, herbæ, fructus, carnes, & similia ad victum quotidianum necessaria, diebus festis vendantur, & emantur. Imò in paruis oppidis etiam aliæ venditiones fieri assolent. Quia aliàs pauci essent emptores, & res vilissimè venderentur. Vndè sutores, sartores, aliique similes opifices excusantur, vendendo rusticis calceos, vestes, & id genus alia. Quia ipsi rustici diebus profestis venire nequeunt ad emendum, sinè rerum suarum detrimento. Tolet. *libr.* 4. *capit.* 24. *numer.* 12. Suar. *lib.* 2. *cap.* 29 *num.* 1. Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 8. Reginal. *libr.* 19 *numer.* 42. & 43. Filliuc. *tractat.* 27. *numer.* 179. Sylui. 2. 2. *quæstion.* 122. *artic.* 4.

28 *Placitum, seu actus iudiciales cum strepitu facti prohibiti sunt in die festo.*

Placitum est sententia ciuilis, & strepitus iudicialis Iudicum, Notariorum, actorum, reorum, testium, Procuratorum, & Aduocatorum concurrentium ad tale iudicium. Porrò quælibet lis, & causa fori, quæ agitur in iudicio, & quæcúmque ad acta iudicij pertinent, & formationem processus, vel ad sententiæ prolationẽ fieri in die festo prohibentur, imò irritantur, si eo die fiant. Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 12. Reginal. *libr.* 19. *num.* 44. Tolet. *cap.* 4. *n.* 11. Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 13. Suar. *lib.* 2. *c.* 29. *num.* 8 & 9.

29 *Actiones hasce possunt excusare necessitas, aut pietas.*

Tamen duo possent excusare eiusmodi actiones. Primò necessitas quia scilicèt alio tempore testes haberi commodè non possunt. Secundò, pietas; nam ex concessione Pontificis excusantur Iudices rurales dicentes ius rusticis in die festo: ne pereat diurnus labor ad victum necessarius. Licèt etiam in die festo causas miserabilium iudicare. Diana *part.* 2. *tract.* 1. *resol.* 34. & alij apud ipsum.

30 *Prohibetur sententia qualibet cum strepitu iudiciali sine illo permittitur.*

Verum quælibet sententia strepitum iudicialem requirens, aut cum iudiciali strepitu coniuncta, prohibita est in die festo. Aliæ verò sententiæ non requirentes iudicialem strepitum non videntur prohibitæ: vt patet in absolutione excommunicationis, in dispensationibus, aliísque actibus voluntariæ iurisdictionis. Multò æquius actus extraiudiciales non erunt prohibiti. Vndè excusari possunt Notarij, & officiales curiæ, qui domi priuatim transcribunt. Et creditores, qui extrà iudicium à suo debitore exigunt debitum. Caiet. *verb. Festorum violatio*, Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *q.* 11. Lege *Cap. vltim. de feriis, & leg. Vt in die, Codice de feriis.*

31 *Licita est appellatio, sed non eius prosecutio.*

Licita est appellatio in die festo. Quia licèt ad actus iudiciarios pertineat; ex consuetudine tamen non videtur sub vniuersali actuum iudicialium prohibitione contineri, cum sine magno strepitu fiat, & res sit fauorabilis. Prosecutio autem appellationis non est licita in die festo. Quia cum maiori strepitu fieri assolet, & non est adeò necessaria, vt ipsa appellatio. Abbas *capite vltim. de feriis.* Gloss. *ibidem*, Filliuc. *tractat.* 27. *numero* 198. & 199.

32 *Nec citatio, seu inchoatio causæ, nisi in casu speciali.*

Citatio, seu inchoatio causæ facta die festo iniqua & inualida esse potest, si pars citatur, vt in die festo respondeat; quod iniquum, & inualidum est. At si solùm facta esset pro tali die mensis, in quem festum incideret: receptius est citationem valere pro die habili proximè sequenti. Citatio autem facta in die festo, etiamsi in die profecto instituatur, prohibita est, & nulla. Quia citatio vt dicit actionem Iudicis continentem præceptum, si fiat in die festo, nulla est; pertinet enim ad strepitum iudicialem, qui prohibitus, & irritus est in die festo. Suar *libr.* 2. *capit.* 30. *numer.* 4. Azor. *tom.* 2. *libr.* 1. *capit.* 27. *quæstion.* 15. Reginal. *libr.* 9. *num.* 45.

33 *Testes non possunt in die festo examinari.*

Testes non possunt in die festo examinari. Quia actus iudiciales pertinentes ad forum contentiosum vetiti sunt in die festo; præterea testes non examinantur nisi præuio iuramento: iuramentum autem iuridicum haud potest in die festo exigi; probabile autem est, continuari posse examen testium in

die festo, si in profesto die fuit iuramentum præmissum. Quia tunc testimonium ad diem iuramenti retrahitur. Porrò, vbi adesset legitima consuetudo in contrarium, vel causa pacis, aut alia necessitas: licitum esset iuramentum exigere, & testes recipere. Quia consuetudo potest legem legitimo tempore abrogare, & Ecclesia non obligat cum tam graui incommodo. Suar. *tom. 2. de Relig. tr. 2. l. 2. cap. 3. n. 13.* Filliuc. *tr. 27. n. 193.* Abbas *ad c. 1. de feriis.* Bonac. *to. 2. d. 5. q. vni. pun. 2. n. 21.* ex *c. 1. de feriis.* Azor. *to. 2. l. 1. c. 27. q. 14.*

34 *Nec fieri potest iudicium ad mortem aut ad pœnã corpoream.*

Tertium opus non seruile prohibitum in die festo est iudicium ad mortem, vel ad pœnam: per quod intelligitur sententia capitalis, aut alia quæuis corporalis pœna. Ex causa tamen posset aliquando in die festo ferri sententia ad mortem, vt cum tempus id exigit: verbi gratiâ tempore belli: vel quandò timetur, ne iustitia impediatur, vel malum augeatur, nisi statim vendicetur. Caiet. *v. Festus dies.* Reginal. *l. 19. num. 46.* Filliuc. *tr. 27. 186.*

35 *Licet autem, rationes subducere.*

Licet, die festo rationes subducere, etiamsi ex officio fiat, & ex mercede. Quia duo in hac operatione possunt considerari, nempè supputatio, & descriptio dati, & accepti, seu translatio de vno in alium librum: neutrum autem est opus seruile. Nam supputatio rationum est exercitium artis arithmeticæ, quæ liberalis est: & est opus intellectuale, quod consistit in diuidendis, componendis, & subtrahendis numeris, & reducendis ipsis ad certum ordinem, cui respondeat pecunia, aut aliquid aliud. Descriptio verò dati, & accepti, aut translatio de vno in alium librum aliquid seruile non continet. Quia consistit solùm in scriptione, aut transcriptione: neutra enim est seruile opus iuxta receptiorem sententiam. Pasqualig. *in decis. moral. dicis. 150.*

CAPVT III.

De causis excusantibus laborantes in die Festo.

36 *Prima causa excusans est propria necessitas.*

PEccatum non sanctificantis festos dies, & seruiliter in eis laborantis, ex suo genere est mortale contra diuinum præceptum contra religionem, & cultum Deo debitum. Assignantur tamen septem causæ, quæ laborantes seruiliter à lethali crimine excusant. Prima est necessitas imminens propriæ conseruationis, aut sustentationis propriæ vitæ, aut familiæ. Quia ius diuinum, & Ecclesiasticum non intendunt obligare fideles cum tanto grauamine. Vnde excusantur pauperes, qui nisi laborent in festo, nequeunt se sustentare: dummodo id secretè gerant, & in casu dubio necessitatis viros doctos consulant, vel dispensationem exquirant. Et agricolæ tempore messis, nè pluuia fortassè obueniens segetes comminuat. Et coquentes lateres, aut calcem. Quia hoc genus operis inchoatum haud potest absque notabili damno intermitti. Et famuli, ac vxores, qui præcepto domini vel mariti coguntur in die festo laborare: alioquin serui domo excluderentur, vel priuarentur alimonia: modo domini, aut mariti præceptum in festi contemptum non procedat. Et satores autumni tempore, timentes ex dilatione periculum: necnõ vindemiatores instantia vindemiæ. Et milites tempore belli aggeres extruentes, muros ædificantes. Idem dicendum, si adsit vera consuetudo, & non abusus, de tonsoribus barbam, & capillos tondentibus. Sartores etiam multis in casibus excusantur, vestes in die festo perficientes, nempè si illæ pro illa die debeant inseruire, & essent necessariæ pro statu congruente, v.gr. vestes sponsi, & sponsæ: vel vestes lugubres, vel illorum omnium, qui iis vestibus indigent ad tuendam status decentiam. Item si Sartores timeant aliquod notabile incommodum, vel acerbas reprehensiones, & iniurias eo quod vestes non perfecerint. D. Tho. 2. 2. q. 122 a. 4. Caiet. *ibi.* Nauar. *sum. c. 13. n. 6.* Suar. *l. 2. de festis, c. 32.* Bonac. *to. 2. d. 5. q. vni. pun. 3. n. 13.* Reginal. *l. 19. n. 50. & 51.* Diana *p. 2. tr. 15. resol. 34.* Pasqualig. *decis. 289. & 290.*

37 *Secunda necessitas Reipublicæ.*

Secunda causa excusans est Reipublicæ necessitas. Quia multo magis subueniendum est publicæ necessitati, quam priuatæ. Vnde excusantur reficientes pontes, & vias, aliaque publico vsui inseruientia, quæ sinè magno incommodo differri non possit. Et prouidentes de rebus necessariis ad victum quoad ea, quæ præmuniri decenter nõ possũt. Et artifices construentes tabulata, theatra ornantes pro causa publica: v.gr pro Principis aduentu, vel pro communi lætitia. Et ferratores equorum, si adsit necessitas iter agentis. Azor. *p. 1. l. 1. c. 28. q. 5.* Tabie. *v. Feria, n. 5.* Filliuc. *tr. 27. n. 212.*

38 *Tertia grauis miseria.*

Tertia est necessitas proximi, ob hanc licet, in die festo laborare: nempè ad extinguendum ignem in domo proximi accensum. Pharmacopolæ, Chirurgo, Tonsori ad succurendum ægrotantibus. Operaque misericordiæ corporalia semper licent, modo necessitas adiungatur, vt sepulturæ mortuos amandare, & ideo foueam extruere, nudos induere, & ideo conficere vestimenta. Reginal. *l. 1. n. 51.* Filliuc. *tr. 27. n. 215.* Bonac. *to. 2. d. 5. q. vni. pun. 3. n. 10.*

39 *Quarta materiæ paruitas.*

Quarta est paruitas operis, seu leuitas materiæ. Vnde excusantur à lethali parum laborantes vel suendo, vel tondendo, vel reparando aliquid. Iudicium verò de huiusmodi paruitate prudentis arbitrio relinquitur. Communiter excusantur à lethali ratione paruitatis materiæ per spatium duarum horarum. Quia paruitas materiæ excusans à mortali non absolutè, & secundum se, sed respectiuè ad totam materiam præceptam est spectanda. Scio aliquos amplius extendere, asserentes, tres horas esse paruam materiam. Quia octaua pars respectu totius diei pars exigua censetur. Suar. *tr. 2. l. 2. c. 32. n. 2.* Azor. *p. 2. l. 1. c. 18. q. 5.* Regin. *l. 19. n. 53.* Diana *p. 3. tr. 5. resol. 8. & p. 2. tr. 1. resol. 36.* Filliuc. *tr. 27. n. 205.* Granad. *t. 2. controu. 6. tr. 2. d. 2. sect. 6. n. 54.* Hinc elicio, nõ peccare mortaliter illi, qui in eodem opere continuò toto die festo laborant, sed singuli pro modico tempore. Quia nullus illorum magis violat festi sanctificationem, quam violaret, si ceteri nõ laboraret in eodẽ opere. Sãch. *l. 1. sum. c. 4. n. 12.* Nec eũ, qui faciens exerceri seruilia à pluribus pro eo tantum tempore, pro quo

quo non peccãt singuli mortaliter. Quia ex eo, quod quis inducat ad peccandũ præcisè, nõ plus peccat, quã peccant illi, qui inducuntur. Illi autem qui modico tempore laborãt, mortaliter nõ delinquunt: Ergò nec inducens. Sanch. *eitatus.*

40 *Quinta occursus lucri transitorij.*

Quinta causa est occursus lucri transitorij. Quia cum Ecclesia indulgeat in die festo halecum piscationem, quæ vno tantùm anni tempore transire assolent: pari ratione idem est asserendum de piscatione aliorum piscium, qui similiter certo solùm tempore anni occurrunt: & de quovis alio lucro transitorio quomodolibet repentè occurrente. Quia hoc lucrum transitorium cessans pro graui incommodo reputatur. Sayr. *in Claui, lib. 7. cap. 2. num.* 10. Caiet. *v. Festus dies.* Diana *part. 2. tract. 2. resol.* 34. Bonacin. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. puncto 3. num.* 15. Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 9.

41 *Sexta absentia à loco, in quo dies festus colitur.*

Sexta causa est absentia à loco, in quo dies festus celebratur. Quia nullus tenetur legibus sui domicilij, quæ non obligant in loco, vbi pro tempore reperitur. Vndè Burgensis ciuis Valisoleto existens, potest laborare in die festo, qui Burgis colitur. Suar. *l. 2. cap.* 14. *n.* 11. Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 5. vberiùs *sect.* 2.

42 *Septima dispensatio.*

Septima est Dispensatio, quam dare potest Pontifex validè etiam sine causa. Episcopus autem dispensare potest in festo proprio suæ Diœcesis, etiam absque causa. At si dispenset in festo de iure communi sine causa, nulla erit dispensatio. Quia esset in lege Superioris. Quando autem causa esset euidenter iusta, non est opus dispensatione, nisi ad vitandum scandalum, & pro foro externo. In dubio verò causæ iustæ, & sufficientis ad seruiliter laborandum, adeundus est Episcopus, si cõmodè possit: si non, Parochus ob iustam causam ex consuetudine in aliquibus casibus parœcularibus dispensare, tùm quia cõsuetudine potest iurisdictio acquiri: tùm quia ad regimen animarum ob crebros, ac quotidianos casus hæc potestas Parochis moraliter est necessaria. Huiusmodi licentiam non possunt Iudices sæculares impendere: nec punire illos, qui præuia Episcopi licentia operibus seruilibus die festo vacauerint, vt declarauit Sacra Cõgregatio Cardinalium apud Dianam *p. 5. tract. 1. resol.* 94. Suar. *l. 3. c.* 33. *num.* 3. Sayr. *in Claui, l. 7. c. 3. nu.* 18. Azor. *to. 1. l. 1. c.* 28. *q.* 6. Reginal. *l.* 19. *num.* 54. Filliuc. *tract. 27. num.* 215.

43 *Potest Episcopus dare licentiam laborandi sub onere aliquid in vsus pios conferendi.*

Potest Episcopus impertire alicui facultatem seruiliter laborandi hac de causa seu onere adiecto, vt aliquid conferat in vsus pios, quamvis necessitas non vrgeat: vt ad emenda luminaria pro aliquo Templo, aut sacello, dummodo causa absit scandali. Quia hoc onus non imponitur simoniacè tanquã datæ licentiæ pretium: sed cultus ille religiosus cessationis ab operibus seruilibus, in die festo mutatur in aliud opus piũ erogandi aliquid in sacrarũ ædiũ vsus, si nõ necessarios, saltẽ commodos: quod licitè fieri potest, vt patet ex *c. Licèt, de feriis.* Reginal. *l.* 19. *n.* 54. Azor. *to. 2. l. 1. c.* 28. *q.* 11. Bonac. *to. 2. d. 5. q. vni. pun. 3. n.* 21.

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto Decalogi tertio Problemata.

CAPVT IV.

Circa ea, quæ ad Præceptum de Sanctificandis Festis in communi pertinent.

PROBL. I.

Diei Dominici obseruatio est, & non est iuris Diuini.

44 *Certum præmitto.*

ONVENIENTER admodum Ecclesia obseruationem diei Sabbati indictã Hebræis in diem dominicũ commutauit. Id quidẽ statuerunt Apostoli cœlesti ducti consilio statim post Christi Domini Resurrectionem in eius memoriam. Nam vt eo die primum lux orbi terrarum illuxit: sic Seruatoris nostri, qui ad cœlum nobis aditum patefecit Resurrectione, quæ eo die fuit, è tenebris ad lucem vita nostra, (verius mortẽ dixerim) fuit reuocata. Ideò Apostoli sacrum hunc diem Dominicum vocitari voluere. Azor *p. 1. l. 1. c. 2. q.* 3. Suar. *to. 1. de Relig l. 2. c. 2. n.* 11. Fagund *l. 1. in Decal. c. 1. n.* 6. Palaus *tr. 9. d. 1. pun. 1. n.* 1. Quæsierim autem, num diei Dominici obseruatio indicta Ecclesiæ ab Apostolis, sit iuris diuini?

45 *Iuris diuini est.*

Iuris diuini est. Quia successit Sabbato, cuius obseruatio iuris diuini erat. Ius hoc datũ Apostolis, qui Ecclesię tradidere. Sic Butrio Anchar. Abbas *ad c. 3. de feriis*, relati à Santio *in Consil. l. 5. c. 2. dub. 1. n. 2.* Auct. Supplem. ad Sum. Pisan. vt testatur Palaus *citat.* Angel. *v. Feriæ, n. 3.* Syluester *v. Dominica, q. 1.* asserens, aliquos dies festos *esse iuris diuini, vt dies Dominica, festum Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & Epiphaniæ.* Et licèt addiderit: Dominica *successit Sabbato, non diuina, sed Ecclesiastica constitutione*: vndè arguit Leander *de præc. Eccl. tr. 1. d. 1. q* 8 Doctorem mutasse sententiam: non tamen mutauisse reor, sed exposuisse. Ac si diceret: Dies Dominica, cuius obseruationis Apostoli diuinitus accepere legem, eam Ecclesiæ intimarunt, Ecclesiáque ab Apostolis acceptam fidelibus præscripsit.

46 *Non est iuris diuini.*

Non est iuris diuini, sed Canonici. Quia nullibi tale præceptum datum à Christo reperitur. Ità D. Tho. 2. 2. *q.* 122. *a.* 4. *ad* 4. Caiet. *ibi*, Azor. *l. 1. de præc. 3. c. 2. q.* 2. Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. c. 4. num.* 8. Fagund. *de Eccl. præcep. 3. l. 1. c. 2. num.* 3. Bonac. *d. 5. initio.* Palaus *to. 2. tr. 9. pun. 1. num.* 1. Sanch. *Consil. l. 5. c. 1. dub. 1. n.* 3. Trul. *l. 1. in Decal. c. 1. dub. 1. n.* 4. Llamas *p. 3. metho. c. 5. §. 1.* Basæus *verb. Festum* 1. *num.* 2.

47 *Probabilius iudico esse iuris Canonici.*

Infirmum equidem primæ sententiæ fundamentum inuenio. Vndenam enim constat Apostolos præceptum diuinum de Dominicę obseruatione Ecclesiæ indicendum accepisse? Ideò secundam sententiam tot grauibus Doctoribus approbatam longe probabiliorem esse asseruerim.

PROBL. II.

Obseruatio Dominici diei potest, & non potest humana lege, vel consuetudine abrogari.

48 *Abrogari non potest.* ABrogari non potest. Quia est iuris diuini, ad cuius abrogationem nihil humana lex, aut consuetudo potest. Sic nonnulli Doctores *ad cap. Licèt, & cap. Conquestus, de feriis.* Abbas *ibi.* & reliqui asserunt obseruationem Dominici diei iuris diuini esse: nempè Angel. *verb. Feriæ, num. 3.* & Sylvest. *verb. Dominica, quæstion. 1.*

49 *Potest abrogari.* Potest abrogari simpliciter loquendo. Quia introducta est lege humana. Ità Suar. *libr. 2. cap. 4. num. 9.* Fagund. *præc. 5. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 4.* Palaus *tractat. 9. d. 1. puncto 1. num. 4.* Bassæus *verb. Festum 1. num. 2.* Azor. *lib. 1. de 3. præc. Decal. cap. 2. quæst. 2.*

50 *Absolutè posse abrogari existimo, sed nunquam abrogabitur.* Profectò quasi de Ecclesiæ absoluta potentia obseruationem diei Dominici mutari, aut tolli posse crediderim. At de facto nunquam abrogabitur lege, aut consuetudine. Quia licèt sit Ecclesiasticum præceptum, est tamen tàm propinquum diuino, & ita confirme legi naturali, vt secundum potentiam ordinariam abrogari omninò, aut tolli non possit, quamvis benè in particulari dispensari.

PROBL. III.

Est, & non est præceptum diuinum, vel naturale de instituendis aliquibus festis diebus.

51 *Non est præceptum diuinum.* MInimè quidem est. Quia in scriptura Canonica non habemus traditum, quod Christus Dominus alicuius festi obseruationem instituerit, vel vllum de hac re præceptum suæ Ecclesiæ tradiderit: cui sanè præter Fidei, & Sacramentorum leges nulla præcepta positiua tradidit, sed suis Ministris tradenda commisit. Sic Suar. *lib. 2. cap. 2. & cap. 4. num. 8.* Fagun. *libr. 1. de 5. Eccles. præc. capit. 2. numer. 3.* Palaus *tom. 2. tractat. 9. d. 1. puncto 1. numer. 4.*

52 *Est præceptum diuinum.* Est præceptum diuinum & naturale de aliquibus diebus festis instituendis. Quia præceptum diuinum vetus de festis sanctificandis adhuc quoad morale permanet: sed moribus maximè necessarium, esse aliquem diem diuino cultui dicatum: Ergò & aliquos festos instituere. Difficile enim seruari ab omnibus posset præceptum de Deo colendo, nisi vniuersaliter ad id dies festus omnibus instituatur. Ità Couar. *lib. 4. variar. cap. 19. num. 1.* Corduba, quem citat, ac sequitur Sanch. *Consil. lib. 5. cap. 2. num. 4.*

53 *Hoc probabilius esse crediderim.* Probabilius esse credo, præceptum diuinum naturale esse de festis instituendis ad Dei cultum quamvis qui, & quot dies, & quomodo feriandi sint, Ecclesiæ est arbitrio relictum. Nec ex eo quod hunc diem, neque alium Christus signauerit, infertur, Ecclesiæ suæ satis non prouidisse Prouidit equidem; siquidem suo Vicario potestatem reliquit designandi diei, provt magis expedire iudicauerit: *& insuper imperauit* proculdubio *talem designationem.* Proxima verba hæc à P. Castro Palao accepi. Quem quidem Leander *de præc. 1. Eccles. tract. 1. d. 1. quæst. 10.* arguit inconsequentiæ, quia paulò superius dixerat, nullum de hac re præceptum à Christo Domino fuisse Ecclesiæ traditum, sed suæ Ecclesiæ commisisse. Commisit quidem suæ Ecclesiæ, vt præceptum hoc præscriberet, & imperauit, vt designationem dierum festorum speciatim exprimeret. Passim Leander annotat Doctores sapientissimos inconsequenter fuisse locutos, & id non semel per transennam indicat sed in eadem quæstione sæpè inculcat, vt in hac: postquam enim dixerat, *Imò & Castro Palao licèt oppositam sententiam tueatur, & ideò non consequenter:* mox replicat censuram, *Sic Palao, sed certè non consequenter ad suam doctrinam.* Facilius est, reuerende Pater, captum sapientis cuiúsque subterfugere Doctoris scribentis sensum, quam doctissimum virum inconsequenter fuisse locutum.

PROBL. IV.

Festi dies à media nocte vsque ad alteram mediam noctem debent, & non debent vniuersaliter computari.

54 *Non debent vniuersaliter computari.* COmputari non debent à media nocte in mediam noctem, sed quoad cessationem à operibus seruilibus incipiunt, & finiuntur à vespera in vesperam, vel ab initio diei festi, diluculóve. Quia sic vniuersim ferè vbique terrarum festa coluntur. Sic Abbas *ad cap. 1. de feriis.* Angel. *verb. Dies, initio.* Sylvest. *verb. Dominica,* & alij.

55 *Debent vniuersaliter computari.* Debent computari vniuersaliter non à vespera in vesperam, sed à media nocte in mediam noctem. Quia vbique ferè vsu receptum est, vt dies festi sic colantur iuxta Romanam consuetudinem, quæ est totius Ecclesiæ norma. Ita Suar. *lib. 2. cap. 31. num. 4.* Nauar. *sum. cap. 13. n. 5.* Filliuc. *tract. 27. num. 78.* Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 1.* Bonac. *tom. 1. d. 5. quæst. vni. punct. 2. num. 7.* Manu. *part. 1. cap. 122. num. 1.* Sanch. *Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 5. num. 5.* Trul. *præc. 3. Decal. cap. 1. dub. 2. num. 6.* Palaus *tractat. 9. d. 2. punc. 3. num. 3.*

56 *Auctoris sententia.* Ego quidem existimo, diem festum pro diuersitate regionum diuersimodè computari, vt expressè dicitur *c. Quoniam, de feriis.* Aliquando à vesperis diei præcedentis vsque ad sequentis vesperas iuxta *cap. 1. & 2. de feriis, & cap. 1. de consecrat. dist. 3.* At in Hispania Gallia, & Italia à media nocte vsque ad mediam noctem dies festus computatur continétque viginti quatuor horas. Vndè vniuersaliter loquendo hæc est communis computatio. Hinc subtraxerim Pedrazam qui in *sum. præc. 3. Decal.* docuit, in Hispania ex generali consuetudine festum diem inchoari vespera præcedenti, & sequenti vespera terminari: quod falsum omninò.

PROBL.

PROBL. VI.

Humana potestate spatium viginti & quatuor horarum dei festi valet, & non valet imminui.

57 *Certum suppono.* CErtum est posse institui diem festum colendum solummodò vsque ad meridiem, Quia non est ius diuinum, aut naturale, quod id prohibeat. Optime ergo Pontifex poterit pro vniuersali Ecclesia dimidij diei festum constituere; vel vsque ad meridiem (in quo casu necessariò audiēdum est Sacrum) vel à meridiè vsque ad vesperam. Suar. *l. 2. c. 11. n. 8.* Quæsierim verò, an potestate humana spatium viginti quatuor horarum festi iam instituti imminui queat?

58 *Non potest imminui.* Non potest imminui speciatim in Dominica, in festis Natalis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, & Pentecostes. Quia festa hæc sunt iuris diuini, & per viginti quatuor horas integras celebrantur. Sic Angel. *v. Dies initio*, Sylvest. & supplem. Pisa *v. Dominica.*

59 *Imminui potest.* Imminui potest omnium festorum dierum spatium. Quia omnis diei festi etiam Dominicæ obseruatio est iuris humani, (vt vidimus) & quod viginti quatuor horarum spatio coli debeat: Ergo potestate humana illud potest spatium imminui. Ità Azor. *pun. 2. l. 1. cap. 26. quæst. 13. & cap. 28. quæst. 9.* Suar. *l. 2. cap. 3. numer. 9.* Leand. *de præc. Eccl. tract. 1. d. 1. quæst. 19.*

60 *Mihi hoc certum.* Hoc adeo certum esse reor vt iudicem, merito P. Suarez *citatum* dixisse contrariam sententiam esse improbabilem: & *c. 10. num. 2.* esse falsam: & *cap. 31. numer. 3.* esse ridiculam. Attamen eam Leander probabilem esse fatetur dicens, nostram esse *longè multo* probabiliorem.

CAPVT V.

Circa eos, qui facultatem habent dies Festos instituendi.

PROBL. V.

Episcopi habent, & non habent ius diem festum instituendi alicuius nondùm in sanctorum numerum relati à Pontifice.

61 *Habent quidem.* HABENT quidem. Quià *cap. Conquestus, numer. 2.* absolutè & sine limitatione habetur, eos dies festos agi oportere, quos singuli Episcopi in suis Diœcesibus vna cum populo & Clero colendos esse duxerint. Sic Vincent. & alij veteres Canonistæ, teste Abbate *ad cap. Conquestus, & cap. Pronunciandum. de feriis.* Et Azor. *citandus* horum sententiam innuit esse probabilem, dum oppositam vocitat veriorem.

62 *Non habent.* Minimè habent. Quia Alexand. III. *cap. 1. de relig. & vener. SS.* expressa decreuit, & declarauit, minimè licere pro sancto aliquem colere, aut venerari absque Romani Pontificis authoritate. Ergò Episcopi nequeūt vllius sancti nondum à Pontifice in sanctorum relati numerum dicm festum instituere. Ità Suar. *l. 2. c. 11. num. 5.* Palaus *tract. 9. d. 2. pun. 2. num. 2.* Azor. *tom. 2. l. 1. cap. 26. q. 4.* Sanch. *l. 2. Decal. cap. 43. num. 9. & in consil. l. 5. cap. 2. dub. 5. n. 6.* & alij communiter.

63 *Esto olim habuissent nunc minimè habent.* Fateor Episcopos pro suis Diœcesibus posse dies festos designare, vt expressè habetur *cap. conquestus, de feriis*, ibi: *Cæteríque solemnitatibus, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero, & populo duxerint, solemniter venerandas.* Porrò hæ festiuitates ab Episcopo designandæ debent esse Christi Domini, Beatissimæ Virginis, vel alicuius Diui à Pontifice in sanctorum numerum relati. Quia estò olim potuerint Episcopi sancti non declarati à Pontifice instituere festum: iam minimè possunt ob expressam Alexandri III. prohibitionem merito ea amputa propter inconuenientia, quæ ex singularium Episcoporum approbatione poterant prouenire.

PROBL. VI.

Beatificante Pontifice aliquem sanctum licet, & non licet cuilibet Episcopo festū illius publicè instituere.

64 *Non licet.* NOn licet. Quia cum Pontifex aliquem sanctum beatificat solùm permittit alicui Prouinciæ, vel Religioni, in illius memoriam, vel honorem Sacrificium offerri, horásve Canonicas recitare: Ergo non permittit festum instituere præcipuè extra illam Prouinciam, & Religionem, vbi non est concessa illius Diui celebritas: alias nulla esset huius sancti beatificati à Canonizato differentia. Sic Sanchez *tom. 1. sum. l. 2. cap. 43. num. 9.* Azor. *tom. 2. l. 1. cap. 26. quæst. 4.* Barbo. *in collect. tom. 1. l. 1. tit. 9. cap. 5. numer. 24.* Villalob. *tom. 2. sum. tract. 32. dub. 1. numer. 3.* Diana *punct. 3. tract. 5. resol. 9.*

65 *Licet omninò.* Licet omnino ciuilibet Episcopo in sua Diœcesi de Sancto à Pontifice beatificato festum instituere. Quia eo ipso, quo Pontifex in honorem alicuius Sancti diuinum Sacrificium ab aliqua persona celebrari permittit, vniuersæ Ecclesiæ promittit talem sanctum adorandum, & colendum quolibet solemni cultu: nam Sacrificium est cultus publicus nomine totius Ecclesiæ factus, & omnium maximus: Ergò tacitè permittit, vt quolibet alio inferiori cultu celebretur: ac proinde permittit, vt in sanctorum catalogo referatur, in publicis precibus inuocetur. Templa, & aræ in eius memoriam erigantur, horæ Canonicæ recitentur, eius imago cum diademate depingatur & in altari adoranda collocetur: ac tandem festa instituantur; quia omnes hi cultus inferiores sunt cultu per Sacrificium exhibito. Ità Palaus *tom. 2. tr. 2. tract. 9. d. pun. 2. numer. 3.* Suar. *l. 2. de festis, cap. 11. num. 5.* Fagund. *de 5. præc. l. 1. cap. 3. 14. & 15.* Bellarm. *l. 1. de*

Beat. Sanct. c.7. Trul. *De Decal. l.3.dub.2.n.2.* Granad. *2.2.contro.1.tract.7. d.4.sect.1.n.11.* Rodrig. *tom.3. sum. cap.* 168. & alij apud Dianam *citati.*

66 *Hoc probabilius duxerim.* Hoc probabilius duxerim. Quia Beatificatio nil aliud est, quàm quædam Canonizatio minori apparatu, ac pompa celebrata: sed Episcopi possunt instituere festa Sanctorum qui iam sunt Canonizati: Ergo idem poterunt in beatificatorum honorem. Nec hinc fit, Beatificationem à Canonizatione non distingui. Dinstinguntur enim ex maiori vel minori solemnitate huiusmodi: quæ quidem est accidentalis non substantialis distinctio. Per Beatificationem enim aliquibus tantùm personis officium, & Missa Sancti beatificati permittitur iuxta Missalis regulas: & non omnibus diebus, sed aliquibus tantum; at per Canonizationem solet omnibus permitti, ac sæpe mandari. Addo, plures esse Sanctos Canonizatos, & quibus non permittitur secundum Breuiarij regulas officium, & Missa celebrari, tametsi ex deuotione id fieri possit. Ergò esto non omnibus Prouinciis permissum sit sanctum beatificatum Missa officio celebrare, regulis Missalis & Breuiarij spectatis: at ex deuotione benè poterunt.

PROBL. VII.

Vt Episcopus diei Festi obligationem constituat, requiritur, & non requiritur necessariò Cleri, ac populi consensus, vel pro vna vice vel altera.

67 *Non requiritur.* NOn requiritur. Quià nullibi habetur, Episcopum absque populi consensu non posse festa statuere. Nam in *c.1.de consecr.dist.* 3. solum dicitur, festiuitatem illam obseruandam esse, quam Episcopi in suis Diœcesibus *Cum populo collaudauerint*: Stat enim optimè, quod populus simul cum Episcopo festiuitatem collaudet eo precisè, quod eius institutioni assistat: quamvis consensum non præbeat. Item in *c.Conquestus de feriis.* tantum dicitur, obseruandas esse illas festiuitates, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero, & populo duxerint, solemniter venerãdas: sed ex eo quod Episcopus Clero, ac populo præsente Solemnitatem celebrandam duxerit, tametsi Clerus, & populus consensum non præbeat; sufficit vt dicatur, cum Clero & populo indicasse solemnitatem illam venerandam esse: Ergò consensus Cleri, ac populi non requiritur. Addo. Clerus & populus non habent authoritatem festa instituendi, sed solus Episcopus: Ergò solum eius consensus, non Cleri, ac populi est necessarius. Sic Fagund. *de præc. Eccl. lib.* 1. *cap.*3.*num.*11. Palaus *citandus.* Licet non absolutè, sed pro vna vel altera vice id posse Episcopum edoceant.

68 *Requiritur omnino.* Nec pro vna, vel altera vice de iure id Episcopus potest. Non quia ipse populus, vel Clerus festum instituant per suffragia quasi decisiua; sed quia ipse Episcopus, cui totum hoc officium, & iurisdictio commissa est non habet potestatem nisi sub hac conditione, quod populus, & Clerus consentiat. Ità Couar. *l.* 4. *variar.c.*19.*n.*9. Azor.*p.* 2.*l.*1.*c.*26.*q.*2.*&.*4. Suar. *to.*1.*de Relig.l.* 2.*cap.*11.*n.* 9. Barbo.*p.*3. *de potest. Episc. alleg.* 105. *num.* 26. Fagund. *de* 5. *præc. l* 1.*cap.*3.*numer.*10.*&* 11. Palaus *tom.* 3.*tract.*9. *d.*2.*pun.*2.*num.*5.

69 *Hoc certum esse vnr.* Hoc certum existimo, Quia in *c.de consecr. dist.*3.*& vlt. de feriis*, potestas instituendi festa, Episcopis limitatur vt absque Cleri & populi consensu vti ea non valeant: siquidem pro forma festiuitatis obseruandæ statuitur: In *cap.*1.*de consecr. Vt populus cum Episcopo eam collaudet*: collaudatio autem fieri non posset sine consensu ac approbatione illius, Ergo ex vi huius capitis hic consensus requiritur. Idem constat ex *cap.Conquestus de feriis*, tum ex illis verbis, *Cum Clero, & populo*: illa enim particula copulatiua *Cum* Cleri, ac populi consensum denotat. Tum ex verbo, *Decreuerint*, quod ad solum Episcopum nequaquam potest referri. Ratio autem quarè Cleri, ac populi consensus expostulatur, est, qui non est conueniens vt Episcopus festorum præceptis illos renuentes aggrauet. Hic autem Cleri, ac populi consensus sufficienter habetur, vt annotat Suarius *cap.* 11. *numer.* 9. ex eo quod sciens, Episcopum festiuitatem aliquam statuere, non contradicat.

PROBL. VIII.

Ex vi consuetudinis potest, & non potest Episcopus dies festos constituere absque Cleri, seu Capituli consensu: vna vel altera vice.

70 *Minimè potest.* MInime potest. Quia contraria consuetudine hactenus id iuris abrogatum esse non videmus. Sic Azor.*tom.*2.*l.*1.*cap.* 26.*quæst.* 3. Trull. *l.* 3. *Decal. dub.* 2.*num.* 2. citans Castrum Palao sed non vndique bene. Suarium, Bonacinam, & Barbosam. Porrò id nec vna, aut altera vice ex horum Doctorum mente poterit Episcopus gerere, quià *Capita citata* absolutè loquuntur.

Potest quidem. Potest equidem de consuetudine Episcopus absque Cleri ac Capituli consensu dies festos constituere: saltem si non in perpetuum, sed pro vna, aut altera vice. Quia in hoc præcepto non multum populus grauatur: & cum odiosa sit illa restrictio, & limitatio potestatis Episcopalis: sufficit si de institutione festiuitatis per modum statuti intelligatur: & non de institutione, quæ vna vel alia vice præcipitur: Ergò verius id poterit cum consuetudo fauet. Hanc fauere asserit Fagund. *de præc. Eccl. l.*1. *cap.* 3.*n.* 8. *&* 11. Palaus *to.*2.*tract.*9.*d.*2.*pun.*2.*num.*6.

71 *Posse absque Cleri, ac populi suffragio, non absque consilio, statuerim.* Ego autem existimo, posse Episcopum ex vi consuetudinis dies festos pro sua Diœcesi absolutè instituere absque sui Cleri, aut Capituli consensu, non tamen absque eius consilio. Fatur Fagundæ *n.*11. De consuetudine tamen iam receptum est, vt dies festi sola Episcopi authoritate adhibito consilio Clericorum, non tamen suffragio, statuantur. Azor.*to.*2.*l.*1.*c.*26.*q.*1. Suar.*to.*1. *de Relig.l.*2.*c.*11.*n.*9. Quæ quidem consuetudo seruanda est, vbi introducta fuerit. Ità Fagundez. Idē asserit Bassæus *Festum.*1.*n.*13. Bonac.*to.* 2.*d.*5.*pun.* 1.*n.* 3. Diana *p.*4.*tract.* 4.*resol.* 178. Leand.*tract.*1.*de prac.Eccl.d.*2.*q.*10.

PROBL.

PROBL. IX.

Episcopus potest, & non potest Dies festos sine populi consensa constituere ex vi consuetudinis.

72 *Non potest id Episcopus.* NOn potest id Episcopus. Quia absolute repetita sæpè iura pronunciant debere Episcopum ad festorum institutionem populi, qui grauandus est consensum expectare. Sic Villalob. *p. 2. sum. tr. 132. diffic. 1. n. 3.*

73 *Id quidem potest.* Potest id quidem Quia sic more receptum. Ita Azor. *tom. 2. l. 1. c. 26. quæst. 2.* Consuetudine (ait) receptum est vt nunc dies festi, populo minimè vocato, sola Episcopi authoritate, adhibito Clericorum consilio constituti indicantur. Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 3. num. 11.* Palaus *tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 2. num. 6.* Trul. *l. 3. Decal. dub. 2. num. 2.* Diana, *p. 4. tr. 2. resol. 178.* Filliuc. *tr. 27. n. 86.* fatur: Intelliguntur etiam hæc stando in iure communi: nam per consuetudinem videtur huic iuri derogatum. Solent enim Episcopi cum consilio clericorum vel aliquorum de clero hæc præcepta populo dare, illo non vocato, nec consulto.

74 *Quid Auctor.* Existimo, ex consuetudine ferè in cunctis diœcesibus haberi, consensum populi non requiri. Illo enim minime vocato, & requisito, Episcopus ex Capituli consensu, & non citra illum, festos dies instituit. Barbos. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 105.* asserit posse, Episcopum in synodo statuere festiuitates aliquas obseruandas absque populi consensu: & citat Cassanæum *catal. de glor. mundi p. 3. consid. 48.* Marc. Anton. Genuens. *in praxi Neapolit. c. 51.* vbi ad textum *in c. vlt. de feriis* respondet. Monuerim, vbi ius populi non fuerit ex consuetudine abrogatum, & ideo consensus eius requiritur: tunc sufficienter haberi per hoc solùm, quod non contradicat.

PROBL. X.

Consuetudo totius Cleri, & populi habet & non habet vim introducendi dies festos, sine Episcopi consensu.

75 *Quid certum supponc.* CErtum est, solam laicorum consuetudinem non posse introducere, vel abrogare dies festos. Quia obseruatio festorum debet esse communis tam clero, quam laicis: Ergo non potest consuetudo laicorum legem vniuersalem & communem introducere, clericosque obligare. Posset autem ea consuetudo laicos ipsam introducentes obligare. Si Episcopus eam approbaret: aliter nullo modo. Suar. *l. 1. c. 12. n. 5.* Azor. *tom. 2. l. 1. c. 26. q. 6.* Quæsierim autem, an saltem totius populi, & cleri consuetudo vim habeat introducendi, dies festos sine consensu Episcopi.

76 *Eam habet vim.* Habet quidem. Quia consuetudo mixta clericorum vim habet abrogandi dies festos. Ergo & introducendi: eiusdem enim est potestatis introductio, quam abrogatio. Sic Bonac. *tom. 2. disp. 5. q. vni. pun. 1. n. 5.*

Minimè habet. Quia consuetudo mixta cleri, & populi nullatenus habet vim abrogandi dies festos: Ergo nec introducendi, nisi casu, quo consensus Episcopi, saltem implicitus accedat. Nam consuetudo non potest habere vim introducendi vel abrogandi aliquod festum, nisi quatenus vim legis habet: At non potest vim legis habere, nisi includat consensum, aut voluntatem eius qui potest legem ferre: Ergo sine consensu Pontificis aut Episcopi, sine qua non potest ea lex ferri, consuetudo vlla non valet introducendi, vel abrogandi dies festos. Ita Suar. *citatus.* Azor. *vbi suprà*, Fagund. *l. 1. de Eccl. præcep. c. 6.* 77 *Eam vim non habet.*

Profecto sola consuetudo totius populi & cleri scita & tolerata ab Episcopo potest introducere, aut abrogare dies festos; quia ea sola legis vim habet. Quare secundam sententiam verè vnicè esse asseruerim. 78 *Cum his opinor.*

PROBL. XI.

Episcopus aliquot dies festos abrogat, & non obstante tali abrogatione, populus eorum obseruationem continuat: Tunc consuetudo manet, & non manet in suo vigore, ad obligandum.

IN suo vigore manet, ac si huiusmodi dies abrogati non essent. Quia Episcopus qui sine populi consensu nequit festum instituere, ita nec renuente ipso poterit abrogare: & lex, continuante populi obseruatione, in suo antiquo robore persistet. Sic Sayr. *in Claui*, & nonnulli Doctores, quos Fagund. presso nomine, memorat *de Eccles. præc. l. 1. cap. 6. num. 5.* 79 *In suo vigore manet.*

In suo vigore non manet ad obligandum. Quia Episcopus per abrogationem, obligationem tollit, quam populus sibi imponere non potest, nec consuetudo potest illos obligare, cum iam ob Episcopi abrogationem in suo robore non persistit. Ita Fagund. *citatus.* 80 *Non manet in suo vigore.*

Hoc teneo, & expono. Non potest populus hanc obligationem subire postquam illam Episcopus abstulit, nisi ex consuetudine noua, quæ quidem non potest populum obligare nisi post decem annos. Nam præterita consuetudo, quæ vim legis habebat, iam est abrogata: ita verò de nouo tunc incipit, & non potest habere vim legis, nisi postquam per decem annos fuerit præscripta. Quare dicendum est, non manere consuetudinem antiquam in suo vigore, nec obligare. Si verò post Episcopi abrogationem populus cesset aliquantulum, & postea incipiat obseruare, consuetudo ex tunc incipiet, non tamen obligabit, quoad vsque per decennium præscripta, ac continuata fuerit; tot enim anni necessarij sun, vt consuetudo præscribat, & obliget. Quare intra illos decem annos nullus de populo tenebitur, cessante scandalo, eos dies obseruare.

PROBL.

PROBL. XII.

Excusatur, & non excusatur certum genus mechanicorum, cum consuetudo est, eos solum operari, reliquo populo festum obseruante.

81 *Non excusatur.* NOn excusatur certum genus mechanicorum, v. g. sartorum, aut sutorum à peccato, si consuetudo sit, eos solos operari die aliquo festo, reliquo populo illud obseruante? Quia huiusmodi consuetudo repugnat iuri communi: consuetudo autem vt vim obtineat, non debet iuri communi repugnare; nam ius commune præcipit, dies festos asseruari ab omnibus. *c. omnes dies, de feriis.* Sic Rosella *v. Feriæ n.* 5.

82 *Excusatur equidem.* Excusatur equidem, dummodò ea consuetudo expresè vel tacitè sit à loci ordinario approbata. Quia designatio diei festi est de iure humano: Ergò potest consuetudine abrogari, minui, ac mutari: & consequenter licitè introduci, vt certum illud genus artificum festum non obseruent, quando reliqui pro populi præscripta consuetudine illud obseruant. Ita Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *c.* 6. *num.* 11. Tabie. *v. feria, n.* 14. Sayr. *in Clavi, l.* 7. *c.* 3. *n.* 13. Philiarc. *de offic. sacerd. p.* 2. *l.* 3. *c.* 23. *notab.* 3. Azor. *tom.* 2. *l.* 1. *c.* 26. *q.* 10. Caiet. *v. Festor. violat.* Sylvest. *v. Dominica, q.* 1. Antonin. *p.* 3. *tit.* 9. *c.* 7. §. 1.

83 *Hoc lege mihi probabilius.* Longè hoc probabilius. Quia in vna eademque vrbe possunt esse variæ leges iustæ, ac rationabiles pro variis, diuersisque mechanicorum, vel mercatorum communitatibus, quibus illi gubernantur, quæ leges obseruandæ sunt. Constituit enim vnumquodque mechanicorum genus suam veluti rempublicam, quæ suis particularibus legibus gubernatur: & quod possunt leges efficere, potest consuetudo. Quod si maior mechanicorum pars illum diem obseruaret, minore non obseruante: non excusaretur minor à lethali piaculo; non tamen è contra: quia dignius ad se trahit minus dignum: & minor pars tenetur maiori conformari.

PROBL. XIII.

Seculares Principes habent, & non habent potestatem obligandi populum, dies festos obseruare.

84 *Habent potestatem huiusmodi.* PRincipes sæculares habent potestatem obligandi subditos & ad culpam, & ad pœnam, vt ab operibus seruilibus hoc vel altero die assignato, tametsi non possint ad Missam audiendam. Prior pars probatur: quia abstinentia ob operibus seruilibus non est quid spirituale, ac sanctum formaliter; sed indifferens. vt spirituale sit, si in Dei cultum fiat: & temporale, si in temporarium finem dirigatur: Ergo à potestate laica potest imperari. Posterior pars liquet: quia est res omninò spiritualis, & extra laicam potestatem. Sic D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 9. *c.* 7. §. 1. Sylvest. *v. Dominica, q.* 2. Sa *v. Festum, num.* 1. Sayr. *in Clavi, l.* 7. *cap.* 3. *num.* 17.

85 *Non habent huiusmodi potestatem.* Potestatem non habent obligandi subditos, vt statutum diem festum obseruent non solùm qua parte continent obligationem audiendi Missam: de qua est certum; sed qua parte continent obligationem cessandi à seruili opere. Quia cessatio, quæ per hos dies imperatur, est externus Dei cultus, iuxtà illud: *Memento, quod diem sabbati sanctifices:* præcipitur enim, diem festum hac cessatione sanctificari, saltem externa, & patenti sanctificatione: sed potestas laica vltrà materiam ad gubernationem politicam pertinentem, non progreditur: Ergò de materia hac spirituali nihil potest præcipere. Ita aliis relatis Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 12. *num.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 26. *quæst.* 5. Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *c.* 5. *num.* 2. & 3. Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *q. vni. pun.* 1. *num.* 5. Barbosa *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 105. *n.* 38. Palaus *tom.* 2. *tr.* 9. *d.* 2. *punc.* 2. *n.* 9.

86 *Hanc eligo, & expono sententiam.* Egò autem affirmarim, his Doctoribus hærens, cessationem ab opere seruili de se indifferentem esse, ideóque posse esse Religionis, vel gubernationis politicæ materiam. Si præcipiatur fieri in Dei cultum, scilicet in gratiarum actionem Deo ob aliquod beneficium acceptum, vel ob motiuum ad illius impetrationem, est Religionis materia, & consequenter extra ciuilem potestatem. At si præcipiantur fieri in alicuius fœlicis euentus recordationem, & acceptæ lætitiæ signum, vel ob alios politicos fines: tunc est materia politicæ gubernationis, quæ potest à potestate laica imperari.

CAPVT VI.

Circà eos, qui dies festos obseruare tenentur.

PROBL. XIV.

Pueri statim ac vsum rationis aduentarint, tentantur, & non tenentur præcepto obseruandi Festa.

87 *Non tenentur.*  Certum est, ante rationis vsum non teneri. Quia ante vsum rationis nemo legibus Ecclesiasticis obligatur, cum harum obligationum fundamentum vsus sit rationis. Quæsierim vero, num mox ac pueri vsum rationis inierint, teneantur dies festos obseruare? Non tenentur. Quia vsus rationis initium, quod septennio frequentius contigit valde imperfectum est: vndè plerúmque puer vsque ad decimum annum, & puella vsque ad nonum non habent sufficientem malitiam ad lethaliter delinquendum: Ergo nec sufficientem rationis vsum, vt ab Ecclesia ad dies festos obseruandos obligantur. Sic Corduba *sum. q.* 60. Florentin. *p.* 2. *sum. tit.* 9. *c.* 18. §. 2. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1.

ESCOBA
Theol. Mo
Tom. III. L
Fol. IV
35

quæst. 1. art. 11. & l. 8. de iust. quæst. 3. art. 2. Hostiensis, Dominic. Anton. Anchar. citati à Corduba.

88 *Tenetur planè.* Tenentur omninò. Quia cum pueri sint iam tunc rationis absolutè capaces, legis enim quæ in ratione fundatur obseruandæ capaces sunt: Ergo consequenter obligantur præcepto obseruandi dies festos. Ita Sanchez *l. 1. sum. cap. 11. num. 6.* Bonac. *de legib. d. 1. quæst. 1. pun. 6. num. 8.* Palaus *tom. 1. tract. 3. d. 1. pun. 24. num. 5.* Baldell. *l. 5. d. 30. num. 8.* Trull. *l. 3. in Decal. c. 1. dub. 3. num. 1.* Rocaful. *p. 3. praxis l. 1. c. 4. n. 73.* & alij apud ipsos.

89 *Hanc sententiam verissimam esse profiteor.* Verissimum esse profiteor, pueros, cum ad vsum rationis peruenerint, qui regulariter accidit septennio completo (vt contrariæ sententiæ Auctores concedunt, obligari omnibus Ecclesiæ legibus, quæ expresse tempus non determinant in præcepto ieiunij. Profecto legis obseruandæ obligatio vsum rationis comitatur. Si ille septénio illucescat, ea in ætate lex obligabit: si aliquando ante decimum, aut vndecimum non elucescat: non tenebitur eo moræ tempore puer festa obseruare. Miror autem primæ sententiæ auctores fateri, vsum rationis frequenter annum septimũ comitari: & nihilominus non teneri ea in ætate puerum festa obseruare, quod quidem malitiose possunt iam omittere. Equidem certum mihi, ætatem ad peccandum aptam, quæcumque illa sit, ad legum custodiam obligari.

PROBL. XV.

Pueri, qui antè septennium rationis vsu pollent, tenentur, & non tenentur dies festos obseruare.

90 *Non tenentur.* NOn tenentur. Quia leges positiui iuris ante septennium, in quo communiter lumen rationis oriri assolet non intendunt obligare: & per accidens sit, in vno, vel alio puerulo rationis vsum accelerari. Certe ad ea, quæ frequenter accidunt, leges adaptantur, *l. Nam ad ea. ff. de legib.* Sic Santius *in select. d. 51. num. 31.* Ausoni. *in sum. Diana v. Puer, num. 1.* generaliter docet, non obligari pueros ad humanas leges antè septennium etiamsi sint doli capaces. Palaus *tom. 1. tract. 3. d. 1. pun. 24. num. 3.* Diana *p. 4. tr. resol. 52.*

91 *Tenentur omninò.* Tenentur profectò. Quia omnis vtriusque sexus fidelis statim ac ad annos discretionis peruenit aliis Ecclesiæ præceptis obligatur, verbi gratiâ ad annuam confessionem, ad abstinentiam à carnibus die prohibito: Ergo & præcepto dies festos obseruandi. Ita Suar. *3. p. tom. 3. d. 88. sect. 4.* Nauar. *sum. cap. 21. num. 1.* Fagund. *l. 2. de præc. Eccl. cap. 2. num. 7.* asserens, huic sententiæ debere accommodari, qui docent ad præceptum annuæ confessionis teneri pueros, cum incipiunt iudicium rationis inire, in quacumque contingat ætate. Ægidi. *de sacram. q. 83. ar. 5. num. 286.* Præpos. *in 3. p. q. 83. art. 6. num. 197.* Hurtad. *de sacrif. Missæ d. 5. diffic. 1.* Diana sapienter mutans consilium *p. 5. tract. 13. resol. 77.* Trull. *l. 3. in Decal. cap. 4. dub. 2. num. 11.* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 3. q. 5.*

Probabiliorem hanc sententiam esse existimo. Quia obseruatio legis non requirit ætatem, sed vsum rationis. Et si accidentale sit, vni aut alteri puero antè septennium rationis vsum elucescere: huic erit etiam accidentale, vt obligatus sit festi obseruandi præceptum implere. Scio dixisse Santium citatum: *In quo absque discordia puto consentire Doctores*, nempè legem positiuam non obligare antè septennium, etsi rationis vsus illam anteuertat ætatem. In quo doctus vir fallitur, cum tot Doctores asserant præceptum annuæ confessionis obligare pueros mox ac vsum discretionis inierint. 92 *Probabilitat hoc longè ma- tarim.*

PROBL. XVI.

De puero aliquo dubitatur, nùm vsu polleat discretionis: Hic tenetur, & non tenetur festos dies obseruare, si septennis non sit.

NOn Tenetur. Quia cum rationis vsus communiter septennio accidat completo in casu dubio præsumitur post id tempus iam aduentasse, secus antea. Sic Sanch. *l. 1. sum. cap. 12. num. 13.* Bonac. *de legib. d. q. 1. pun. 6. num. 9* Diana *p. 4. tr. 3. resol. 52.* Alphons. de Leon *de offic. ac potest. Confes. tom. 1. resol. 17. num. 41.* 93 *Non tenetur.*

Tenetur, etiam si antè septennium de vsu rationis dubitatur. Quia quando inest dubium de pueri capacitate, is non solum in mortis articulo, sed extra illum tenetur ad confessionem, & debet sub conditione absolui. Nam huiusmodi confessio præcipitur: Ergo etiam in casu dubio tenetur præceptum obseruandi festum implere. Ità Trull. *l. 3. Decal. c. 4. dub. 2. n. 12.* Petr. de Ledes. *sum. ibi de sacram. Pœnit. cap. 8.* 94 *Tenetur quidem.*

Ego autem putarim, pueros, de quibus dubitatur, num rationis vsu polleant, aut non, teneri Ecclesiasticum Confessionis implere præceptum: vel si hoc præceptum implere teneantur, teneri etiam præcepto obseruandi festa satisfacere. Quia eadem omninò est ratio obseruationis festorum, ac præcepti Confessionis: cum vtrúmque præceptum sit Ecclesiasticũ & annos discretionis requirat: Ergo vel ad vtrumque, vel ad nullum ex his pueri tenẽtur. Monuerim tamen in articulo mortis huiusmodi puctos fateri debere, vel iure diuino, vt vult Sanchez: vel iure charitatis ergà se ipsos, ad euitandum damnationis periculum, teneri. 95 *Quid Auctor.*

CAPVT XVII.

Peregrini cum absentes sunt, tenentur, & non tenentur, festa suæ patriæ obseruare cum non obseruantur in loco, vbi adsunt.

TEnẽtur profecto. Quia huiusmodi peregrini, seu viatores subditi sunt suo Episcopo: ergo tenẽtur obedire præcepto illius circa festorum 96 *Tenentur planè.*

ſtorum obſeruationem. Et quia ſunt pars communitatis ſuæ cui debent conſo mari : minor namque pars adhæret maiori. Et quia tandiu obligatur quis patriis legibus, quandiu patriam non deſeruit: ſed hi non deſeruere patriam, cum non mutauerint domicilium: Ergò patriis legibus obligãtur; nam quod modo ab ſint à patria, nil refert; quia qui caſu abſunt abeſſe non dicuntur, vt docet Barthol. *ad l. Quæſitum.* 78. §. *fina. ff. de legatis.* 3. Denique quia alias ſi exempti eſſent ab omni lege : non enim ad leges patriæ tenerentur, nec ad leges loci per quem tranſeunt vt grauiſſimi Doctores affirmant: Ergò omnino eſſent exempti : quod minimè dicendum. Sic Sylueſt. *v. Ieiunium, quæſt.* 2. *dicto* 2. Roſel. *ibi, num.* 6. D. Antonin. *p.* 2. *tit* 6. *c.* 2. §. 2. Palud. *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 4. *art.* 3. *num.* 26. Ioan. Andr. *in addit. ad ſpeculator. tit. de inſtrum. edit. num.* 16. & Sanch. *l.* 2. *de matr. d.* 18. *num.* 17. dicit ſatis eſſe probabile.

97 *Non tenetur.* Non tenentur. Quia *cap. vt animarum de conſtitut. in* 6. apertè præſcribitur, non incurri cenſuram per ſtatutum proprij Epiſcopi latam, ab illo, qui extrà territorium ſui Epiſcopi rem prohibitam per cenſuram efficit, & contra ſtatutum operatur. Ratio eſt, quia ſtatutum directi primo & per ſe reſpicit in eo obſeruandos, ideóque non obligat perſonas etiam ſubditas, niſi intrà ipſum territorium exiſtant. Vnde pari ratione vrget argumentum ad præceptum vel ſtatutum de diebus feſtis obſeruandis. Nam præceptum illud primario, ac per ſe reſpicit religioſum cultum in tali Diœceſi, loco, & Parochia : ergo non extrà illum. Ergò non poteſt extrà illum obligare. Ita Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *c.* 7. *n.* 3. Sanch. *l.* 3. *de matr. c.* 18. *num.* 18. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 13. *num.* 2. Nauar. *ſum. cap.* 13. *num.* 5. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *num.* 8. Maior, Driedo, Ledeſma 2. Manuel. Philiarc. Abbas, Felinus, & alij apud Fagundez.

98 *Hanc ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo.* Hanc ſententiam probabiliorem eſſe crediderim. Quia leges non obligant vltrà ferentis intentionem : & quidem lex de feſtorum obſeruatione non dirigitur ad ſubditos abſolutè, ſed ad ſubditos præſentes, & exiſtentes in tali loco : ideo eos extra illum non obligat. Quod non obſtat quominus ſubditi ſint, & dicantur, ſi quidem non deſinit ſubditus eſſe ille, quem ſuperior non vult obligare in re aliqua. Ieiunij exemplo planam reddo ſententiam. Certum eſt, in Luſipponenſe Vrbe vigere præceptum ieiunandi in mei D. Antonij Vigilia : at certum eſt, non teneri luſitanum Valliſoleto commorantem ieiunare, quia hac in Vrbe non viget talis conſuetudo. Ergo idem eſt aſſerendum de feſti peculiaris obſeruatione : cum par ſit vtrobique ratio. Vnde fatur D. Auguſt. *epiſt.* 118. & refertur *in c. Illa, diſt.* 12. *In Sabbato, ſi ſum Romæ, ieiuno : ſi Mediolani, non ieiuno.*

PROBL. XVIII.

Quando in proprio loco vrget feſti obſeruandi præceptum : licitum eſt, & non eſt licitum ex intentione non ſeruandi feſtum, ad alium locum, aut Parœciam diuertere, vbi tale feſtum non colitur, vt opera ſeruilia poſſit exercere.

POteſt quis recedere à loco, in quo feſtum celebratur ad alium, vbi non colitur operáque inibi ſeruilia exercere. Quia præceptum de obſeruando feſto non prohibet exitum à loco, in quo feſti obſeruandi vrget obligatio: Ergo integrum eſt cuilibet, recedere à proprio loco, in quo eſt feſtum ad alium locum, vbi non celebratur ad opera ſeruilia exercenda. Imò (vt fatur Leſſi. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 8. *num.* 55.) licitum eſt in eodem loco recedere ab vna Parœcia, vbi feſtum colitur, ad aliam, vbi non colitur, inibíque ſeruilia opera exercere. Lege Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Quæſierim autem, an licitum ſit, id ex intentione non ſeruandi feſtum exercere?

99 *Certum præmitto.*

Minimè eſt licitum. Quia receſſus ille in legis fraudem proculdubio geritur. Fit enim, ne ex religione feſti obligetur à ſeruili opere abſtinere. Sic Sylueſt. *v. Ieiunium, q.* 2. Barth. à Ledeſ. *de matr. d.* 21. Manu. *tom.* 2. *ſum. cap.* 122. *num.* 1. Rebel. *de iuſt. p.* 2. *l.* 2. *quæſt.* 7. *ſect.* 3. *num.* 16. Sayr. *in Claui l.* 7. *cap.* 7. *num.* 12. Salas *de legib. d.* 14. *ſect.* 5. *num.* 63. Leſſi. *l.* 4. *cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 60. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 9.

100 *Non eſt licitum.*

Licitum quidem eſt. Quia in hoc caſu nullo modo interuenit propriè fraus & dolus contra legem; ſed ſolum fuga mera præcepti : At hæc non eſt contra præceptum : nam id gerens, iure ſuo vtitur. Certè ſi illa fuga præcepti eſſet illicita ideo eſſet, quia fit ex intentione conſeruandi præceptum : At ex hac parte non eſt illicita, cum illa intentio non tendat formaliter ad non ſeruandum præceptum. Vbi vrget ſed ad fugiendum præceptum tranſeundo ſe quis ad locum, vbi non vrget : & ibi vbi iam illo non adſtringitur, vacare ſeruilibus operibus. Ità Suar. *citatus.* Sanch. *l.* 3. *de matr. d.* 18. *num.* 20. Bonac. *tom.* 2. *d.* 1. *de legib. quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 64. Baſil. *l.* 5. *de matr. cap.* 9. *n.* 4. Hurtad. *de matr. diſt.* 5. *diffic.* 5. *num.* 14. Coninch. *diſt.* 27. *dub.* 1. *num.* 14. Fagund. *l.* 1. *c.* 7. *num.* 7. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *reſol.* 9. & *tr.* 10. *reſol.* 10. Palao *tr.* 3. *d.* 1. *pun.* 24. §. 5. *num.* 4. Santius *in ſelect. d.* 54. *num.* 20. & alij.

101 *Licitum eſt.*

Hoc probabilius eſſe exiſtimo. Admitto enim propriam malitiam, ac fraudem non debere fauere auctori. At hic non datur propriè ac formaliter fraus : fraus enim & dolus propriè datur, vbi datur obligatio legis, quam quis per fraudem & dolum vult euadere; hîc autem nulla datur obligatio : potius enim (vt diximus (datur fuga quædam obligationis; quæ quidem fuga de ſe non eſt bona, nec mala: erit autem mala ex mali finis intentione.

102 *Hoc mihi probabilius.*

PROBL.

PROBL. XIX.

Quis è loco proprio egreditur diluculo, vt in alio vbi festum illud non colitur, valeat seruile opus exercere: Hic tenetur & non tenetur prius quam exeat, Missam audire.

103 *Minimè tenetur.* MInimè tenetur. Quia dum ille adest in loco, vbi dies festus celebratur, & sint plures Missæ dicendæ quibus valeat præcepto satisfacere, non illum vrget eius obligatio ad illam primam Missam audiendam: neque præceptum obligat illum non exire. Ergò exiisse, non obligat illum, vt sacrum post audiat, si non velit. Nam exiens à loco festi, iam exemptus est ab obligatione. Igitur sicut potest seruilia exercere, sic poterit Missæ auditionem præterire. Sic Sanch. *l.* 3. *de matr. d.* 18. *n.* 21. *& l.* 1. *sum. c.* 12. *n.* 32. Salas *de legib. d.* 14. *sect.* 5. *n.* 66. Santi. *in select. d.* 5 4. *n.* 29. Lessi. *l.* 4. *c.* 2 *dub.* 8. *num.* 56. Inclinat Baldel. *l.* 5. *d.* 31. *n.* 1. Barbos. *l.* 1. *de iure vniuer. c.* 20. *num.* 52. Bassæus *v. Festum.* 3. *n.* 6. Diana *part.* 1. *tr.* 10. *resol.* 14.

104 *Tenetur planè.* Tenetur planè. Quia cum quis est proprio in loco, vbi illud festum celebratur, festi præcepto astringitur: Ergo & audiendi sacrum obligatione. Ergò illam tenetur adimplere, quamprimum possit, si postea non sit voluntas eam adimplendi. Nam præceptum audiendi Missam est affirmatiuum, & præcisè obligat ad vnum actum. Ergò debet adimpleri, cum potest, si postea est cessarurum. Confirmarim. Quia si solum die illa vnica esset in eo loco Missa, teneretur eam audire. Ergo eadem obligatione adstringitur, etiam si multæ aliæ in eo loco celebrandæ essent: nam exeunti ex obligationis loco sine voluntate audiendi in alio loco ad quem pergit sacrum, idem est plures proprio in loco esse Missas, quam vnicam. Ita Nauar. *c.* 13. *sum. n.* 5. Ludou. Lopez *p.* 1. *Instruct. c.* 52. §. *Nec peccant.* Manu. *tom.* 2. *sum. c.* 122. *n.* 1. Sayr. *in Claui l.* 7. *c.* 3. *n.* 12. Sa *v. Festum, n.* 9. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 12. *num.* 7. Fagund. *l.* 1. *de præc. Eccl. cap.* 7. *n.* 13. *&* 18. Trull. *l.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 3. *n.* 4. Basil. *l.* 5. *de matr. cap.* 7. §. 2. *num.* 14. *& cap.* 8. *num.* 6. Leand. *tr.* 1. *de præc. Eccl. d.* 3. *quæst.* 9.

105 *Idem assero.* Idem asseruerim casu, quo qui exiturus est à loco, in quo dies festus celebratur, possit commodè, hora scilicet matutina Sacrum audire prius quam in alium locum se conferat. Non enim tenetur vsque ad meridiem, vt interfit Missæ expectare.

PROBL. XX.

Peregrini scholastici, Doctores, Præfecti, Milites &c. tenentur, & non tenentur obseruare diem festum proprium loci, in quem animo non persistendi etiam diu commorantur.

106 *Non tenetur.* NOn tenentur. Quia aduenæ, qui aliquo in loco morantur, absque animo ineundi domicilium non subiiciuntur speciali illius loci iuri, cum nec sint nec esse intendant illius pars communitatis: Ergò quantumvis diu inibi morentur, non tenentur ad specialia illius loci solemnia obseruanda. Sic Speculator, Turrecr. Palàci. Palud. Ledes. 2. Rosel. Syluest. Medi. Angl. Margarita Confes. quos refert Sanch. *l.* 3. *de matr. d.* 18. *n.* 9. Pasqualig. *de iejun. decis.* 201. 202. & 203. docens ex Baldo, ac Bartolo, nec per mille annos contrahi domicilium ab eo, qui alicubi habitat cum animo recedendi.

107 *Tenetur etiamnimo.* Tenentur omninò. Quia licet non acquirant domicilium dum in illo loco manent animo non permanendi, (vt scholastici assolent in Academiis adesse) acquirunt tamen forum, & quasi domicilium. Vnde sufficit, vt aliquis teneatur legibus & consuetudinibus loci, quod maiori parte anni ibi sit habiturus: hoc enim sufficiens est ad constituendum quasi domicilium. Ita Sanch. *l.* 3. *de matr. d.* 18. *num.* 9. Sylvest. *v. Domicil. num.* 2. Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *cap.* 8. *num.* 7. D. Antonin. *p.* 1. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 1. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 14. *num.* 4. *&* 5. Medina *l.* 1. *q.* 96. *a.* 5. & alij.

108 *Primam partem refello, secundam amplector.* Certè prima sententia nulla probabili ratione defendi potest, & ideo esto in speculatione probabilis sit, in praxi est omnino improbabilis, sicque eam Suarius appellat. Nec sufficit Auctorum multitudo, qua se tuetur, quia sine solido fundamento loquuntur in re, quæ nimium potest rectis Christianorum moribus nocere. Quis enim audebit asserere, scholasticos salmanticenses aut Vallisoletanos, qui per magnam anni partem in hisce Vrbibus commorantur, non teneri ad speciale illarum præceptum de festis obseruandis, aut ieiunio ineundo. Profecto (vt ait Fa Sundez) est id contra communem sensum, ac contra bonos mores. Cæterùm licèt in ordine ad alios effectus, & quoad Sacramenta, vt peregrini, scholastici, aulici, mercatores, mechanici, ac operarij obligentur ad speciales leges loci, in quo sunt, & illius loci parochiani dicantur ibique quasi domicilium acquirant: sufficit, vt ibi maiori anni parte habitent, vt probat secunda sententia: tamen in ordine ad obseruationis diei festi obligationem minimè admiserim; quia etiam pro minori tempore prudenter talis obligatio expostulatur. Nam inter illos duos modos relatos in prima & secunda sententia domicilij, & quasi domicilij potest esse magna latitudo existendi in aliquo loco. Vnde distinguo alios duos modos. Vnus est, quando quis peruenit ad aliquem locum, vt illic per aliquot dies moretur, recreationis, aut negotiationis gratia, vt tres quatuor, vel quinque dies. Alius est quando præsentia in tali loco solum est in transitu tanquam in hospitio viæ, prandendo, vel pernoctando, & statis discedendo. Quando præsentia est prioris modi, existimo cum Suario, & Fagundez, sufficere id vt quis ad festi obseruationem teneatur. Et Episcopi punire assolent huiusmodi hospites, festa, vel ieiunia loci non seruantes: quod necessarium est ne incolæ, prauo hospitum exempio affecti præcepta violent. Quando autem præsentia est secundi modi, non tenentur aduenæ, ac peregrini, seu viatores ad diei festi, vel ieiunij obseruationem. Quia huiusmodi mora est adeò brevis, vt nullo modo, nec etiam ratione loci possint dici Episcopi illius Diœcesis subditi: nec ratione consuetudinis loci eiusdem obligantur: nam consuetudo non habet vim obligandi, nisi quatenus habet vim legis: & lex non potest obligare non subditos *Problm.* 22. sermo redibit.

PROBL. XXI.

Religiosi exempti tenentur, & non tenentur, obseruare festa non ex Episcopi præcepto, sed ex consuetudine inducta.

109 *Certum supponо.* CErtum est teneri ad festorum, quæ indixit Epicopus, obseruationem. Quia Tridentinum *sess.* 25.*c.*12.præcipit Religiosos ad id teneri, seruatis tamen ritibus, quoad Missas, & officia celebranda, qui à Regularibus his assolent obseruari. Legendus Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 105. Quæsierim verò nūm etiam teneantur obseruare festa, quæ non sit ex Episcopi præcepto indicta, sed inducta ex consuetudine?

110 *Nō tenentur.* Non tenentur. Quia Concilium loquitur de festis, quæ seruari ab Episcopis præcipiuntur, nō de iis, quæ sunt ex consuetudine inducta: ea enim non sunt propriè ab Episcopo præcepta. Cum verò Concilij decretum sit contrà Regularium exemptionem, strictè est tanquam odiosum, accipiendum, iuxta regulam *odia sunt restringenda, de reg. iuris in* 6. Sic Pasqualig. *tr. de ieiun. decis.* 189. *n.* 8. asserens, hanc sententiam posse defendi.

111 *Tenentur omninò.* Tenentur omninò. Quia ad festa, quæ ex consuetudine obligant interuenit præceptum, aut consensus Episcopi. Ergo Religiosi ad eorum tenentur obseruationem. Ità Leander. *de præc. Eccl. tr.* 1. *d.* 3. *q.* 16. Pasqualig. *citatus.* Sanch. *l.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 3. *n.* 2.

112 *Auctoris resolutio.* Profectò si Religiosi exempti tenentur obseruare festa indicta ab Episcopo, vt ex Concilij decreto constat: liquet, teneri etiam ad festa obseruanda, quæ fuerint ex consuetudine inducta. Nam ideo obligant festa ex consuetudine, quia aut præceptum, aut saltem consensus Episcopi interuenit.

PROBL. XXII.

Viatores tenentur, & non tenentur, obseruare festa propria locorum, ad quæ solum perueniunt, vt ibi per tres, quatuor, vel quinque dies recreationis, vel negotiationis gratia commorentur.

113 *Non tenentur.* NOn tenentur. Quia tam exigui temporis mora non sufficit, vt censeatur proportionata ad indicendam huiusmodi obligationem, quæ propriè ciuium, seu incolarum est. Ergo non tenentur loci festa obseruare. Sic Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *a.* 3. *n.* 14. Palac. *d.* 8. *post* 6. *concl.* Sylueſt. *v. Ieiunium. qu.* 7. Tolet. *l.* 6. *c.* 5. *n.* 3. Manu. *to.* 1. *qq. Regul. q.* 68. *a.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 19. *q.* 4. Auila *de censur. p.* 1. *c.* 3. *d.* 2. *dub.* 3. *concl.* 3. Sanch. *l.* 3. *de matr. d.* 18. *n.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 12. *n.* 4. Coninch. 3. *q.* 74. *a.* 4. *dub.* 2. Bonac. *de legib. d.* 1. *q.* 1. *pun.* 6. *n.* 36. Gordon. *l.* 6. *q.* 18. *c.* 7. & alij plures.

114 *Tenentur planè.* Tenentur planè. Quia viatores, seu aduenæ illi ad seruandas leges locales proculdubio obligantur: Ergo si morantur in hisce locis tempore proportionato ad seruandum præceptum, nulla ex causa excusari possunt. At qui per tres, quatuor, vel quinque dies in aliquo loco morantur, adsunt tempore proportionato pro seruando festo: nulla enim alia proportio exigitur, nisi festum occurrere eo tempore quo inibi morantur: Ergò festum obseruare tenentur. Ita Suar. quē citat, ac sequitur Fagundez *præc. Eccl.* 1. *c.* 8. *n.* 14. & 15. cuius sententiam *Proble.* 20. latius expressi, Trull. *l.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 6. *n.* 1. Filliuc. *tr.* 27. *par.* 1. *c.* 6. *n.* 106. Lessi. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 7. *n* 50. & 51. Graf. *l.* 2. *decis. c.* 36. *n.* 30. Salas *d.* 14. *de legib. sect.* 4. *n.* 41. Malder. 1. 2. *q.* 96. *a.* 5. §. *de peregrinis.* Vasq. 3. *p. to.* 3. *d.* 184. *c.* 3. *n.* 28. Basil. *l.* 5. *de matr. c.* 7. §. 1. *n.* 6. Palao *tr.* 3. *d.* 1. *pu.* 24. *n.* 11. Henriq. *l.* 7. *c.* 15. *n.* 8. Leand. *de præc. Eccl. tr.* 1. *d.* 3. *quæst.* 21. & alij quam plures.

Cum his sentiens, putarim sufficere præsentiam trium, quatuor, aut quinque dierum, vt quis ad festi obseruationem teneatur. Equidem plures è contraria sententia asserunt teneri huiusmodi aduenas festum loci obseruare, casu, quo non possent Missæ auditionem omittere, aut seruiliter laborare sine scandalo. Quod rarò poterunt aduenæ tam exigui temporis habitatores gerere sine scandali periculo quantúmvis secretum curent ad seruilem laborem agendum inire. Vnde ferè nunquam doctrina illa poterit ad praxim adduci. 115 *Cum his opinor.*

PROBL. XXIII.

Aduenæ tenentur, & non tenentur festa obseruare propria locorum etiam si per vnicum diem ibi commorentur.

MInimè tenentur. Quia qui breui tēpore loco in aliquo moratur non dicitur moraliter in eo esse, *l. Quæsitum* 76. §. *fin. ff. de legat.* 3. & *l. si ita*, 84. *ff. de legat.* Sic Granad. 1. 2. *contr.* 7. *tr.* 3. *p.* 1. *d.* 6. *sect.* 4. *n.* 25. Bossi. *de iubil. c.* 18. *n.* 49. Santius *in select. d.* 54. *n.* 31. Hurtad. *d.* 5. *de Sacr. f. Mis. diffic.* 1. & omnes Doctores, pro prima sententia *Problem.* 22. relati asserunt non teneri, dummodo scandalum excludatur. 116 *Minimè tenentur.*

Tenētur omninò. Quia hæc est consuetudo hic vsus, hoc ius. Ità grauissimi Doctores. Basil. *l.* 5. *de matr. c.* 7. §. 1. *n.* 6. & §. 2. *n.* 14. Palaus *tr.* 3. *d.* 1. *pu.* 24. §. 3. *n.* 11. Salas *de legib. d.* 14. *sect.* 4. *n.* 41. Henriq. *l.* 7. *c.* 15. *n.* 8. Ioan. de la Cruz *prac.* 3. *a.* 4. *dub.* 9. *concl.* 1. Filliuc. *tr.* 17. *n.* 120 & 123. Lessi. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 7. *n.* 50. & 51. Trull. *l.* 3. *decal. c.* 1. *dub.* 3. *n.* 5. Vasq. *to.* 1. *in* 3. *p. d.* 184. *c.* 3. *n.* 28. Nauar. *sum.* 13. *num.* 5 & *cap.* 25. *num.* 120. 117 *Tenentur omninò.*

Hanc eligo sentētiam probabiliorem quidē Hunc enim vsum esse reor. Nec refert, quod aduena ille habeat animum diutius manendi, vel proximo die recedendi, aut suspensum, vel neutrum. Nam si illo die, quo inibi adest, festum proprium illius loci occurat, proculdubio tenebitur id obseruare. Sa audiendus *v. Ieiunii n.* 1. Ad festa *loci tenetur, qui illic eo die manet.* Et Villalob. *p.* 1. *sum. tr.* 2. *diffic.* 33. *n.* 7. nostram sententiam multo probabiliorem vocitat. 118 *Hanc eligo sententiam.*

PROBL. XXIV.

Aduenæ tenentur, & non tenentur seruare festa propria loci per quem transeunt, ibi solum pransuri, aut pernoctaturi, & die discessuri crastino.

TEnentur planè, si tempore illo exiguo quo in eo moram gerunt occurrat tem- 119 *Tenentur planè.*

pus

pus obligationis adimplendi id præceptum & commodè possint obseruare. Vndè si dies festus specialis illius loci occurrat, tenentur sacrum audire, priusquam egrediantur, casu quod in illo oppido dormierint, vel magna parte mane illius ibi detineantur. Nec possunt seruili labori dare operam. Quia commodè possunt huiusmodi præceptum locale implere: Ergo cùm alias illo illigetur, sicut aduenæ diu in eo morantes illud tenetur adimplere. Id confirmo: Peregrini seu viatores transeuntes etiam solùm per modum hospitij, gaudent priuilegiis, gratiis, ac consuetudinibus fauorabilibus, quibus fruuntur incolæ, oppidorum, per quæ transeunt: v. g. viatores transeuntes per loca, vbi carnes de more comeduntur, possunt eis vesci quamuis eo tempore in loco patrio carnium esus esset interdictus: Ergò etiam tenentur seruare alia præcepta specialia, quæ in oppidis, per quæ transeunt, incolas illigant. Nam qui commodum experitur, debet etiam incommodo subiacere. iuxta *regul. iur. in c. 6. Qui sentit* Sic Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 14.* Salas *de legib. tr. 14. sect. 4. num. 49.* Basil. *l. 5. de matrim. c. 1. §. 2. n. 14.* Palaus *tom. 1. d. 1. tr. 3. pun. 24. n. 11. & 12.* Villalob. *tom. 1. sum. tr. 2. diffic. 33. n. 7.* Filliuc. *tr. 27. num. 120.* Sa, *v. Auditio Missæ, num. 6.* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 3. q. 23.* & alij.

120 *Nullatenus tenentur.* Minimè tenentur. Quia aduenæ, qui tam exiguo commorantur tempore illo in oppido, legibus specialibus illius non alligantur. In eo enim sic morantur, ac si in ipsa via parumper reficiendi, detinerentur. Vndè in oppido existunt, ac si minimè existerent. Ita Fagund. *præc. 1. Eccl. l. 1. c. 8. n. 1.* Trull. *l. 3. Decal. c. 1. d. 3. n. 206.* Lessi. *l. 4. c. 2. dub. 7. n. 50. & 51.* Henriq. *l. 9. c. 25. num. 2.* & omnes Doctores primæ sententiæ *Problem. 13.* citati.

121 *Eiusdem summatim.* Equidem quando præsentia aduenæ est in transitu, aut per modum hospitij, prandendo, cænando, vel pernoctando, & statim discernendo, nullatenus ad diei festi specialis illius loci tenentur; quia illi nullo ex capite ad illius oppidi communitatem videntur pertinere.

PROBL. XXV.

Duplicis Paræciæ incola tenetur, & non tenetur obseruare festa illius Paræciæ in qua perbreui tempore, veluti in hospitio reperitur.

122 *Tenetur plane.* Quando in eam Parochiam non ad habitandum, sed ad breue tempus velut hospes aduentat, non tenetur eius festa specialia obseruare. Quia eodem modo iudicandum est, quando ita Paræciis diuersis sunt diuersæ consuetudines, ac quando in diuersis vigent hæ territoriis. Sic Sanchez *l. 1. Sum. c. 12. n. 40.* Et Doctores pro prima sententia *Probl. 24.* citati. Loquitur Santius non de eo, qui iter agens commoratur meridie ad prandendum, seu nocte ad cubandum: sed de illo, qui saltem vna die integra inibi detinetur qua accidit speciale Paræciæ illius festum celebrari.

123 *Tenetur quidem.* Tenetur equidem festum illud obseruare. Quia quemadmodum hospes tenetur obiicnare leges oppidorum, per quæ obiter transit si die integra, in qua festum accidit, detinetur, si commodè possit: ita hospes Parochianus. Ità Filliuc. *tr. 27. num. 122.* Trull. *l. 3. Decal. c. 1 dub. 3. num. 8* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 3. q. 27.*

124 *Auctoris tertia solutio.* Consequenter ad ea, quæ *Probl. 23.* expressimus, dicendum, primam sententiam admodum probabilem, adhuc autem probabiliorem esse secundum. Pro qua Trullench. P. Sanctium citat, sed immerito, cum expressè primam tueatur. Idem autem quod de viatoribus sue peregrinis, ac hospitibus asserui, assertum duc de vagis, seu iis, qui nullibi habent domicilium. Quia illud debent sortiri quoad omnia vbicumque reperiuntur, alioqui exempti essent ab omnibus legibus, statutis & consuetudinibus localibus, & Episcoporum, quod videtur absurdum. Sanch. *l. 3. de matr. d. 18. n. 15. & l. 1. Decal. c. 14. n. 23.* Nec placet Pasqualig. contrarium defendens *de ieiun. decis. 200.* alios referens. De quo vberius *volum. 4. disseruimus.*

CAPVT VII.

Circa opera in die festo prohibita.

PROBL. XXVI.

Mortale est, & non est mortale, vna hora seruile opus in die festo sine necessitate exercere.

125 *Mortale est vna hora operi incumbere seruili.* Remittendum, qualis transgressio ex parte materiæ culpam lethalem in hoc præcepto constituat. An igitur mortale sit vna hora seruili operi sine necessitate incumbere? Est mortale. Quia licet vnius horæ labor cõparatione totius diei leuis videatur esse materia: at secũdum se grauis est: sicuti grauis est omissio vnius horę ex minimis in officio Canonico, tametsi cõparatione totius officij leuis poterat iudicari. Sic Azor. *to. 1. l. 1. c. 18. q. 5.* Bonac. *d. 5. de 3. præc. Dec. q. vni. pun. 3. n. 2.* & Fagũd. *de præc. Eccl. l. 1. c. 14. n. 2. si excedat ex hora quadratem.*

126 *Non est mortale, nisi tertia pars diei insumatur.* Mortale non est: imò tertia pars diei festi in opere seruili consumenda, vt grauis materia censeatur. Quia respectu viginti quatuor horarum naturalis diei illa temporis portio grauis solũmodo est iudicanda. Ita nõnulli Doctores iuris Canonici, quos presso nomine memorãt Fagdũ. citatus, & Cast. Pal. *to. 2. tr. 9. d. 2. pun. 1. n. 3.*

127 *Mediam tenens viã sententiam secundam improbabilem, & pernitiosam esse iudico.* Ego quidem hunc modum dicendi improbabilem omninò esse existimo, quem meritò omnes Theologi explodunt, vt potè qui viam sternit temnendi festorum obseruationem. Primam verò sententiam nimium rigidam esse iudicarim. Quare media mihi via incidendum asserenti, hoc prudentis relinquendum arbitrio. Vna enim hora non videtur ita grauis materia, præcipuè si opus assumptum nimis laborosum non sit. Existimarim itaque, si duabus horis labori quis seruili incumberet, materiam grauem esse, & peccatum lethale committi. Nec video Doctorem grauem classicum, qui latius tempus concedat. Porrò in operibus forensibus ac iudicialibus, quæ sunt speciali iure prohibita, materia grauis sumẽda est, non ex quantitate tẽporis insumpti,

128 *Paruitatem materiæ in forensi opere expono.*

sed ex operis qualitate. Quia si res vendita esset magni momenti, & venditio solemnitate aliqua celebraretur: etiam si breui tẽpore fieret, esset lethale. Quod à fortiori militat in quolibet actu iudicij. Quia negari non potest, habere de se grauem deformitatem, quod Iudex actum irritum, ac nullum efficiat. Ast si venditio minoris esset momenti, vt vendere calceos, & alia eiusmodi, iam consuetudo obtinuit non esse graue peccatum, & sæpe nullum ob vendẽtium, ac ementium necessitatem. Nec enim iustum erat, vt vendentes denegarent merces agricolis, & aliis die feriato concurrentibus. Quia ex tali denegatione graue incommodum paterentur. Mecum Nauar. *l.2. de feriis, conſ.1.* Suar. *to.1. de Relig. l.2. c.31. n.2.* Sanch. *l.1. ſum. c.4. n.18.* Pala. *vbi ſupra n.4. & 5.*

PROBL. XXVII.

Opera communia liberis, & ſeruis, vt ſunt venari, ac piſcari, quæ quidem ſunt licita liberis, ſunt, & non ſunt licita, ſi à ſeruis gerantur.

119 *Nonnulla recolo.* REcolo ex *ſect.1.* ea opera prohiberi, quæ propria sunt seruorum, non alia. Quia Doctores cuncti declarãtes, quidnam sit opus seruile in festo prohibitum, asserunt, illud proprie esse, quod ex se habet quendã famulatũ, & ab illis solũ communiter exercetur, qui aliis inseruiunt D. Tho. *1.2.q.122.a.4.* quẽ omnes sequuntur. Quæsierim igitur, nũ prohibeãtur in festo opera, quæ sunt communia liberis ac seruis. nempè venari, ac piscari?

120 *Non sunt licita, si fiant à ſeruis.* Si fiant à liberis, licitè possunt exerceri: secus si à seruis gerantur. Quia à liberis possunt geri recreationis gratia, à seruis autem præ se ferunt illud prohibitum famulatum. Sic nonnulli Doctores, quorum sentent iam docent esse probabilem. Filliuc. *tom.2.tract.27. nu.160.* Machado *l.2. ſum. pun.3. tract.15. docum.5. n.5.*

121 *Licita ſunt, licet à ſeruis fiant.* Non prohibentur ea opera communia etiã si à seruis gerantur. Quia in festis sola opera seruilia sunt prohibita: sed quæ communia sunt liberis, ac seruis seruilia non sunt. Ergo licitè possunt à seruis exerceri. Ita Caiet. *2.2.q.122.a.4.* Bonac. *to.2.d.5.q.vni.pun.2.n.24.* Sanch. *l.5. conſil.c.2. dub.6.n.10.* Palaus *to.2.tr.9.d.2.pun.5. n.1.* Pedraza *præc.3. fol. mihi 27.* Filliuc. & Machado *citati.*

122 *Hæc longè probabilius,* Hoc longè probabilius esse dico. Quia si opus ex se libero seruile non est nec seruo. erit: materiale enim est, quod à seruo exerceatur. Equidem nullatenus dari opera media crediderim: sed necessario debere esse aut libera, aut seruilia: nam sicut inter hominem liberum & seruum medium non datur, sic nec inter communia opera.

PROBL. XXVIII.

Licitum est, & non est licitum, Die festo ſtudiis incumbere, quæ Sacra vel ſpiritualia non ſint.

123 *Non eſt licitum.* NOn est licitum studium, quod in materia spirituali non sit. Quia die festo vacatio ad Deũ indicitur. Ergò quidquid ad huiusmodi vacationem non spectat, illicitum est. Sic Anton. de Butr. *ad c.1. de feriis.* Angel. *v. Feriæ. n.29.* Sylvest. *v. Dominica. q.5.* Imo Abul. *Exo.12.* absolutè asserit nõ carere culpa eum qui tota die festa studet Theologiæ & causa pietatis. Quia vacatio ad Deũ cuilibet studio debet præferri.

124 *Licitum eſt.* Licitum est studere die festo tota die, non solum Theologiæ, verum etiam aliis scientiis, vt Philosophiæ, Mathematicæ, & similibus, quacũque id intentione fiat, dummodo Missę auditio nõ omittatur. Quia studere nõ est opus seruile, sed liberale quod quidem non est die festo prohibitum. Ita D. Tho. *2.2.q.122. a.4.* Abbas Anchar. Andr. Barbat. quos refert, ac sequitur Suar. *to.2. de Relig. l.2. c.22. à n.3.* Bonac. *to.2. d.5. q.vni. p.2 n.7.* Pala. *to.2. tr.9. d.2. pu.6. n.2.* Bassæus *v. Feſtum 2. r.7.* Fagund. *de præc. Eccl. l.1. c.11. n.2.* Trull. *l.1. Decal. c.1. dub.8. num.4.* Leand. *de præc. Eccl. tr.1. d.3. q.5.* Graff. *p.1.2 eccl. l.d.c.33. n. 16. & p.2. l.2 c.13. num.8. & 23.*

125 *De hoc non dubito.* Certè studere opus est animæ quod minime in die festo prohibetur, imò forte (vt annotat benè Fagundez) in expressa operum seruilium prohibitione huiusmodi opus animæ & alia commendantur, si non formaliter, saltem modo aliquo. In præcepto de obseruatione imperatur Missæ auditio. Quis autem dubitet & Missæ auditionem opus animæ esse? Igitur Ecclesia diebus festis imperat, nos à seruilibus operibus corporis abstinere: At studere non est seruile opus, nec corporis ministerium: Ergò minime prohibetur.

PROBL. XXIX.

Docere alios lucri cauſa licet, & non licet in die feſto.

126 *Minimè licet.* MInimè licet. Quia huiusmodi actũ exercere propter lucrum se redolet seruitutem, finis enim seruilis est. Sic Abul. *ad c.12. Exo. q.16.* Sylvest. *v. Dominic. q.5.* Mortale autem non erit peccatum, sed solum veniale eo quod non viadetur grauis esse irreuerentia.

127 *Licet omninò.* Licet omninò, in die festo alios lucri gratia docere quamcunque scientiam & artem. Quia est opus liberale, quod in die festo minimè prohibet Ita Suar. *to.2. de Relig. l.2. c.22. n.6.* Fagund. *l.1. de præc. Eccl. c.11. n.2.* Palaus *tr.2. tr.9. d.2. pu.5. n.2.* Trull. *l.3. Decal. c.1. dub.8. n.4.* Nauar. *ſum. c.13. n.12.* Caiet. *2.2. quæſt.122. art. 4.* Sanch. *l.5. Conſil. c.2. dub.6. n.4. & 11.*

128 *Idem aſſert.* Equidem si actus ex se liberales sint, quòd fiant ob lucrum non extrahit eas à sua agnata conditione. Vnde tanquam certum asseruerim, docendi alios lucri causa minime in die festo prohiberi.

PROBL. XXX.

Licitum eſt, & non eſt licitum, in die feſto cantare, pulſare inſtrumenta muſica, vel conſilium dare propter lucrum.

129 *Non ſunt licita.* OMnia hæc ex conuẽtione lucri accipiẽdi sũt illicita. Quia principaliter ea propter lucrũ exercere seruilia reddit opera, quę ex se liberalia inter annumerantur. Sic Abul *ad c.12. Exod.*

Exod. q. 26. Angel. *v. Feria, n. 29.* Sylvest. autem *v. Dominica, quæst. 5.* asserit peccare mortaliter Doctorem, qui dat consilium etiam illi, qui è longinquo venit, principaliter ob quæstum. Cuius sententiam esse communem ait Navar. *citandus.* Et illam docent Moditius *in §. Prudentum responsa, dub. 9. num. 2.* At Angel. solùm id concedit Doctori, qui vt expediat illum, qui è longinquo venit consilium impertit.

140 *Licita sunt.* Omnia hæc conuentione lucri accipiendi facta, licita sunt. Quia non sunt opera seruilia, nec talia ex fine quæstus efficiuntur. Ita Navar. *Sum. c. 13. num. 14.* Graff. *p. 1. decis. l. 2. cap. 33. num. 12.* Pedraza *sum. præc. 3. fol. 27.* Idem de consilio asserit Navar. *cap. 23. num. 12.* Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. pun. 2. num. 8.* Palaus *tom. 2. tr. 9. d. 2. pun. 5. num. 2.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 4.* Pasqualig. *decis. 138. num.* Fagund. *præc. Eccl. l. 1. c. 11. n. 2.* & alij.

141 *Hoc ferè certum esse reor.* Hoc ferè certum esse reor, & ideo vsu receptum, vt contraria sententia iam ab omnibus nullius ponderis esse videatur. Fortè olim communis sententia fuisset, dare consilium principaliter ob quæstum esse mortale, iam defecit vetusta illa opinio, & communis sententia est nullum peccatum esse, nisi aliquali diei festo accidentaliter irreuerentia aliunde inferatur.

PROBL. XXXI.

Licet, & non licet in die festo scribere, sine lucri fine.

142 *Non licet.* NOn licet die festo multis horis scribere, etiam absque spe lucri. Quia corpus nimium defatigatur: vnde opus ex se liberale seruile proculdubio efficitur Sic Guillem. quem citat, ac sequitur Abul. *ad c. 12. Exod. q. 37.*

143 *Licet planè.* Licet omninò. Quia scribere absque spe lucri, opus est liberale. Ergo cum alias non sit ex quinque aliis prohibitis, licite potest in die festo exerceri. Ita D. Thom. *2. 2. q. 122. a. 4.* vbi expresè docet docere tam verbo, quam scripto esse opus spirituale. Suar. *tom. 2. de Relig. l. 2. c. 24. num. 1.* asserens in hoc omnes Doctores conuenire. Sanch. *consil. l. 5. c. 2. dub. 8. n. 1.* citans Nauarrum, Ludou. Lopez, Sotum, Modinam, Sylvestrum, & Caietanum Laym. *tom. 2. l. 4. tr. 7. c. 2. n. 3.*

144 *Certum hoc esse iudico.* Certum hoc esse existimarim. Nec enim actus scribendi ex se liberalis, seruilis efficitur propter corporis defatigationem: hæc enim accidentalis est omnino. An toto die festo vocaliter orare nimia corpus defatigatione afficeret? Quis dubitet? Attamen nullus audebit asserere opus illud ex nimia corporis defatigatione seruile effici.

PROBL. XXXII.

Scribere propter lucrum, est, & non est opus prohibitum in die festo.

145 *Prohibitum est.* PRohibitum opus est, mercedis gratia scribere. Quia scribere est quoddam genus, cuius sunt duæ species: vna, operis liberalis, altera seruilis. Liberale opus est, si quis scribat, vt memoriam excolat, augeat, & conseruet: aut vt amicum, aut aliquem quemlibet absentem moneat, horretur, saluret; seruile erit, si faciat ob lucrum. Sic Angel. Richard. Sotus, Rosel. Tabien. Sylvest. quos refert, & sequitur Azor. *p. 2. l. 1. cap. 27. q. 4.* & omnes Summistæ communiter.

Non est opus prohibitum, licet ob lucrum fiat. Quia seruile non est. Nam scriptura est quædam permanens locutio de se, & natura sua ordinata ad declarãdos proprios cõceptus Ergò est de se actio deseruiens animæ, & non corpori. Igitur seruilis non est. Ita Caiet. *2. 2. q. 122. a. 3. & in sum. v. Iestorum violatio,* Tolet. *l. 4. c. 24. n. 3.* Azor. *tom. 2. l. 8. c. 28. q. 1.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 2. c. 19. n. 6.* Navar. *sum. c. 13. n. 5.* Palaus *to. 2. tr. 9. d. 2. pun. 5. n. 3.* Fagund *l. 1. de præc. Eccl. c. 10. n. 3. & c. 11. n. 5.* & alij apud ipsos. 146 *Non est prohibitum.*

Idem assero. Nam quod opus ex se liberale si ob mercedem fiat, non reddatur seruile, indè ostendo; quia operantis intentio non variat opus, sed omninò illud immutatum relinquit: illi enim est extrinseca. Ergo si scribere, opus est liberale, ex intentione lucri acquirendi seruile non efficitur. Erit, fateor, opus mercenarium non gratiosum: quia esse gratiosum, vel mercenarium ex intentione pendet. At non pendet ex intentione operantis esse seruile, vel liberale. Igitur ob lucri intentionem liberale opus seruile non redditur. 147 *Idem assero.*

PROBL. XXXIII

Prohibitum est, & non est prohibitum in die festo transcribere ob quæstum.

148 *Prohibitum opus est.* PRohibitum opus est. Quia seruile omnino. Transcriptio enim nihil aliud est, quam expressio literarum, quæ in originali habentur: quod videtur esse mechanicum & omninò deseruiens corpori, non animo. Certè transcribere nihil aliud est quam pingere aut delineare aliorum chacteres: Sed pingere, est opus seruile: Ergo & transcribere. Navar. *sum. c. 13. num. 14.* Caiet. *2. 2. quæst. 122. a. 4.* asserentes transcribere, seruile opus esse, quando fit ob lucrum. D. Antonin. *p. 2. tit. 9. c. 7. §. Quantum.* Fernand. *part. 1. Exam. Theol. cap. 7. §. 1. num. 10.* Vega *tom. 1. sum. cap. 114. casu 3.* Comitol. *l. 4. Respons. quæst. 58. num. 3.* Azor. *p. 2. lib. 2. cap. 27. quæst. 5.* Reginal. *l. 19. num. 40.* Sanch. ex parte *tom. 1. opusc. l. 5. cap. 2. dub. 9. num. 4.* Ioan. Henriquez *in sum. cap. 7. num. 21.* Pasqualig. autem *decis. 140.* citat etiam Tolet. *l. 4. c. 24. n. 11.* immeritò quidem, quia nec ibi nec alibi de hac agit quæstione.

Non est opus prohibitum. Quia transcribere nihil aliud est, quam declarare, ac permanenter loqui alterius conceptus. Ergo opus est liberale. Item transcribere, nihil aliud est, quam scribere, quod ipse, vel alius permanenter locutus est: Ergo si scribere opus liberale est, etiam transcribere debet esse. Certè transcribere per se ordinatur ad illustrandum intellectum, & percipiendum alienos conceptus: Ergo non corpori, sed animo 149 *Non est opus prohibitum.*

per se deseruit. Finis autem lucri non reddit seruile id opus, quod natura sua est liberale. Ita Ludou. Lopez *p. 1. instruct. c. 32.* Sayr. *in Claui l. 7 c. 2. num. 13.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. num. 3. & 4.* Medina *l. 2. instruc. cap. 14. §. 8.* Bonac. *de 3. Decal. præc. d. 5. q. vni. pun. 2. n. 25.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. c. 25. n. 4.*

150 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam transcribere quid aliud est, quam scribere quod alius, vel ipse transcriptor permanenter locutus est. Ergo si scribere opus est liberale, etiam transcribere debet esse. Hoc secundæ huius sententiæ fundamentum roboro. Quia qui scribit dictante alio, exprimit illius conceptus: qui verò transcribit eius dicta idem facit: & sola est differentia, quod scribens exprimit conceptus alienos, quos auribus percipit: transcribens exprimit conceptus, quos percipit oculis: percipere autem oculis vel auribus accidentarium est: nec potest opus liberale seruile reddere. Cæterum argumentum quo Azorius nititur nullius esse roboris crediderim; nam vt sæpe inculcaui, finis quæstus opus, quod ex se liberum est non potest in seruile mutare.

PROBL. XXXIV.

Licet, & non licet, in die festo rationem facere: vulgariter Dar y tomar cuentas, *siue fiat ex officio, aut ad lucrum, siue non.*

151 *Vtroque modo illicitum est.* ETiam si fiat nec ex officio, nec pro mercede, non licet. Quia opus est non solum menti, sed & corpori admodum laboriosum. Sic Sylvest. *v. Dominica, quæst. 3.* Angel. *v. Feria, num. 31.* Tabie. *ibi, num. 26.* Abul. *ad cap. 12. exod. quæst. 26.* D. Antonin. *p. 2. tit. 9. cap. 7. §. vlt.* Margar. Confess. *præc. 3. fol. 7.* Medi. *Summ. cap. 16. §. 9.* & alij. A fortiori erit opus illicitum si pro mercede, aut ex officio fiat. Quia eo pacto opus id seruile redditur. Sic Sanch. *tom. 2. Consil. l. 5. c. 2. dub. 10. n. 3.*

152 *Vtroque modo est licitum.* Si fiat non ex officio, nec ex mercede licet. Quia descriptio dati, & accepti, & transcriptio de vno in alium librum, in quo actio reddendi rationem rei datæ & acceptæ, aut redditum sistit: non est opus seruile, sed omnino liberale: Ergò licitum in festo. Ita Pasqualig. *decis. 150.* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 4. q. 16.* Sanch. *tom. 2. Opusc. l. 5. cap. 2. dub. 11. n. 2.* afferens ità sentire doctos Recentiores addentes id practicari sine scrupulo inter Religiosos timoratos. Porro etiam si id ex officio, & pro mercede geratur, licitum est. Quia si rationem facere vt sic ex se est opus liberale, ac proinde licitum in festo: etiam tale erit, quamuis fiat ex officio, aut pro mercede: hoc enim non variat actus, vel operis rationem. Ita Paschal. *citatus.* Leand. *vbi s.*

153 *Nec sententia probabilior admodū.* Longè probabiliorem hanc sententiam existimo. Quia si nec ex officio, aut ex mercede fiat huiuscemodi dandæ aut reddendæ rationis actio ex communiori sententia est liberalis: fieri verò ex officio, aut ob mercedem essentiæ operis accidentarium est. Nec magno id labore præstari reddit opus seruile, si ex se sit liberale; vacare namque studio intensè magis est laboriosum, nec ideo inter seruilia opera computandum.

PROBL. XXXV.

Licet, & non licet Typographo in die festo characteres componere.

CErtum est, illicitum omninò esse officium illorum qui prelo insudant. (vulgariter *Tiradores, y vatidores* vocitantur.) Quia horum actio totaliter est mechanica ac seruilis: Nil enim aliud ex se dicit, quam intinctionem literarum earúmque super papyrum impressionem. In quo omnes conueniunt. Quæsierim autem, num Typographo compositori liceat characteres ordinare, aut post excussionem formulas distribuere? 154 *Certum præmitto.*

Licet quidem. Quia huiusmodi ordinatio, aut de ordinatio, vel distributio characterum etiam in ordine ad impressionem, non est opus seruile: Ergò nec prohibitum in festo. Antecedens probatur. Quia per illam characterum compositionem manifestantur, & exprimuntur mentis conceptus: Ergò opus est mentale, & non seruile. Item quia transcriptio est licita in festis: Ergo & ordinatio literarum: nam hæc nil aliud est, quam quædam transcriptio ex originali in formulas typographicas, vt postmodum in papyro cudantur. Sic Homoben. *vol. 1. p. 1. resp. 34.* Laym *l. 4. tr. 7. c. 2. num. 3.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 62. & p. 8. tr. 7. resol. 56.* Machad. *tom. 2. l. 6. p. 8. docum. 4. num. 1.* Trull. *in Decal. tom. 1. l. 3. c. 1. dub. 8. n. 5. & 6.* Ausoni. *in sum. Dianæ v. Festum, num. 5.* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 4. quæst. 18.* 155 *Licet quidem.*

Minimè licet. Quia illa ordinatio characterum non est ex se conceptuum expressio, aut expressionis conceptuum transcriptio: sed fabrica in quædam instrumenti mechanici, quod inseruire debet ad mechanicum opus. Dum enim Typographi characteres componunt, fabricant illas, quas vocitant formas, quibus deinde vtuntur ad cudendas literas, non ad exprimendos conceptus. Characteres namque inuerso ordine apponuntur: quod satis indicat non ordinari ad lectionem, aut manifestandos conceptus; sed dispositionem esse, vt sint congruum ad cudendas litteras instrumentum. Ità Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1. cap. 25. num. 8.* Pala. *tom. 2. tr. 9. d. 2. pun. 5. num. 5.* Cordub. *l. 6. Theol. moral. quæst. 7. cap. 6.* Pasqualig. *decis. 149. n. 4. & 5.* Basæus *v. Festum 2. n. 8.* Trull. *l. 3. Decal. c. 1. dub. 8. num. 5.* Filliuc. *tr. 27. cap. 9. n. 164. & 165.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 11. n. 7.* 156 *Non licet.*

Quia amici Thypographi meis in opusculis cudendis insudantes lubens admitto, primam sententiam valde esse probabilem tot doctorum magis patrocinio, quàm ratione nitentem. At quia magis amica veritas secundæ adhæreo longè probabiliori. Quia esto opus impressum ad illustrandum intellectum per se ordinetur, sicut quælibet alia scriptura: actiones tamen, quæ ad excussionem concurrunt per se, & immediatè ad intellectum illustrandum non deseruiunt. Nam literarum compositioni accidentaria est omninò conceptuum manifestatio: possent enim illi characteres componi, quin aliquem conceptum manifestarent præcipuè si in illis figura esset obliterata 157 *Auctoris resolutio.*

obliterata: Ergo talis cõpositio ex se nõ est cõceptiuũ manifestatiua, sed solum ex accidenti. Quod à fortiori militat in characterũ ad suas classiculas reductione, seu distributione, quę cõceptus non exprimit, potius confundit, ac dissoluit. Sed quia munus distribuendi literas breui tempore, ac facili dexteritate perficitur ex consuetudine, id ego haud difficile à piaculo liberarem.

PROBL. XXXVI.

Actio pingendi est, & non est in die festo licita, dum lucri causa perficitur, non animum relaxandi, aut artem addiscendi gratia.

158 *Licita est.* LIcita est. Quia non est seruilis etiamsi commoditas corporis spectetur. Probo seruilem non esse. Quia actio pingendi & est opus ab arte procedens, & ad memoriam conseruandam maximè ducit: media enim imagine: repræsentatur nobis prototispus: Ergo est opus liberale: & non seruile. Quod autem ex causa lucri fiat accidentarium est, vt sæpe tradidemus. Sic Sayr. *in Claui, l. 7. cap. 2. num. 13.* Ludou. Lop. *p. 1. Instr. cap. 52.* Laym. *l. 4. tr. 7. cap. 2. num. 3.* Ioan. de la Cruz *p. 2. direct. præc. 3. a. 1. num. 1.* Medi. *l. 1. Instr. cap. 14. §. 8.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 62.* Non tamen eruditus Pater resoluit difficultatem, attamen in hanc videtur inclinare sententiam.

159 *Non est licita.* Non est licita. Quia actus pingendi seruilis est siue fiat ob lucrum siue alio prætextu. Non enim tendit ad mentem instruendam, sed solùm ad assimilandam imaginem arte factam rei veræ. Quod autem ex tali assimilatione memoria rei veræ Excitetur, hoc est per accidens. Ità Suar. *tom. 2. de Relig. cap. 26. à num. 4.* Sa *v. Festum, num. 5.* Pedraza *sum. præc. 1. fol. 17.* Bonac. *d. 5. q. vni. pun. 2. num. 25.* Azor. *tom. 2. l. 2. cap. 17. q. 6.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 11. n. 10.* Palaus *tom. 2. tr. 9. d. 2. pun. 5. n. 7.* Molfes. *tr. 11. cap. 17. n. 45.* Mald. *v. Festum, n. 6.* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 4. q. 20.* Gordin. *lib. 6. Theol. Mor. q. 6. cap. 6.* Sanch. *tom. 2. Consil. l. 5. cap. 2. dub. 12. & 16.* Bassæus *v. Festum 2. n. 9.* Filliuc. *tr. 27. n. 167.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 7.*

160 *Eiusdem sum sententiæ.* Fiat causa lucri, aut non fiat, probabilius est mihi pingendi actionem esse seruilem, ideóque die festo exerceri non posse. Illa enim excitatio memoriæ non sufficit ad constitudendam liberalem pingendi actionem: aliàs effectio cuiuscumque imaginis, quæ fit per artem sculpendi, vel conflandi, esset opus liberale.

PROBL. XXXVII.

Actio pingendi est, & non est licita in die festo, cum fit recreationis gratia.

161 *Licita est.* LIcita est. Quia actio pingendi eiusdem rationis esse videtur cum scribendi actione: si quidem in ferendis quibusdam lineis, ac figuris consistit: quæ lineæ, ac figuræ etiam in scriptura reperiuntur: quod verò figuræ ac lineæ calamo, vel penicillo fiant, non videtur diuersitatem ita magnam constituere, vt opus factum penicillo seruile sit, calamo autẽ sit liberale. At esto, seruilis actio sit pingere id tamẽ gerere recreationis gratia non est artem exercere: sed animum reficere: Ergo licitum in die festo est. Sic Angel. *v. Ferię, num. 31.* Sylues. *v. Dominica, quæst. 5.* Armil. *v. Festum, numer. 21.* Rosel. *v. Ferię. numer. 13.* Bassæus *v. Festum 2. nu. 9.* Laym. *l. 4. tr. 7. cap. 2. num. 3.* Sa *v. Festum. num. 5.* Ioan. à S. Thoma *in expos. Doctr. Christ. de 3. præc. Decal. fol. 40.*

Licita non est. 1. Quia pingendi opus est seruile, vt vidimus: Ergo quacumque fiat intentione, est illicitum: intentio enim aut finis operantis nõ variat operis rationem. Ita Suar. *tom. 2. de Relig. l. 1. cap. 36. num. 5.* Caiet. *2. 2. q. 122. art. 4.* Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. cap. 2. num. 25.* Filliuc. *tract. 27. num. 167.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 11. num. 13. & 16.* Palao *tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 5. num. 7.* Sanchez *tom. 2. Consil. lib. 5. c. 2. dub. 12. & 16.* Trull. *lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 7. & alij.* 162 *Non est licita.*

Hanc sententiam probabiliorem esse existimo. Tum quia ars pingendi absolute illiberalis est. Est enim de scriptura ratio. Nam scriptura procedit à mente, ad exprimendos mentis conceptus, ratiocinia, & iudicia: imò est ipsamet expressio conceptuum, ac exterior quædam locutio: Pictura verò non est expressio cõceptus, sed expressio rei repræsentatæ per conceptum: sicut effectio domus est expressio domus conceptæ, non conceptus. Neque obstat hanc actionem sæpe à nobilibus exerceri, quia hoc est propter excellentiam, proprtia tamen est seruorum. Si seruilis ars est. haud licebit die festo eam exercere, licet fiat relaxandi animi gratia. Dic mihi obsecro: si quisde pingat imaginem animo illam donandi Ecclesiæ, licebit nè id gerere in die festo sinè Prælati facultate? Minime quidem; quia non licet seruile opus gerere in festo etiam causa pietatis sine excusante necessitate. Ergo multò minus licebit id voluptatis causa præstare. 163 *Probabilius hoc mihi.*

PROBL. XXXVIII.

Licitum est, & non est licitum, in die festo iuuenes pingere, addiscendi artem intentione.

EST licitum. Quia pingere, addiscendi gratia, non est opus seruile, sed liberale, cum sit exercitium disciplinæ perficiens animum, Ergo licitum est id in die festo opus exercere: Sic Layman. Sylues. Rosel. Ludou Lepez. Medi. Angel. Nald. Tabie. Quos citat Pasqualig. *decis. 142. num. 2.* Sa *v. Festum, num. 5.* Sanchez *tom. 2. Consil. l. 5. cap. 2. dub 6. numer. 8.* Bassæus *v. Festum. 2. num. 9.* Llamas *p. 3. Metho. cap. 5 §. 6.* & alij. 164 *Est licitum.*

Licitum non est. Quia actus pingendi addiscendi gratia non differt intrinsecè & essentialiter à quocùmque alio actu pingendi diuersa intentione facto: verbi gratiâ ob lucrum. At hic vere est actus seruilis: Ergo & ille. Itẽ quia (vt non semel asserui) actus pingendi 165 *Licitum non est.*

seruilis est, & intentio operantis nihil prodest, vt desinat esse talis. Ità Filliuc. *tract.* 27. *num.* 168. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 4. & 6. Fagund. *de præc. Eccles. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 10. Palaus *tom.* 2. *tractat.* 9. *d.* 2. *punct.* 5. *num.* 7. Trull. *l.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 8. *n.* 8. Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *q. vni. punct.* 2. *n.* 25. & alij.

166 *Probabilior sententia hæc.* Probabilior sententia hæc. Cui nullo tenus obstat contrariæ fundamentum. Nam etiam alij actus pingendi quacúmque gerantur intentione, perficiũt eodem modo animam, imò & perfectius, cum sint etiam perfectius disciplinæ exercitium; & nihilominus non sunt liberales, sed seruiles: Ergò non sufficit actum perficere animam, vt valeat liberalis appellari.

PROBL. XXXIX.

Licet, & non licet puellis in die festo acu pingere, seu recamaturas facere.

167 *Licet planè.* Licet quidem. Quia acu pingere non est opus seruile: Ergò licitè potem infesto exercere. Antecedens probatur: Nam acu pingere est proprium ingenuarum fœminarum opus: item est opus ostentatiuum ingenij: Ergò non est seruile. Sic Pasqualig. *Decis.* 148. At Armil. *verb. Festum, num.* 21. Sa *verb. Festum, num.* 5. si id illæ gerant addiscendi causa. Et absolutè Ioan. de la Cruz *sum. part.* 1. *præc.* 3. *art.* 1. *num.* 2. Azor. *tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 27. *quæst.* 6. Et probabile iudicant Trull. *lib.* 3. *Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *numer.* 6. & Leand. *de præc. Eccles. tractat.* 1. *d.* 4. *quæstion.* 25.

168 *Non licet.* Minimè licet. Quia est opus seruile acu pingere, sicut opus seruile est pingere penicillo. Ità Leand. & Trull. citati. Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *qu. vni. punct.* 2. *num.* 25. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 5.

179 *Auctoris resolutio hanc sententiam temperans.* Ego quidem absolutè, & secundum se iudico, non licere, asserens seruile opus esse. Nam acu pingere potiùs pertinet ad cõditionis seruilis fœminas, quam ad ingenuas. Quod si nobiliores interdùm huic muneri incumbunt, fit communiter ad modicum tempus, & ob quandam modestam occupationem. At esto tale opus sit ingenij ostentatiuum, non tamen indè concluditur esse liberale. Quia etiam pingendi ars ostentat ingenium, & non indè est liberalis: & multæ aliæ artes mechanicæ ingenium ostentant, nec ideò excutiunt seruitutem. Dici autem *absolutè, & secundum se* artem acu pingendi esse seruilem, & in die festo nonlicita m. Quia si alicubi viget approbata consuetudo, ratione illius proculdubio licebit.

PROBL. XL.

Licet, & non licet adolescentulis diebus festis fila ducere, aut aliud opus seruile exercere, ad otium repellendum.

170 *Licèt quidem.* Licèt quidem. Quia ea opera exercere plus ad ludum, quàm ad laborem spectare videtur. Sic Sylues. *verb. Dominica, quæst.* 5. Margar. *Confes. præc.* 3. Sa *verb. Festum, num.* 6. Marchant. *Decal. cap.* 3. *quæst.* 2. Villalob. *tract.* 32. *diffic.* 4. *n.* 10. Ioan. de la Cruz *sum. p.* 1. *præc.* 3. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 4. Diana *p.* 3. *tractat.* 8. *resol.* 8. & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 81. Homobon. *volum.* 1. *part.* 2. *respons.* 35. Ioan. Henriq. *sum. cap.* 7. *num.* 18. fatus: *Licito es a las muchachas labrar en dia de fiesta; porque esto mas es jugar, que trauajar, como lo dice* Sa *verb. Festum, num.* 6.

171 *Non licet.* Non licet. Quia otium illud in festis est ordinatum ab Ecclesia & à Deo ad vacandum ipsimet Deo, quod fit sacrum audiendo, & ab operibus seruilibus cessando. Ergò cõtrà hunc finem expresè agit, qui vt ab illo otio se expediat, seruilibus actionibus implicatur. Ità Trul. *lib.* 3. *Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 6. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 5. vbi de pictoribus loquens, eis solùm concedit, vt per breue tempus, ad otium vitandum in sua arte occupentur. Comitol. *lib.* 4. *respons. quæst.* 34. Palao *tom.* 2. *tractat.* 9. *d.* 2 *punct.* 10. *num.* 3. Sanch. *tom.* 2. *Consil. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 18. Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *qu. vni. punct.* 3. *num.* 7. Leand. *de præc. Eccles. tract.* 1. *d.* 4. *quæst.* 26.

172 *Existimo, ex se non licere, nisi consuetudo faueat.* Ex se existimo non licere. Quia seruilis est actio. Attamen licita erit, si alicubi approbata à Prælatis vigeat consuetudo? Nec enim ap probo primæ sententiæ fundamentum. Laborem enim seruilem ludum facere, est quidem festi illudere obseruationem.

PROBL. XLI.

Ad vitandam peccandi occasionem ex otio prouenientem, potest quis, & non potest in festo seruiliter laborare.

173 *Potest omnino.* POtest omninò, si hoc medium efficax censeatur ad tentamina ex otio exurgentia propulsanda. Quia hoc in casu præceptum cedit animæ vrgenti necessitati. Sic Nald. *verb. Festum, num.* 7. Philiarch *de offic. Sacerd. libr.* 3. *cap.* 23. *part.* 2. Sa *verb. Festum, n.* 6.

174 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia seruile opus exercere quomodo erit medium vnicum ad vitandam animi seruitutem: cum extent alia media non prohibita ad vitandam otiositatem? An non aptior libri spiritualis, vel indifferentis lectio, mentalis, aut vocalis oratio, recreatio honesta? Ità Leand. *de præcep. Eccles. tract.* 1. *d.* 4. *qu.* 27. Palao *tom.* 2. *tract.* 9. *d. vni. punct.* 10. *num.* 3. Pasqualig. *decis.* 299. *num.* 3.

175 *Posse, si vitandi id medium esse necessarium reor.* Ego existimo, eum qui timeret probabiliter, otium sibi causam delinquendi futurum, aliquantulum laborare posse: etsi hoc medium efficaciter menti obiiceretur vt vnicum, tota die posse opus seruile gerere. Quia tunc adest spiritualis necessitas, quæ efficacius excusat, quam corporalis. At rarò accidet, vt opus seruile medium sit necessarium ad vitandum delinquendi periculum. Siquidem oratione, lectione, scriptura, aliáque recreatione honesta vitari potest aptius peccandi periculum.

PROBL.

PROBL. XLII.

Piscatio, aucupatio, & venditio, si ob recreationem fiat, est, & non est in die festo licita.

176 *Licita est.* LIcita est. Ob recreationem enim facta non est opus seruile, sed liberale. Et quia tam de aucupatione, quam de piscatione fluminea, ac venatione viget vbique consuetudo. Sic Angel. Rosel. Syluest. Tabie. Armil. Pisanel. relati ab Azor. *part. 2. libr. 1. cap. 27. quæs. 7.* Tolet. *libr. 4. cap. 24. num. 7.* Gordon. *libr. 6. qu. 7. cap. 6.* Bassæus *verb. Festum 2. num. 12.* Trull. *libr. 3. Decalog. cap. 1. dub. 8. num. 8.* Filliuc. *tract. 27. num. 174.* At Armil. non benè citatur, quia *verb. Festum, numer. 11.* nihil de venatione disserit.

177 *Non est licita.* Non est licita. Quia per se est opus seruile, tum ad vtilitatem corporis per se ordinentur: actiones enim sunt ad vsum corporis, ipsiúsque vtilitatem pertinentes. Ità Palao *tom. 2. tract. 9. d. vni. punct. 5. num. 10.* Suar. *tom. de Relig. libr. 2. cap. 28. à num. 3.* Fagund. *de præc. Eccles. libr. 1. cap. 11. num. 16.* Abul. *ad cap. 12. Exod. quæstion. 24.*

178 *Hoc probabilius mihi.* Hanc sententiam probabiliorem reor, si essentia (vt rectè aduertit) operum spectetur: seruilia enim esse prorsus existimo. Porrò ratione consuetudinis licita esse non dubito. Quia videntibus, & tolerantibus Pastoribus Ecclesiæ videtur hæc consuetudo introducta. Id autem de piscatione fluminea dicta habe, nam de marina Problem. proprio disserendum.

PROBL. XLIII.

Aucupatio, piscatio, ac venatio licita est, & non est in die festo, si ex officio, aut lucri causa geratur.

179 *Non est licita.* NOn est licita. Quia seruile opus est, & dum ex officio, aut lucro geritur, magis ad corporis vtilitatem ordinatur. Seruile autem opus esse, ex eo liquet, quod *cap. Licet, de feriis*, ex dispensatione conceditur piscatio diebus festis, & insuper propter facultatem datam erogari aliquid in pium vsum mandatur. Sic Angel. Syluest. Gordon. apud Pasqualig. *decis. 299.* Tolet. *libr. 4. sum. cap. 24. num. 7.* Bassæus *verb. Festum 2. num. 11.* Filliuc. *tractat. 27. numer. 173.*

180 *Licita est.* Licita est. Quia ex se actio aucupandi, piscandi aut venandi non est opus seruile: Ergò licet in die festo. Nec fieri ex officio, aut ob lucrum nihil addit actioni vt eā è liberali afferat ad seruilem: vt sæpè aduertimus. Ità Azor. *p. 2. libr. 1. cap. 27. quæst. 7.* Medina *libr. 1. Instr. cap. 12. §. 8.* Ludou. Lop. *part. 1. Instr. cap. 52.* Sa *verb. Festum, num 5.* Nauar. *sum. cap. 13. num. 11.* Bonac. *d. 5. quæst. vni. punct. 1. num. 25.* Et ad *cap. Licet, de feriis*, respondent. Nauar. & Azor. indulgentiam ibi concessā piscandi illud genus piscium non esse dispensationem in præcepto: ratione enim necessitatis videbatur dispensatum; sed esse quandam approbationem. Neque enim vrget, hanc indulgentiam concedi à Pontifice sub onere dandi congruam portionem Ecclesiis circum positis, & Christi pauperibus: nam vel illa portio erat debita ex obligatione decimas soluendi, vt ait Glossa: vel, vt Ludouico Lopez placet, solùm de consilio & non de præcepto talis portio danda cauetur.

181 *Non esse licita tam nisi ex consuetudine censeo.* Ego consequenter assero actiones hasce ex se esse seruiles siue ex lucro, aut officio: siue ob recreationem fiant: vndè ex hoc capitè minimè licet. At ratione consuetudinis receptæ, ac toleratæ ab Ecclesiæ Præsulibus licitas esse crediderim. Legendus Fagund. *de 1. Eccles. præc. lib. 1. cap. 11. num. 16.* & Diana *part. 4. tractat. 4. resol. 222.*

PROBL. XLIV.

Licitum est, & non est in festo piscari in pelago aut recreationis, aut lucri causa.

182 *Licitum est absolutè.* LIcitum est, si fiat recreationis gratia, secus autem si ob lucrum. Quia dum fit causa relaxationis aut voluptatis non est opus seruile, secus dum lucri gratia geritur. Sic Gordon. *lib. 6. quæst. 7. cap. 6.* Layman. *lib. 4. tractat. 7. cap. 2. num. 6.* Syluest. *verb. Dominica, quæs. 4.* & *verb. Piscari, quæs. 2.* Tabie. & Armil. *verb. Piscari, num. 1.* & *verb. Festum, num. 20.* Licitum absolutè est non solùm causa recreationis, sed & lucri. Quia piscatio ex se est opus indifferens, non seruile: & ideò non prohibitum in festo. Sic Pasqualig. *decis. 144. num. 4.* Medi. *sum. cap. 12. §. 8.* Ludouic. Lopez *part. 1. Instr. cap. 52.* Nauar. *cap. 13. sum. num. 11.* Ioan. de la Cruz *sum. præc. 1. art. 1. num. 2.* Palat. *verb. Festor violatio*, Bonacin. *tom. 2. d. 5 quæst. vni. punct. 2. num. 25.* Sa *verb. Festum, num. 5.*

183 *Non est licitum.* Licitum non est, etiam si piscatio illa fiat causa recreationis. Quia est opus seruile, & vt tale supponitur esse prohibitum *in cap. Licet, de feriis*, vbi Pontifex concedit ex priuilegio diebus festis piscationem eorum piscium, qui vocantur *Alle ias*, nam certis diebus assolent apparere. Quod si ex indulgentia conceditur huiusmodi tam opportuna piscatio, supponitur ex natura sua piscationem vt seruilem esse prohibitam. Ita Suar. *tom. de Relig. libr. 2. cap. 28. num. 6.* Fagund *libr. 1. de præc. Eccles. cap. 11. num. 16.* Palaus *part. 2. tractat. 9. d. vni. punct. 5. num. 9.* Bassæus *verb. Festum 2. num. 12.* Filliuc. *tractat. 27. num. 172.* & *173.* Granad. *2. 2. controu. 3. tractat. 11. d. 4. sect. 7. num. 65.* Sanch. *tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 15. num. 3.* Trull. *libr. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 8.* Leand. *de præc. Eccl. tractat. 1. d. 4. quæst. 31.* Machado *tom. 1. libr. 6. part. 8. tractat. 9. docum. 10. num. 2.* Diana *part. 4. tractat. 4. resol. 222.* Luisi. Turrian. *sum. part. 1. cap. 230. dub. 14. concl. 2.* Villalob. *tom. 2. tract. 32. diffic. 2. num. 7.*

183 *Auctoris resolutio ibi nonnulla auctoro.* Egò quidem existimo, piscationem, ac venationem ex se esse seruilem. Quia consuetudo huiusmodi artes fecit iam licitas: in quo ostenditur de se illiberales esse: ex accidenti tamen,

tamen, seu consuetudine non esse in die festo prohibitas; quæ consuetudo videtur prævaluisse, cum videntibus & consentientibus Prælatis assolent exerceri. Nam de piscationibus in flumine recreationis gratia non dubito, ex consuetudine licere, maximè quando sunt moderatæ, & fiunt sine magno ministrantium labore. Quæ verò fiunt in mari, non esse in consuetudine affirmo, & ideo non licere: de hisque locutum esse textum *cap. licet de feriis* non posse dubitari. Monuerim autem, esto in *cap. licet* solum detur licentia, ad piscationem illius generis piscium specialis, qui vocatur *Allecia* at communiter extendi à Doctoribus eam facultatem ad quodlibet aliud genus piscium, quod certis diebus assolet apparere, cuius piscatio illa die gerenda est, quin minus magna ex parte amittetur. Conceditur tamen diebus Dominicis ac festis ea dispensatio (præterquam in maioribus anni solemnitatibus) cum illo onere, vt eleemosyna aliqua post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus impertiatur. Quam eleemosynam gerendam esse ex obligatione existimo cum Suario *l. 2. de festis cap. vlt. num. 7.* Quia sub eo onere illa facultas non debita conceditur. Si tamen in maioribus solemnitatibus ex dispensatione Prælati piscandum esset: tunc si Prælatus dispensationem sub illo onere & eleemosyna elargienda expresè non concederet, minimè arctati piscantes ad eam præstandam existimarem. Quia tunc non ex dispensatione *capitis licet*, sed ex Prælati dispensatione operarentur.

PROBL. XLV.

Licita est, & non est in die festo prælatio extra necessitatem.

185 *Licita est.* LIcita omninò est, si Missa audiatur. Quia est actio liberalis seruis ac Principibus communis. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 40. *a.* 4. Bannes *ibi, dub.* 4. *num.* 4. Valent.. *ibid. d.* 3. *quæst.* 16. *vers.* 3. Sa *v. Bellum, pun.* 5. *n.* 15. Manu. *part.* 1. *sum. cap.* 126. *num.* 10. Inclinant Bonac. *d.* 2. *de restit. q. vlt sect.* 1. *punct.* 12. §. 4. & Suar. *de bello d.* 13. *sect.* 7. *num.* 14.

186 *Non est licita.* Minimè est licita. Quia opus seruile est, merè scilicet corporale, ac laboriosum, ac circa effectus corporis omnino existens. Item est vsus artis mechanicæ: Ergo non est opus liberale, sed seruile: Ergo in die festo extra necessitatem omnino illicitum. Ità Suar. *l.* 2. *de festis, c.* 28. *num.* 8. Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. Palao *tom.* 2. *tr.* 9. *d. vni. pun.* 5. *num.* 11. Victorel. *in addit. ad Tolet. l.* 4. *cap.* 25. Gordon *l.* 6. *qu. est.* 7. *cap.* 6. Bassæus *v. Festum* 2. *num.* 3. Filliuc. *tr.* 27. *num.* 175. Trull. *l.* 3. *Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 9. Vnde asserunt, bellare diebus festis sine causa esse mortale.

187 *Quid circa quæstionem iudicem vberius expono.* Existimo militiam ex se non esse licitam in die festo; quia inter artes seruiles computatur. At ratione necessitatis sunt eius actiones ferè semper licitæ. Quia si est bellum defensiuum, ad defendendam propriam vitam, aut tuendam Rempublicam, ordinatur. Si aggressiuum honestatur ex exigentia reportandi victoriam, cuius opportunitas tunc occurrit. Vnde ex necessitate excusarim eos, qui aggeribus, fossa, & vallo arces, vrbes, ac Oppida muniunt, & alia similia exerunt: quando ex illis pendet victoria, aut sine graui incommodo differri non posse videatur; Azorio asserente *p.* 1. *l.* 1. *cap.* 17. *quæst.* 2. Cæterùm tempore pacis assolent diebus festis aliquæ exercitationes, ac demonstrationes militares, quarum vsus est licitus tùm ratione consuetudinis, tùm causa moralis necessitatis ad publicam Ciuitatum custodiam, quæ quidem exercitationes haud possunt commodè aliis geri diebus: tùm denique quia ea, quæ tunc fiunt, parum aut nihil de seruili opere habent; cum potius ad memoriam exercendam circà artis militaris peritiam, vel cognitionem personarum habendam ordinantur: & si aliquod seruile admiscetur, aliis honestatur ex causis. Denique iam est consuetudine receptum, iuuenes diebus Dominicis ac festiuis artem digladiatoriam edisceres. Quia esto ediscatur vsu ac exercitiò operis seruilis, ob necessitatem Reipublicæ, cui maxime expedit, iuuenes exercitatos in prælio habere, videntibus, ac annuentibus Prælatis, permittitur.

PROBL. XLVI.

Licitum est, & non est, in die festo molendinis aquæ, aut venti molere.

188 *Non est licitum.* NOn est licitum. Quia necessariò magnus labor & non exiguo tempore à molinario est adhibendus seruili quidem operi. Sic Abul. *ad cap.* 12. *Exod. quæst.* 38. Sayr. *in Clau. l.* 7. *cap.* 2. *num.* 6. Pisanel. *v. Feria.* Caiet. *v. Festum.* Sylvest. *v. Dominica, quæst.* 5. Pasqualig. *decis.* 294. *num.* 7. Bonacinam pro contraria sententia citat, sed immeritò. Docet enim *tom.* 2. *d.* 5. *quæst. vni. pun.* 3. *num.* 9. non esse licitum molitoribus die festo molere in molendinis fluuialibus, aut venti, si notabilem partem temporis in his insumant.

189 *Licitum est.* Licitum est. Quia non solum in his molendinis exiguus impenditur labor, sed etiam quia viget consuetudo his diebus molendi à Prælatis quidem ob publicam vtilitatem tolerata. Ita Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 9. Ludou. Lopez *part.* 1. *Instruct. cap.* 52. Manu. *sum. cap.* 121. *num.* 4. Sanch. *tom.* 2. *consil. l.* 5. *cap.* 2. *dub.* 13. citans Palatios, Rosellam, & D. Antoninum Palaus *tom.* 2. *tract.* 9. *d. vni. pun.* 10. *num.* 3. Pasqualig. *citatus.* Trull. *l.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 19. *num.* 8. Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *c.* 14. *num.* 20. Lublin. *v. Festum, num.* 4.

190 *Censeo hos esse verum.* Fateor, opus esse seruile; sed excusantur plane Molinarij; quia exiguum laborem ei muneri impendunt, & quia iam ex sæpè occurrente necessitate viget molendi hisce diebus consuetudo.

PROBL.

PROBL. XLVII.

Licet, & non licet molere die festo in molendinis, vel pistrinis, quæ terunt triticum opere bestiarum.

191 *Minimè licet.* MInimè licet. Quia in his molendinis operi seruili planè magnus labor molinarij adhibetur corporeus, vltra quem alius non leuior occurrit, nempe assistentia, & cura continua iumentorum molendini rotam trahentium. Sic Nauar. Lopez, Manuel, Palaus Sanch. & Bonac. apud Pasqualigum *decis.* 194. *num.* 7. Qui quidem non id abnegat absolutè, sed solùm casu, quo accidat notabilem partem temporis huic muneri impendi. Nam si modicum tempus insumatur ex iumenti dexteritate: tunc licitum esse affirmat. Trull. *libr.* 3. *Decalog. cap.* 1. *d.* 10. *num.* 8. Fagund. *de præc. Eccl. cap* 14. *num.* 20.

192 *Licitum absolutè est.* Licitum absolutè est. Quia hæc molendina etiam permittuntur in festis publicæ causa vtilitatis. Et quia non maior labor in molendinis, quæ molunt iumentorum opera, impenditur, quam in molendinis aquæ & venti: Ergò si in his licet in festis molere: cur non in illis? Certè præcipuus labor, qui in molendinis, quæ molunt opera iumentorum adhibetur est impositio tritici, & farinæ extractio: at idemmet labor in molendinis aquæ ac venti impenditur. Ità Sa *verb. Festum, num.* 5. Ioan. de la Cruz *par.* 1. *sum. præc.* 3. *art.* 1. *conel.* 4. absolutè & sine limitatione docentes, licitum esse in festis molere. Leand. *de præc. Eccles. tractat.* 1. *d.* 4. *quæst.* 43. Azor. *tom.* 2. *libr.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 2. asserit, etiam hæc molendina, seu pistrina, vulgariter *Ataona* in festis permitti, publicæ vtilitatis causa.

193 *Auctoris placitum.* Probabilem admodum primam sententiam esse reor, secundam verò æquè probabiliorem eligo. Verùm æquè laboriosum æstimo esse vnius ac alterius molendini ministerium. Nam si in pistrino vltrà laborem immittendi triticum, educendique farinam continua cura iumenti trahentis rotam adiicitur: in molendino aquæ, & venti vltrà impositionem tritici, & farinæ extractionem, adiicitur cura assistendi, aquæ aut vento, nè superet, ne deficiat. Et cum molendinum hoc velocius operetur, quàm pistrinum, frequentius debet molitor triticum adiicere, ac extrahere. Certè non capio, quonammodo sola molitoris ad bestiam assistentia efficiat hoc officium seruile: & non obstante impigra sollicitudine gerentis morem aquæ, ac vento officium illud à seruitutis nota liberetur.

PROBL. XLVIII.

Licitum est, & non est die festo longum pedestre gerere iter, per se quidem, & non spectata consuetudine.

194 *Non est per se licitum.* NOn est licitum per se. Quia opus seruile est magna corporis initum defatigatione, quæ quidem superat, vel fodiendi, aut arandi molestiam: vndè si ex consuetudine, aut vrgenti necessitate non honestetur, huiusmodi longum iter geri non potest. Sic Caiet. 2. 2. *qu.* 122. *artic.* 4. Sotus *l.* 2. *de iust. quæst.* 4. *artic.* 4. Abul. *ad cap.* 12. *Exo. quæstion.* 24. & *quæstion.* 25.

195 *Licitum per se est.* Licitum non solùm ex consuetudine, sed ex se. Quia iter agere de se est quædam naturalis actio consistens in quadam corporis situatione, ac exercitatione, vndè non est opus seruile, sed liberale. Ità Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 6. Rosel. *verb. Festum, num.* 26. Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 8. Suar. *tom.* 1. *de Relig. libr.* 2. *cap.* 27. *num.* 3. Palaus *tom.* 2. *tract.* 9. *d. vni. punct.* 5. *num.* 12. Sa *verb. Festum, num.* 5. Trull. *l.* 3. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Fagund. *de præc. Eccles. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 9 Layman. *lib.* 4. *tractat.* 7. *c.* 2. *dub.* 1. *num.* 4. Diana *part.* 2. *tractat.* 1. *resol.* 36. & *part.* 4. *tractat.* 4. *resol.* 22. Villalob. *part.* 2. *tractat.* 32. *difficil.* 2. *num.* 9. Reginal. *lib* 19. *num.* 38.

196 *Cum his opinor.* Ego existimo, minimè esse opus seruile. Licet enim aliquando iter fiat cum nimia corporis defatigatione, in causa non est, vt opus ex se liberale in seruile transeat. Alioqui pilæ ludus, qui defatigatione corporis nimia geritur frequenter, qui quidem est Principibus æquitibúsque agnatus, deberet ex eo capite inter seruilia munia annumerari.

PROBL. XLIX.

Licitum est & non est, in die festo animalia aut currus onustos de vno loco ad alium deferre.

197 *Quidam suppono.* SVppono, esse sine controuersia licitum in festis iumenta non onusta ad alium locum traducere. Quia hoc non est aliud, quam iter facere, quod licitum esse vidimus. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 3. Sanch. *tom.* 2. *Consil. libr.* 5. *cap.* 2. *d. b.* 7. *num.* 11. Quæsierim verò nùm licitum sit iumenta aut currus onustos deferre?

198 *Non est licitum.* Non est licitum. Quia magnus assolet labor in imponendis, ac leuandis sæpè oneribus adhiberi. Sic Suar. *citat.* Sanch *vbi supr.* Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *quæst. vni. punct.* 2. *num.* 25. Azor. *tom.* 1. *libr.* 1. *cap.* 27 *quæst.* 8. Palaus *tom.* 2. *tractat.* 9. *d. vni. punct.* 5. *num.* 11. Trull *lib.* 3. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 2. Bassæus *verb. Festum* 2. *numer.* 10.

199 *Licitum est.* Licitum est. Quia de se est licitum iter facere pedestri aut equestri expeditione. Ergò quod id fiat iumentis, aut curru onustis, vel vacuis per accidens est. Aliquis labor impositioni ac leuamini oneris adhibetur, sed non est plerúmque tantus, vt materiæ paruitatem videatur excedere. Ità Pasqualig. *decis.* 192. *numer.* 10. Leand. *de præc. Eccles. tractat.* 1. *d.* 4. *quæst.* 50.

200 *Nonnulla suppono.* Ego autem vtrámque sententiam probabilem adiudicans, sic quæstioni respondeo. Quando defertur iumentum aut currus onustus, quibus interdum onera imponenda sunt, interdum leuanda, si in tali impositione aut leuatione multum temporis non absumitur, mortale non erit. At si passim onera sint leuanda, &

& passim imponenda, vel multum temporis in huiusmodi actionibus sit impendendum: cum hæ actiones sint ex se seruiles debent ex aliquo extrinseco honestari, nempè ex graui detrimẽto, quod pateretur huius iumẽti, aut currus onusti ductor, si die festo quiescere cogeretur, quocúmque iter agendo peruentaret. Vel etiam excusatur ob publicam vtilitatem ad quam necessarium ferè semper est, vt sinè mora ac grauamine hæc mercium asportatio fiat: & ita cõsuetudo huiusmodi excusationem approbauit. Suar. *ibid* Manu. *tom. 2. sum. cap. 121.* Sa *verb. Festum, num. 5.* Palaus *citatus.*

PROBL. L.

Licitum est, & non est licitum mulionibus iter cum iumentis, aut curribus onustis iter die festo incipere.

201 *Nonnulla suppono.* SVppono, licere eis, iter antè incœptum, die festo continuare. Quia id approbat consuetudo, & quia deberent iter interrumpere, graue eis incommodum pararetur, & fortasse Reipublicæ, ad quam merces asportarentur. Sanch. *tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 7. num* 8. Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 27. num. 3.* & alij communiter. Quæstio autem est, num licitum illis sit, die festo illud iter inchoare?

202 *Non est licitum.* Licitum non est. Quia cum soleat accidere, vt magna pars diei impendatur in frequenti onerum leuatione, qui die ipso festo iter incipit sese violandi illud periculo exponit. Casus autem nimij huiusce laboris non tam rarò accidit, vt accidentarius esse asseratur. Sic Regin. *lib. 19. num. 50.* Margar. Confes. *verb. Festum.* Rosel. *verb. Feria, num. 22.* D. Antonin. *part. 2. tit. 9. cap. 7. §. vltim.* Filliuc. *tract. 27. num. 128.* citatur malè à Pasqualigo *decis. 292. num. 3.* docet enim contrarium. Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 5.* Barbo. *lib. 1. Decretal. cap. Omnes dies de feriis, num. 5.*

203 *Licitum est.* Licitum est, Missa primùm audita. Quia sic per receptam consuetudinem est introductum, ob Reipublicæ commodum. Ità Manu. *part. 1. sum. cap. 121. num. 2.* Filliuc. *citatus* hisce quidem verbis: *Muliones, & agasones, qui bestiis onustis iter faciunt in die festo, & sæpè incipiunt, excusantur: Sic enim bono publico mercatorum magis conducit.* Pasqualig. *ibid. num. 10.* Trull. *lib. 3. Decalog. cap. 1. dub 8. num. 2.* Diana *part. 1. tractat. 15. resol. 36.* Machad. *tom. 2. libr. 6. part. 8. tract. 6. docum. 4. num. 2.* Leand. *de præc. Eccles. tract. 1. d. 4. quæst. 52.*

204 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem mentis sum. Nam ferè eadem causa militat de inchoatione itineris, ac de ipsius continuatione: cum in vtráque eadem defatigatio reperiatur. Labor qui plerúmque impenditur, materiæ constituit paruitatem quæ veniale piaculum constituit, licèt ab eo ex consuetudine recepta non liberarentur: maior autem labor ex accidenti non vitiat opus, quod licitè fuit inchoatum.

* *
*

PROBL. LI.

Licet, & non licet, imponere festis diebus onera perpetuo amenti, aut seruo infideli.

NOn licet onera imponere perpetuò amenti, Quia imponens huiusmodi onus amenti contrà legem agit, cum cogat exerceri prohibitæ. Nec licitum est ea onera imponere seruo infideli. Quia dominus nequit præcipere seruo, vt exerceat hæc seruilia opera, licet ille ab his abstinere non obligetur: sicut nec possunt facere, vt à iumentis exerceantur. Vnde pariter de onere imposito perpetuo amenti, qui veluti iumentum, legi non subiicitur, valet hæc ratio. Sic Moure *p. 3. præc. 3. n. 16.* 205 *Non licet.*

Licet vtrúmque: Quia perpetuo amentes non sunt legum capaces: Ergo illas transgredi non possunt: neque imponens onus contra legem agit cum opera seruilia amentem huiusmodi exercere, prohibitum non sit. Eadem ratio in infideli militat. Ità Laym. *l. 1. tr. 4. c. 10. n. 3.* Paqualig. *decis. 309.* Diana *p. 5. tr. 14. resol. 7.* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 4. q. 53.* 206 *Licet planè.*

Profectò opera seruilia diebus festis interdicuntur iis, qui modo humano, & vtiliter exequi possunt præceptum, non infantibus, ac perpetuò amentibus, qui non sunt rationis capaces: nec item interdicuntur seruis infidelibus, qui Ecclesiæ legibus non tenentur. Vndè cùm ij non obligentur, nec dominus onera imponens opus seruile exerceat, quod impediat festi sanctificationem: non video vndenam possit esse prohibitum. Nec vrget circà perpetuò amentes Moure obiectio: licitum enim est cuique, vt die festo onera à brutis deportentur, si ea onera adiicere possint homines regentes ferè nullo opere seruili: secus si non possent iumenta sine magno hominis opere seruili, seruili operi deseruire. Quia tunc illicitum esset ea onera iumentis imponere ratione operis seruilis hominis imponentis. Monuerim tamen haud esse imponenda onera perpetuo amenti, si ad iram is concitetur, Blasphemias iactet, aut alios percutiat. Quia licèt ipse non peccet, iumenti instar, talia opera quæ suapte natura deformitatem habent, principali libero agenti tribuuntur. 207 *Cum his sentiens mentem verbum appono.*

CAPVT VIII.

Circà actiones, quæ liberales cum sint, sunt tamen speciali iure in festo prohibitæ.

PROBL. LII.

Ex consuetudine saltem licitæ sunt, & non sunt licitæ Nundinæ publicæ (quæ assolent semel aut bis in anno fieri in diebus festis.

REcolo, quinque esse actiones, quæ licèt seruiles non sint, iure tamen speciali in die festo 208 *Nonnulla recolo.*

festo interdicuntur : scilicet Mercatum, Placitum, Iudicium ciuile, vel criminale, Iuramentum, & Processus ac strepitus iudicialis. Quinta hæc actio prohibetur *c. fin.* de feriis: quatuor illæ *c. 1. de feriis* interdicuntur. Certè nomine *Mercatus* veniunt Nundinæ, quæ semel aut bis in anno fiunt : & mercatus, quæ semel in hebdomade agitur, & omnis emptionis ac venditionis contractus. Itaquè quæsierim, an non obstante huiusmodi prohibitione, saltem ex consuetudine licitæ sint in die festo Nundinæ, quæ semel aut bis in anno fieri assolent?

209 *Licita non sunt.* Licitæ non sunt. Quia est iniqua, praua, & irrationabilis consuetudo. Nam licèt mercari absolutè peccatum lethale non sit, est tamen ex genere actionum, que ad peccatum lethale trahunt : vix enim inter ementes & vendentes non aderit peccatum aliquod, vt de se patet, & habetur in *c. Qualitas de pœnit. dist.* 5. & propter hanc causam specialiter huiusmodi mercatus seu Nundinæ diebus festis prohibentur. Et quidem multum abstrahunt animum à diuinis, ad quæ festa destinantur. Ergo hæc consuetudo prorsus iniqua est reputanda. Sic Hostiens. & Abbas *ad c. 1. de feriis.*

210 *Sunt licita.* Sunt equidem licitæ, ex consuetudine. Quia videmus fieri huiusmodi Nundinas diebus festis, non solum quando contingit, dies festos coniungi cum Nundinarum diebus : sed etiam directa intentione festum ad eas designando, vt celebriores fiant : Ergo iam ex consuetudine sunt licitæ. Quod autem eas fecerit licitas consuetudo ostendo : Quia tota obseruatio festorum & quo ad electionem diei, & quoad viginti quatuor horarum tempus, est de lege humana, ac de iure Ecclesiastico : At potest consuetudo moderari ea, quæ sunt de iure humano, sicut & tollere omninò, argumento *c. fin. de consuetud.* Ità Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 12. n. 6.* Nauar. *sum. c. 13. n. 8.* Tolet. *l. 4. c. 24. n. 4.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 1. c. 19. n. 3.* Caiet. 2. 2. *q* 122. *a.* 4. & alij communiter.

211 *Hoc mihi certum.* Hoc mihi certum, Hostiensis & Abbatis venia. Quia in hisce Nundinis (ne iniqua sit consuetudo) possunt aliquæ rationes eam cohonestantes inueniri, Cohonestat siquidem hunc morem publica necessitas : solum enim fieri Nundinæ diebus festis interdum, vt rusticani, ac pauperes homines illas adeant, cum non possint in aliis diebus operas suas deserere, fauet pietas : fiunt namque aliquandò Nundinæ die festo in aliquo loco, quia ea die assolet multitudo populorum illuc causa pietatis conuenire : & tunc nè cogatur illuc redire iterùm, vel ibidem detineri cum magno dispendio, Nundinæ celebrantur. Cæterùm primæ sententiæ fundamento minimè conuincor, cum illud non obstet, quominus huiusmodi mercatus aliis diebus licitè exerceantur, imò diebus professis : Ergò nec obstabit, quominus in diebus festis licitè fiant, si in illis specialiter non prohibeantur, vbi autem consuetudo præualuit, iam cessauit prohibitio. Præterea quia illa ratio pertinet ad motiuum legislatoris, non tamen facit materiam legis adeo iniquam, ac necessariam, vt contra illam non possit consuetudo præualere, vt Suarius affirmat, si ergò consuetudo contraria potest festum omnino tollere, quomodo non poterit illud imminuere? ità vt in illo huiusmodi Nundinæ licitæ existant? Monuerim tamen, nunquam huiusmodi consuetudinem potuisse ita introduci, vt Missa licitè omitti valeat absque speciali necessitate excusante. Vnde mortaliter proculdubio delinquet, qui his diebus Missam non audiuit, nisi aliundè iustè excusentur. Suar. *cap. 29. numer. 4.* Sylvest. *v. Dominica, numer. 4.* Nauar. *sum. cap. 13. num. 8.* Tolet. *lib. 4. cap. 24. num. 4.*

PROBL. LIII.

Hebdomadarij Mercatus possunt, & non possunt in die festo licitè geri.

MErcatus, qui fiunt singulis hebdomadis in Vrbibus, oppidis, pagis, non possunt licitè die festo geri. Quia id iure prohibetur iustè quidem cum possint facile in alteram diem transferri, (vt in Valentia & alibi pius vsus obtinuit) Sic Hostiens. & Abbas *ad cap. 1. de feriis.* 212 *Non possunt die festo geri.*

Fieri licitè possunt, id dante consuetudine. Quia consuetudo potest minuare, & tollere ea, quæ sunt de iure humano. Ità Sanchez *tom. 2. consilior. libr. 5. cap. 2. dub. 25. numer. 7.* Fagund. *de prac. Eccl. lib. 1. cap. 12. numer. 7.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 29. numer. 5.* Nauar. *sum. cap. 13. num. 8.* Tolet. *lib. 4. c. 24. num. 4.* Sylvest. *v. Dominica, q 5.* Caiet. *v. In festo licita.* & alij communiter. 213 *Geri possunt.*

De hoc minimè dubito cum viderim apud illustres Castellæ vrbis, vbi dies Iouis designatus est ad mercatum, etiam in die Ascensionis, ac Festi Corporis Christi, conuentibus Prælatis, illum haberi. Et quidem hebdomadarij possunt fieri die festo in gratiam emptorum, vel quia fortasse sunt rustici, & peregrini, qui alio die adesse huic Vrbi non possunt : vel in venditorum gratiam, qui alio die non possunt vendere ob defectum mentium. Quæ omnia generaliter spectata ad publicam pertinent vtilitatem. His tamen non obstantibus lex Canonica obligabit nisi consuetudo aliter obtineat. 214 *De hoc non dubito.*

PROBL. LIV.

Mortale est, mortale non est vendere, & emere in die festo.

MOrtale ex se non est, si non adsit scandalum, Quia ideo prohibetur emptio & venditio in festis, vt in eis opus seruile non exerceatur. Sed opus illud seruile parùm est laboriosum magis enim verbis efficitur, quam actione. Ergo ad summum veniale erit peccatum. At si qualitas actus spectetur, cum sine scandalo geritur, festi haud læditur reuerentia. Sic Sotus *de iust. l. 6. q. 2. a. 2. concl. 5.* Valent. 2. 2. *d. 5. q. 20. p. 5.* Hurtado autem *de iust. d. 2 de empt. & vendit. diffic. 17.* asserit, mortale esse, cum venditio aut emptio fit in Dominicis, non verò in aliis festis. 215 *Non est ex se mortale.*

Est de se mortale, si notabilis festi cuiusvis pars in his actionibus absumatur. Quia sunt prohibitæ 216 *De se est mortale.*

hibitæ fieri in die festo, eo quod sint seruiles. Ita Syluest. *v. Dominica, qu. 5. concl. 2.* Caiet. *v. Festor. violatio.* vbi id à mortali excusat, quando modicum solùm tempus absumitur. Sanch. *lib. 5. consil. c. 25. n. 3.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 12. n. 8.* Leabd. *de Eccl. præc. tr. 1. d. 5. q. 5.*

217 *Hoc teneo, & expono.* Equidem ad tertium genus mercatus spectant emptiones, & venditiones quotidianæ apertis officinis, quæ directè iure Canonico interdicuntur: & hoc genus est in viridi obobseruantia: vnde mortaliter delinquunt, qui vendunt, aut emunt die festo, multum absumendo in his actionibus: non autem si exiguum: verbi gratiâ in vendendis, emendisque esculentis, ac poculentis aliisque quibus de pretio non est conueniendum, quia iam est æstimatum, ac citò fit. Certè non est prohibitū emere in die festo ad victum necessaria. Quæ tamen facile vitari possunt, vitanda sunt, nisi propter leuitatem materiæ & communem vsum aut consuetudinem ementes, ac vendentes excusentur. Sic ob huiusmodi vsum excusantur ementes ac vendentes artocreas, olera, & condimenta, quia solent mercenarij artifices ea vendere, videntibus, ac non repugnantibus Ecclesiæ Pastoribus. Similiter non erit peccatum vendere calceos, & alia huiusmodi, cum passim etiam hæc venditio toleretur, & publicè fiat, & hæc necessaria sint, modicoque temporæ fiat: potest autem hæc consuetudo tolerari propter rusticos, qui non possunt commodè aliis diebus ad vrbem aduentare, quin suas operas cum magno deserant detrimento.

PROBL. LV.

Citatio facta in festo illicita quidem: est & non est inualida.

218 *Circa placitum nonnulla præmitto.* SEcundum opus, quod iure Canonico in festo fieri prohibetur, est *Placitum*, seu iudicium forense, sub quo nomine omnes actiones pertinentes ad iudicium comprehenduntur *c. 1. de feriis.* Sic *His diebus nec placitum fiat, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta* (id est iuramenta) *præstentur.* sub hoc ergo Placito strepituque iudiciali (qui prohibetur *c. vlt. de feriis.*) tres speciales actiones comprehenduntur, nempe citatio partis, formatio processus, seu cognitio causæ, & sententia: quia his tribus actionibus iudicium constat. Hæ ergò siue in criminali causa, siue in ciuili prohibētur: quia præfati textus generaliter loquuntur. Lege Suarium *to. 1. de Relig. l. 2. c. 29. n. 8.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 12. n. 9.* Palaū *to. 2. tr. 9. d. 1. pu. 6. n. 6.* Porrò non solū hæ actiones diebus feriatis in honorem Dei prohibētur, sed insuper annullātur, ita vt ex cōsensu partiū validæ fieri non possint. *c. vlt. de feriis.* ibi: *Adeo conuenit, ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit diebus huiusmodi promulgari.* Scio, si dies feriatus nō sit in honorem Dei, sed causa vindemiarum & messium in hominum vtilitatem, (quæ festa ruralia dicuntur) actus iudiciales ex partium consensu eo die factos, & licitos & validos esse. Quia ei vacationi, seu festo possunt partes renunciare, vt pote in gratiam & vtilitatem ipsarum introducto. At si partes non consentiant integra prohibitio, ac annullatio perseuerat. Marāta *p. 6. de ordi. iudic. n. 36.* & Fagund. *citat. n. 11.* His præmissis; aliquas problematicè enodabo quæstiones. Quæsierim itaque, num citatio facta in festo sinè necessitate non solùm sit illicita, verum etiam inualida?

Inualida non est. Quia ad iudicialem non spectat strepitum: citatur enim pars, vt strepitus iudicialis post hanc necessariam diligentiam factam inchoetur. Sic Cynus *apud Panormit. cap. vltim. de feriis, num. 19.* 219 *Non est inualida.*

Est prorsus inualida. Quia pertinet intrinsecè ad iudicialem strepitum, qui totus prohibitus, & irritus est, *cap. vltim. de feriis.* vbi expressè habetur quod nec processus, nec sententia die festo habita teneat. Ita Bartol. Panormit. & alij Canonistæ *ad illud caput.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 1. c. 30. num. 4.* Azor. *p. 2. l. 1. cap. 27. q. 15.* Fagund. *de præc. Eccl. cap. 13. num. 1. & 11.* Palao *tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 7. num. 1.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 11.* Filliuc. *tract. 27. c. 10. num. 191.* & alij. 220 *Inualida est.*

Prima pars iudicij est citatio, quæ comprehendit & mandatum Iudicis de citando reo, & ipsius mandati executionem, que nomine citationis signatur. Quælibet harum partium, si in die festo geratur, illicita est & nulla, *c. conquestus de feriis.* vbi omnis iudicialis strepitus præcipitur conquiescere: sed quælibet ex his partibus pertinet ad iudicialem strepitum. Itē ibi annullatur processus habitus: sed processus necessario constat ex mandato Iudicis de citādo, & executione talis mandati: Ergo omnia hæc in die festo gesta annullantur. Ratio est, quia præceptum Iudicis de citando reum, est actus iurisdictionis contentioſę ex causæ cognitione procedens: non enim Iudex hoc mandatum dare potest, quin prius examinet, an iustè, an malitiosè actor procedat: sed ex præfatis textibus constat, omnem strepitum iudicialem diebus his cessare debere. Ergo debet cessare hoc citationis mandatum, quod est iudicij initium. At si mandatum Iudicis in die profesto datum sit, & executio illius in die festo fiat: talis executio nulla erit; quia illius executio est propria citatio, & licèt fiat per ministrum, fit tamen Iudicis nomine, & secum imbibit Iudicis mandatum, & iurisdictionis exercitium, & ad strepitum iudicialem omninò pertinet. Adnotant tamen Suarius, Fagundez, & Palaus *citati*, facta hac intimatione die festo mandati expediti in die profesto, non expirare huiusmodi mandatum, sed posse alio die profesto intimari, ac si primo intimatum non esset. Quia ex illa applicatione mandati nulla non annullatur mandatum legitimè datum. 221 *Auctoris resolutio.*

PROBL. LVI.

Citatio facta pro die festo nulla prorsus pro assignato die: obligat, & non obligat partem, ad comparendum die proxima sequenti ad diem festum.

CErtum est, citationem factam in die profesto pro die festo, illicitā esse & inualidā, mitto. Quia 222 *Certum præ-*

Quia pars non potest vocari ad respondendum in die festo, vt constat ex *c. vlt. de feriis.* Sanch. *tom. 2. Consil. l. 5. cap. 2. dub. 27. n. 8.* & omnes. Quæsierim verò, num saltem citatio illa facta die profesto, obligat partem, ad comparendum die proximo sequenti ad diem festum?

223 *Obligat quidem.* Obligat quidem. Quia in huiusmodi citatione duo continentur: vnum, vt pars compareat: alterum, tali die. At potest impleri primum vt pote iustum: ergo ad illud pars tenetur: Ergo obligatur saltem ad comparendum die proximo sequenti ad festum. Sic Innoc. Anton. & alij citati à Suario *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. num. 3.*

224 *Non obligat.* Non obligatur. Quia decretum comparendi in die festo fuit irritum & nullum: Ergo nullam potest obligationem inducere. Ita Abbas *ad cap. vlt. de feriis*, citans Calderin. Cynum, & alios. Suarius *vbi s.* Azor. *tom. 2. l. 1. cap. 27. q. 16.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 13.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 11.* Leand. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 5. q. 18.* asserens hanc sententiam longe esse probabiliorem.

225 *Primam sententiam esse probabilem non iudico.* Ast ego, Leandri venia, crediderim nihil probabilitatis continere. Quia non potest citari pars sinè Iudicis (mediante ministro) citatione. At illa citatio omnino fuit irrita: Eego pars citata non est. Quomodo ergo obligabitur die proxima ad diem festum comparere nisi rursum legitime citetur. Igitur secundam sententiam vnice probabilem esse existimo nixus ratione: esto ab aliis ex authoritate Innocentij & aliorum primam probabilem esse iudicarint.

PROBL. LVII.

Si Iudex imperet, vt intrà duodecim dies (verbi gratia) pars compareat & dies duodecimus signatus est festus: tenet, & non tenet mandatum.

226 *Non tenet mandatum.* NOn tenet. Quia tunc Iudex virtualiter obligat, vt pars die festo compareat: siquidem non tenetur intrà duodecim dies comparere, dies autem duodecimus est festiuus: Ergo obligans vt intra duodecim dies pars compareat, eum obligat, die festo comparere. Quod tamen comparitionem in diem sequentem debeat ille differre verba præcepti non indicant, imò potius tali dilationi aduersantur. Sic aliqui Doctores, quos refert Maranta *p. 6. de ordi. iudiciar. tit. rectè concipitur citatio, n. 119.*

227 *Mandatum tenet.* Tenet mandatum. Quia est de apparitione tempore licito. Præcipit enim Iudex, ne comparitionem vltra duocecim dies pars proroget: cum autem ille comparere possit quin diebus festis compareat, comparendo scilicet tempore habili. Ergo mandatum prorsus est iustum. Ita Maranta *citant.* Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. numer. 3.* Palaus *tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 7. numer. 3.* Fagund. *de præc. Eccl. lib. 1. cap. 13. num. 3. 7.* & alij.

228 *Eiusdem sum sententiæ.* Intra duodecim illorum dierum circulum plures sunt dies non festi, in quibus potest pars? comparere, si quidem Iudex non cogit, vt die duodecima appareat: Hoc enim mandatum & citatio inualida redderetur, sed vt intra duodecim dies teneatur comparere. Vnde secundam sententiam longe probabiliorem (imo, mihi certam) esse iudicarim.

PROBL. LVIII.

Cum Iudex imperat, vt intrà duodecim dies pars compareat, & duodecima dies est festiua: tenetur, & nō tenetur pars, preuenire apparitionem antè diem duodecimum, Potest & non potest in diem sequentem ad duodecimum differre.

229 *Non tenetur præuenire.* NOn tenetur præuenire apparitionem antè diem duodecimum, sed potest eam in diem sequentem ad festum differre. Quia sic videtur esse vsus, & stylus Iudicum. Sic Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 3.* Fagund. *de præc. Eccl. lib. 1. cap. 13. num. 7.*

230 *Præuenire tenetur.* Præuenire tenetur diem duodecimum, nec potest in diem sequentem differre apparitionem. Quia mandatum non arctatur pro aliquo determinato die ex illis duodecim: solùm enim obligat, ne vltra differatur. Ita Bartol. *ad cap. Cum delicti, de dolo, & contuma.* Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. punct. 2. num. 17.* Palao *tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 7. num. 3.*

231 *Hoc probabilius esse iudico.* Hoc probabilius esse putarim. Quia de consuetudine mihi non constat, in rigore autem iuris, si verba pensentur: constare videtur, debere partem diem duodecimum præuenire. Nam si obligat mandatum Iudicis, vt apparitio vltra assignatum diem non differatur, & id geri possit, si vno ex habilibus diebus illis appareat, quo iure quibit apparitionem vltra terminum assignatum protrahere? Quid si Iudex dicat, vt pars appareat duodecimo die: qui est festus: Credendum est, nolle apparitionem ad illum diem determinare, sed velle, ne vltra illum differatur: & tunc validum citatio & mandatum erit. Nam si ad illum diem mandatum determinaretur, certum est nullum fore. In casu autem dubij prima est intentio præsumenda, quia fauorabilior, & quia semper præsunptio gerenda est pro actus valore sic Palao *vbi s.* Si autem perquiras, an reus citari possit existens in loco, vbi dies festus celebratur, tametsi loco, quo Iudex adest, non celebretur? respondeo, non posse. Quia intimatio mandati à Iudice lati fit in loco vbi est dies festiuus: Ergo fit illicitè & nulliter. Item quia hæc intimatio non est metienda iuxtà regulas loci, vbi pars citata residet. Quod secus dixerim de mandato, & sententia, quæ quia à Iudice fiunt, locum Iudicis spectant, & iuxtà illius regulas metienda sunt. Verum citatio rei, & intimatio ei facta de Iudicis mandato, semper metienda est ex conditionibus loci, vbi reus existit; quia ibi formaliter fit. Bonac. *d. 5. quæst. vni. pun. 2. numer. 20.*

PROBL. LIX.

Testium, examinatio, (si iuramentum non adsit:) licita ac valida est: & non est in die festo.

231 *Nonnulla suppono.* SEcundus actus iudicij, qui prohibetur fieri in die festo, est examinatio testium, sub qua examinatione duæ actiones includuntur. Prima est iuramenti interpositio, de qua nemini est dubium, neque licitam esse, neque validam in die festo, cum ad strepitum iudicialè pertineat, & sit vnum ex expresè prohibitis *in c. 1. de feriis*: ibi: *Nec Sacramenta præstentur*. Secunda actio est examinatio testium, seu eorum depositio. De hac quæsierim, num licita ac valida sit in die festo?

233 *Licita est, & valida.* Licita, & valida est. Quia minimè prohibetur fieri in festo, si iuramentum in die profesto susceptum sit. Azor. *to. 2. libr. 1. c. 27. quæst. 14.* cum Glossa, Speculat. Ioan. Andrea. & aliis. Maranta *de ordi. iudic. pun. 6. tit. Actorum editio, num. 40.* Abbas autem *ad cap. 1. de feriis*, tametsi existimet depositionem testium illicite die festo fieri, quia distrahit à diuinis: at si fiat, validam esse. Quia talis depositio retrotrahitur ad diem non feriatum, in qua delatum est iuramentum: est enim depositio iuramento accessoria. Et quia non est actus iudicialis, vt à iuramento distinguitur, & ita fieri solet per merum executorem, neq; persona Iudicis necessũ est ibi intercedat.

234 *Illicita, & inualida est.* Illicita, & inualida est. Quia per hanc depositionem firmatur processus, & bis continuatur: At in *cap. Conquestus. de feriis.* mandatur, litem omnino quiescere, & processum habitum non tenere: Ergò talis depositio omninò est illicita, & nulla. Ita Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. num. 16.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 13. num. 16.* Palao *tom. 2. tract. 9. d. 2. pun. 7. n. 6.* Bonac. *tom. 2. d. 5. qu. vni. pun. 2. n. 21.*

235 *Hoc probabilius reor.* Probabilius hoc mihi. Quia testes non examinantur, nisi renouato iuramento, quod in die festo minime licet. Præterea vel testes cogi possunt die festo ad respondendum, vel non: si cogi nõ possunt, ideò est, quia eorũ depositio actus est iudicialis, qui in die festo est prohibitus; si cogi possunt, eorum depositio non erit iudicialis actus. At negari non potest, te testium depositionem actum esse iudicialem, cum à Iudice fiat, & omninò necessaria sit ad causæ decisionem. Vnde Tabellio scribens die festo dicta testium & fidem illorum faciens, grauiter delinquit. Quia aduersatur directæ prohibitioni: & quia gerit actum nullum. Proculdubio enim scriptura illa pertinet ad processus substantiam, qui in die festo factus irritatur, & annullatur.

PROBL. LX.

Iuramentum extraiudiciale est, & non est in die festo prohibitum.

236 *Certum suppono.* CErtum est, interpositionem iuramenti nec licitam, nec validam in die festo esse nisi in certis casibus, de quibus inferius. Quia sic habetur *cap. 1. de feriis* & omnes docent. Quæsierim verò, num etiam sit prohibitum iuramentum extraiudiciale in die festo fieri?

237 *Prohibitum est.* Prohibitum est. Quia textus ille absolutè de iuramento loquitur, quod vocabulum omne iuramentum includit. Si autem iuramentum extraiudiciale licitum esse vellet, proculdubio exprimeret. Sic Abbas *ad cap. de feriis, n. 8. & cap. vltim. num. 17.*

238 *Non est prohibitum.* Prohibitum non est. Quia in præfatis Casibus solum prohibetur iuramentum iudiciale, non verò extraiudiciale; alias enim omne iuramentum alioquin licitum ex obiecto, ex fine, & ex aliis circumstãtiis, ex eo solum, quod in festo fieret, esset speciale peccatum: quod videtur absurdum, & contra omnem vsum, ac sensũ Ecclesiæ. Ita Caiet. *2. 2. q. 122. a. 4.* Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. punct. 2. num. 10.* Sanch. *tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 30. num. 1.* & alij penès ipsum.

239 *Auctoris placitum.* Ego autem existimo, nec omnia iuramenta quomodocumque extra iudicium facta esse iure prohibita, vt probat apprimè Caietani ratio: neque sola iuramenta iudicialia solemnia, seu quæ in iudicio præstantur interdici: nam præter hæc prohibentur etiam iuramenta quibus pacta, aut contractus, qui inter homines fieri assolent, firmantur, & præsertim illa, quæ fieri in festo prohibentur nomine *Mercatus*. Quia hæc iuramenta etiam intelliguntur prohibita in præfatis iuribus. Reliqua autem iuramenta minimè prohibentur. Palao *tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 8. num. 7.* Filliuc. *tr. 27. num. 201. & 202.* Diana *pun. 1. tract. 1. resol. 34.* & Leand. *de præc. Eccl. d. q. 28.* eiusdem sunt mentis.

PROBL. LXI.

Iuramentum pro causa spirituali est, & non est in die festo licitum, & validum.

240 *Licitum & validum est.* LIcitum, & validum est in causis spiritualibus vt sunt matrimoniales. Quia de solis causis temporalibus intelligitur prohibitio iuramenti præscripta *in cap. 1. de feriis.* Sic Caiet. *2. 2. quæst. 122. art. 4.* Sanchez *to. 1. Consil. l. 5. cap. 2. dub. 30. num. 2.* citans D. Thomam, & Sotum. Inclinare videtur Trull. *citatus.*

241 *Non est licitum nec validum.* Nec licitum, nec validum est. Quia prohibitio iuramenti indicta *c. 1. de feriis* est generalis, & ad omnia iudicia, ac causas forenses extenditur: Tam ergo temporales, quam spirituales complectitur, cum etiam hæ forenses sint. Ita Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. num. 8.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 14.* licèt contrarium videatur asserere *num. 6.* Fagund. *de præc. Eccl. lib. 1. cap. 13. numer. 18. 29. & 30.* Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni punct. 2. num. 21.* Palaus *tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 7. n. 7. & 9.*

242 *Hoc tenuit & expun.* Recolo verba *cap. 1. de feriis.* ibi: *Nec placitum fiat, nec aliquis ad mortem, vel pœnam iudicetur, nec Sacramenta* (id est iuramenta) *præstentur.* Vbi videtur præscribi iuramenta solum præstari nõ posse in causis temporalibus mortis, & pœnæ. Verũ si ita esset, exponendũ, caput, sequeretur solũ iuramenta, ac actus iudiciales

ciales prohiberi in causis criminalibus mortis, ac pœnæ, non autem in aliis temporalibus: quod minime dicendum, nec Caietanus ausus est affirmare. Præterea illa verba, *Nec placitum fiat*, satis ostendunt, intentionem Pontificis fuisse omnes causas forenses tam temporales, quam spirituales comprehendere; *placitum* enim in iure Canonico iudicium significat & temporale & spirituale. Vnde existimo longe probabilius, prohibitionem in eo *cap. 1. de feriis* factam generalem esse ad omnia iudicia, & causas forenses spirituales, ac temporales: & exceptionem, quæ allegatur à Sanchez D. Thomæ, *Nisi forte in magna necessitate*, tam procedere in causis spiritualibus, quam temporalibus, in quibus, si hæc necessitas occurrat, licitum erit ipsum iudicium, & iuramentum in festo. Quia id statim excipitur in eodem capite, Nisi pro pace, aut alia necessitate. De quo inferius.

PROBL. LXII.

Sententia criminalis lata in die non festo, potest, & non potest in die festo executioni dari.

243 *Potest quidē.* POtest quidem. Quia *cap. vlt. de feriis*, solum prohibentur in festo fieri iudicialis strepitus, & actus forenses: Sed executio sententiæ est actus extra iudicialis: Ergo in festo non est prohibita. Sic Abbas *ad illud cap. & ad cap. vlt. de iud. num. 22.* Tabie. *v. Feriæ. num. 2.*

244 *Non potest.* Minimè potest. Quia executio sententiæ sub strepitu contentiosi iudicij continetur, vt apertè significatur in *l. vt in die C. de feriis*; nam strepitus iudicialis (vt dicitur *cap. vlt. de feriis*) est ille, in quo iurgia, & quæstiones, ac perturbationes excitantur: In executione autem sententiæ maior solet esse perturbatio, & maiores quæstiones, iurgiáque excitari, vt experientia docet, quam in sententiæ probatione: & tamen probatio prohibetur, & irritatur: Ergo & executio. Ita Felin. *ad cap. vlt. de iudic. num. 13.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. n. 11.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 13. num. 23.* Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. punct. 2. n. 22.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 17.* Qui limitant, nisi sententiæ vrgeret executió.

245 *Hoc probabilius mihi.* Hæc sententia mihi probabilior videtur. Nam re vera nullibi, vti experientia compertum est, fit maior strepitus, quàm in sententiæ executione. Nec dici potest ille actus extra iudicialis, cum sit vltima iudicij executio, & ad illud pertineat, imò sit præcipuus actus finis, ad quem totum iudicium ordinatur.

PROBL. LXIII.

Sententia excommunicationis, suspensionis, & Interdicti valida est, & non est valida lata in diebus festis.

246 *Illicita & invalida est.* ILlicita, & inualida est. Quia *l. vlt. de feriis*, mandatur, vt omnes vox Iudicis his diebus

sileat: Sed non silet, cum huiusmodi sententiam profert, sed potius amare loquitur: Ergò id nec licitè nec validè gerere potest. Sic Anton. Butrio *in c. vlt. de feriis.* & alij.

247 *Licita est, & valida.* Licita est & valida. Quia sententia hæc non est talis conditionis, quæ causæ cognitionem requirat, sed est præceptum aut lex has pœnas imponens. Qui enim excommunicat, suspendit, aut interdicit, non indicat delicta, sed delinquentem à delicto intendit remouere. Ità Bonac. *tom. 2. d. 5. q. vni. pun. 2. n. 12.* Palao *tom. 2. tr. 9. d. 2. pun. 7. n. 11.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 13. n. 21.* Caiet. *2. 2. q. 122. a. 4.* Maranta *p. 6. de ordin. iudic. tit. Actorum editio, n. 47.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. c. 30. num. 9.*

248 *Hoc teneo.* Hoc mordicus teneo. Quia censuræ hæ non sunt pœnæ pœnitiuæ, sed medicinales, & in animæ bonum ordinatæ: Ergò non prohibentur. Neque iudicio textum *in l. vlt.* nobis esse contrarium: Si quidem ibi mandatur, vt omnis vox Iudicis sileat, quæ strepitum iudicialem expostulet, & quæ propriè sit vox Iudicis iudicantis, non superioris medicamen adhibentis.

PROBL. LXIV.

Appellatio est, & non est licita, aut valida in die festo.

249 *Nec licita nec valida est.* NEc licita nec valida est. Quia appellatio iudicialis est pars processus: Sed processus habitus die festo illicitus & inualidus est: Ergò nec appellatio licita, aut valida erit. Et quia pertinet ad strepitum iudicij, cum suspendat iurisdictionem in iudice à quo, & firmet in Iudice ad quem. Et quia prosequi appellationem in die festo illicitum est ex *l. 1. C. de feriis.* Ergò à fortiori illam statuere. Sic Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. num. 13.* Reginald *l. 19. num. 43.* Qui quidem licet ad dubitando in contrarium inclinare videantur, non autem audent consulere; nam rationum efficacia ita eos afficit, vt absolutè dici possim huic sententiæ adhærescere.

250 *Licita est, & valida.* Licita est, & valida. Quia appellatio non est actus iudicialis, non enim est iurisdictionis exercitium, cum nullo modo à Iudice proueniat, sed à parte. Et quia esto actus sit iudicialis, est actus propriam personam defendens: sed defensio propria iure naturæ quolibet die conceditur: Ergo & appellatio. Et quia *in l. 1. C. de feriis* conceditur tam in feriis repentinis, quàm in solemnibus appellatio; quæ lex, sicut & aliæ, quæ de hac ratione loquuntur à Iure Canonico est approbata. Ità Gloss. *ad cap. vlt. de feriis.* vbi Abbas *n. 12.* Felin. *col. 5.* Caiet. *2. 2. q. 122. a. 4.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 13. n. 24.* Palao *tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 7. num. 14.* Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. pun. 2. num. 15.* & alij.

251 *Secundum eligo sententiam.* Si rationi esset hærendum, fateor, probabilius mihi videri, appellationem in die festo interponi non posse. At qui communis sententia contrarium affirmant, ei hærendum, ad-iudicaui. Quia ex annullatione & prohibitione processus non omnes illius partes annullari, ac prohiberi putarim, (vt rationes primæ sententiæ informem) sed eam solùm partem, quæ Iudicis imbibit Authoritatem. Nec appellatio pertinet ad strepitum iudicialem, & quia sine strepitu fit, &

quia est propria defensio. Concedo quidem prosecutionem appellationis fieri non posse, quia hæc sine iudiciali strepitu geri nequit: secus verò appellationem.

PROBL. LXV.

Iudex licitè potest, & non potest actus iurisdictionis voluntariæ exercere.

252 *Validi sunt, non autem liciti.* Licet sint validi actus voluntariæ iurisdictionis, non autem sunt liciti, si absque speciali necessitate fiant. Quia videtur lædi festi immunitas, cum vel iurisdictionis voluntariæ actiones iudiciale suboleant apparatum. Sic Abbas *ad c. vlt. de feriis.* Sanch. *to. 2. Consil. c. 2. dub. 27. n. 2.* citans Sylvestrum, & Angelum.

253 *Liciti sunt, & validi.* Nonsolum validè, sed & licitè potest Iudex in die festo actus voluntariæ iurisdictionis exercere: v. gr. dispensare, indulgentias, ac priuilegia concedere, prouidere Beneficia, adoptare, libertatem seruis concedere, tutores pupillorum constituere, testamenta conficere, &c. Quia vt constat *ex c. vlt. de feriis* solum prohibentur in festis iudiciales strepitus, & quæ ad illos spectant: At ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, non fiunt cum iudiciali strepitu, vt constat: Ergo possunt licitè exerceri. Ità Suar. *to. 1. de Relig. l. 1. c. 30. num. 9.* citans Hostiensem, Ioan. Andream, Speculator, Sylvest. & Maranta, quos refert, ac sequitur Fagund. *de præc. Eccl. c. 13. n. 14.* Villalob. *to. 2. tr. 32. diffic. 3. n. 4.* Azor. *to. 2. l. 1. c. 27. q. 12.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. n. 3. & 4.* Bonac. *to. 2. d. 5. q. vni. pun. 2. n. 12.* Leand. *de præcep. Eccl. tr. 1. d. 5. q. 8.* & alij.

454 *Hoc fere certum puto.* Hoc fere certum esse existimo non solum propter tot Doctorum authoritatem, sed quia *in l. Actus, C. de feriis*, apertè concedit in festis, emancipare, manumittere, & alia, quæ causæ cognitionem non requirunt.

PROBL. LXVI.

Confessio rei cuiuscunque potest, & non potest validè, ac licitè in die festo recipi.

255 *Potest planè* POtest equidem. Quia confessio rei supponit iudicialem strepitum præcessisse, sed ipsius receptio sine strepitu illo iudiciali recipitur. Sic Bald. & Innocent., quos citat, & sequitur Maranta *p. 6. ordi. iudic. tit. Actorum editio, n. 44.*

256 *Non potest.* Nec licitè nec validè recipi potest. Quia expressè *in c. 1. de feriis* cauetur, ibi: In festis nec placitum fiat, nec ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta (id est iuramenta) præstentur. Ergo nec valida, nec licita est in festo huiusmodi confessio, pertinet enim directe ad *placitum*, quod prohibitum est, & inualidum: confessio enim rei est processus continuatio, & ad sententiam proxima ac necessaria dispositio. Ità Fagund. *de præcept. Eccles. l. 1. cap. 13. numer. 18.*

257 *Longè hoc probabilius.* Longè probabilius existimo confessionis rei receptionem illicitam, & inualidam esse, nisi in causis Fidei, & nisi statim puniendi reum vrgeat necessitas. In causis inquam Fidei domini Inquisitores possunt validè & licitè non solum rei confessionem recipere, sed & sententiam contra hæreticos die festo ferre. Quia præterquam quod id vsus comprobat, hæc sententia, aut iudicium pertinet ad Religionem, & pietatem, qua interueniente, potest in die festo id munus exerceri. Præterea quia causæ Fidei hoc & aliis priuilegiis fruuntur. Demum quia huiusmodi iudicium in diebus festis geri assolet, vt maior fiat populi concursus, quod necessarium admodum iudicatur, ad maiorem instructionem morum, illiúsque iudicij augusti terrorem.

PROBL. LXVII.

Actus extraiudiciales sunt, & non sunt in die festo prohibiti.

258 *Maximè possunt,* PRohibiti sunt. Quia Notariis prohibitum est in die festo scribere actus iudiciales, & eos dare transcribendos aliis: sed huiusmodi transcriptio saltem non est actus iudicialis, sed extraiudicialis: Ergò non potest actus extraiudicialis in festo geri. Sic Tolet. *libr. 4. cap. 24. num. 10.* Eius verba perpende: *Non licet Notariis scribere, nec ipsis transcribere, scriptoribus. In quo maximè apparet Notariorum peccatum, qui seruant pro festis implere chartas, quas reliquis diebus in breui notarunt.* Quis autem abneget, hunc actum esse extraiudicialem?

259 *Non sunt prohibiti.* Non sunt prohibiti. Quia in iure solùm prohibetur iudicialis strepitus, & processus formatio vsque ad sententiam: At actus extraiudicialis fit sine iudiciali strepitu: Ergò non est prohibitus. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. libro 2. capite 30. numero 11.* citans Abbatem, Ioan. Andream, Hostiensem, Speculatorem. Bonacin. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. puncto 2. numero 12.* Trull. *libro 3. Decalog. cap. 1. dub. 9. num. 4.* Sayr. *in Claui. libr. 7. cap. 2. num. 15.*

260 *Mihi hoc ob ferè certum.* Communis quidem, ac certa sententia est, actus extraiudiciales non esse in die festo prohibitos, præcisa alia circumstantia, nam sine iudiciali geruntur strepitu. Vndè à mortali excusari posse, Toleti venia, reor Notarios, & Officiales Curiæ qui domi priuatim transcribunt: nam hi actus non dicuntur geri cum strepitu iudicij.

* *
*

PROBL.

PROBL. LXVIII.

Aduocato, ac Procuratori licitum est, & non est die festo Iudicem verbo aut scripto super litem informare, si id fiat ob lucrum.

261 *Non licet.* NOn licet, si id principaliter ob lucrum geratur: secus si ob pietatem. Quia præter quam quod actus iudicialis videtur esse, etiam subolet seruitutem. Sic Sylvest. *v. Dominica, q. 5. dicto 3.* Margari. Confes. *præc. 3. fol. 72.*

262 *Licet omninò.* Licet planè, quamvis id geratur ob pretium. Quia actus hic nec iudicialis, nec seruilis est: Ergò nullo est iure prohibitus. Antecedens patet: neque enim est actus iudicialis, cum nullo iudiciali strepitu fiat: nec seruilis, cum scribere etiam ob lucrum in die festo actus seruilis non sit, vt superiùs probauimus: Ergò id nullo ex capite erit prohibitum. Ita Filliuc. *tr. 27. n. 200.* Trull. *l. 3. Decal. c. 1. dub. 9. n. 4.* Sanch. *to. 2. Consil. l. 5. c. 2. dub. 28.* citans Toletum, & Ludou. Lopez. Nauar. *sum. c. 13. n. 12.* Caiet. *2. 2. q. 122. a. 4.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 13. n. 25.*

263 *Licitum esse reor.* Hoc omninò licitum esse reor. Quia pro lucro fieri nihil seruitutis adiicit actui, qui ex se seruilis non est. Adde, id ex vsu constare. Nam vt Caietanus annotat in Romana Curia Iudices assolent semper Dominicis, ac festis aliis informari diebus, quando causa est in Rota proponenda. Ad cuius exemplum id potest, & id solet vbique fidelium tribunalius exerceri.

PROBL. LXIX.

Quodlibet lethale peccatum lethale est, & non est specialiter in die festo prohibitum.

264 *Est specialiter prohibitum.* QVodlibet lethale crimen ita specialiter est prohibitum in die festo, vt illud perpetrans, necessariò teneatur circumstantiam diei festi in Confessione explicare. Quia peccatum contrariatur obseruantiæ festi, quatenus impedit hominis applicationem ad diuina; magis enim impeditur homo à rebus diuinis per peccatum, quam per opus seruile. Et quia *c. Consideret, de pœnit. dist. 5.* dicitur, circumstantiam temporis in Confessione explicandam, si commissum fuit peccatum tempore orationi constituto, aut in festiuitate Sanctorum, aut in ieiunij tempore, Clariùs *c. 1. de feriis*, dicitur *Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere.* Neque deest pro hac sententia ratio: Quia festum institutum est, ad colendum Deum: cuius cultui peccatum maxime contrariatur. Certè negari non potest, specialem repugnantiam cum ratione habere, vt tempus destinatum ad Deum laudandum in peccatis insumam: At quod rationi repugnat, peccatum est: Ergo speciale crimen est, quod die festo committitur. Sic Medina *de orat. q. 10. & 19.* Corduba *qq. l. 1. q. 6.* referens plures Doctores. Et videtur esse aperta D. Tho. sententia, *2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 1.*

265 *Non est prohibitum specialiter.* Nullum peccatum est specialiter in die festo prohibitum hoc præcepto, nec necessario in Confessione manifestandum ex festi circumstantia. Quia materia huius præcepti, vel quod in hoc præcepto imperatur est cessatio ab opere seruili: sed peccatum ex se non est opus seruile: nam de se non est opus mechanicum, & manuale: aliàs peccatum internum dici posset seruile opus, quod autem peccator per crimen seruus diaboli efficitur, de quo *2. Petri 1.* illa est seruitus metaphorica. Ità Nauar. *ad c. Consideret, de pœnit. dist. 5. n. 22.* Couar. *ad c. Alma mater, 1. p. §. 2. n. 3. & l. 4. variar. c. 19.* Gutier. *l. 1. qq. Canon. c. 31. n. 9.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 2. c. 18. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 1. cap. 28. q. 10.* Palao *tom. 2. tr. 9. d. 2. pun. 9. n. 3.* Bonac. *to. 2. d. 5. q. vni. pun. 2. in princ.* & alij communiter.

266 *Hoc vnicè his temporibus asserendum.* Sententia hæc hisce temporibus communior est amplectenda. Quia cultus, qui hoc præcepto indicitur est sola Missæ auditio, & ab opere seruili cessatio: sed per quodlibet peccatum non impeditur Missæ auditio, neque abopere seruili cessatio: Ergò quodlibet peccatum non est cultui diuino mandato contrarium. Ergo cum hoc præcepto non pugnat. Fateor contrarium esse peccatum fini huius præcepti, qui est Deo vacare, & totum illum diem in ipsius honorem transigere, cui fini quælibet actio peccaminosa opponitur. At cum finis præcepti sub præceptum non cadat (vt est recepta omnium sententia, efficitur quidem, peccatum non cadere sub hoc præcepto obseruandi festa: quia non cadit sub auditione Missæ, nec sub cessatione ab opere seruili.

PROBL. LXX.

Delinquens in die festo perpetrat, & non perpetrat culpam venialem contra Religionem.

267 *Perpetrat sanè.* PErpetrat quidem saltem venialem culpam. Quia dies festus sanctificatus est, & consecratus ab Ecclesia in diuinum cultum: Ergo quodammodo polluitur, & violatur peccaminosa actione: sicut aliis peccatis patratis in Templo, Templum Dei violatur. Sic Caiet. *sum. v. Dies festus.* Armil. *ibi, num. 23.* Suar. *to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 18. num. 16.*

268 *Non perpetrat.* Nullam culpam contra Religionem committit. Quia non potest esse contra Religionem peccatum, nisi ex ipsamet Religione prohibeatur: At ex Religione seruandi festa non prohibetur peccatum, quatenus peccatum est, sed solum opus seruile: Ergo peccatum quatenus tale non est contra festi Religionem. Certè si contra Religionem peccaret, qui die festo furtum committeret, posset tanta esse furti grauitas, vt merito peccatum mortale contra Religionem fieret. Ità Palaus *tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 9. num. 3.*

269 *Hoc teneo.* Ei lubens ad hæreo iudicans hunc communiter esse Doctorum sensu. Existimo tamen intra eandem speciem grauius delinquere, qui die festo, quam qui in profesto peccat. Quia hæc grauitas ex multis capitibus consurgit tum ex qualitate personæ, tum ex cognitione beneficiorum, tum ex circumstantia loci, tum temporis, &c.

CAPVT IX.

Circa causas à præcepto Obseruationis Festorum excusantes.

PROBL. LXXI.

A mortali excusatur, & non excusatur, qui tertiam partem diei festi seu per octo horarum spatium seruiliter laborat.

270 *Excusatur.*

SVPERIVS de paruitate materiæ, quæ inter causas excusantes ab huius præcepti obseruatione in primis apponitur, me minime dissensisse. At quia huius materiæ leuitas graues assolet licentias haud tolerandas ingerere operæ prætium duxi quæ pressius dixi vberius enodare. Et primo quæsierim, nùm à mortali excusetur, qui per diei festi tertiam partem, seu per octo horarum spatium seruili operi incumbit? Excusatur quidem. Quia tertia pars diei non est pars notabilis respectu diei totius. Sic nonnulli Canonistæ, quos presso nomine refert Fagund. *de præc. Eccl. lib. 1. cap. 14. num. 2.*

271 *Maximè excusatur.*

Minimè excusatur. Quia octo horarum spatium esse admodum notabile constat à simili. Qui in festo tertiam Missæ partem omittit mortaliter peccat in omnium sententia. Qui tertiam partem Officij diuini non recitat, lethaliter delinquit ex omnium consensu: eo quod partem notabilem omittit: Ergo similiter reus erit lethalis culpæ, qui tertiam diei partem seruili operi dederit operam. Ità Fagund. *citatus.* Pasqualig. *decis. 300. num. 8.* Suar. *tom. 1. de Relig. libr. 2. cap. 31. numer. 2.* & omnes Doctores.

272 *Primam sententiam falsam planè reiicio.*

Profectò primam sententiam adstruentes nulla probabili ratione nituntur: vndè omninò reiiciendam censeo. Nam ex ea sequeretur, posse quem hieme per totum integrum diem absque peccato graui seruili operi incumbere computatis horis à manè vsque ad vesperam: Quisnam hoc non iracundia pia affectus repellat absurdum?

PROBL. LXXII.

Excusatur, & non excusatur à mortali, qui tertiam partem diei festi insumit in seruili opere: sumptam duntaxat de eo tempore, quod regulariter seruili in opere assolent artifices insumere.

273 *Excusatur.*

EXcusatur. Quia illa censenda est parua materia, quæ insumpta in opere seruili, non tollit, quin dies censeatur moraliter sanctificatus, quoad cessationem ab opere seruili Sed si tertia pars horarum, quæ plerúmque in operè seruili impeduntur, quis in labore absumat, adhuc censetur dies moraliter sanctificatus consecratus Deo, cum fiat cessatio è seruili opere per plurium horarum spatium Ergò censenda est tertia hæc pars parua respectu totius diei, & qui eam inseruili labore absumpserit, à peccato mortali excusabitur. Sic Pasqualig. *decis. 300. à num. 6.*

274 *Non excusatur.*

Non excusatur. Quia si aliquid valet argumentū non solum eo probat Pasqualigus suam sententiam, sed etiã illam Canonistarum, quam *Probl. 71.* reieci; asserentium, mortale non esse in die festo tertiam eius partem in labore seruili consumere: nam etiam fieret cessatio ab opere seruili per duas diei partes, & moraliter posset dici diem festum esse sanctificatum: At hoc non audet Doctor ille concedere. Ergò nec suam sententiam potest adstruere. Ita communiter omnes Doctores. Legendus Leand. *de præc. Eccl. tract. 1. d. 6. q. 4.*

275 *Primam sententiam improbo.*

Etiam existimo sententiam primam esse repellendam, vt quæ nimium violatorum diei festi laxat habenas. Nam ex ea sequeretur posse quoscumque artifices per sex horas ad minus in die festo laborare. Ex viginti quatuor diei horis ad prandium & somnum sex regulariter aptantur, decem & octo labori impenduntur, quarum tertia pars sex horæ erunt. An non id cordato cuique absurdum videbitur?

PROBL. LXXIII.

Excusatur, & non excusatur à mortali, qui in die festo trium horarum spatium operi dat seruili.

276 *Excusatur.*

LEthalis excusatur à criminine. Quia spatium trium horarum parua est materia cum sit octaua diei pars. Sic Marchant. *Pastor. qq. cap. 3 quæst. 2.* & à fortiori Pasqualig. *decis. 300. à num. 6.*

277 *Non excusatur.*

Minimè excusatur. Quia trium horarum spatium notabilis est materia adhuc totius diei respectu. Ita Doctores communiter. Palaus *tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 3. num. 4.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 14. num. 2.* Suar. *tom. 1. de Relig. cap. 31. num. 2.*

278 *Non admitto sententiam Marchantij.*

Nullatenus Marchantij sententiam admitto. Quia non refert octauam esse diei partem, vt probetur paruam esse: quia adhuc est notabilis, sicut est octaua pars Officij Canonici, quam in communi sententia qui omittit, mortaliter peccat.

PROBL. LXXIV.

Mortalis criminis reus est, & non est, qui duas integras horas diei festi in opere seruili consumit.

279 *Reus est.*

REus quidem est. Quia excessus vltra vnius horæ spatium grauis censendus contra diei festi sanctitatem. Et certè duarum horarum tempus seruili operi impensum grauem admodum

admodum irreuerentiam constituit. Sic Bonac. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. punct. 3. num. 2.* Villalob. *tom. 1. tract. 32. diffic. 4. num. 1.* Reginald. *l. 19. num. 53.* & alij existimantes eum, qui die festo per spatium vnius horæ integræ, aut circiter horæ laborat, à lethali non excusari. Fagund. autem *de præc. Eccl. l. 2. cap. 14. n. 2.* Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 31. num. 2.* asserentes, licet laborare per horam integram non sit lethale, laborare vero excedendo horam per quadrantem, mortale proculdubio esse. Trull. *lib. 1. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 2.* Filliuc. *tract. 27. num. 205.* Sanch. *tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 31. num. 4.* & alij docentes, etsi non sit lethale, laborare minus quam duas horas, tamen lethale esse duas horas integras operi seruili impendere.

280 *Non est reus.* Non est lethalis criminis reus, qui spatio duarum horarum die festo laborat, dummodo illas non excedat. Quia spatium hoc respectu diei totius parua quidem est quantitas, cum tantum sit duodecima pars. Ita Diana *part. 1. tract. 15. resol. 36.* Granado *2. 2. contro. 6. tract. 2. d. 2. sect. 6. num. 54.* Ioan. Henriq. *sum. cap. 7. num. 4.* Leand. *de præc. Eccl. tract. 1. d. 6. quæst. 6.* Bassæus *v. Festum. 3. n. 4.* & alij, quos superius citaui, cum hanc materiam leui calamo euolui.

281 *Eiusdem sententiæ sum.* His rursum adhæreo. Quia paruitas materiæ excusans à mortali non absolutè & secundum se, sed respectiuè ad totam materiam præcepti est spectanda, vt Sanch. docet *l. 1. sum. cap. 4. num. 18.* At spatium duarum horarum, licet consideratum secundum se tempus notabile videatur: non tamen videtur respectiuè, & in ordine ad totã materiã præceptã vnius diei: Ergo qui per duas horas operam seruili ministerio exhiberet, ratione paruitatis materiæ, lethaliter non delinqueret.

PROBL. LXXV.

A mortali excusatur, & non excusatur, qui diebus festis pluribus modico tempore laborat.

282 *Certum suppono.* CErtum est, à mortali non excusari, qui opera seruilia pluribus vicibus, sed singulis modico tempore in die festo exercet. Quia illa seruilia opera quamuis distincta quoad tempus in contrarietate ad præceptum continuantur, & sic aliquid notabile contra ipsum constituunt. Nam obligatio abstinendi à seruili opere, est vna, & eadem, quæ durat tota die: Vndè quodlibet seruile opus est contra ipsam, ideóque omnia communicant in eadem contrarietate, & fiunt quid notabile contra præceptum, Sanch. *l. 1. sum. capit. 4. num. 12.* Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. n. 3.* Nauar. *sum. cap. 13. num. 9.* Quæsierim verò an à mortali excusetur, qui in pluribus diebus festis pro modico tempore laborãt, ita vt quatuor aut quinque dierum quantitas laboris grauem constituat duarum horarum (v. g.) materiam.

283 *Non excusatur.* Non excusatur à mortali. Quia etiam in hoc casu datur continuatio materiæ sicut datur in casu, quem vt cetum supposui. Sic Tolet. *libr. 4. sum. cap. 25. num. 2.* Fagund. *de prac. Eccles. lib. 1. capite 14. num. 3.* Azor. *tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæstion. 5.*

Excusatur omninò. Quia illa opera seruilia modica singulis diebus festis exercita minimè continuantur, nec in tempore vt per se patet, nec in materia. Ità Sanch. *lib. 1. sum. cap. 4. numer. 12.* Bassæus *verb. Festum 3. num. 4.* Bonacin. *tom. 2. d. 5. quæst. vni. punct. 3. num. 3.* Pasqualig. *decis. 304. num. 2.* Diana *part. 3. tractat. 5. resol. 8.* Trull. *lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 3.* Machado, & Quiedo, quos citat, ac sequitur Leander *de prac. & eccles. tract. 1. d. 6. quæst. 8.* 284 *Excusatur plane.*

Longè probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Verùm enim existimo eius fundamentum, scilicèt opera illa exigua minimè continuari. Quia opus seruile vna die factum sequitur obligationem diei, quæ non est vna omnium dierum, sed cuiuscúmque diei peculiaris, quæ consequenter cum ipsa die extinguitur, nec ad aliam transit: Ergò cum obligationes non continuentur, ità nec opera seruilia possunt continuari. Quemadmodum qui ex Officio Canonico quatuor aut quinque continuatis diebus exiguam omitteret quantitatem, quæ grauem omissionem efformaret, non violaret grauiter præceptum; quia quantitates illæ nullatenus vniuntur, cum obligatio recitandi sit omnis diei. Idem in præcepto ieiunij habes exemplum. 285 *Hoc mihi longè probabilius.*

PROBL. LXXVI.

A peccato excusantur, & non excusantur, qui in die festo præparant cibos qui potius ad delectationem, quam ad sustentationem necessariam exponuntur.

CErtum est, excusare à violatione festi necessitatem. Quia lex non obligat, necessitate vrgente. Vndè excusantur Artifices, & pauperes, qui nisi in festis laborent, nequeunt se, ac familiam sufficienter alere, aut statum sine graui læsione conseruare. Et qui laborat, vt seponat filiæ dotem, quam seponere nequit, nisi subtrahendo familiæ necessaria. Graf. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 35. num. 46.* Et si ita familiàs, quæ pro acquirenda suppellectile, quæ solet pro dote dari, in die festo laborat, si aliunde acquirere non potest. Pasqualig. *decis. 196. numer. 6.* Et seruæ, quæ in resarciendis propriis vestibus laborant, si in diebus profestis nihil temporis ad id eis concedatur. Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 1.* Et qui ad victum necessaria præparant. Quæstioni autem do. num excusentur, qui cibos præparant non necessitati, sed voluptati deseruientes? 286 *De necessitate excusante à festi observatione nonnulla suppono.*

Excusantur profectò, qui deseruientia ad cibum ac potum licet superflua sint, præparant. Quia consuetudine hoc iam est introductum. Ità Palaus *tom. 2 tractat. 9. d. 2. punct. 1. num. 3.* ex D. Thoma *1. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4.* ab omnibus recepto. 287 *Excusantur.*

Minimè excusantur. Quia ea, quæ magis ad electationem quam ad sustentationem deseruiunt non pertinent ad necessitatem, ex qua artifices debent excusari. Vnde peccatum lethale est, die festo, notabili temporis spatio absumpto, 288 *Non excusantur.*

absumpto,ea quæ sæcharo conficiuntur, verbi gratiâ(vti vulgariter exponam) *Mazapanes,alcorzas,confites* , licèt gratis id fiat. Quia opus seruile esse sine necessitate perfectum.Ità Sanch. *tom.2.Consil.libr.5.cap.2.dub.18. num.5.* Alcozer.*sum.cap.17.*& docti Recentiores.

289 *Auctoris resolutio.* Ego quidem iudicarim ex se illicitum esse cibos,aut potum seruientem voluptati, ac non simul necessitati præparare,& iuxtà temporis insumpti quantitatem mortale vel veniale esse piaculum.Nisi tamen alicubi consuetudo recepta excuset,semper autem excusari,vel à veniali dixerim Principum coquos,quamvis cibos ad voluptatem agnatos perficiant.Principum námque ac diuitum necessitas,& voluptas pari gressu incedere assolent.

PROBL. LXXVII.

Violant,& non violant festi immunitatem, qui absque necessitate panes conficiunt, & coquunt.

290 *Violatur festum.* VIolant planè,nisi casu, quo pridie id commode gerere nequierint , aut superueniat aliqua necessitas,superueniente hominum multitudine.Quia sola hoc ex capite debet necessitas excusare,communiter verò non vrget necessitas.Sic Azot *part.1.libr.1.cap.27.quæst.2.* Caiet.*verb.Festorum violatio.* Sanch. *tom. 2. Consil. libr.5 cap.2 dub.28.num.4.*Sotus *libr. 2. de iust. quæstion.4.art.* 4.Bonac.*tom.2.d.5.quæst. vni.pun. 3.num* 9.Palaus *tom.2.tract.9.d.2.punct.10.num.* 3.Trull.*libr.3.Decalog.cap.1.dub.10.num.*8.Lublin.*verb.Festum,num.*4.Villalob. *tom.2.tractat. 32.diffic.4.num.2.*

291 *Non violant.* Non violant. Quia eos excusat Reipublicæ quotidiana necessitas : & si omnes ferè concedunt,carnes coquentes , artocreas conficientes, &c.excusari ob necessitatem : cur non excusabuntur qui panes conficiunt,ac coquunt,siquidem inter ea,quæ ad victum pertinent,primum locum panis obtineat?Ita Sa *verb.Festum,num.5.* fatus:Nundinas excusat consuetudo , pistores necessitas.Pasqualig. *decis.293. num.2.* Leand. *de præc.Eccles.tract.1.d.6. quæst.19.* Ortiz *sum. de præc.3.fol.202.*

292 *Auctoris resolutio.* Si rationem spectem , primam sententiam probabiliorem esse reor.Nam si commodè possint pridie confici panes, die festo communiter non assolet necessitas vrgere.At præbabilem satis esse existimo secundam Quia si licitum est, panes conficere in die festo multitudine hominum superueniente,quod quidem repente solet accidere,non aptè repentè panes præparantur,& ideò in Vrbibus speciatim iudico panes posse præparari. Si autem consuetudinem spectem , video pluribus in locis id sine scrupulo, & sine Prælatorum contradictione geri. Porrò si plures dies festi concurrant , minimè dubitarim asserere , posse confici , & coqui panes. Quia licèt panis coctus esset sufficiens non satis aptus vsui exponeretur.

* * *

PROBL. LXXVIII.

Excusantur , & non excusantur agricolæ , qui messis , ac vindemiæ tempora in festo laborant, quamvis nullum certum damnum imminere videatur.

295 *Excusantur.* EXcusantur quidem, Quia regulariter eo tempore datur sufficiens causa ex necessitate : cùm repente soleant immutari tempora, & vix vlla possit firma securitas haberi. Sic Sanch.*tom.2.Consil.libr.5.cap.2.dub.18.num.10.* & 11.Sotus *l.2.de iust.quæst.4.art.4.ad 3.*Tolet. *libr.4.cap.25.num.4.* Lublin. *verb. Festum , numer.* 4.

294 *Non excusantur.* Non excusantur.Quia tam messis,quam vindemiæ tempore cõsideranda est qualitas Regionis, & temporis,cõmoditas,vel incõmoditas fructus recondendi , quantitásque messis ac vindemiæ. Nam si regio sit regulariter illo tempore à pluuiis exempta , & serenitas tunc regnaret, & messis paucorum esset dierum , non adesset necessitas laborandi in die festo. Vndè regulariter vrgere hoc tempore necessitatem , verùm non est.Ità Pasqualig.*decis.297. num.5.* contrà P.Castro Palao argumentatur.

295 *Quæstioni sub distinctione respondeo.* Egò autem non temnens docti Pasqualigi sententiam dixerim , si aliqua regio detur adeò à tempestatibus ac pluuiis exempta, vt prudenter damnum obuenturum non timeatur , licitum non esse festis diebus hisce operibus incumbere : in regionibus autem , vbi regulariter solent his temporibus tempestates , vberes ingruere pluuiæ , licitum omninò esse sine dispensatione festis diebus laborare. Addiderim,in Hispania aut expressam aut tacitam adesse ad laborandum Prælatorum dispensationem : si quidem videntes & messis , & vindemiæ festis diebus seruere opera minimè contradicunt.

PROBL. LXXIX.

Excusantur,& non excusantur , qui decoctionem ferri , aut vitri in die festo incipiunt.

296 *Certum suspendo.* CErtum existimo excusari coquentes vitrum , aut decolantes ferrum , si in festo inchoatum opus continuent. Quia adest proculdubio necessitas ob imminens euidenter incommodum. Sanch.*tom.2.Consil.libr.5.cap.18. num.21.*Fagund.*de præc.Eccles.lib.1.cap.14. numer.15.*Tolet.*libr.4. cap.25.num.* 3. & omnes. Quæsierim autem, nùm hi artifices excusentur si ea opera die festo incipiant?

297 *Non excusantur.* Non excusantur;Quia licèt continuari opus incentum possint ob damnum,quod in interruptione sequeretur , sed differre inchoationem operis poterunt sine damno : Ergò inchoantes in die festo rei erunt eius obseruationis.Sic Caiet.*sum.verb.Festi violatio.*Filliuc. *tract.27. num. 211.* Sanch.citatus , & alij solùm concedentes posse huiusmodi artifices in festo opera ferri aut vitri continuare.

298 *Excusantur plani.* Excusantur equidem. Quia si inceptio decoctionis ferri,& vitri in sequentem diem festum differretur , licèt posset forsam impleri opus antè diem festum sequentem : attamen fortasse

fortasse non perficeretur eo die, quando altera materia esset coquenda : aut fornax frigesceret: aut continuandus esset ignis: quæ omnia essent hisce artificibus admodum noxia, cum maiores expensas exigerent. Ità Leand. *de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. quæst. 27.* Pasqualig. *decis. 295. num. 3.* citans Sylvestrum Nauarrum, Fagundez Suarium. Sed eius venia, non iustè; nam Suarius, & Fagundez solummodo asserunt, opus posse continuari die festo.

299 *Existimo, hanc quæstionem magis ex facto, quàm ex iure pendere.*

Ego autem existimo, hanc quæstionem ex facto, non ex iure pendere. Regula generalis est, quando inchoatio illius operis non potest differri ad diem profestum sequentem sinè notabili personæ particularis, aut communitatis dispendio, potest die festo inchoari, sicut continuari licet : secus quando hæc necessitas non apparet. Quandò verò hæc contingat, necne, ad artifices agnoscere spectat, quibus in hac materia credendum.

PROBL. LXXX.

Excusantur, & non excusantur, qui decoctionem calcis, saponis, laterum, tegularum, ollarum, & huiusmodi in festo continuant.

300 *Non excusantur.*

NOn excusantur. Quia eiusmodi decoctio sex diebus profestis aptè poterit terminari. Ergò si die primo non festo inchoëtur, non vrgebit necessitas continuandi in die festo opera: Ergò non licet in die festo continuari. Sic Sotus *libr 2. de iust. quæst. 4. artic. 4. ad 3.* Sanch. *tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 18. num. 22.* Nisi aliàs occurrat necessitas aliqua priuata, vel publica. Citat Sanch. Nauarrum, & Caienum, eos artifices solummodo excusantes quando decoctio plusquam sex dies profestos exigeret.

301 *Omninò excusantur.*

Excusantur omninò. Quia huiusmodi decoctio absque notabili damno intermitti non potest. Ità Angel. *verb. Feriæ, numer. 17.* Bonacin. *tom. 1. d. 5. quæst. vni. puncto 3. numer. 13.* Pasqualig. *decis. 295. num. 3.* Leand. *de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. quæstion. 28.* & alij communiter.

302 *Eiusdem sum mentis.*

Eiusdem mentis sum. Quia si necessarij sint dies sex ad decoctionem, verbi gratiâ frequenter necessarium erit die Dominico opus continuare. Nec enim obligari possunt artifices, vt die Lunæ opus instituant. Crediderim, à nullo Doctore posse affirmari artifices obligatos esse opus intermittere, cum absque graui incommodo differri nequeat. Imò crediderim, Doctores pro prima sententia citatos locutos nō esse de operum huiusmodi continuatione, sed de inchoatione earum in die festo. De quo proximo Problem. dissero.

PROBL. LXXXI.

Ab Obseruatione excusantur, & non excusantur qui decoctionem calcis, saponis, laterum, tegularum, ollarum in die festo incipiunt.

303 *Excusantur.*

EXcusantur quidem. Quia si probabilius est excusari à festi obseruatione qui in eo inchoant opus decolationis ferri, & effectionis vitri ob incommodum quod obuenire docet experimentum : eadem ratione excusabuntur, qui decoctionem calcis, saponis, &c. in die festo incipiunt. Sic Pasqualig. *decis. 96. num. 3.* citans Nauarrum, Sylvestrum, Angelum, & alios, sed immerito, cum hi Doctores solummodo de operis continuatione loquantur.

304 *Non excusantur.*

Minimè excusantur. Quia huius materiæ decoctio non requirit tot dierum continuationem, sicut requirit vitri decoctio. Ergò facilè potest in die profesto inchoari. Antecedens experimento patet, cum coctio calcis, aut lateris, &c. duobus, aut tribus diebus perficitur: vitri verò coctio per plures alios perficienda producitur. Et quia in calce, laterum, &c. decoctione necessum est vt intermissio fiat, & per aliquos dies fornax frigescat, vt sic opus extrahi valeat: quod quidem necessarium non est in vitri decoctione, imò non fieri est necessarium Ità Sotus *lib. 2. de iust. quæst. 4. art. 4. ad 1.* Sanch. *tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 18. num. 22.* Leand. *de præcept. Eccles. tract. 1. d. 6. quæs. 29.*

305 *Primam sententiam improbo.*

Haud probabilem esse reor primam sententiam, falso enim fundamento nititur, nec protegit authoritas. Vnde dicendum censeo, minimè hosce artifices à lethali excusari illo opera in festo inchoantes, nisi aliqua grauis necessitas siuè priuata, siuè publica suadeat.

PROBL. LXXXII.

Excusantur à peccato famuli barbitonsorum, qui à suis dominis laborare in festis compelluntur, si ipsi sint liberi.

306 *Nonnulla recolo circa subditos, qui à Superiore cōpelluntur die festo laborare.*

REcolo ex *sect. 1.* nonnulla, & alia adiicio, vt explicem, quid filij, ac famuli circa hoc possint, & non possint exercere. Generatim itaque proculdubio excusantur filij, serui, famuli, vxores, & alij subditi, qui iusto metu compulsi à parentibus, à marito, à dominis in festis seruilia opera exercent. Quia metus ille grauis excusat à præcepti positiui impletione, nisi coactio illa esset in ipsius contemptum præcepti. Lege Nauarrum *sum. cap. 13. num. 7.* Santium *tom. 2. Consil. libr. 2. cap. 32. num. 4.* Fagundez *de præc. Eccles. libr. 1. cap. 14. num. 9.* Excusantur agricolæ, qui compulsi ab iis, à quibus pacta mercede pro singulis diebus conducuntur, die festo laborant. Quià cum exigens illud opus seruile mercedem proportionatam soluat, & ipse lucri nihil acquirat, præsumi debet, id ex necessitate exigere : nisi aliundè contrarium constasset. Fagund. *citat.* Pasqualig. *decis. 298. num. 3.* Excusantur subditi, ad excusandam grauem parentis, mariti, seu Domini indignationem. Quando autem indignatio debeat grauis censeri, colligendum est ex graui læsione, quæ timetur, & ex tristitia, qua subditi afficiuntur, Leand. *de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. q. 32.* Iam quæsierim, num barbitonsorum famuli excusentur à culpa, dum à dominis compulsi in festo laborant?

307 *Barbitonsorū famuli*

Non excusantur, si sint liberi. Quia non sint obligati ad seruiendum, tenentur dominos requinquere,

famuli liberi non excusantur.

linquere, si alios possunt in eadem Vrbe, vel Oppido adire, qui eum diebus festis laborare non cogat. Sic Sanch. *tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 19.*

308 *Excusantur plane.*

Excusantur, licèt liberi sint, regulariter. Quia & ipsi barbitonsores excusantur, vel ratione consuetudinis ab omni culpa, vel ratione paruitatis materiæ, à mortali piaculo: Ergo fortiori ratione famuli coacti excusabuntur. Ità Pasqualig. *decis. 298. num. 7.* Leand. *de præc. Eccl. tract. 1. d. 6. quæs. 33.*

309 *Idem teneo, & plura de tonsoribus additio.*

Cum his opinor, adiiciens, etiamsi aliquando contingat, non excusari dominos, adhuc tamen famulos excusari. Quia ad ipsos non pertinet discutere quando adsit causa laborandi legitima, & quando non: adsunt etenim sub directione dominorum, ad quos id spectat. Et cum sæpè causa adsit legitima, possunt præsumere semper adesse, nisi ipsis constet oppositum. Vt autem quid in hac materia ferè certum æstimem, exponam. Crediderim, vbi non fauet consuetudo, barbitonsores solùm venialiter delinquere, si in labore duarum horarum non excedant spatium, (quidquid Archidiac. contrà communem asserat mortaliter delinquere.) Quia paruitatem materiæ non excedit Diana alios referens, *part. 1. tract. 15. resol. 34.* Trull. *lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 1.* Fagund. *de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 14. numer. 2.* A veniali excusatur tondens in festo aliquem, qui celebraturus est Missam nouam, vel nuptias. Quia sufficiens est admodum causa. Sanchez *tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 21. numer. 5.* citans Nauar. Tolet. & Caiet. Trull. *libr. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 14.* Nec venialiter peccat, dum omnes suos parochianos in festo tondet propter Paschatis solemnitatem: Si diebus aliis professis fuerit occupatus. Quia hæc sufficiens est causa, etiam aliis exclusis circumstantiis. Leand. *citat. quæs. 36.* Nec delinquit qui diebus festis assolet pergere ad tondendum agricolas. Quia adest illius Oppidi publica vtilitas, & priuata tonsoris, qui die professo proprio in Oppido suo muneri deerit. Sanchez *num. 6.* Trull. *numer. 14.* Pasqualig. *decis. 289. n. 9.* Nec reus est culpæ, qui ad suam officinam accedentes tondet. Quia qui diebus festis ad hoc opus accedunt, præsumuntur die professo esse legitimè ob opera seruilia, quibus victitant, exercenda, impeditos. Sanch. *n. 2. 6. & 7.* Diana *resol. 34.* Trull. *n. 14.* Nec mortalem culpam incurret, qui postquã aliquos ratione necessitatis ab omni culpa excusantis in festo totũdit, alios sine vlla necessitate per duarum horarum abrasit spatium. Quia cũ ex materia prohibita, & non prohibita vna materia prohibita nõ coalescat, semper prohibita in sua remanet paruitate. Paschalig. *num. 7. & 8.* A mortali excusatur, qui tonsuram in die festo petit. Quia opus petit in parua materia, non tamen à veniali liberabitur, nisi aliàs id cum causa rationabili postulet. Sanchez apud Pasqualigum consentientem *num. 10.*

* * *

PROBL. LXXXIII.

Excusantur, & non excusantur artifices, qui tabulata extruunt in festo, ad comœdia publicam recitationem. Vbi de sartoribus, aliisque artificibus plura enuncio.

NOn excusantur. Quia ad huiusmodi publicum spectaculum nulla suadet vtilitas, nulla cogit necessitas. Sic nonnulli Doctores apud Santium *tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. numer. 24.* 310 *Non excusantur.*

Excusantur planè. Quia huiusmodi repræsentationes non sunt Reipublicæ inutiles (si tamen fiant modo debito, & congruo tempore, & cum aliis circumstantiis, quæ communiter adiunt in his actionibus præcipuè cum à comœdis recitantur) ob publicam recreationem quæ necessaria ad relaxandum animum reputatur. Igitur si in die festo comœdia est recitanda, etiam necessum erit, opus illud seruile exercere. Sanchez *num. 24.* Pasqualig. *decis. 191.* 311 *Excusantur.*

Crediderim non excusari, si tabulata antè diem festum extruere potuerint, & è consilio ad diem festum reseruarunt: secùs si opus illud non potuerint præuenire. Cæterùm, vt Confessarij instruantur, quonammodo se se debeant cum huiusmodi mechanicis gerere artificibus attexam, quod ferè certum sine vlla controuersia in his rebus existimem. Non excusantur sartores, qui in die festo solùm ratione consuetudinis prætendunt perficere in die festo vestes pro illa die induendas. Quia huiusmodi consuetudo, licèt valdè sit frequens, non tamen est recepta, nec à Præsulibus tolerata. Sanch. *tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 21. num. 1.* Pasqualig. *decis. 290.* non benè citans. Ludou. Lopoz. Caieta, & Nauar. A mortali verò excusabuntur ob materiæ leuitatem, si tempus duarum horarum non excedant. Et si vestes, quas conficiunt, deseruire debeant ad nuptias, aut funus illa die celebrandum ab omni piaculo liberi erunt. Quia quædam moralis adest necessitas. Trull. *libr. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 10.* Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 2.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 62.* Necnon immunes erunt à culpa, si opus perficiunt in festo, eo quod timeant, aliquo affici damno non leui, & iniuria acriue reprehensione. Quia præceptum cum tanto non ligat incommodo. Pasqualig. *decis. 290.* Excusantur Artifices quique, qui pro causa Reipublicæ conuenienti vestes, tabulata, vel alia eiusmodi perficiunt, erigunt, ornant. Quia & necessitas, & consuetudo honestant. Sotus *lib. 2. de iust. quæst. 4. art. 4. ad 3.* Azor. *part. 2. lib. 11. cap. 28. quæst. 4. & 5.* Suar. *tom. 2. de Relig. libr. 2. cap. 32. num. 5.* Textores, qui in festis instrumenta artis præparant, absolutè loquendo non excusantur à mortali, si notabile tempus insumant, nisi id aliàs consuetudo honestet. Sanch. *num. 1.* Vrgente arctitudine temporis, excusantur à piaculo, qui die festo laborant in prouidendis rebus ad expeditionem Indiæ necessariis. Suar. *num. 5.* Dummodò antè diem festum hæc non potuerint omninò præueniri. Equidem quia opera huiusmodi non possunt regulariter prouideri, vt antè festum perficiantur, 312 *Meam sententiam in actu, & plura actibus circa festi obseruationem expono.*

tur, eo quod ferè plus temporis consumitur, quam præuidetur: non est nimium scrupulosè procedendum. Quia ex regulari necessitate protrahendi, quæ solet intercedere, censenda est licita protractio in diem festum, tanquam eorum, quæ moraliter non possunt non protrahi. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 2 1. *cap.* 2. *n.* 8. Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *c.* 14. *n.* 5. Trull. *l.* 3. *Decal. cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 5. & 8. Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 5.

PROBL. LXXXIV.

Excusantur, & non excusantur à piaculo qui ferrant iumenta iter non agentia.

313 *Certum præmitto.* CErtum est, ferrantes die festo iumenta iter agentium, excusari. Quia sicut excusatur iter agens eques arripiens die in festo iter: eodem modo debet excusari gerens in festo id, sine quo iter geri non potest, Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *quæst. vni. punct.* 3. *num.* 4. Sayr. *in Clavi l.* 7. *cap.* 2. *num.* 6. Tabie. *v. Feria, num.* 25. & alij communiter. Dubitabis verò, an excusentur à crimine ferrantes equum aliudve iumentum iter eo die festo non acturum?

314 *Non excusantur.* Minimè excusantur. Quia necessitas non adest, nec consuetudo licentiam impertit: nam nec introducta legitimè est, nec opus id permitti assolet à prælatis nisi ob necessitatem accidentem. Sic Sanchez *to.* 2. *Consil. l.* 5. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 4.

315 *Excusantur.* Excusantur, qui ferrant equos, aut mulas eorum, qui altera proxima die diluculo facturi sunt iter, aut in agrum ad laborandum egressuri. Quia instat operis huius seruilis necessitas ad iteneris, vel agrestis laboris commoditatem. Ità Ioan. de la Cruz *part.* 1. *sum. præc.* 3. *art.* 1. *concl.* 3. Viual. *part.* 4. *Candelab. cap.* 5. *num.* 25. Leand. *de præc. Eccl. tract.* 1. *d.* 6. *q.* 50. & alij.

316 *Idem affirmo, & expendo.* Præfectò licet verum sit non excusari à peccato ferrantes equos existentium in populo, nec acturorum illa die iter, eo quod necessitas non adsit: excusantur tamen, qui ferrant iumenta eorum, qui altera sequenti die diluculo acturi sunt iter, aut in agrum ad laborandum, egressuri; iā enim hoc legitima cōsuetudine est receptum. Ex qua quidē etiam fabriferrariis licet cudere, aut reficere vomeres agricolarum festis post vesperum, vt die sequenti summo mane possint egredi ad agrorum culturam.

PROBL. LXXXV.

Licet, & non licet die festo pontes, fontes, publicas vias, & alia huiusmodi reficere eo quod sine incommodo non valeant hæc in dies profestos differri.

317 *Non licet.* NOn licet. Quia tanti momenti opera nequeunt tàm graue incommodum ex dilatione, aut vnius, aut alterius diei fecti interruptione accipere, vt non facilè possint opera intersecari: Ergò non licebit sine speciali dispensatione, huic operi incumbere. Sic Caie. *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. IV. tan. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. Sotus *lib.* 2. *de iust. q.* 4. *art.* 4. Nauar. *sum. cap.* 13. *num.* 11. citati à Fagundez *de præc. Eccl. libr.* 1. *cap.* 14. *numer.* 24. Attamen Nauarrus se statim explicat asserens non licere vias publicas sternere in festo, quāvis pietas erga viatores exerceatur, nisi magna vrgeat necessitas. Imo ex Doctoris explicatione colligo sentire, rarò huiusmodi posse se necessitatem offerre, nè opus ad diem profestum differatur.

318 *Licet quidem.* Licet quidem, quando refectio pontium, fontium, viarum, & aliarum rerum huiusmodi quæ sunt publici vsus, non potest sinè magno incommodo differri. Quia arctiori ratione prouidendum est necessitati publicæ, quam priuatæ: vndè si licitum est, opera seruilia exercere die festo ob priuatam necessitatem, quando ea moraliter loquendo, differri non possunt in profestum diem: multo verius licebit hæc omnia opera gerere ob communitatis vtilitatem. Ita Fagund. *citatus num.* 23. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 2. *c.* 32. *n.* 5. Sylvest. *v. Dominica, quæst.* 5. Angel. *verb. Feriæ num.* 28. & 30. D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 7. §. 5. Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2. *q.* 1. Tolet. *lib.* 9. *ca.* 15. *num.* 4. Tabie. *verb. Feriæ, num.* 23.

319 *Hoc certum existimo.* Existimo, hanc sententiam adeo esse certam, vt à nullo Doctore possit abnegari. Vnde crediderim non solum Nauarrum, sed & Sotum & Caietanum à nobis esse. Quid enim magis receptum quam ob necessitatem priuatam aut publicam quem posse ab omni culpa esse immunem, die festo operi seruili dum incumbit? scio aliquos ex Doctoribus pro secunda sententia citatos doctrinam limitare: modo id non fiat principaliter ob lucrum. Tamen Superius sæpe docuimus, opus de se illicitum non reddi propter pretium.

PROBL. LXXXVI.

Excusantur, & non excusantur à peccato, qui causa pietatis in festo seruilia opera exercent.

320 *Excusantur planè.* EXcusantur omninò. Quia in *cap. Conquestus, de feriis.* habetur, iudicialia prohibita in festis licita esse *pietatis aut necessitatis* causa. Ergo quamvis ad seruilia exercenda necessitas non vrgeat, poterunt exigente pietate exerceri. Sic Gloss. *ad id c. v. Pietas.* Palat. *in v. Festorū violatio,* Angel. *v. Feria, n.* 9. 28. & 32. Ioan. de la Cruz *p.* 1. *su.* 1 *præ.* 3. *a.* 1. *n.* 4. Margar. Conf. *præc.* 3. Acoster. *su. c.* 17. Perez *l.* 2. *de ordin. ti. l.* 5. Sylvest. *v. Dominica, q.* 5. Tabie. *v. Feria. n.* 18. 37. & 41.

321 *Non excusantur.* Non excusantur. Quia obseruatio festorum, quæ cessationem à seruili opere includit, est opus Religionis præceptum: Ergo præferendum operi pietatis, & quòd sit superioris ordinis opus, & quia præceptum. Ità Caiet. 2. 2. *q.* 122. *a.* 4 & *sum. v. Festorum violatio.* Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 21. *n.* 3. & *c.* 32. *n.* 7. Lopez 1. *p. Instr. c.* 52. Trull. *l.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 10. *n.* 6. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 177. Leand. *de præc. Eccl. tr.* 1. *d.* 6. *q.* 64. Palaus *to.* 2. *tr.* 9. *d.* 2. *pu.* 10. *n.* 1. & 2. Sanch. *to.* 2. *Consil. l.* 5. *c.* 2. *dub.* 23. *n.* 10. Filliuc. *tr.* 27. *n.* 157. Fagund. *de præc. Eccl. l.* 1. *c.* 13. *n.* 6. Azor. *p.* 2. *cap.* 28. *q.* 4. Bonac. *to.* 2. *d.* 5. *q. vni. pun.* 3. *n.* 7. Nauar. *sum. c.* 13. *num.* 4. 10. & 11.

322 *Hanc sententiam longè probabiliorem esse reor.*

Hanc sententiam longè probabiliorem esse putarim. Asserto itaque pietatis opera per se semper esse licita, vt sepelire mortuum, ægrotanti deseruire: seruilia autem opera, quæ accidentaliter possunt ad pietatem ordinari nequaquam possunt ex pietatis ratione esse licita in festo, nisi necessitas exposcat. Et quia in iure non conceditur, sicut opus iudiciale: quod quidem esset in festo licitum, nisi Ecclesia prohibuisset: non enim est seruile. Ex his colligo, excusari à peccato, qui in festis curant infirmos, mortuos sepeliunt, nudos ornant, & similia charitatis opera exerunt. Quia licèt aliqua huiusmodi operum includant quid seruile, sunt pietatis per se. Bassæus *v. Festum 3. num. 3.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 21. num. 13.* Excusantur artifices, qui diebus festis pauperi in magna necessitate existenti consuunt vestes, quod ipse efficere non potest. Quia sicut necessitas propria à præcepto excusat, etiam proximi necessitas excusabit. Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 14. num. 16. & 19.* Excusantur, qui in festo seruilia exerunt, pertinentia immediatè ad Dei cultum. Trull. *l. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 5.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 21. n. 8.* Excusantur, qui in festis pulsant organa, ac cymbala, musicis vtuntur instrumentis, deferunt in processione Crucem. Quia licèt opera hæc aliquomodo sint seruilia, ita tamen coniuncta sunt diuino cultui vt eadem sit ratio ac de cultu ipso: nam accessorium principale sequitur. Tolet. *l. 4. cap. 25. num. 2.* Azor. *tom. 2. l. 1. cap. 28. q. 5.*

PROBL. LXXXVII.

Eximuntur, & non eximuntur à piaculo, qui in die festo laborant, vt ex lucro eleemosynas pauperibus erogent.

323 *Eximuntur.*

EXimuntur quidem. Quia omnia seruilia opera si fiant in pauperum subsidium, minimè sunt prohibita: inducunt enim misericordiæ præferendæ præcepto rationem. Sic Sylvest. *v. Dominica, q. 5.* citans Monaldum.

324 *Non eximuntur.*

A peccato lethali non excusantur. Quia non est præferendus actus misericordiæ vt sic præcepto, sed actus misericordiæ quo actu indiget pauper: alias enim nunquam non liceret artificibus omnibus diebus festis laborare, imo & voto ad id se adstringere, vt eleemosynam elargirentur, quod procul dubio est falsum, & contra communem vsum, ac sensum Ecclesiæ. Ità Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 21. num. 14.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. cap. 14. num. 19.* Nauar. *sum. cap. 13. num. 10.* Palaus *tom. 2. tract. 9. punct. 10. num. 2.* citans Caietanum, Reginaldum, Manuelem, Bonacinam, & alios.

325 *Auctoris sententia.*

Certè vt necessitas excuset ab operis seruilis cessatione debet esse actu existens in aliquo particulari paupere, quæ moraliter sit nota, & patens ita, vt si in eo die festo ei per opus seruile non succurras, quando aliter non potes: absque subsidio relinquetur: nam vix inueniatur alius, qui ei gratis eo die succurrat. Non itaque sufficit necessitas eorũ pauperum in communi, qui se se obtulerint. Quia opera præcepta nõ sunt pererogatoriis postponẽda.

PROBL. LXXXIX.

Excusantur à lethali peccato, & non excusantur, qui sine rationabili causa Templa tapetibus exornant die festo, hostias conficiunt, &c.

326 *Certum supponо.*

CErtum reor ex rationabili causa, nempè quod commodè non potuerint die festo fieri, licitum esse in die festo hostias conficere, Templa mundare, eius parietes ornare tapetibus, vias publicas ad processionem præparere. &c. Filliuc. *tr. 27. num. 218.* Sayr. *in Clavi, l. 7. c. 2. 3.* & alij communiter. Quæstio autem est, num id possit sine vllo piaculo geri, quando rationabilis causa non adest?

327 *Non potest geri sine lethali.*

Non potest id sine peccato geri: rei enim sũt lethalis criminis, qui notabile tempus absumunt illis in operibus, quæ præcedentibus diebus profestis agere potuere. Quia absque causa in festo opera seruilia exercent. Sic Conrad. *in respons. p. 2. q. 223.* & alij, quos præsto nomine refert Diana *p. 3. tr. 5. resol. 8.*

328 *Sine lethali potest.*

Excusantur quidẽ à culpa mortali, sed à veniali minimè. Quia remotiores sunt à Dei cultu, & ex se seruiles, communes ad alia loca: at quia ad cultum (licet ità remotè) ordinantur veniale piaculum non excedent. Sic Suar. *to. 1. de Relig. l. 1. c. 11. n. 11.* Tolet. *l. 4. c. 25. n. 2.* Caiet. *2. 2. q. 122. a. 4. & in sum. v. Festorum violatio.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 14. n. 4.* Azor. *p. 2. l. 1. c. 28. q. 5.* Trull. *l. 3. Decal. c. 1. dub. 10. n. 5.* Palaus *to. 2. tr. 9. d. 2. pun. 10. n. 1.* Sanch. *to. 2. Consil. l. 2. c. 2. dub. 22.* Diana *citatus*, & alij apud ipsos.

329 *Inclinor, posse vel sine veniali id geri, sed probabilius esse reos veniali culpa esse id sunt causa agentes.*

Profectò crediderim, aut necessarium esse, fateri, exercentes præfata seruilia opera in festo absque rationabili causa peccare mortaliter, aut nullum peccatum committere. Quia materia de se est prohibita, & grauis, vt supponitur: Ergò si non honestatur ex eo quod in Dei cultum ordinetur, verè remanet in sua natura, & necessario lethalis criminis erit obiectum. Vndè non omnino displicet mihi Pasqualigi *decis. 287. n. 3.* & Leandri *de præc. Eccl. tr. 1. d. 6. q. 62.* sententia, asserentium, ab omni peccato excusari, qui illa seruilia opera in festo exercent, etiam sine vlla rationabili causa. Quia probabile est, (vt Suarius & Filliucius fatentur) ornare altaria, eáque mundare, sacerdotales extrahere vestes, &c. aliæ similes actiones, licitas esse in festo, vel quia non sunt seruiles vel si sint, non censentur per legem prohibitæ eo quod cultui diuino sint vicinæ: Idẽ ergo asserendum de decoctione hostiarum &c. Cæterum iam fert consuetudo, vt omnia hæc absque scrupulo exerceantur. Sic illi, quorum sententiam satis probabilem esse reor, sed secundæ, (nempè venialiter delinquere, qui huiusmodi opera sine causa rationabili in festo exercet) vt cõmuni, & probabiliori adhæreo.

PROBL. XC.

Tota die festi, aut illius parte notabili dare operam abluendis sacris vasis, Purificatoriis, & reliquis linteis Sacerdotalibus, & alia huiusmodi, est, & non est prohibitum.

330 *Non est prohibitum.*

PRohibitum non est. Quia licet lauare, de se sit opus seruile, desinit seruile esse, dũ circa materiã sacrã versatur. Quod ex eo patet quia abluere purificatoria, & vasa sacramũdare munus

munus est sacræ personæ, nempè Subdiacono iniunctum: persona autem sacra quatenus talis est, & non est operi seruili destinata: Ergo licitum est id vel per totam diem geri. Sic Pasqual. *decis.* 289.

331 *Est prohibitum.* Est prohibitum. Quia lanare, quid mechanicum est, & seruile de se: Ergò à quacúmque persona siue sacra, siue non sacra id fiat, semper erit seruile opus. Ergò in festis prohibitum. Certè abluere vasa sacra, purificatoria, & alia huiusmodi, non ita pertinet ad personam sacram nempè ad Subdiaconum, vt non possit alia non sacra id munus exercere, habent enim priuilegium ad hoc gerendum laici Regulares: Ergò non ex eo præcisè, quod vasa sacra mundare, ac purificatoria diluere ad Subdiaconum attineat, desinet esse opus seruile, quod ex se habet. Ità Leand. *de prac. Eccles. tract.* 1. *d.* 6. *quæs.* 62.

332 *Auctoris resolutio.* Existimo, ex se esse opus seruile, nec à seruitute liberari ex eo quod sacræ iniungatur personæ; potest enim ad huiusmodi opus, vt decentius geratur sacra persona destinari. Si igitur Subdiaconus, vel qui hoc ex priuilegio potest munus exercere, tota die festi, aut notabili spatio huic ministerio operam impendit, proculdubio præceptum violabit. At quia ad cultum diuinum pertinet opus etiamsi notabile tempus insumatur, non auderem omninò operatorem à veniali piaculo liberare, sed crediderim posse à mortali. Quia leuis labor est, redolens pietatem, præsertim si aliqualis causa excusans accedat.

PROBL. XCI.

A peccato immunis est, & non est, qui festo die agros Ecclesiæ colit, terit, metit, Tempora extruit, lapides, & ligna ad ædificium deportat.

333 *Immunis est.* Immunis est. Quia huiusmodi opera licet seruilia, sint ad diuinum cultum spectant. Sic absolutè Angel. *verb. Feria, num.* 9. 28. & 32. Palati. *sum. verb. Festorum violatio.* Alcozer *sum. cap.* 17. Sa *verb. Festum, num.* 6. asserens absolutè excusari à peccato laborantes in festo pro loco pio.

334 *Non est immunis.* Non est immunis, nisi casu, quo Ecclesia, pro qua quis laborat in festo, paupercula existat. Quia hæc opera verè seruilia sunt, & laboriosa admodum, remotéque ad diuinum cultum ordinata ex relatione duntaxat operantis: Ergò prohibita. Ità Caiet. 2. 2. *quæs.* 122. *art.* 4. Sotus *libr.* 2. *de iust. quæs.* 4. *art.* 2. Nauar. *sum. cap.* 13. *num* 4. & 10. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 12. Bonac *tom.* 2. *d.* 5. *quæst. vlti. pun.* 3. *num.* 6. Filliuc. *tract.* 27. *num.* 156. Trull. *libr.* 3. *Decalog. cap.* 1. *dub.* 10. *num.* 5. Reginald. *lib.* 19. *num.* 48. Palaus *tom.* 2. *tract.* 9. *d.* 2. *punct.* 10. *num.* 1. Sanch. *tom.* 2. *Consil. l.* 5. *c.* 2. *dub.* 23. *num.* 3.

335 *Hoc mihi ferè certum.* Hoc probabilius esse reor, & mihi ferè certum. Vnde asseruerim, minimè licere præfata seruilia equidem opera, nisi necessitas Ecclesiæ, quæ extruitur, vel cui agri colùntur, id exigat, nempè quod paupercula sit adeo, vt non valeat sibi de huiusmodi necessariis aliundè prouidere. Verùm sola necessitas sine vlla Superioris licentia excusabit à culpa, modo sit patens, & indubitata. Vnde si quis Episcopus præciperet sub excommunicatione lata, ne quis in festo laboraret, nullatenus ligaret eos, qui iustam haberent causam laborandi. Sicut nec illigaret adhuc, si in excommunicatione præciperetur, ne quis neque ex causa necessitatis aut charitatis opera hæc in festo exerceret. Quia huiusmodi excommunicatio grauem, & intolerabilem continet errorem, & ideò est irrita, vtpotè contrà dispositionem *cap. vltim. de feriis*, concedentis laborare in festis necessitate, aut pietate vrgente. Sanch. *citat. dub.* 18. *n.* 20. & alij communiter.

PROBL. XCII.

Liberantur, & non liberantur à crimine, qui die festo laborant, nè prætereat occasio lucrum notabile acquirendi, quod aliàs acquirere non possent.

336 *Liberantur quidem.* Liberantur quidem. Quia in *c. Licèt, de feriis*, dispensat Pontifex, vt piscatores valeant dare operam captioni illius piscis nomine *Alecia*, qui certo anni tempore assolet transire, ne illud lucrum transitorium amittatur: Ergò huiusmodi concessio ad quodlibet aliud lucrum transitorium potest extendi, cum eadem militet ratio. Et quia præceptum abstinendi ab opere seruili in die festo non obligat cum tanto dispendio, qualis est magni lucri extraordinarij amissio, quæ pro magno damno debet reputari. Sic Caiet. *sum. v. Festorum violatio.* Angelus *verb. Feria, n.* 32. Rosel. *ibid.* Armil. *v. Festum, num.* 20. Fernandez *p.* 1. *Examin. c.* 7. §. 1. *n.* 6. Diana *p.* 2. *tr.* 15. *resol.* 34. Alcozer *sum. c.* 17. Bonac. *to.* 2. *d.* 5. *q. vni. pun.* 3. *n.* 15. Sanch. *to.* 2. *Consil. l.* 5. *c.* 2. *dub.* 19. *num.* 2. Sayr. *in Clavi, l.* 7. *cap.* 2. *num.* 10. Pasqualig. *decis.* 285.

337 *Minimè liberantur.* Minimè liberantur. Quia actio laborandi in festis ob acquirendum aliquod magnum lucrum non est licita ex eo quod permittatur in *c. Licèt de feriis*: quia textus ille expresse loquitur de lucro publico, & transitorio, & quod solummodo vnico anni tempore occurrit: quæ circumstantia cum non reperiatur in lucro omni transitorio, ac priuato, fit, vt dispensatio illa non habeat ob rationis identitatem locum in eo. Ità Reginal. *l.* 19. *n.* 51. Trull. *l.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 10. *n.* 14. Palaus *to.* 1. *tr.* 9. *d.* 2. *pun.* 10. *n.* 3. Filliuc. *tr.* 27. *n.* 122. Abulens. *ad c.* 12. *Exo. q.* 13. Sylvest. *v. Dominica, q.* 4. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 23. *n.* 9. Leand. *de prac. Eccl. tr.* 1. *d.* 6. *q.* 73. & alij.

338 *Hoc probabilius esse iudico.* Profectò hanc sententiam probabiliorem esse crediderim. Quia amissio lucri magni futuri contingentis, seu casu occurrentis nullatenus pro damno notabili reputatur, cuius causa debeat cessare præcepti obligatio: sicut cessat pro cuitando damno emergente, aut pro alia graui occurrente necessitate. Addiderim tamen huiusmodi actionem laborandi in festo ob lucrum notabile transitorium acquirendum, licitam fieri omninò, si accedat Superioris dispensatio. Episcopi scilicèt, vel si hic adiri non possit, Parochi. Quia sufficiens proculdubio causa hæc reputari debet, vt petenti huiusmodi licentia sine scrupulo concedatur.

LIBER XXXI.

DECALOGI PRÆCEPTVM QVARTVM.

ESTO, Parentum nomine, quos in honore habendos esse præcipitur in quarto Decalogi Præcepto, præcipue qui carnaliter nos genuere debeant intelligi: tamen etiam alij Superiores comprehenduntur: vt Domini respectu seruorum, Prælati ergà suos subditos. Principes laici suorum subditorum comparatione, Viri respectu Vxorum, Magistri, & alij huiusmodi Discipulorum, & sibi subditorum respectu. Vnde de obligationibus horum mutuis vna, & altera Sectione de more disseram.

SECTIO PRIMA.

De Præcepto quarto Decalogi, receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De reuerentia à filiis parentibus præstanda, eorumque obligationibus.

1 *Explico sensum quarti Decalogi præcepti.*

EXPOSITIS primæ Tabulæ præceptis, quæ Dei cultum, honorem, ac amorem respiciunt, explicanda sunt Tabulæ secundæ mandata, quæ ad proximi dilectionem pertinent, sumpto exordio ob eo, quod primum tenet locum Exo. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Honoris* nomine in hoc præcepto nõ solùm intelligitur actus interior, vel exterior honorantis, quo honorans testatur, ac indicat reuerentiam, & præeminentiam eius, qui honoratur: sed etiam actus, quo patri in necessitate constituto exhibetur auxilium: actus reuerentiæ, amoris, & submissionis, quo ei obedientia præstatur non solũ quoad affectũ, verum etiã quoad effectum. Nomine autem *Patris* ac *Matris* plura personarum genera intelligũtur, nempe Prælati, Principes, Domini, Mariti, Magistri, & alij huiusmodi. Præceptũ verò de honorãdis parentibus non solũ obligationẽ filiis, ac subditis cunctis inducit in parẽtes, & superiores suos, verũ etiam parentib, & superiorib. in filios, ac subditos. Verba demum illa, *Vt sis longæuus super terram*, non solùm de longitudine seu diuturnitate vitæ futuræ, sed & de longitudine huius mortalis sunt intelligenda, iuxta illud Pauli *Timo. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* D. Thom. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 3. Sotus *libr.* 2. *de iust. quæstion.* 4. *artic.* 5. Reginal. *libr.* 20. *num.* 3. & 5. Nauar. *sum. cap.* 14. *numer.* 3. & 5. Sayr. *in Clau. libr.* 7. *capit.* 4. Molfes. *sum. tract. at.* 2. *cap.* 18. *num.* 14. Bonac. *tom.* 2. *d.* 6. *quæst. vlti. punct.* 1. *num.* 2.

2 *Tenentur filij parentes amare.*

Profecto filij tenentur parentes amore prosequi, qui amor consistit in odij fuga, quod est præceptum negatiuum: & in expressione signorum amoris, quod est præceptum affirmatiuum obligans ad mandatum parentes saltem cum subest necessitas, qua prudentis viri iudicio amoris signa exhibere teneantur. Vnde grauiter peccat filius, qui parentes odio prosequitur, vel aliquod graue malum animæ vel corporis illis exoptat: v. g. expetendo illis obitum, vt quam primum ineant hæreditatem: & hæc circumstantia odij, vel iniuriæ in parentes, Prælatos, seu superiores in confessione est aperienda. Quia habet malitiam pietati parentibus debitæ oppositam. Reginal. *l.* 20. *n.* 7 & 8. Sayr *in Clau. l.* 7. *c.* 5. *n.* 7. Fill. *tr.* 28. *n.* 3. *p.* 2. Nau. *sum. c.* 14. *n.* 11. Tol. *l.* 5. *c.* 1.

3 *Tenentur eis in spirituali necessitate subuenire.*

Tenentur in spirituali necessitate parentibus subuenire. Vnde peccat mortaliter filius, si non curat, vt in mortis articulo se confessione muniat: si prohibeat pia legata facere pro animi salute: & sit eorum voluntatem à gerenda restitutione auertat. Reginal. *libr.* 20. *num.* 9. Filliuc. *tract. at.* 28. *part.* 2. *num.* 3.

4 *Tenentur eis non solam externam, sed & internam reuerentiam exhibere.*

Tenentur eis reuerentiam exhibere, non solũ externã, quę verbis, & aliis signis exhibetur: verũ, & internã, quę geritur per filialẽ submissionem velut subditi ad Superiorẽ. Hinc grauiter delinquũt filij, qui parentes animo deliberato verbis contumeliosis ad notabilem prouocant iracundiam: & qui in eos verba iactãt, quæ sũt ex se grauis iræ excitatiua, etiãsi illi re ipsa indignatione

dignatione non afficiantur. Et qui parentem percutiunt, quamvis sit percussio leuis: quia in communi hominum æstimatione grauis iniuria reputatur. Et si manum eleuet ad percutiendum cum sufficienti deliberatione. Et qui dedignantur parentem agnoscere, maledictaque in parentem vinum aut mortuum iactitat. Verum à mortali excusarem filium, qui exterius solùm simularet parentem non agnoscere ex causa iusta v.gr. si parens sit infamis, proditor, vel hæreticus. Sylvest. *v. Filij*, *q.* 22. Molfes. *sum. tr.* 2. *cap.* 18. *num.* 52. Sayr. *in Clavi, p.* 1. *l.* 2. *cap.* 56. *n.* 6. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 56. *n.* 6. Tolet. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 9. Bonac. *to.* 2. *d.* 6. *vni. pun.* 2.

5 *Tenetur parentibus obedire in iis, in quibus est eis subiectus.*

Tenetur patri obedire in iis, in quibus est illi subiectus: v.gr. in iis, quæ ad domesticam pertinent gubernationem, (modo res sit gradiuis) & ad bonos mores, animique salutem, vt in prauis amicitiis vitandis, in meretricibus, ludis prohibitis &c. fugiendis. Quia filius iure naturæ subditus est parentibus quoad domesticam gubernationem, & institutionem morum. Vnde si paterna bona dispensæt sine patris licentia mortaliter delinquet, etiamsi vnicus sit hæres. Porrò in his rebus, in quibus non subest patri, non peccat, si non obediat: v.gr. in rebus malis, & iniustis, in electione status perfectioris siue de clericatu, siue de Religionis ingressu. Imò in materia matrimonij non tenetur semper filius patri obedire. In duplici autem casu Scio mortaliter delinquere: scilicet, si contra patris voluntatem contrahat cum aliqua indigna, seu notabiliter inferioris status: vel si dignam ducat, adest tamen aliqua necessitas in familia, vt iuxta patris contrahat voluntatem. Sayr. *Clavi l.* 7. *cap.* 5. *num.* 9. 10. & 11. Regin. *l.* 20. *n.* 16. 17. Bonac. *to.* 2. *d.* 6. *q. vni. pun.* 4. Manu. *sum. p.* 1. *c.* 14. *n.* 2. Nauar. *sum. c.* 14. *n.* 15.

6 *Tenetur parentum corporæ necessitati succurrere, quantum potest.*

Tenetur corporali parentum necessitati occurrere quantum potest. Vnde grauiter peccat, qui parentes ægrotantes non inuisit, vel eorum sanitati non consulit, vel in carcere detentos, aut captos mente liberari non curat, vel in magna necessitate constitutis non succurrit: etiamsi parentes alioquin possent sibi per aliquam artem sui statui indecentem subuenire: secus si possent per artem quæ non sit suo statui decori adiuuari. D. Tho. 2. 2. *q.* 125. *a.* 5. Tolet. *l.* 5. *cap.* 1. Filliuc. *tra.* 28. *p.* 2. *num.* 3. Sayr. *l.* 7. *c.* 5. *num.* 25.

7 *Filius non potest ingredi Religionē, parentibus ad egestatem extremam, vel grauem redactis.*

Non potest filius Religionem inire patre, aut matre ad egestatem extremam, aut grauem redactis. Quia præceptum consilio est præferendum: sed eis debet subuenire, modo hæ conditiones currant. Vt paupertas sit præsens. Vt necessitas sit extrema, vel grauis: quæ talis dicitur, dum parentes possent quidem sine ope filij viuere, sed cum notabili iactura status, vt mendicando, vel famulando aliis. Vt filius remanendo in sæculo possit illiusmodi necessitati de præsenti succurrere & ingrediendo non valeat. Vt non sit alius, qui possit, ac velit subuenire. Vt filius remanendo non sit in graui ac probabili peccandi lethaliter periculo, à quo per Religionis ingressum liberetur. D. Tho. 2. 2. *q.* 101. *a.* 4. *ad* 2. Nauar. *sum. c.* 14. *n.* 13. Sayr. *in Clavi, l.* 7. *c.* 6. Sylvest. *v. Religio,* 2. *q* 7. Bonac. *to.* 2. *d.* 6. *q. vni. pun.* 5. *n.* 4.

8 *Quando teneatur filius professus egredi è Religione ad subleuandos parentes.*

Filius professus tenetur egredi Religione, etiam Prælato inuito, cum parentum necessitas est extrema: si verisimile est eum posse egrediendo illis subuenire. Si verò necessitas tantùm sit grauis & parentes in ea egestate versabantur, quando ingressus fuit filius, teneretur etiam egredi: quia huiusmodi debitum præcessit Religionis ingressum. Si autem non erat, sed post filij ingressum accidit: tunc tantum tenetur pro viribus perseuerando in suo statu, eis subuenire: quamvis posset etiam licitè permissu Superiorum egredi. Sanch. *l.* 4. *sum. cap.* 20. *num.* 14. Tolet. *l.* 5. *cap.* 1. *num.* 6. Nauar. *sum. cap.* 14. *n.* 14. Manu. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 4.

9 *Quomodo se debeat in sæculo gestare, qui egreditur è Religione ad parentum leuamen.*

Porrò si filius professus è Religione egressus ad subueniendum parentibus, suæ Religionis debet habitum gestare. Et dum manet in sæculo, debet obseruare non solùm essentialia Religionis, sed etiam maiores Regulæ obseruationes, nempè ieiunia, aut alia prout poterit. Præterea tenetur reuerti, quamprimum parentes ab illa extrema necessitate subleuauerit: & differens subleuare ex industria, vt diutius moretur in sæculo, non est in conscientia tutus. Imò tenetur redire, quandocúmque iussus fuerit à Prælato, oblatis necessariis pro necessitatis parentum subleuatione. Sayr. *l.* 7. *c.* 6. *a n.* 19. Reginal. *l.* 20. *n.* 3. Filliuc. *tr.* 28 *p.* 2. *n.* 10.

10 *Tenetur patris implere testamentum.*

Tenetur adimplere, cum primum poterit, parentum circà debita & legata testamenta. Nam ea sine causa iusta differre, peccatū est lethale. Nauar. *sum. c.* 14. *n.* 16. Filliuc. *tr.* 28. *p.* 2. *n.* 7.

11 *Quibus modis filius patriam exuit possessatem.*

Filius quidem à patria potestate liberatur, per patris mortem, per professionem Religionis filij aut patris, per promotionem ipsius ad Episcopatum: aut quando pater perpetuo fit exul, ac deportatus est, aut quando fit hæreticus, aut exponit filium infantem vel languidum, aut, alio ipsum exponente, consentit, aut id ratum habet aut quando filius emancipatur à patre coram Iudice competente, aut quando pater nuptias incestas contrahit, aut si captus bello iusto, aut seruus fit: imo alicubi, quando filius matrimonium contrahit. Reginal. *l.* 20. *n.* 23. Sa *v. Filius, n.* 23.

CAPVT II.

De Parentum erga filios obligatione.

12 *Obligationes parentum circa spiritualia ac temporalia.*

PARENTVM obligationes erga filios ad sex capita possunt reuocari. Debent subministrare eis necessaria ad vitam, si possint: & contrariū agerentes lethaliter delinquunt. Tenentur eos non transmittere ad hospitalium domos, nec eos exponere in publicis, vel priuatis, nisi in extrema aut graui necessitate. Obligantur eos bonis moribus per se, vel per alios instituere, atque corrigere. Non possunt eos diuendere absque iusta causa, qualis esset, aut propriā mortē, aut ipsorū euitandā, in casu, quo semetipsos parētes ipsi licitè diuēdere valent. Tenentur eos à seruitute liberare, vel quia capti fuerunt in bello, vel quia à patre ex aliqua serua fuere progeniti. Debent eis studiis operam dare volentibus prouidere, dummodo parentes possint, & studium sit eorum conueniens statui, filique in eo progressum efficiant. Vnde peccant paren-

tes, si absque rationabili causa filios à progressu in bono reuocent, & impediant: verbi gratiâ, si impediunt eorum vota, quæ bona parentum venia fecerunt; si ab ingressu Religionis absque iusta causa remouent: si post emissum continentię votum in ætate deliberandi vi, aut dolo ab impletione retrahunt, vel consulunt, aut cogũt matrimonium impeditos voto contrahere: si absque iusta causa inuitum filium, aut filiam coniugio colligãt: si inuitam filiam, nisi in casibus iure permissis ad Monasterij ingressum, vel susceptionem habitus, vel professionem gerendam cogunt: in quo vltimo casu per Tridentinum *sess. 25. c. 18.* excommunicantur. Item si patiantur, filias amatores habere ob malum finem, vel eas à consortio malo non curant reuocare. Nauar. *sum. c. 14. n. 17.* Filliuc. *tr. 28 p. 2 n. 21.* Tolet. *l. 5. c. 1.* Tabie. *verb. Filius*, §. 19. & alij communiter.

13 *Possunt in quinque casibus filiis alimenta denegare.*

Possunt parentes in quinque his casibus filiis alimenta denegare: si patrem accusent extra casus à iure concessos. Si ipsimet alimentis egeant ad propriam vitam sustentandam. Si filij ingratitudine excellant. Si artẽ illi habeant, aut aliquod aliud munus, quo iuxtà statum suũ possint alimenta acquirere. Si aliquid gerant eorum, ob quæ legitimè possunt à parentibus priuari hæreditate. Syluest. *v. Filius, n. 24.* Angel. *ibi, num. 21.* Filliuc. *tract. 28. part. 2. num. 25.*

14 *Ad quæ præcipuè pater teneatur.*

Porrò tria præcipuè, & generatim pater præstare tenetur. Primum est, prouidere filiis in futurum, quantum honestè possit, habita circumstantiarum particularium ratione. Secundum, non potest sine iusta causa eos exhæredare. Tertium, tenetur dotare filias etiam spurias; quia dos est loco alimentorum. Si autem pater ob inopiam non posset, mater tenetur, D. Tho. *2. 2. q. 101. art. 2.* Nauar. *sum. cap. 14. num. 17.*

CAPVT III.

De mutua Herorum Famulorumque obligatione.

15 *Quid generatim hęc circa famulum, & famulis circa harum præstare teneatur.*

IRIA præstare tenentur famuli heris suis: honorem, reuerentiam, & obsequium. Herus vicissim tria debet famulo, honestam quoad vestitum, victum, & habitaculum sustentationem: institutionem in rebus fidei, & Christianę Religionis, si Christianus sit seruus: correptionem fraternam, ne vitiosus euadat. Syluest. Angel. Armil. *v. Familia.* Azor. *tom. 2. l. 2. cap. 38. quæst. 1.* & omnes.

16 *Famulus à seruo, & operario differt.*

Certè Famulus dicitur ille, qui stipendio, & mercede se ipsum locat ad tempus in heri obsequium. Differt autem à seruo, & operario, eo quod seruus sui iuris nõ sit, & soleat à domino emi: operarius verò locat tantùm suas operas ad genus certum operis, cum famulus locet se ipsum ad seruiendum, & obsequium præstandum prout opus fuerit. Azor. *tom. 2. libr. 2. c. 39. quæst. 1.* Reginal *libr. 20. num. 57.*

17 *Famulo laboranti fideliter soluendum stipendium iustum.*

Famulo fideliter laboranti debet herus soluere stipendium iustum. Quia dignus est mercenarius mercede sua. Si verò fideliter non laborauerit, saltem infrà operis debiti latitudinem non debetur ei stipendium. Imò is famulus ad restitutionem tenetur non solum pro rata laboris omissi, quatenus non peruenit ad latitudinem infimi laboris iusti; sed etiam ad interesse, si fortè aliquod detrimentum, vel lucrum cessans subsecutum est domino conductori. Quia Famulus fuit iniusta illius causa. Casu autem, quo famulus expresè, vel tacitè contentus sit minimo pretio, aut aliquo obsequio: ad id solùm tenebitur conductor. Quia famulus potuit vti iure suo, consentiendo libere in minus stipendium, quam alioquin mereatur. Nauar. *sum. cap. 17. nu. 108.* Angel. *v. Locatio, num. 15.* Syluest. *ibid. q. 12.* Reginal. *lib. 25. num. 512.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 7. pun. 14. n. 2.*

18 *Quodnam stipendium iustum famuli censeatur.*

Censetur iustum famuli stipendium, quod passim eo loco huiusmodi ministerio solet addici, ità vt non sit minus infirmo, nec maius summo, quod dari consueuit. Vndè si famulus suæ operæ mercedem exigat maiorem summa, vel si conductor det minorem infima dari consueta: iniuriam gerit, & ad restitutionem tenetur mercedem ad proximos pretij iusti limites reducendo. In dubio autem, num stipendium sit infrà infimum, non potest famulus vti compensatione, de rebus domini subtrahendo. Ast in duplici casu stipendium potest esse infrà infimum. Primo si conductor non egeat opera alterius, sed solùm ex misericordia ad preces ipsius ipsum conducit. Secundò, si famulus sponte non petat iustum stipendium, vt dominus illi Beneficium, (v. gr.) aut officium procuret, siue vt illius conciliet amicitiam. Vasq. *opusc. de restit. c. 5. dub. 10. num. 56.* Reginal. *l. 25. n. 552.* Moli. *tract. 2. d. 506.* Lessi. *libr. 2. cap. 24. dub. 4.* Laymann. *libr. 3. tractat. 3. part. 1. cap. 1. num. 10.*

19 *Qui tradunt solùm iustum pueris pro eorum opera, excusantur.*

Equidem qui tradunt solummodo pueris victum pro eorum opera, excusantur. Quia communi æstimatione hoc reputatur iustum stipẽdium leuis puerilis operæ. Dominus tamẽ peccat, & ad restitutionem tenetur damni, quando puerũ, vel famulũ paruo conduxit stipẽdio hæc conditione, vt permitteret ipsũ litteris, vel arti operam dare, sed postea non potest. Quia non censetur famulo iustum dare stipendium, & contrà conuentionem agit. Azor. *tom. 3. l. 8. c. 13. q. 2. & 3.* Rebel. *l. 14. q. 13. n. 1.*

20 *Famulo seruienti, nulla certa constituta iusta merces est soluenda.*

Famulo, qui alicui seruit nulla certa mercede constituta, si obsequia præstet, quæ communiter solent, certa assignata mercede præstari, soluenda est merces iusta in ea regione consueta pro iisdem ministeriis, quantumvis id arbitrio domini reliquerit. Satisfaciet tamen dominus tradendo pretium infimum. Quia infimum intra latitudinem iusti stipendij continetur. Lessi. *l. 2. c. 24. dub. 4. n. 25.* Vasq. *de restit. cap. 5. dub. 10. num. 57.* Reginal. *libr. 25. num. 554.*

21 *Expellens domo famulum, nondum elapso tempore seruitij constituto, ad quid teneatur*

Herus expellens domo famulum, nondum elapso termino cõstituto, tenetur ad integram mercedis solutionem, nisi fortè ex grauissima causa ad eum pellendum adducatur. Quia conductor tenetur pensionem soluere, quando non est vsus re conducta ob culpam & impedimentum ipsius conductoris. Si verò famulus antè perfectum tempus seruitij discedat, totam mercedem non amittit, sed secluso pacto, haud est deneganda ei merces ad ratam temporis præteriti, in quo suam præstitit operam pretio æstimabilem. Tenetur tamen famulus ad

ad resarciendũ damnũ domino: vnde dominus potest, famulo ad ratam damni stipendium denegare. Azor. *to. 3. lib. 8. cap. 14. quæst. 1.* Rebel. *l. 14. quæst. 13. num. 10.* Diana *punct. 3. tract. 6. resol. 5. & 16.* Bonac. *de contr. d. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 12.*

22 *Non debetur famulo merces pro tempore agritudinis.*

Conuentione, vel consuetudine præcisa, famulo in infirmitate existenti non est soluenda merces pro tempore, quo in ægritudine detinetur. Quia dominus non tenetur soluere pensionem, quando non vtitur re conducta ob locatoris defectum. Nec tenetur dominus ex iustitia suis expensis sua in domo curare famulum si tamen in extrema, vel graui esset necessitate ex Charitate teneretur ei subuenire. Recuperata autem valetudine, & elapso termino seruiendi, non tenetur famulus in famulatu persistere, quo illud tempus, quo ægrotauit resarciat: nec tenetur dominus admittere in hoc casu seruitium famuli volentis tempus elapsum resarcire, quamdiu in infirmitate extitit. Quia famulandi onus precisè fuit temporis in contractu præscripti, quo transacto, in tempus sequens onus non remanet. Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 39.* Nauarra *de rest. l. 2. cap. 2. num. 213.* Reginal. *libr. 25. numer. 517.* Sa *verb. conditio, numer. 5.* Diana *de contr. p. 1. resol. 86.* Laym. *lib. 3. tract. 4 cap. 28.*

23 *Delinquit herus non soluens famulo stipendium in ea re, in qua conuenit.*

Delinquit herus non soluens famulo stipendium in qua conuenit, sed in alia: verbi gratiâ, qui loco pecuniæ tradit triticum, pannos, vel alias merces pretio certo, quas famulo vendidit viliori. Quia verò dominus in hoc casu minus soluit, quam debet, ad restitutionem proculdubio tenetur. Nauar. *sum. cap. 17. num. 111.* Vasq. *de restit. cap. 5. dub. 10. n. 63.* Bonac. *de contr. d. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 15.*

24 *Famulus delinquit grauiter non obediens in rebus magni momenti.*

Grauiter famulus delinquit, dum non obedit domino in magni momenti rebus; vt si delitum illi honorem non deferat, ipsum contemnendo; aut si cum fraude patrata lædit; nec impediat pro viribus, ne dominus in persona, aut in rebus damnum patiatur. Non tenetur tamen eius vitam cum propriæ vitæ periculo defendere, nisi ad defensionem vitæ domini specialiter conducatur: tunc enim id negligendo, contra iustitiam planè delinquet. Diana *p. 3. tract. 6. resol. 58.* Sayr. *in Clau. libr. 7. cap. 7. num. 12.* Reginal. *lib. 20. num. 63.* Laym. *l. 3. tract. 3. p. 1. cap. 3. num. 5.*

CAPVT IV.

De mutua Prælati Ecclesiastici ac Clerici subditi obligatione.

25 *Clerici erga Prælatum obligationes.*

CLERICI erga Prælatum ad multa tenentur. Certe in actibus internis non tenentur obedire, neque in malis etiam venialiter. In dubio de peccato, præcipienti Præsuli tenetur obedire: debet autem Prælati voluntas subdito esse denunciata. Tenetur autem in pertinentibus ad clericalem statum obtemperare: in quibus ab obedientia resilire, si res sit grauis, lethale est piaculum. At si Episcopus Clerico præcipiat, vel alteri suum resignet Beneficium, obedire non tenetur, nisi iusta adesset causa: verbi gratiâ si esset ineptus & Episcopus vellet tradere idoneo. D. Tho. *2. 2. q. 104. a. 5.* Filliuc. *tr. 28. num. 94.*

26 *Tenetur subsidium charitatiuum soluere.*

Tenetur præterea beneficiarius subsidium charitatiuum contribuere, nempe quandam pecuniæ vel rei æquiualentis elargitionem in quibusdam casibus erga Episcopos, vel alios superiores. Et quamvis dicatur *Charitatiuum*, potest tamen Episcopus subditos ad id soluendum compellere. Licet enim à principio petebatur ex Charitate, postea, adiuuante iure, ex certis causis, etiã potest ex iustitia peti. Iustæ verò illud exigendi quatuor solent enumerari. Solutio debitorum, quæ Episcopus contraxit pro tuendo Ecclesiæ suæ iure. Si magnas fecerit expensas in totius Diœcesis negotiis. Emptio rei alicuius magni momenti, ad suam Ecclesiam conseruandam. Iter factum ad Papam, vel Imperatorem, vel Regem ob Ecclesiæ necessitates. Azor. *p. 2. lib. 9. c. 14.* Filliuc. *tract. 28. num. 9.*

27 *Tenetur Episcopus residere.*

Episcopi vicissim ad multa tenentur erga subditos. Inprimis quidem ad residentiam, ad quam receptius est, iure diuino teneri: ad breue tamen tempus ex causa abesse possunt. Iustæ verò causæ absentiæ sunt Christiana Charitas, id est proximorum vtilitas. Vrgens necessitas vitæ scilicet corporalis, vel morbi periculosi. Debita obedientia Ecclesiæ vtilitas vel propriæ, vel vniuersalis. Vtilitas Reipublicæ. Certè mortale peccatum est, Episcopum absque legitima causa non residere: & toto tempore, quo non residet, omnes integros redditus pro rata amittit ipso facto, absque alia declaratione, fabricæ quidem Ecclesiæ, vel pauperibus impertiendos. Trid. *sess. 23. cap. 1.* Tolet. *lib. 5. cap. 4. num. 1.* & omnes.

28 *Aliæ ex Episcopi obligationes.*

Debet esse irreprehensibilis, vt nullo ex capite subditis scandalum, sed virtutum exhibeat exemplar. Per se debet concionari, non per alium, nisi legitimè sit impeditus. Annis singulis debet Diœcesanam Synodum conuocare in qua de rebus ad Diœcesim pertinentibus differat. Quotannis debet totam Diœcesim, vel maiorem eius partem visitare: quod per Vicarium gerendum est si iuste ipse fuerit impeditus. Debet confirmationis, ac Ordinis Sacramenta ministrare. Tenetur probos constituere Ministros, tàm ad internum, quàm ad externum forum: & circa hoc deficere ex ignorantia crassa, aut ex malitia graue est peccatum. Trident. *sess. 5. cap. 4. sess. 24. c. 2. & 3.* Bonac. *tom. 1. d. 6. q. vni. pun. 8. num. 5.* Reginal. *l. 2. num. 69.* Caiet. *v. Episcopus.*

29 *Non potest deserere Episcopatum sine Pontificis licentia.*

Episcopatum deserere non potest absque summi Præsulis licentia. Si autem videt, se munus suum implere non posse, sed non implendo delinquere, seu graue scandalum subditis exhibere, tenetur quidem Episcopatum relinquere, petita tamen facultate. *cap. Nisi cum pridem, de renunciat.* volumine vltimo.

integer redibit tractatus, cum de statu Ecclesiastico disseruerimus.

* *
*

CAPVT V.

De mutuis laici Principis eiusque subditorum obligationibus.

30 *Subditi erga Principem quatuor obligationes.*

QVATVOR sunt præcipuæ subditi ergà suum Principem obligationes. Prima, vt in rebus honestis, & iustis ei subiiciatur: vnde debet leges honestas, & iustas acceptare. Secunda, vt cogi possit à Principe, vel Republica, ad aliquid agendum, vel vitandum etiam cum periculo vitæ, vel cum pœna mortis. Quia Princeps habet ius conseruandi bonum commune, ad quod prædicta aliquando sunt necessaria. Tertia, vt teneatur legibus obedire etiam ciuilibus sub graui piaculo: quæ autem hæ sint, *Volum.* 1. in materia de legibus expressi. Quarta, vt teneatur suum Principem ab hostibus defendere, ac pro eo, si opus sit, vitam profundere. Filliuc. *tract.* 28. *p.* 2. *n.* 112. & alij communiter.

31 *Obligatio vasalli circa vectigaliorum solutionem.*

Porrò vasallus debet vectigalia soluere: imò nonas gabellas, si iustæ sint: Si non petantur, secluſa fraude, non debentur. Soluentes pœnam non tenentur ad gabellam; tenentur tamen, quando in conscientia eorum id relinqueretur. Potest non solui, quando certo scitur, non impendi gabellam in rem, ob quam est imposita. In dubio autem de iustitia pro principe est præsumendum, & soluenda etiam infideli. Filliut. *tra.* 28. *part.* 2. *nu.* 113. & alij communiter.

32 *In multis tenetur Princeps vicissim erga subditos.*

Principes sæculares vicissim tenentur in multis erga suos subditos. Vndè octo annumerantur laici Superioris propriæ virtutes: Religio in Deum Clementia, & mansuetudo. Liberalitas, Iustitia, Fortitudo, præsertim bellica. Prudentia rerum agendarum, Magnificentia in Templis extruendis, erigendis Academiis. &c. & Magnanimitas. Nauar. *sum. cap.* 25. *à num.* 1. Filliuc. *tr.* 28. *part.* 2. *num.* 125. Azor. *to.* 2. *libr.* 11. *c.* 6.

33 *Decem Principis peccata.*

Verum Principum peccata ad decem possunt reduci. Peccant in immodica regnandi libidine. In indicendo iniusto bello. In socordia, & negligentia circa artium munitionem, vndè populi pax, & securitas pendet. In non reficiendo publicas vias, ac custodiendas, vnde salus viatorum periclitatur. In non subueniendis pauperibus, & miserabilibus personis grauia incommoda ex inopia sustinentibus. In non tollendis prauis ac noxiis consuetudinibus vsurarum, contractuum lege naturali, vel Ecclesiastica prohibitorum, ludorum, aut spectaculorum cum delictorum lethalium mortali periculo. In imponendo tributa iniqua, vel antiqua sine causa augendo, vel cogendo subditos ad extruendas proprias domos, mercede non adhibita. Si iniquas leges concedant. Si Ecclesiastica iura sibi abrogent. Si cogant per vim, vel fraudem subditos facere sibi donationes: & tunc ad restitutionem tenentur. Si leges condant in suum priuatum commodum. Si cogant subditos ad certa matrimonia contrahenda, vel à contrahendis impediant. Nauar. *sum. cap.* 25. *à num.* 1. Filliuc. *tract.* 28. *p.* 2. *n.* 125. Azor. *to.* 2. *l.* 11. *cap.* 6.

CAPVT VI.

De mutua serui, & domini obligatione.

SERVORVM genera multa sunt: communes autem eorum obligationes ac præcipuæ debitum dominis honorem deferre, obedientiam præstare in licitis, & honestis, res domini conseruare, in ægritudine ei procurare Sacramenta, si alij ex familia præstantiores non curent: à malis imminentibus tutari: Filliuc. *tract.* 28. *part.* 1. *à num.* 68. 34 *Mancipij erga dominum obligationes.*

Capti iniusto bello fugere possunt, non autem qui se in seruos vendidere. Iusto autem capti bello, etiam fugere ad suos possunt, absque vitamen, aut fidei datæ deceptione. Capti apud infideles, etiam possunt fugere, & iis dari ad fugam consilium: accipere etiam à Turcis vel alij Christiani nominis hostibus possunt ad fugam necessaria. Habere possunt peculium suum mobilibus, vel immobilibus constans. Absque domini consensu inutilis est serui donatio. Et domino magis seruiendum, quàm vxori, si eo insscio, eam duxerit: Secus si sciente. In iis, quæ contrà naturale sit ius vel contra diuina præcepta, parêre non debent. Filliuc. *tr.* 28. *p.* 1. *à n.* 52. 35 *Alia, quæ serui possunt, & non possunt.*

Dominus vicissim tria debet seruo, honestam sustentationem, institutionem in rebus fidei, & coreptionem fraternam. Olim Romanis licebat seruos occidere, nunc sublata talis est potestas; si tamen occideret mancipium Dominus nihil illi deberet, nec si mutilaret. In quibusdam casibus nec etiam vendere licet. Alimenta subtrahere non potest in totum. Ex contractu aliquando seruo obligatur: & ex delicto iussu eius commisso tenetur. Ciuilis actio esse potest in quibusdam casibus Filliuc. *tract at.* 28. *part.* 1. *à num.* 68. Alibi vberior sermo recurret. 36 *Obligationes domini erga mancipium.*

CAPVT VII.

De obligatione viri ad vxorem, & vxoris ad virum.

IN viri ergà vxorem obligatio. Non potest eam in diuinis præceptis impedire in humanis verò iusta de causa potest. Non potest eam grauiter, & multò minus atrociter percutere. Quia non est serua, sed socia: at moderatè castigare iuxta culpam habita ratione personæ, conditione, & status matrimonij iure potest. Tenetur eam iniuria minimè afficere: sed potest moderatè verbis corripere, non tamen contumeliosis. Tenetur domus gubernationem quantum ad rem ac mores attendere. Tenetur cum illa cohabitare: nec potest absque iusta causa longo tempore abesse, iusta autem causa esset alicuius momenti negotium, superioris obedientia, inimicitiæ vitandæ, exilium. Nauar. 37 *Viri erga vxorem obligatio.*

uar. *ſu. c. 14. n. 19.* Sayr *in Claui, l. 7. c. 7. n. 7.* Tolet. *lib. 5. c. 1.* Filliuc *tract. 28. p. 1. a num. 1 ; 9.* Laym. *l. 5. tract. 10. p. 2. c. 2 num. 6.*

38 *Obligatio vxoris erga virum.*

Vxoris autem ergà Virum obligationes adnoto. Præter obedientiam debitam in redditione coniugalis actus, tenetur etiam in iis, quæ pertinent ad bonos mores, & familiæ gubernationem obtemperare: ità vt nolle viro obedire in materia graui præcipienti, vt velle, ſpreto viro, independenter gubernare, ſit lethale peccatum. In rixis cum viro peccare poteſt, ſi eum in blaſphemias ſua moroſitate in rixa prorumpere faciat: vel ſi ex contemptu ei debitam ſubmiſſionem non præſtet, dum præceptum eſt iuſtum. Tenetur vxor ſequi virum, quo velit eam ducere, vt ibi cohabitent, quinque exceptis caſibus: ſi mortis periculum immineret, ſi peccati mortalis ſubeſſet periculum, ſi ipſa eſſet ancilla, ſi vir vagus eſſet, & ita poſt matrimonium factus. Si in coniugio pactum interueniſſet, non mutandi locum; ſi tamen caſus vrgens mutandi contingeret, non obſtante pacto, maritum ſequi teneretur. Tolet *l. 5. c. 2* Nauar. *ſum. c. 14. num. 20.* Sylueſt. *v. vxor q. 8.* Filliuc. *tract. 28. p. 1. nu. 144.* Sayr. *in Claui, l 7. cap. 7. n 10.*

CAPVT VII.

De mutuis Magiſtri ac Diſcipuli obligationibus.

41 *Obligatio diſcipuli erga Magiſtrum.*

DIſcipvli ergà Magiſtros honorem, & reuerentiam debent. In rebus pertinentibus ad bonos mores eis, ſicut parentibus, tenentur obedire. Debẽt diligẽter ſtudiis vacare: in quo poſſunt aliquãdò grauiter delinquere ratione damni familiæ hanc ob cauſam illati. Pecuniam à parentibus traditam debẽt expendere iuxta Magiſtrorum, quorum curæ commiſſi ſunt, voluntatem, in res videlicet honeſtas. Vnde in his delinquere poſſunt, nempè ſi ob finem mortalem ſtudeant, vel ſine iuſta cauſa, ſi Academiæ ſtatuta ad lethale obligantia non ſeruent, ſi ſuffragentur indigno, aut curent alium indignum ſuffragari, ſi ſcientias vetitas, aut ſuperſtitioſas ediſcant, ſi contrà veritatem à ſe cognitam altercationes excitent non diſputandi gratia, & maximè ſi id cum ſcandalo fiat. Si demùm eum poſſint, ſtipendium Præceptori non ſoluant. Nauar. *ſum. cap. 25. nu. 59.* Filliuc. *tract. 28. p. 2. num. 149. & 150.*

Iam verò obligationes Magiſtri erga diſcipulos annotarim. Tenetur non diſſimulare diſcipulorum crimina, ſed corripere, vbi fuerit opus. Debet adhibere ſtudium, vt diſcipuli in literis promoueantur: & curam eorum gerere in rebus ad mores attinentibus, & honeſtam æducationem. Vnde cauere debet, ne animæ noxia documenta tradat: quæ eſſent, contra Fidem, aut bonos mores: aut nè falſa velut vera doceant ex induſtria. Quia hoc eſſet proculdubio mortale, ſicut etiam ſi auerteret ſcholaſticos auditores ab aliis Doctoribus cum eorum iniuria, aut auditorum damno. Tenetur præterea ſtipendia iuſto maiora non exigere. Nec ſe ad docendum exponere, ſi ſe non agnoſcat idoneum. Debet item ſe diſcipulorum captui accommodare. Et non denegare dignis Doctoratus inſigna, aut indigno concedere. Peccaret enim mortaliter præſertim in Theologia, iure Canonico, Ciuili, & Medicina. Filliuc. *tract. 28. p. 2. à n. 151.* Nauar. *ſum. cap. 5. numer. 55.* Caiet. *ſum. v. Magiſtrorum peccata.*

39 *Magiſtri erga diſcipulorum obligatio.*

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto quarto Decalogi, Problemata.

CAPVT VIII.

Circa mutuam parentum, ac filiorum obligationem.

PROBL. I.

Parens, exponens filium, quando eum alere poteſt, tenetur & non tenetur ad reſtitutionem.

40 *Casum ſuppono.*

SVPPONO, grauiter contra ius naturale delinquere parentem, qui cum filios legitimos vel ſpurios alere poſſit eos exponit in Templis, aut biuiis, aut ad ianuas hoſpitaliũ, aut in locis publicis, vel ſecretis: & teneri ad reſtitutionem pro educatione loco illi, cui expoſuit, & munus educandi ſuſcepit. Quæ quidem reſtitutio gerenda eſt pro eo tempore, quo aliis filius inſeruire non poterat. Quia poſtea inſeruiendo aliis ſibi victum poterat comparare. Tolet. *lib 5. cap. 1. num. 9.* Nauar. *ſum cap. 14. numer. 17.* Cæterum ſunt nonnullæ vrbes, vt mea Valliſoletana, & aliæ plures in Hiſpania, & in reliquis Regnis Chriſticolis, quæ habent bona aliqua publica ex prouentibus ſæcularium reddituum ad puerorum expoſitorum educationem applicata. De his dubitatim, an parens filium, quem alere poterat, ad reſtitutionem teneatur?

Non tenetur. Quia illa bona ad hunc finem communi omnium ciuium conſenſu ſunt addicta, & vnuſquiſque ciuis ſuam habet portionem in huiuſmodi bonis. Sic nõnulli quos, preſſo nomine memorat Fagũdez. 82. citãdus. 42 *Non tenetur.*

Tenetur quidem. Quia licet ea bona communi ciuium conſenſu ad hunc finem ſint applicata 43 *Tenetur ſic.*

plicata sunt tamen addicta pro alendis filiis expositis, quorum parentes inopia laborent, vt constat ex ipsa pij operis fundatione. Ita Sylvest. *v. Adulterium, num. 7. quæst. 5.* Nauar. *sum. c. 16. num. 46.* Rebel. *part. 1. de obligat. iust. l. 3. q. 10. num. 8.* Fagund. *tom. 1. Decal. l. 4. c. 1. n. 5.*

44 *Existimo teneri ad restitutionem hospitali ipsi gerendam.*

Existimo omnino, cum ad restitutionem teneri: eamque gerendam esse hospitali ipsi, vbi infantes huiusmodi receptantur. At si aliqua ex causa hospitali fieri non possit, pauperibus est facienda, aut operibus piis id sacrandum, vt communiter in materia restitutionis Doctores aduertunt; proderit enim animabus ea bona applicantium.

PROBL. II.

Pater tenetur, & non tenetur filios, & filias spurias pauperes dotare sicut naturali iure alere obligatur.

45 *Tenetur quidem.*

TEnetur quidem. Quia *cap. Cum haberet, De eo qui duxit vxorem eam, quam polluit*, id deciditur; ibi: *Vterque ad finem* (id est, tam pater quam mater) *liberis suis secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministrent.* Vbi habetur spurios alendos esse à parentibus pro suarum facultatum ratione. Vnde infertur, benè valere argumentum de alimentis ad dotem: & idem esse dicendum de illis, ac de dote. Quia dos datur in vitæ subsidium ad alendam vitam, & loco alimentorum succedit. Tenentur ergo parentes naturali iure filios & filias dotare spurias pro ratione alimentorum: sicut eodem ex iure alere tenentur & ad id possunt in forensi iudicio, cogi, si habeāt facultates. Sic Nauar. *su c. 14. n. 17.* Sylvest. *v. Alimentum, n. 2.* Bartol. *in l. finali, ff. de his quibus vt indig. n. 7.* Bald. *in l. Et ne mater. C. de iure dotium.* Sanchez *lib. 4. de matr. d. 26. num. 10. & lib. 7. d. 88. num 32.* Azor. *p. 2. cap. 40. quæst. 6.* & alij.

46 *Non tenetur.*

Minimè tenetur, si non velit, nec ad id potest in foro externo cogi. Quia non valet argumentum de alimentis ad dotē: nam alimenta dantur dietim, & in singulos menses, vel annos: dos verò simul & in vno cumulo constituitur; vnde in dote agitur de maiori parentū præiudicio, quā in alimētis. Quarè licet parētes teneātur alere, nō tamē tenētur filios spurios dotare: possunt autem si velint, id efficere. Et quia in dote erit scandalum, non autem in alimentis soluendis, videtur pater suam incontinentiam renouare, & alios suo prauo exemplo ad peccatum inducere: non sic in alimentis præstandis. Ità Panormit. *ad cap. Peruenit, de arbitr. num. 1.* Vasquez *de succes. creata lib. 2. §. 20. num. 314.* Medina *tom. 1. de iust. d. 224. num. 22.* & Fagund. *tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 1. num. 7.* hanc sententiam probabilem esse fatetur, & magis in eam, quam in primam inclinare, licet primam eligat, quia communior est, & plurium Doctorum authoritate fulcitur.

47 *Hoc puto probabilius.*

Ego autem licèt primam communiorem etiam, & vsu tritiorem æstimo, probabiliorem credo esse secundam, cui quidem adhæreo. Quia dos non constituitur primario ad alendam vitam, sed ad familiam sustentandam; parentes autem solum ductu naturæ tenentur, vitam filiorum filiarumque spuriarum alere, non autem sustentare familiam. Poterunt itaque parentes huiusmodi filios & filias si pauperes sint, dotare, si velint, eleemosynæ titulo: non tamen dotare; nec ad id possunt in foro interno, aut externo cogi.

PROBL. III.

Si filij qui votum castitatis emisāre, id sæpè ex incontinentia violent: parentes possunt, & non possunt eis suadere, vt ducant vxorem.

CErtum est, delinquere lethaliter parentes qui filium, aut filiam voto castitatis ad strictam cogunt coniugio colligari. Quæsierim verò, vtrum filio habenti votum castitatis, & in concubinatu existenti, & ità carnis stimulis agitato, vt passim succumbat, & vix se se valeat continere: licitè suadere possit, vt ineat coniugium, eique id præcipere: vt sic minus delinquat? 48 *Statum quæstionis expono.*

Potest planè. Quia ex duobus malis minus est eligendum: minus autem malum est vnum patrare peccatum, ducendo contra votum vxorem, quam plura sæpè contra idem votum sacrilegia committere. At licitum est minus malum consulere, vt maius vitetur, vt est commune affatum. Et quia filius per hoc patris consilium minime ad peccandum inducitur: nam cum ille maius peccatum, & plura peccata ex peruersæ naturæ debilitate patrare soleat, solùm tunc ad id inducitur, vt peccatum minuat, & vt saltem à parte culpæ patrendæ desistat. Sic D. Epiphan. *lib. 2. cont. hæres. 1. hær. 61.* Vbi postquam docuit, grauissimè delinquere, qui contra castitatis votum matrimonio colligantur: consulit ei, qui sæpè cadit vt matrimonium ineat. *Melius est* (inquit) *vnum peccatum habere, quam plura: melius est, lapsum paleas sibi vxorem sumere, quàm quotidie occultis iaculis fauciari.* Angel. *v. Matrimonium. 1. imped. 5.* Veracruz *part. 1. spec. a. 15. dub. vltim.* Matienzo *lib. 1. recopil. tit. 1. rub. glos. 1. num. 152.* 49 *Potest quidem.*

Minimè potest. Quia vt minus malum licitè consulatur, opus est, vt ad maius malum iam quisque sit determinatus, & vt illius perpetrationem resolutiue elegerit, ac statuerit apud se committendam: & non sufficit prauus habitus hominem ad lapsum carnis impellens. Vnde cum huiusmodi filius solum ex prauæ consuetudine succumbat, nec resolutinè electum habeat matrimonium: nunquam licitum erit post votum castitatis illi matrimonium consulere, cum id non sit consulere minus malum, sed consulere malum simpliciter. Ità Sylvest. *v. Matrimonium, 7. quæst. 5. dicto 9.* Sum. Astens. *pa. 2. l. 8. tit. 10. ar. vni. quæst. 10.* Hostiens. *sum. tit. de voto, num. 5.* Gregor. Lopez *l. 2. v. Tan tenudos. tit. 8. part. 1.* Sanch. *l. 7. de matr. d. 1. nu. 29.* Fagund. *tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 1. num. 17.* 50 *Non potest.*

Probabilius hoc longe existimo. Nam vt licita sit consultatio, & suasio minoris mali, opus est vt nullo alio remedio possit quisque à maioris mali retrahi patratione, nisi illo minori malo sibi proposito: vt docet Sanch. *l. 7. de* 51 *Hoc probabilius iudico.*

de matrimon. d. 11. num. 21. Sotus *libr. 6. de iust. quæst. 1. art. 5.* & alij. Vndè si certis coniecturis constat, nullum remedium adhuc adhibitum fuisse à filio, vt ab eo vitio emergat: & illum nondum animo statuisse matrimonium contrahere ad maius malum vitandum: nefas erit, illi vt coniugium ineat, Persuadere. Scio S. Lothum à Patribus vendicari à culpa offerentem Sodomitis filias construpandas: eo quod minus malum consuluisset. At ideò liber à crimine consulens, quia Sodomitæ maioris mali iam fecerant electionem. Verùm D. Epiphanius ibi consuluit, vt impetrata dispensatione, ac debito modo contraheret.

PROBL. IV.

Filij Catholici tenẽtur, & non tenẽtur parentibus hæreticis, Ethnicis, Turcis: & parentes Catholici tenentur, & non tenentur filis hæreticis, Ethnicis, Turcis alimenta impertire, (etiamsi conuerti nolint,) in graui necessitate.

52 *Tenentur quidem.* TEnentur quidem non solùm in extrema, sed & in gráui necessitate. Quia hæc obligatio ex iure naturæ oritur, nec inuenitur aliquod ius humanum illam auferens proteruæ infidelitatis in pœnam. Sic Azor. *tom. 2. l. 2. cap. 3. quæst. 2. & 3.* Gloss. *ad cap. 1 verb Fidelis, dist. 30.* & Castro *libr. 2. de iusta hæret. punit. cap. 7.* Surdúsque *tractat. de alimen. titul. 1. quæstion. 18. num. 3.* asserunt, semper patrem hæreticum indigentem præferendum esse extraneo Catholico in eleemosyna à filio eroganda, vt habetur *lege Regia 8. tit. 23. p. 1.*

53 *Non tenentur.* Non tenentur in graui necessitate. Secus in extrema. Quia maiori vinculo iuris naturæ est pater adstrictus ad filios, quàm filij ad patrem: natura enim descendit à parentibus ad filios, & non ascendit à filij ad patrem: Sed patres Catholici non tenẽtur hæreticos filios alere, nisi extremè indigentes, vt cum multis probat Surdus *tract. de alim. tit. 7. q. 2. à num. 6.* Ergò neque filij tenentur alere hæreticos parentes, nisi in extrema constituantur necessitate. Ità Lara *leg. si quis à liberis, §. et si impubes num. 1. ff. de liber. agnosc.* Surdus *citat. à num. 29. ad 35.* Sanch. *lib. 2. Decalog. cap. 24. num. 7.* Fagund. *tom. 1. Decalog. libr. 4. cap. 2. num. 6.*

54 *Hoc probabilius esse credo.* Hoc probabilius esse crediderim. Nam pater potest filium hæreticum priuare hæreditate, vt constat ex *Authent.* Vt cum, *de appellat. agnosc. §. Causas, & l. Regia 7. titul. 7. part. 6.* Et Sanch. *citatus*, asserit, in omnibus casibus, in quibus possunt parentes filios, ac filias exhæredare, posse quoque eis, secluśa extrema necessitate negare alimenta. Ergò filius Catholicus non tenetur parenti hæretico alimenta largiri, nisi in necessitate extrema; nec pater Catholicus filio hæretico. Nam cum hæc sint correlatiua, id quod disponitur in vno, etiam in altero disponitur.

PROBL. V.

Filius tenetur, & non tenetur patrem infidelem in extrema necessitate constitutum alere, si conetur eum à fide auertere.

55 *Tenetur planè.* TEnetur planè. Quia licèt ex fide teneatur filius patrem de infidelitate accusare, si sit hæreticus, &c. tenetur tamen ex naturæ iure in extremis constituto succurrere: nam vel hæretico pertinaci comburendo alimenta non denegantur. Sic Gloss. *ad cap. 1. verb. Fidelis. dist. 30.* Azor. *tom. 2. lib. 2. quæst. 2. & 3.*

56 *Non tenetur.* Minimè tenetur si parens, filium Catholicum à Fide conetur auertere, & nolit ab ea intentione resilire. Quia parentes, fratres, & sorores: si nos ad peccatum impellant, deserere, & odio habere tenemur, iuxtà illud Dominicum *Luc. 4. si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c.* Quod tunc intelligendum est (ait D. Thom. *2. 2. quæst. 101. art. 4. ad 1.*) quando illi filios ad deserendam fidem, & ad malum compellunt. Vndè si eos deserere tenemur: Ergò & eis necessaria alimenta ad vitam negare, si nolint ab illa intentione desistere. Sunt iam non patres, sed hostes animæ, & salutis. Ità ex D. Thoma Fagund. *tom. 1. Decalog. libr. 4. cap. 2. num. 7.*

57 *Hoc vnicè tenendum extimo.* Hoc omninò asserendum esse reor. Nam filij Catholici possunt de hæresis crimine parentes accusare, si eos à Fide conentur auertere, etiamsi sciant, parentes ob id esse igni tradendos, vt docet Tolet. *lib. 5. cap. 1. ad finem.* Ergò si possunt eos accusare Catholici filij, poterunt etiam eis abnegare alimenta, quamuis accidat inedia deperire. Addit Fagundez *num. 8.* non solùm posse eis alimenta abnegare, si à Fide illos abducere conentur; sed eos posse etiam occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, si filios ad deserẽdam fidem vi compellant, tanquam hostes naturæ humanæ iura violantes, non tamen in vincula trudere, vt fame depereant. Nam si tempus longius sit, ad Fidei Censores patet aditus, qui tunc huic morbo grauissimo poterunt mederi. Atiolan. *ad cap. 1. libri 1. Machab.* & Auctor Summulæ *ex sum. Toleti ad cap. 1. libri 5. in additiunc.*

PROBL. VI.

Fiscus tenetur, & non tenetur, ex bonis confiscatis patrum filios Catholicos extremè laborantes alere.

58 *Tenentur quidem.* TEnentur: nec vnquam in bonis patris publicantur alimenta debita filiis, imò nec eorũ legitima. Quia sicut filius nõ potest negare patri hæretico in extremis constituto præcisa vitæ alimenta: ita nec etiã pater filio: fiscus autem in loco patris succedit: Ergò tenetur filium alere. An non videtur extrema crudelitas ob parentum delicta, in quibus à culpa immunes filij reperiuntur, eos quoque velle fame perire? Sic multi Doctores apud Peregrin. *de iure fisci, libr. 5. tit. 1. à num. 34. vsque ad 44.* & apud

apud Farin. *Pract. tom. 1. p. 1. tit. de delict. & pœn. q. 24. a num. 34.*

29 *Non tenetur.* Non tenetur, sed ob crimen læsæ maiestatis & hæresis, dumtaxat negari possunt filiis alimenta ad vitam necessaria post bonorum patris publicationem. Quia etsi parentes teneantur iuræ naturæ filios alere, & fiscus loco succedat parentum: tamen ob hoc non impediuntur parentes quin possint omnia sua bona, nullis alimentis filiorum reseruatis, hypothecæ alicui subiicere, & per contractum applicare: & ex vi huius hypothecæ sæpè à creditoribus omnia vsurpantur, nullis deductis filiorum alimentis: Ergò à fortiori id poterunt per delictum: nam prior obligatio oritur ex voluntate propria parentum, posterior verò ex legis statuto ob bonum commune. Ità Imola *Clement. Pastor. num. 15. de sentent. & re iudic.* Ioan. Lupus *cap. Per vestras, notab. 3. §. 23. num. 16. de donat. inter virum, & vxor.* Simanc. *de cathol. instit. tit. 29. num. 12.* Lara *l. Si quis à liberis, §. si mater. num. 16. ff. de liber. agnosc.* Sanch. *l. 2. Decal. cap. 16. num. 15.* Bossius. *in sua pract. crimin. tit. de bonor. public. num. 8.* Fagund. *tom. 1. Decal. l. 4. cap. 2. num. 9.*

30 *Idem assero.* Certè exceptis criminibus læsæ maiestatis, & hæresis, in publicatione omnium bonorum ob alia quæcúmque delicta, semper reseruatur filiis, natis ante præfatam publicationem, sua alimenta. Profectò antè latam hæresis sententiam incursæ, & antè bonorum publicationem, grauissimum peccatum esset, filiis hæreticorum alimenta negare, & inhumana crudelitas, vt asserunt primæ sententiæ Auctores. Et idem dixerim antè sententiam criminis læsæ maiestatis incursæ: nullo enim iure id geri potest.

PROBL. VII.

Tenentur, & non tenentur naturali ex iure, parentibus filij in extrema necessitate constitutis alimenta impertire.

61 *Non tenentur naturæ iure, sed gentium.* PArentes quidem tenentur iure naturali alimenta præstare, filij verò parentibus non iure naturæ, sed iure gentium. Quia natura descendit à parentibus in filios atque adeo propensiori naturæ iure, & proximiori debent parentes liberos amare quàm liberi parentes. Deindè quia belluæ, in quibus totum ius naturæ Author disposuit elucescere hominum in exemplum, filios alunt suos, non tamen filij parentes præter vnicam cyconiam, cui id tanquam insigne attribuitur, & ob eam causam pietatis habetur in symbolum. Sic multi iuris Canonici periti, quos, presso nomine, memorat Fagund. *citandus.* Bartol. *ad l. si quis à liberis. ff. de liber. agnosc.*

62 *Tenentur naturali iure.* Filij eodem naturæ iure tenentur alimenta parentibus in extrema necessitate aut quasi extrema constitutis, qua tenentur parentes filiis prouidere. Quia parentes ac filij sunt correlatiua. Vnde quod de his dicitur, de illis necessum est dicatur. Et quia natura rationabilis strictiori iure obligat filios erga parentes, quam parentes erga filios: vt docet D. Tho. *2. 2. q. 26. art. 8. ad 3.* Nam quidquid filius habet, habet à patre, pater verò nihil habet à filio: & ideo ratione beneficij accepti tenentur filij parentibus maximè prouidere. Ità D. Tho. *citatus.* Sylvest. *v. Filij. q. 22.* Azor. *tom. 2. l. 11. cap. 6. q. 1.* Tolet. *l. 5. cap. 1. num. 3.* Fagund. *tom. 1. Decal. l. 4. cap. 2. num. 12.* & ex Iurisperitis Menoch. Cardoso, Surdus apud eundem Fagundez. Lege Rebellum *de iust. p. 2. l. 5. q. 8. num. 8.* præ omnibus doctissimè de hac re differentem.

Equidem licèt ius naturæ absolutè magis inclinet parentes, ad prouidendum de alimonia filiis, vt in belluis aspicitur: at nó ita ius naturæ rationabilis; plus enim ius naturæ rationabilis filios incl nat ad prouidendum parentibus propter beneficium totius esse, ac vitæ ab eis acceptum: quam parentes ad prouidendum filiis, cum nihil ab illis acceperint. 63 *Idem affirmo.*

PROBL. VIII.

In necessitate extrema prius succurrendum patri, quam proprio filio: prius succurrendum proprio filio, quam patri.

IN extrema necessitate prius quis succurrere debet proprio filio, quam parenti. Quia propensione naturæ plus amant parentes filios quos genuere, quam parentes, à quibus fuere ipsi progeniti: amant enim illos tanquam aliquid sui, ac proinde amant se in filiis: amant enim in filiis illud esse, quod à se acceperunt. Vnde succurrendo in ex extrema egestate filiis, quasi sibi succurrunt: prius autem sibi debent, quam parentibus subuenire. Sic Bartolus *ad l. si quis a liberis, ff. de liber. agnosc.* Angel. *v. Filius, n. 24.* & alij Iurisperiti. 64 *Prius succurrendum parenti, quam proprio filio, quã parenti.*

In necessitate extrema prius quis subuenire debet parentibus, quam propriis filiis. Quia filij totum suum esse, ac vitam, & quidquid habent, à parentibus habent: parentes verò nihil habent à filiis præter iacula, spinas, & curas, quibus maximè anguntur, iuxtà illud Iacobi *Genes. 49. Ruben primogenitus meus, principium doloris mei.* Certè eum doloris sui principium vocitat, quia cum primus illius filius esset, primò cœpit parentem curis stimulare circa vitæ illius remedium quærendum. Ità Tolet. *l. 5. cap. 1 num. 3.* Sylvest. *v. Filij. §. 16.* Azor. *tom. 2. l. 11. cap. 3. q. 16.* Schola Thomist. post. D. Tho. *2. 2. q. 26. a. 8. ad 3.* 65 *Prius succurrendum parenti, quam proprio filio.*

Porrò necessitas extrema, cum parens adeo est inops vt neque habeat victum, nec vestitum, neque industriam ad illum comparandum: & necessitas grauis, cum ad se alendum cogatur eleemosynam petere contra status decentiam: adeo filium adstringit in parentem, vt in vtráque, si possit, ei teneatur sub mortali de necessariis ad vitam prouidere: in extrema patri prius, quam filio: in graui prius filio, quam patri. Ratio diuersitatis est, quia extra necessitatem extremam sola naturalis propensio & ius naturæ præcisè à ratione consideratur in parentibus ergà filios: propensione autem naturæ magis diligunt parentes filios, quam filij parentes. At cum illos ex præcisa naturæ vi plus ament, consequens est, vt ex ipsa præcisa vi naturæ plus illis debeant extra extremam necessitatem prouidere, quam parentibus. At verò in extrema necessitate consideratur ius naturæ ratione formatæ; dictat autem naturalis ratio 66 *Hoc teneo, & expono.*

tio, vt in extremis magis diligamus eos, à quibus maiora accepimus beneficia. D. Tho. 2.2.q.26.a.8.ad 2. fatur. *Patribus secundùm rationem coniunctionis ad se ipsos naturaliter pluris sunt filij diligibiles secundum autem rationem eminentioris boni,* (id est, secundum considerationem maioris beneficij) *filius naturaliter pluris sunt parentes diligibiles.* vtraque quidem necessitas tam grauis, quam extrema adeò obligat filios, vt lethaliter delinquant, si relictis parentibus, Religionem ingrediantur.

PROBL. IX.

Tenetur, & non tenetur filius in Religione professus, ex ea exire si in sæculo melius possit parentes graui necessitate laborantes succurrere, siue necessitas ea antecesserit professionem siuè fuerit ei subsecuta.

67 *Certa suppono.*

SVppono, in necessitate extrema parentis teneri filium professum è Religione exire etiam prælatis renitentibus, vt illi opitulari valeat. Quia præceptum naturale honorandi, alendique parentes est prius & absolutius obligatione vitæ ex professionis voto: nam votum ex natura sua fuit conditionatum, hoc est: *Voueo professionem, & me nunquam habitum, ac claustrum dimissurum, nisi hoc meum votum aliquando præcepto alicui naturæ repugnet.* Tota ergo difficultas est, an non in extrema, sed in graui parentum necessitate teneatur filius professus è Religione exire, si sic parentes possit iuuare? In primis verò communis omnium sententia est, non teneri, nec posse licitè exire, si melius aut æque benè ex Religione, ac in sæculo parentes possint à filio iuuari. Solum ergo quæstio manet de iis filiis professis, qui in sæculo (non ex Religione) parentum possunt sufficienter necessitati subuenire.

68 *Tenetur exire, licet non præcesserit professionem parentum necessitas.*

Tenetur filius professus egredi petita, & non obtenta licentia ad grauem parentum necessitatem subleuandam, siuè ea necessitas antecesserit professionem, siuè eam subsequeretur. Quia tam vota, quam iuramenta quibus nos Deo obligamus, semper intrinsecè hanc secum deferunt conditionem: *Voueo, dummodò hoc Dei præcepto, aut vinculo naturalis iuris non repugnet.* At de præcepto Dei, ac iure naturali est, vt filij parentes iuuent, ac colant in graui necessitate constitutos, si possint. Et quia si ea grauis necessitas accideret antè professionis votum sufficienter impediret ingressum Religionis filiorum voto promissum: ergò post professionem in tantum impediet obligationem illius, illamque suspendet, inquantum aduersatur subsidio debito de iure naturæ parentibus, cum facta fuerit notabilis rei promissæ mutatio. Sic Anchona *de potest. Papæ, q.* 5.4. 1. Henric. de Ganda. *quodlib.* 6.*q.*9. Iansen. *concord. Euang. c.* 60. *ad illa verba, vos autem dicitis.* Viguer. *l.* 1. *Instit. moral. c.* 6.§.7. Corduba *in Regul. D. Francis. c.* 2.*q.*6.*a.*2. Citari assolent pro hac sententia Maior *in* 4. *dist.* 38.*q.*16. *concl.* 2. Adrian. *quodlib.* 1.*a.*3. *ad* 7. & Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. IV.* Palati. *in* 4. *dist.* 38. *d.* 1. *in solut. ad* 3. *fol. mihi* 853. Sed hi tres, si perpendantur accuratè, de necessitate extrema, haud de graui loquuntur.

69 *Non tenetur exire si necessitas parentum non præcessit.*

Non tenetur filius professus egredi ex Religione, si parentum grauis necessitas professionem subsequuta fuit: tenetur verò, si præcessit. Quia si parens antè professionem iam erat in illa graui necessitate, iniustè filius professionem emisit, ac proinde egredi tenetur. Et quia cum ante professionem teneretur filius parentes iuuare, transit per professionem cum eo onere in potestatem prælati; res enim semper cum suo onere in potestatem alterius transit. *c. Ex literis, de pignoribus.* At si parentum necessitas professionem subsequitur, nulla erit filio obligatio deserendi Religionem. Quia præceptum succurrendi parentibus non obligat filios ad relinquendum statum, sed intra eundem statum quem habent illos obligat; si enim filij sint coniugati, non obligat illos ad relinquendam vxorem, & habitandum cum parentibus causa illis succurrendi. Ità Tolet. *l.* 5.*c.* 1. *num.* 5. Nauar. *sum. c.* 14.*n.*14. Sylvest. *v. Religio* 6.*q.*9. Ludou. Lopez *p.* 1. *Instr. c.* 54. Rodrig. *to.* 2. *sum. c.* 6. *numer.* 4. Anton. Cucus *l.* 3. *Inst. maiorat. tit.* 1.*n.*126.

70 *Partim cum prima, partim cum secunda sententia Doctoribus conuenio.*

Ego autem partim cum primæ, partim cum secundæ sententiæ Doctoribus conuenio. Non tenetur filius validè professus egredi Monasterio, petita, & non obtenta facultate, ad parentes in graui necessitate constitutos succurrendum, siue ea necessitas daretur antè, siuè post professionem: potest tamen id efficere, si velit, præfata facultate petita, & non obtenta. Quia si filius sit Clericus, non tenebitur militiæ nomen dare vt parentes in magna necessitate constitutos iuuet: quamuis eo solo modo, eos iuuare possit, & aliter non possit; nam status illius id non patitur. Ergò neque filius professus tenebitur eos iuuare Monasterio, ac habitu dimisso; id enim Religiosus status non patitur; poterit tamen id gerere, si lubeat, petita, (vt dixi) & non obtenta facultate. Quando enim finis est licitus media vnica ad talem finem licita etiam erunt. Certè Prælati habent iustam causam concedendi Religiosis hanc licentiam, si ab eis petatur, si extrà Monasterium succurrere parentibus possint, & intrà non valeant: Ergò iustam causam habebit tunc Religiosus exeundi, ea petita, & non obtenta ratione grauitatis, ac necessitatis materiæ. Mecum Sa *v. Religio, numer.* 2. Armil. *v. Pietas, numer. vlt.* Rosel. *v. Religio* 2. *num.* 7. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 16. *c.* 2. §. 1. Corduba *sum. q.* 141. *a.* 2. Alens. 3. *p. q.* 33. *memb.* 4. *a.* 1. Manuel. *to.* 2. *qq. Regul.* Hanc licentiam possunt dare Generales, & Prouinciales. Nauar. *l.* 3. *Consil. tit. de Regularibus, in edit.* 1. *consil.* 55. *nu.* 2. *in* 2. *verò consil.* 71. *num.* 2.

* *
*

PROBL. X.

Quando Religiosus petita, & non obtenta licentia, Monasterium licitè egreditur, ad iuuandos parentes in graui necessitate constitutos: potest, & non potest licitè habitum externum dimittere. si dimisso valeat, & non dimisso non valeat parentes iuuare.

71 *Potest quidem.* POtest quidem. Quia cui conceditur finis, conceditur etiam medium necessarium ad talem finem. Sic Fagund. *to.2. Decal. l.4.c.2.nu.* 28. Nauar. *in commento 3. de Regular. num.* 49.

72 *Non potest.* Non potest. Quia huiusmodi licentia dimittendi habitum à solo Papa concedi potest, cum sit res grauissima, & tam aliena à Regulari statu, vt neque etiam Religiosus professus factus Episcopus habitum possit exuere. Vndè si solus Papa eam dare potest, minimè poterunt eam Superiores: & consequenter neque etiam ipse Religiosus habitum poterit ea petita, & non obtenta dimittere. Ità Rodrig. *to.2. sum.c.6. n.4.* Nauar. mutans consilium *l.3. Consil. tit. de Regular. Consil.* 54. *num.2. in 2. edit. Consil.* 72. *num.* 2.

73 *Existimo posse habitum dimittere, in hoc casu.* Crediderim planè posse huiusmodi Religiosum habitum dimittere, si non aliter, nec alio modo iuuare parentes valeat graui necessitati addictos, nisi illo dimisso. Nam si ei tũc licitus est egressus, cur non licebit etiam medium necessarium ad hunc finem: præsertim cum non habitus, sed virtus Religiosum efficiat. Nec est simile de Episcopi exemplo. Quia nulla necessitas Episcopum cogit Regularem ad exuendum suæ Religionis habitum vt patet. Profectò quod Prælati Religionum, qui facultatem dare possunt Religioso, vt ad tempus Religionem egrediatur ad iuuandos parentes: possunt etiam eam dare ad habitus mutationem, si sic valeat illos iuuare, & aliter non valeat. Quod clarè Nauarrus pro prima sententia citatus supponit. Docet enim præfatam licentiam non esse concedendam ab Ordinario Prælato Religiosorum, nisi quando habitu retento parentes suos commodè iuuare non possint. Ergò ex sententia Nauarri, quando aliter eos iuuare nõ possũt, poterit eisproprius Prælatus licentiã ad mutandum habitum impertire. Monuerim, quę hactenus dicta sunt de parentum necessitate, intelligenda etiam esse de necessitate reliquorum ascendentium, auorum scilicèt, & proauorum. Quia omnes illi vti parentes reputantur, & sunt hæredes necessarij decedentiam ab intestato, & descendentes eorum ad inuicem ipso iure, & ideò mutuo sibi alimenta præstare tenentur, si necessitas vrgeat.

PROBL. XI.

Parentibus, & creditoribus ad extremum redactis: tenentur, & non tenentur filij potius parentibus, quam creditoribus subuenire.

74 *Tenetur potius subuenire creditori, quam parenti.* QVandò debitor, & creditor simul ad extremam necessitatem deueniunt, tenetur debitor, potius creditori quam sibi ipsi subuenire: Ergò à fortiori tenetur potius creditoribus, quam parentibus necessaria præstare. Antecedãs probatur: quia duplici iure ac nomine ea res creditoribus debetur, & quia res est sua, & ab eo accepta fuit: debita enim nõ computantur cum bonis debitoris; & quia est in extrema necessitate constitutus: debitor autem vnico tantùm iure, & titulo eam potest retinere, ratione scilicèt extremæ necessitatis; Ergò tam ipso debitore, quam parentibus illius ad extremam necessitatem redactis, tenetur debitor eam rem potius creditori reddere, quam sibi retinere, aut ea parentibus subuenire. Sic Scotus *in 4. dist.15.q.2.a.2.* Pichard *ibi, a.5.q.4. ad 5.* Gabri. *ibid. n.2.a.2.concl.2.* Medina *de rest. q.3. clauss.4. ad 4.* Angel. *v. Restitutio, n.3.* Armil. *ibi, num.27.* Nauar. *sum.cap.17.num.60.*

75 *Tenetur, potius parentis, quam creditori subuenire.* Non tenetur debitor potius creditori, quam sibi, ac parentibus subuenire; sed sibi, & parentibus prius, postea creditori. Quia in extrema necessitate omnia quoad vsum tantùm, non quoad dominium, sunt communia. *l.2.§. Cum in re eadem. ff. ad legem Rodianam de iactu.* Fuerunt enim res à principio diuisæ sub conditione redibilitatis, vt scilicèt, in extrema necessitate ad suum priorem statum communitatis, quoad vsum tantùm redirent: vndè cum vsus ipsius rei in ea extrema necessitate factus sit communis, & alioquin magis quis parenti astringatur, quam creditori, & melior sit conditio possidentis: hinc fit, vt parente, & creditore ad extremam necessitatem deuenientibus, potius parenti quam creditori ea re debitor subuenire teneatur. Ità Azor. *to.1.l.12.c.8.q.5.* Palud. *in 4. dist.15.q.2.a.1.concl.1.* Sotus *l.4. de iust.q.7.a.1. ad 4.* Caiet. *2.2.q.62.a.5. ad 4.* Tabie. *v. Restitutio, quæst.4.*

76 *Probabilius hoc mihi.* Duplicem sententiam, valdè esse probabilem iudico, secundam verò probabiliorem. Itaque non tenetur debitor in eadem necessitate constitutus extrema, prius creditori, quam sibi succurrere; quia possidet ipse, & quia res in ea circumstantia, quoad vsum ad priorem statum communitatis rediit. Creditore autẽ, & paréte eadẽ necessitate pressis, prius succurrere debet filius debitor parenti, quã creditori subuenire.

PROBL. XII.

Esto teneatur debitor prius sibi, quã creditori subuenire, dum ipse, & creditor eadem extrema laborant necessitate. Porrò redeunte meliori fortuna, debitor tenetur, & non tenetur, id quod parenti dedit succurrendo, creditori restituere.

77 *Tenetur quidem.* TEnetur equidem. Quia in extrema illa necessitate non dominium rerum, sed vsus tantùm factus fuit communis. Quare cum dominium rei semper apud creditorem maneat, sequitur, præterlapsa ea necessitate, & fortuna meliori redeunte, rem domino suo esse restituendam. Sic Nauar. *sum.c.17. n.61.* Tolet. *l.8.c.26.n.4. in alia editione, l.5.cap.24. vers. vlt.* Vbi docet, eum qui aliquid ab aliquo in extrema necessitate accepit, vel ab eo furto abstulit, si postea ad pinguiorẽ fortunã redeat, teneri illud restituere. Medi. *C. de pœnit. tr.5. de elec. mos.* Adrian. *in 4. de rest.* Almayn. *in 4. dist.15. q.2.* Couar. *regula, peccatum. part.2. §.1. num.4.* Ioan. Andr. & Abbas *ad cap. si quis, de furtis.* Fagund. *libr.4. Decalog. cap.2. num.33.*

78 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia omnis restitutiõis obligatio, vel oritur ex ratione rei acceptę, vel ex ratione iniustæ acceptionis: Atqui is, qui consũpsit alienum in extrema necessitate cõstitutus, nõ obligatur ratione rei acceptæ, iã enim ea res apud eũ nõ extat cũ bona fide ab eo cõsũpta fuerit: Ergò nõ tenetur illã ex hoc capite restituere.

restituere. Nec tenetur etiam illam restituere ratione iniustæ acceptionis, quia bona fide accepit, & bona fine consumpit: nam omnis acceptio aut est iusta, aut est iniusta; in præsenti casu non potuit esse iniusta, nã res accepta fuit bona fide. & quia in extrema necessitate omnia sunt communia. Ità Scot. *in 4. d. 15. q. 2. a. 4.* Sylvest. *v. Furtum. q. 5.* Navarra *de restit. l. 3. c. 1. numer. 344.* Angel. *v. Furtum, quæst. 37.* Fumus *ibi. num. 10.* Rosel. *ibid. numer. 5.* Tabie. *v. Restitutio, quæst. 4.* Azor. *tom. 2. libr. 12. cap. 8. quæst. 7.*

79 *Primam sententiam probabiliorem plandò, eligo, & rebero.*

Primam sententiam probabiliorem esse crediderim. Quia si res ante extremam necessitatem deberetur ex contractu vel quasi contractu: ex delicto, vel quasi ex delicto: & postea quis in extrema necessitate positus consumeret: illã restituere deberet, vel æstimationem illius soluere, vt est communis opinio: Ergo etiam tenetur restituere, quando in summa necessitate accipit, ac consumit, si posteà ad ditiores peruentet statum, cum eadem sit ratio. Certè lege tantum charitatis, misericondiæ, ac pietatis, tenemur succurrere proximo extremè laboranti, non de iustitia: commodando scilicet, vel alio modo ei de remedio prouidentes, vel locando, quo ab ea necessitate subleuetur: non dando, nec tradendo, ac transferendo dominium illius; alioqui illi, qui alibi est diues, & in hoc loco extremè eget, teneremur ex iustitia rem dare, non commodare, aut locare: quod est dictu durissimum. Si enim teneremur illam de iustitia ei dare, poterit ille in ea necessitate hic positus, & alibi abundans, eam absque obligatione restitutionis furari, quod absurdum esse, quis non videat? Cæterum quamvis quis in extrema necessitate constitutus licitè rem accipiat, & consumat: accipit tamen, & consumit ea conditione, vt postea ad meliorem fortunam recurrens pretium illius restituat. Fuerunt enim à principio res eo pacto diuisæ: nec per consumptionem quis fit illarum dominus, sicut qui rem emit bona fide, & consumpsit; tenetur posteà, bona fide sublata, & mala fide redeunte, eam restituere; quia sub ea conditione in ipsa emptione ac venditione tacitè inclusa illam emit.

PROBL. XIII.

Filij maiores natu tenentur, & non tenentur, debita parentum soluere ex bonis maioratus.

80 *Tenentur soluere.*

Filij primogeniti, qui nihil aliud bonorum præter maioratum à maioribus institutum à patre acceperunt, tenentur soluere debita patri contracta ad familiam alendam, soluendam famulorum mercedem, domus locationem, &c. (& idem est dicendum de maioratu, quempatres instituerunt, siue, ante siue post debita contracta.) Quia ea debita parentum conuersa fuerunt in vtilitatem filiorum primogenitorum, ad quos bona vinculata maioratus spectant: At vbi res aliena conuersa est in alicuius vtilitatem, quamvis ille non acceperit, tenetur tamen in defectum accipientis, qui soluendo non est, eam soluere. *l. His solis, ff. de condit. indebiti*, vbi decernitur, ius repetendi pecuniam competere solum contra recipientem: quod intelligendum est, quando recipiens est soluendo; nam si soluendo non sit, competit etiam (iuxtà Glo. *v. Proficit*) contra eos, quibus profecit, modo illi rem eam habeant ex causa lucratiua: secus si ex onerosa: sed quando parentes pecunias mutuas acceperunt, pecuniæ illæ conuersæ fuere in vtilitatem, ac commodum filiorum, habentque illas ex causa lucratiua: lucrati enim sunt eam vtilitatem, & illud commodum, non ex causa onerosa: Ergò patre impotente ad soluendum, tenentur filij maiores natu ea debita persoluere. Sic Gabri. *in 4. dist. 15. q. 3. pot. 3. proposit.* D. Tho. *2. 2. q. 62. a. 7. ad 2.* Bartol. *l. His solis, ff. de condit. indebiti.* Lupus *rubr. de donat. inter virum, & vxorem, §. 66. n. 5. & 6.* Barbo. *l. si constanti. 25. num. 52. ff. soluto matrimonio.*

Filij primogeniti non tenentur illa debita à patre contracta soluere ex bonis suis, aut ex redditibus maioratus. Quia si Antonius v. gr. vt suis satisfaciat creditoribus multam pecuniam mutuam petat, & accipiat bona fide, putans se potea eam posse soluere, etsi postea contrarium eueniat: nemo dicet, creditores illos, quibus eam pecuniam soluit, teneri eam soluere posterioribus creditoribus, à quibus eam accepit: & tamen tota ea pecunia in illorum vtilitatem conuersa est: Ergò similiter quamvis pater inops expenderit aliquam pecuniam, quam ab illis mutuo accepit in filiorum alimentum, & vtilitem, non tenebuntur filij ex propriis bonis vinculatis ea debita soluere, quamvis in illam vtilitatem fuerint conuersa. Ità Sanch. *l. 9. de matr. d. 4. n. 28. & 29.* Alciat. *l. si eum seruum 27. ff. si certum petatur.* Decius *ibi, n. 1.* Molina *tom. 2. de iust. d. 435.* 81 *Soluere non tenentur.*

Probabilis satis hæc sententia est, sed probabiliorem planè eligo primam. Nam quandò pater est pauper, & filij diuites, tenentur filij patrem alere cum tota familia: Ergo filij maiores natu cum sint diuites, tenentur soluere debita facta à patre ad ipsos, & eorum familiam sustentandam. Et quidem alienum prorsus à ratione est, vt creditores amittant pecuniam illam, quam nobilibus gratis accommodarunt de qua constat, fuisse conuersam in commodum, & vtilitatem filiorum maiorum natu; alioquin enim liceret filiis maioribus natu habentibus bona vinculata furari, saluis bonis vinculo astrictis, ad alendos parentes, & familiam illorum, cum id perinde sit: nisi enim creditores illam eis pecuniam accommodarent, bona maioratus minuerentur magis, ac magis, ac oppignorarentur: cur ergo non tenebũtur posteà filij ad huius debita? 82 *Primam sententiam probabiliorem esse reor.*

PROBL. XIV.

Possunt, & non possunt filiæ in qualibet ætate cuicumque nubere siuè digno, siuè indigno absque metu exclusionis à dote, & alimẽtis. Quia huiusmodi pœna exhæredationis per ius Canonicum est, & non est abrogata.

POssunt ex iure patres filias exhæredare, eisque alimenta, secluſa extrema necessitate, negare, si ante vigesimum quintum annum 83 *Quæstionis status.*

annum ætatis suæ sine parentum consensu nupserint, vel peccauerit in corpus suum, vel luxuriosam vitam elegerit. Quæsierim itaque, num hodie possint filiæ in qualibet ætate cuicumque siue digno, siue indigno nubere absque metu exclusionis à dote, & alimentis?

84 *Possunt quidem.* Possunt quidem. Quia huiusmodi pœna per ius canonicum in fauorem matrimonij est abrogata. Hæc enim pœna manifestè est contra libertatem matrimonij, quam Ecclesia inuiolabilem admodum esse requirit, eaque de causa nulla pœna in ea locum habet, vt patet ex *cap. Gemma mulier, de sponsal.* quamquè Ecclesia grauiter tuetur. Trident. *sess. 24. c. 9.* ibi: *Quare cum maximè nefarium sit, matrimonij libertatem violare, præcipit Sancta Synodus Magistratibus & Principibus secularibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant.* Ergò talis pœna erit nulla, & ipso iure abrogata, cum libertatem matrimonij lædat. Sic Nauar. *sum. c. 14. n. 15.* D. Tho. *2. 2. q. 124. a. 5.* Couar. *p. 2. de matr. c. 3. §. 8. n. 6.* Ledes. *2. in 4. q. 49. a. 6.* qui *legem Tauri* 49. damnat, quæ hanc pœnam statuit in filias sinè consensu parentum nubentes. Sanch. *l. 4. de matr. d. 65. n. 2.* quamuis contrarium dicat probabilissimum.

85 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quia huiusmodi pœna per ius Canonicum non est abregata. Quia matrimonium non solum est sacramentum, sed etiam contractus ciuilis, & quo ex capite est contractus non effugit iuris ciuilis dispositionem; potest enim ius ciuile pœnas statuere, ad coercendum contrahentium abusus, & ad vitanda scandala, quæ inde & plurima, & maxima assolent oriri. Certè quamnis causæ matrimoniales, in quibus agitur de iure, ac valore matrimonij; nempe an sit validum, vel irritum? an cum peccato, vel sine peccato contractum: sint merè spirituales, & ad Ecclesiæ tribunal pertineant, vt deciditur in Trident. *sess. 24. can. 12.* tamen abusus matrimonij per pœnas coercere, & leges pœnales ad illos coercendos statuere, non est causa merè spiritualis; sed negotium est merè temporale. Sic causa hæresis merè spiritualis est, quando agitur, num hic homo fuerit hæreticus, necne? & an pœnas hæreticis statutas incurrat? & tamen ius ciuile, ac sæcularis potestas pœnas contra hæreticos statuit, ad vim hæreseos cohibendam; & validæ sunt leges, ac iustæ, minimèquè abrogtæ. Ita Rebel. *p. 3. de iust. l. 1. q. 16. sect. vlt. n. 29.* Molina *to. 1. de iust. tr. 2. d. 176.* Salon *2. 2. post q. 61. tr. de domin. q. 5. a. 5.* Vega *l. 55. sum. casu 359.* Vigeer. Ledes. & alij apud Santium *citatum n. 1.* Fagund. *to. 1. Decal. l. 4. c. 3. n. 5.*

86 *Probabile vtrumque sed mihi secundam eligo sententiam.* Æque probabilem vnam & alteram sententiam esse existimo, magis autem approbo secundam, vt mihi eligam. Nam iudico, huiusmodi pœnam non esse contra matrimonij libertatem; cum adhuc liberè, & validè possint filiæ sinè parentum consensu contrahere. Imò non solum contrahentium libertas non arctatur, sed perficitur, cum libertas ad ordinatè contrahendum pœna præscripta adimitur, seu retardatur: alioquin Deus & Angeli liberi non essent ex eo, quod peccare non possint. Nec leges ciuiles contractum matrimonij puniunt, vsumque iuris in tradenda mutua corporis potestate; sed inobedientiam, & inordinationem in hoc iure abutendo. At Tridentini testimonium nihil probare ad intentum Doctorum primæ partis reor. Neque enim negamus, causas matrimonij esse merè Ecclesiasticas, & spirituales, quæ ad iudicium Episcopi spectent; sed dicimus, aliud esse causam matrimonialem, aliud prohiberi abusum Reipublicæ sæcularis ipsis contrahentibus noxium, qui coniunctus est cum ipsa causa spirituali. Illud primum spectat solùm ad Ecclesiasticam potestatem: punire autem hoc secundum, postquam matrimonium est contractum, nihil se immiscendo, an contractus sit validus, an invalidus? an iuxta Ecclesiæ leges celebratus, nec ne? ad sæcularem attinet potestatem: ad quam eadem ratione pertinet, sancire antecedenter leges, & pœnas statuere, quibus huiusmodi abusus coerceantur, vel puniantur.

PROBL. XV.

Potest, & non potest de iure communi, ac Cæsareo filia, quæ antè vigesimum quintum ætatis suæ annum nupsit indigno, libero tamen; sine parentum consensu, exhæredari.

87 *Potest equidem.* POtest equidem. Quia quod ad patris vel matris iniuriam attinet, perinde est, indigno nubere, ac turpem vitam eligere: & ius commune hæc meritò debet paria reputare, cum non maiorem ingratitudinem committat in parentes filia, quæ absque illorum consensu turpem vitam eligit, quam quæ nubit indigno. Sic Rebel. *p. 2. de iust. quæst. 14. sectione. 2. numer. decimosexto.* Molina *de primogen. l. 3. capite 9. à numer. 32.* Couarr. *p. 2. de sponsal. cap. tertio §. octauo, numero quinto.* Glos. *ad c. de raptorib.* Barbosa *4. p. legis 1. ff. soluto matrimon. numer. 39.* Anton. Gomez. *tom. 1. variar. c. 11. numer. 12.* Iulius Clarus §. *Testamentum q. 41.* Porrò hi Auctores nituntur Authen. *Vt cum de appellationib. §. causas* vbi statuitur, vt si alicui ex parentibus volenti filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem secundum substantiæ vires adiicere: illa verò non consenserit, sed luxuriosam vitam elegerit, exhæredari posse: modò tamen illa vigesimum quintum ætatis annum non expleuerit. Nam si illos expleuerit, & parentes distulerint, ei maritum quærere, & ex eo contigerit, in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum libero homini, & non seruo nubere, parentes eam exhæredare non poterunt. *Nolumus enim* (ait Authenticum) *hoc ad filiæ ingratitudinem imputari. Quia tunc non sua culpa, sed parentum id commissse cognoscitur.*

88 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia præfatum Authenticum solummodo loquitur de filia, quæ antè vigesimum quintum ætatis suæ annum elegit, luxuriosam

rioſam vitam degere cum tamen ei pater velit dotem, & maritum dare: & nihil loquitur, nec verbum quidem de filia, quæ nubit digno, vel indigno: vt patet ex illis verbis: *ſi alicui ex parentibus volenti filiæ ſuæ vel nepti maritum dare, & dotem ſecundum vires ſuæ ſubſtantiæ pro ea præſtare: illa non conſenſerit, ſed luxurioſam vitam degere elegerit.* Ergo cum ſit quæſtio de materia pœnali, non eſt extendenda illa pœna exhæredationis de caſu ad caſum non ſolum ob paritatem: ſed nec etiam ob maioritatem rationis iuxta receptiorem ſententiam. Ità Molina *to. 1. de iuſt. d. 176. num. 48.* Fagund. *tom. 1. Decal. l. 4. cap. 3. num. 8.* Sanch. *l. 4. de matr. d. 23. num. 3.* Henriq. *l. 11. cap. 6. n. 3.* & plures alij à Santio citati.

89 *Hunc partem longe veriorem putarim.*

Certè hanc partem longe probabiliorem eſſe reor: nec contrariam approbarim. Nam poſtquam illud Authenticum præſcripſit, poſſe exhæredari filiam, quæ poſt vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, ſine patris conſenſu marito ſe ſe colligauit, mancipio tamen, & non libero: & poſtquam annumerauit caſus, in quibus parentes poſſunt filias, & filij parentes exhæredare, ſtatim adiicit: *ſed quia cauſæ, ex quibus ingrati liberi debeant iudicari in diuerſis legibus diſperſis & non apertè declaratas inuenimus: ideò neceſſarium eſſe perſpeximus, eas nominatim præſenti lege comprehendere; vt præter ipſas nulli liceat, ex alia lege ingratitudinis cauſas apponere, niſi quæ in huius conſtitutionis ſerie continentur.* Quibus verbis ſatis ius commune voluit paritatem rationis excludere aliarum cauſarum. Vndè cum in his non contineatur caſus de filia, quæ ante viginti quinque annos ætatis nubit indigno: profectò præter rationem, & iuris communis intentionem pœnam exhæredationis præfati Doctores ob paritatem rationis extendunt ad filiam, quæ nubit indigno: cum re vera non ſit vtrobiq; ratio; minor enim ignominia parentum eſt, filiam turpem vitam agere, quam indigno nubere.

PROBL. XVI.

Quando pater non exhæredauit filium, nec filius patrem de iure communi: poſſunt, & non poſſunt hæredes hoc allegare, vt ab eis hæreditatem adimant.

90 *Exprimo caſus omnes, quibus pater filium, & filius patrem poteſt exhæredare.*

PRæter caſum aſſignatum de filia nubente indigno contra parentum voluntatem; plures caſus à iure aſſignantur, in quibus parentes filium, & filius parentes exhæredare poſſit: quos operæ pretium indicare. Quatuordecim itaque caſus annumero, in quibus filij, ac filiæ à patre, aut matre exhæredari poſſunt. Si filius vel filia violentas manus in patrem, vel in matrem iniecerint. Si in eos verba iniurioſa iactitauerint præſertim in loco publico, vbi robore offundi poſſint. Si contra parentum voluntatem mimos egerint, & ſe hiſtrionibus aſſociauerint. Si veneno vitam parentum de medio ſuſtulerint, vel tollere tentauerint. Si quacumque alia via doloſè mortem patris, aut matris procurauerint. Si filius cum nouerca ſua vxore patris, aut cum cõcubina, quam pater domi habeat, aut alat, concubuerit. Si libellum famoſum obtulit Iudici contra patrem, vel matrem, & eorum delator extitit. Si pater, vel mater carcere detenti ſint, & filius maſculus ab illis requiſitus, pro illis fideiuſſor eſſe noluerit, cum tamen bona ſufficientia ad id habeat. Si filius, vel filia prohibeant, parentes agere teſtamentum; ſi enim tunc poſt eam prohibitionem, illud condere potuerint, in eo ipſo teſtamẽto, eos poterunt ob eam cauſam ab hæreditate excludere. Si pater, aut mater in furorem, vel in amentiam denenerint, & filius, vel filia, illorum neglexerint curationem cum poſſint illos curare: tunc enim ſi parentes poſtea ſanitatem mentis reſumpſerint, eos poterunt ab hæreditate excludere. Si pater aut mater captiuitate premantur, & filius aut filia libertatem illorum non procurauerint. Si parentes criminalibus de cauſis, quæ non ſint aduerſus Principem, aut patriam aut circa crimen hæreſis, accuſauerint. Si filius aut filia fuerint hæreſis crimine maculati. Iam verò caſus ſeptẽ enuncio, in quibus è contrario poſſint filij parentibus alimenta negare, ſecluſa extrema neceſſitate, atq; eos exhæredare. Nam in omnibus caſibus, ob quos licitum eſt filiis exhæredare parentes, licitum eſt etiam eis, excluſa extrema neceſſitate, denegare alimenta. Poſſunt itaque filij exhæredare parentes: ſi filiis venena propinauerint, vel alio modo curauerint, eos de medio tolli. Si pater cum filij concubuerit vxore, vel concubina domi retenta: vel mater cum marito, vel amaſio filiæ. Si filios impedierint, ne condant teſtamentum. Si modo aliquo filios amentes fecerint. Si eos in furorem, aut amentiam conuerſos non curauerint. Si à captiuitate cum poſſint, liberare noluerint. Si patres fuerint hæretici, ac Catholici filij. His præmiſſis, quæſierim, num quando pater exhæredare non potuit filium, vel filius patrem, quia cauſam legitimam exhæredationis ignorabat, vel quia ſciens, aut compos illius, commoditatem exhæredandi non habuit, exhæredaturus autem credebatur, ſi haberet: fas ſit hæredibus eam cauſam obiicere filio, vel patri poſt mortem filij, vel patris, eaque in iudicio probata, auferre ab illis tanquam indignis hæreditatem?

Id non poſſunt hæredes. Quia in Authentico *Vt cũ, de appellat. cognoſc* præſcribitur forma validæ exhæredationis: ea autẽ eſt, vt ab ipſomet patre reſpectu filij: vel filio reſpectu patris: vel auo reſpectu nepotis: vel nepotis reſpectu aui, & ſimiliũ aſcendentiũ reſpectiuè fiat inſerta cauſa: & non dicitur, quod fiat ab hæredibus: vnde cũ hæc pœna ſit, non eſt extendenda de perſona ad perſonã, & de vno caſu ad alterũ. Sic Anton. Gom. *ciũdus.* P. Molina *to. 1. de iuſt. d. 176. n. 44.* Molina *de primog. l. 1. c. 11. n. 15.* Fagund. *to. 1. Decal. l. 4. c. 3. n. 51.* 91 *Non poſſunt id hæredes.*

Id hæredes poſſunt. Quia cum ex illius Authentici præſcripto id filius reſpectu patris, & pater reſpectu filij poſſit: id etiã poterunt hæredes, quibus eadem aut filiis, aut patris iura competũt. Ità Ioan. Andr. Abbas, & alij plures, quos citat Anton. Gomez *to. 1. variar. c. 11. n. 11.* 92 *Id hæredes etiam poſſunt.*

Exiſtimo, id non poſſe hæredes. Quia paterno amore potuit pater diſſimulare filij ingratitudinem, eique parcere: & filius reuerentia, & amore intimo in patrem, illi etiam ignoſcere: & ad hæredes minimè declaratio voluntatis teſtatoris tranſit. Equidem hoc probabilius puto, licet contrarium ſatis probabile eſſe reor.

PROBL. XVII.

Præter illas causas proximo problematè assignatas, possunt, & non possunt parentes filium, & filius parentes exhæredare.

93 *Propter alias causas possunt similes, aut grauiores.*

OB alias causas æque graues pater filium, & filius patrem exhæredare potest, eique alimenta denegare. Quia nunquam fuit intentio legislatoris Authentici *Vt cum, de appellat. cognosc.* per illas causas ibi assignatas excludere omnes alias in vniuersum; sed solùm fuit, excludere alias contentas in lege aliqua antiquiori. Et quia omnes leges ratione innitũtur: & ratio postulat, vt propter alias grauiores causas, quæ passim occurrere possunt, quibus se filij aut parentes præbeant ingratiores, & magis iniurioſos in parentes, aut filios, exhæredari valeant. Sic Couar. *ad cap. Raynut. de test. num.* 17. Anton. Gomez *tom.* 1. *variarum, cap.* 11. *num.* 11. Molina *de primog. lib.* 3. *ca.* 9. *a num.* 32. Manu. à Costa §. *Et quid si tantum pater, par.* 3. *à num.* 173. asserentes, hanc esse communem opinionem.

94 *Non possunt propter alias causas.*

Ob nullas alias causas æque graues pater filium, vel filius patrem exhæredare potest. Quia in Authentico citato dicitur: *sed quia causas, ex quibus ingrati liberi debeant iudicari in diuersis legibus dispersas, & non apertè declaratas inuenimus, quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem visa sunt: aliquæ verò cum essent dignæ, prætermissæ sunt: ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim præsenti lege comprehendere; vt præter ipsa nulli liceat, ex alia lege ingratitudinis causas apponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur.* Quid apertius? Ità Imola, & alij, quos refert, ac sequitur Gregor. Lopez *ad lib.* 8. *tit.* 6. *glos. vltim.* & noster Molina *tom.* 1. *de iust. d.* 176. *num.* 48. citans Hostiensem, & adiiciens: *Certè mihi probabilissima videtur opinio Hostiensis, nec ab eo audeo recedere.*

95 *Hoc teneo.*

Nec ego recedam. Nam primæ sententiæ fundamentum à paritate, imò & à maioritate rationis, nullius firmitudinis est in rebus pœnalibus; non enim pœnæ extendendæ sunt, sed limitandæ ad casum, de quo agunt: vt est commune pronunciatum. Profectò Auctores illius sententiæ licèt per se satis sint graues, *attamen nouiores cum sint,* (ait Fagund. *tom.* 1. *Decalog. lib.* 4. *cap.* 3, *num.* 54. nostræ hærens opinioni) *aly post alios secuti sunt antiquiores, re non satis perpensa, & examinata.*

PROBL. XVIII.

Peccat, & non peccat mortaliter filius, qui non vult ducere dignam, quam pater præcipit, & aliam ducit æque dignam vxorem, sine rationabili causa ducendi præter ipsiusmet voluntatem.

96 *Mortaliter peccat.*

MOrtaliter peccat. Quia in re graui, & iusta sine causa patrem offendit. Sic Nauar. *sum. cap.* 4. *n.* 15. licèt præ breuitate non satis apertè. Gutier. *libr.* 1. *qq. Canonic. cap.* 20. *num.* 3. Petr. Barbosa *part.* 4. *lib.* 1. *ff. soluto matrimon. a num.* 33. Veract. *part.* 3. *Speculi art.* 20. *concl.* 3. Sotus, Petr. de Soto, Menoch. & alij apud Gutierrez.

97 *Non peccat mortaliter.*

Non peccat mortaliter. Quia *nec serui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio, vel de virginitate seruanda tenentur.* D. Thomas ait 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. *in corp.* Præcipuè cum multi non referret parenti, vt filius aliam duceret. Sic post D. Thomam Tolet. *l.* 5. *cap.* 1. *num.* 6. Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 13. Corduba *casu* 171. Victoria §. 267. Couar. *cap.* 3. §. 8. Henriq. *l.* 11. *cap.* 6. *num.* 4.

98 *Auctoris sententia.*

Vtramque sententiam satis probabilẽ esse reor. Ast cum Santio *libr.* 4. *de matrimon. d.* 23. *num.* 10. & aliis, opinor teneri filium sub mortali petere à parentibus consilium circa vxorem ducendam; non tamen teneri illud sequi. Quia in iis, quæ ad electionem status, ad proprij corporis sustentationem, & filiorum generationem spectant omnes homines sunt pares, nec filij parentibus subiiciuntur. Porrò ducere vxorem indignam contrà voluntatem (iustam tunc planè) patris, mortale peccatum est: secus cum sit digna: nec enim tunc parens iustè conqueri potest, nec tenetur filius eius iniustis quærelis annuere.

PROBL. XIX.

Filios suppositos, vel adulterinos tenetur, & non tenetur mater id manifestare, vt hæreditatem legitimis restituat.

99 *Statum qui fictius capiv no.*

SVppono, mulierem coniugatam finxisse sibi partum filij, quem secreto ab alia siue soluta siue coniugata accepit; suppono, fœminam coniugatam ex adulterio filium suscepisse: & quæsierim, num teneatur mater id filio manifestare cum periculo infamiæ, vel vitæ, vt legitimam, vel maioratum legitimo fratri restituat?

100 *Tenetur qui dem.*

Tenetur etiam cum periculo famæ, & vitæ id aperire filio suppositio, vel adulterino. Quia omni iure naturali, & diuino damnificantes tenentur læsis satisfacere, & fures res furto acquisitas dominis restituere: sed id ad quod iure naturæ tenemur, & diuino, non est propter vitæ periculum, aut famæ iacturam, relinquendum. Et quia si quis falsum testimonium contrà aliquem innocentem in iudicio proferat, teneretur illud in eodem iudicio retractare: non obstante quod ipsemet vel infamatus maneat, vel talionis pœna capitali afficiatur. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 6. *ad* 4. Adrian. *de restit. quæst.* 1. *dub.* 1. Palud. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *artic.* 1. Maior. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 13.

101 *Non tenetur.*

Non tenetur, non solùm cum periculo vitæ & famæ simul, sed nec etiam cum solo periculo vitæ, aut solius famæ iactura, crimen suum filio manifestare, quamvis aliis filiis mariti legitimis noceat. Quia si teneretur se manifestare, esset ratione restitutionis legitimæ, quam tenetur facere vel aliis filiis legitimis, vel mariti hæredibus: sed in materia restituttionis hæc regula est verissima: Nunquam aliquis ad restitutionem tenetur, si maius damnum indè sibi sequatur, quam sit

sit bonum, quod ex tali restitutione aduenit personæ, cui fit restitutio. Eo enim euentu debet dominus rei iuxta regulas charitatis velle, ne res sua cum grauissimo alterius damno sibi restituatur: At bona hæc temporaria sunt res modicæ comparatione famæ proximi. Certè nemo tenetur restituere pecuniam, ac res ordinis inferioris cum famæ detrimento. Ita Nauar. *sum. c. 16. n.* 43. & 44. Gutier. *l. 1. qq Canonic. c. 68. n.* 15 Couar. *regula, Peccatum n.* 3. & 50. Caiet. 2. 2. *q.* 62. *a.* 6. Castro *de potest. leg. pœnal. l. 2. c.* 11. Syluest. *v. Adulterium, q.* . Henriq. *l.* 11. *c.* 21. *n.* 3. & alij apud ipsum.

102 *Verior longè hæc mihi sententia. Plura circa hoc punctum addicio.*

Verior longè hæc mihi sententia. Nam filius suppositus, vel adulterinus matri credere nō tenetur affirmanti, illum legitimum non esse: Ergò nec illa tenetur se manifestare: cum ea manifestatio haud sit profutura. Sicut correctio fraterna non obligat, cessante spe emendationis. Nec inde speratur bonum, sed manifesta tantum sui ipsius infamatio. Profecto hæc sententia procedit etiam in mortis articulo. Nam quando mater non est diffamata, nec in mortis articulo tenetur se manifestare filio illegitimo, nisi in eo casu, quo credit, se profuturam; rarò autem poterit euenire, vt firmiter hoc credat, cum filius ei credere non teneatur. Henriq. *l.* 11. *c.* 21. *n.* 3. *Perpendat* (ait) *hoc Confessarius, nè vltra modum compellat matrem ad hanc manifestationem. Quia illa vix tenetur hoc facere propter spem parum probabilem, nec detegere crimen adulterij cum magno sui honoris detrimento etiam in hora mortis.* Et Nauar. *cons.* 1. *tit.* 18. *de filiis Presbyter. Filius* (inquit) *non tenetur credere matri dicenti sibi esse illegitimum; cum natus sit in figura matrimonij, & se debet reputare legitimum ex publica opinione,* ex fauore *legis Filium. ff. qui sunt sui iuris.* & addit, *Et ego si talis essem, ita facerem.* Cæterum quamvis hæc vera sint, tenetur tamen adultera secretò satisfacere, si potest, competenter absque sui manifestatione damnum filiis legitimis illatum & ideo si tertiam bonorum partem habeat, aut bona aliunde acquisita, tenetur ea aliis filiis legitimis relinquere. Henriq *citatus* Nauar. *sum. c.* 16 & 17. *n* 201. & alij communiter. Præterea tenetur suadere filio illegitimo, vt eam Religionem ingrediatur, in qua professus non succedat in bonis; vt sic saltem quo ad possit, restitutionem faciat: & hoc illi Confessarius debet iniungere. Ad hoc tamen mater non tenetur ex iustitia, sed ex charitate, vt adnotat Henriquez Si autem mater se filio illegitimo manifestauerit, ad quod (vt dixi) non tenetur, & tot vrgeant coniecturæ, vt ille indubitanter credat, se esse illegitimum tenetur hæreditatem, & maioratum aliis restituere: stultè tamen aget, id credendo. Nauar. *c* 17. *n* 48 Et quidem si iam mulier erat de adulterio infamata, vel suppositionis, seu ficti partus, & credat se sine periculo mortis id reuelare posse, & quod maritus, & filius illegitimus ei fidem sint habituri: tenetur, reuelare. Quia concurrentibus hisce circumstantiis, nulla datur excusationis causa. Nauar. *c.* 16. *n.* 45. Denique si illegitimus ex errore facti putans se legitimum, possidet bona fide ea bona annis triginta: quamvis postea constet se esse illegitimum potest ea tuta conscientia iure præscriptionis retinere: haberque ius excipiendi contra hæredem qui bona peteret. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 21. *num.* 2.

PROBL. XX.

Si legitima restituenda filio legitimo sit illustris maioratus, Regnum, Ducatus, Comitatus: mater adultera, vel suppositi partus rea, tenetur, & non tenetur, id manifestare.

103 *Tenetur planè.*

SEcluso vitæ periculo cum sola famæ iactura, manifestare tenetur. Quia comparanda est æstimatio famæ cum debiti æstimatione: fama enim pecunia est compensabilis: & si valor debiti valorem famæ excedat, obliganda est fœmina se adulteram manifestare. Et quando non Regnum, Ducatus &c. famæ excedit valorem? Sic Couar. *regul. Peccatum, num.* 6. Sotus *l.* 4. *de iust. q.* 6. *art.* 6. & *q.* 7. *a.* 2. & omnes qui dicunt, comparandam esse æstimationem famæ cum æstimatione debiti, nempè Adrian. *de restit. q.* 1. *dub.* 1. Palud. *in* 4. *dist.* 27 *q.* 1. *a.* 1. & Maior. *dist.* 15. *q.* 13. & alij.

104 *Minimè tenetur.*

Nec cum solius famæ periculo tenetur adultera, aut qui suppositi filium, se manifestare, licet maioratus, Ducatus, & Regnum admodum famæ illius valorem excedat. Qua cum fama si ordinis superioris, nullam recipit æstimationem, aut compensationem, sicut nec vita, Prou. 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Ità Caiet. 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. Nauar. *sum. c.* 16. *num.* 49. Gutier. *l. qq. Canon. cap.* 38. *num.* 27. Fagund. *tom.* 1. *Decal. l.* 4. *cap.* 5. *num.* 15. & alij.

105 *Hoc ferè certum esse credidi quam edocet Gutier. citat. num.* 3. Abbas *ad cap. Officij, num.* 4 Bartolus *ad l. Filius, ff. de iis, qui sunt sui iuris* Menoch. *de arbitr. l.* 2. *cent.* 1. *casu* 89. *num.* 17. multos citans. Nauar. *cap.* 27. *num.* 201.

Hoc ferè certum esse crediderim. Nam filij illegitimi non tenentur matri credere se se manifestanti vt fert communis sententia, ac. Ergò nec mater tenetur se manifestare, nec etiam in eo casu, quo valor hæreditatis famæ excediat valorem (esto huiusmodi casus detur) & ideo nec Confessarij eam in foro conscientiæ obligare poterunt ad se manifestandam, nisi veritas adulterij tam euidens sit, & illa de eo adeo infamata vt nulla possit tergiuersatione celari. Hinc patet filium illegitimum in figura matrimonij natum posse sacris ordinibus initiari absque alia dispensatione, etiamsi mater ei contrarium affirmet. Quia neminem fraudat, & vtitur iure suo, dum fama se, ac publico honore tuetur.

PROBL. XXI.

Adulter tenetur, & non tenetur legitimis amasia filiis damnum restituere, in eo casu, quod ea prolem suam agnoscit, & nullam habet probabilem rationem de contrario dubitandi.

106 *Multi ignorantia supponunt.*

CErtum mihi adulterum, qui ex aliena vxore filios suscepit, non teneri ad vllam restitutionem, vel compensationem agendam pro alimento, & legitima, imo nec pro maio-

ratu aliorum filiorum ex toro legitimo, nisi ei certo, & euidenter moraliter constet, prolem esse suam, non constare autem id moraliter certo, quando probabilem habet rationem dubitandi de contrario. Quia in dubio in materia de iustitia melior est conditio bona fide possidentis. Lessi. *lib. 2. de iust. cap. 20. dub. 6. n.* 39. Certe tandiu habet probabilem dubitandi rationem, quandiu fundatur in adulteræ leuitate, in sinistrauè fama illius: vt si cum alio etiam commisit adulterium: vel si illa quoque dubitet, an filius ex marito sit, an ex adultero. Henriq. *lib. 11. cap. 21. num.* 3. si soluta mulier cum duobus conuersetur, neuter eorum tenetur credere, prolem esse suam. Imo licet Titius suam esse credat, quod de facie constet indicium; & Sempronius eam suscipiat, nutriat, dotet, & diligat: non tenetur Titius eam suscipere, nec Sempronio satisfacere: quando quidem ille vel sua leuitate, vel mulieris impostura deceptus est. Quia constat, illam alium admisisse: & tu non teneris adulteræ, aut solutæ credere tibi asserenti, aut iuranti prolem esse tuam. Lessi. *l. 2. de iust. C. 10. dub. 6. num.* 39. Sotus *l. 4. de iust. q. 7. art.* 2. Ast si adulter, vel solutus rebus pensatis maiorem probabilitatem habet, prolem esse suam: adhuc existimo, ad nihil teneri. Quia re vera habet adhuc probabilem rationem dubitandi. Fagund. *tom. 1. Decal. l. 4. cap. 6. num.* 4. Denique si nullam habet dubitandi rationem, quod proles ad eum pertineat, tenetur restituere alimenta illius à tertio anno in posterum, quamvis non suaserit suppositionem, aut imputationem alteri factam. Dixi, *A tertio anno in posterum*: quia vsque ad tertium tenentur matres suos filios alere suis expensis: à triennio autem in posterum patres obligantur. Colligitur ex *cap. 1. de conuers. infidel.* & probat Glos. ibi. Iam ad præcipuam deueni difficultatem, vtrum adulter teneatur damnum restituere filiis legitimis in eo casu, quo prolem esse suam agnoscit, & nullam habet rationem de contrario ad dubitandi?

107 *Non tenetur, si non fuit imputationis author.* Non tenetur, modo non fuerit imputationis author. Quia adulter vera non est causa damni proxima, efficax, & per se, sed est causa remota, & per accidens, nec in adulterij patratione intendebat, vt adultera ea fraude vteretur, vel suppositione, si ex adulterio illo proles nasceretur: nec consilium ad eam fraudem agendam dedit; sed solùm intendebat suæ libidinis explere voluptatem. Sic Sotus *lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 2.* Henriq. *lib. 11. cap. 21. num. 3. litter. Y.* & Lessi. *libr. 2. cap. 10. dub. 6. num.* 42. dicit, esse probabilem.

108 *Tenetur etiàm si non fuerit author imputationis.* Tenetur plane ad restitutionem pro expensis educationis à triennio & vltra, & pro legitima aliis filiis legitimis, & ea damna resarcire, si vndè habeat, vel ex tertia suorum bonorum parte, vel aliundè in defectu matris, siuè fuerit author, & suasor talis impositionis, siuè non fuerit. Quia non expedit in re tam nefaria fauere adulteris ideòque excusare. Et quia re vera ille adulter causa iniusta iniusti damni fuit, & damnum à parte rei datum fuit iniquo modo, & per iniuriam mariti committendo adulterium cum coniugata: vndè moraliter fuit causa efficax damni: Ergò de iure naturali id tenetur resarcire. Ità Gutier. *l. 1. qq. Canonic. cap. 38. num. 33.* Syluest. *verb. Adulterium, quæst. 5.* Corduba *sum. quæst. 31. dicto 4.* Lessi. *citat. à num. 42. ad 45.* Nauar. *sum. cap. 14. num. 48.* Caiet. *2. 2. qu. 62. art. 6. ad 2.* Palud. *in 4. dist. 15.* Angel. *verb. Adulter. §. 4.*

Cum his opinor. Quia difficile mihi admodum, hoc damnum secutum fuisse ex adulterio per accidens. Nam cum fraus impositionis secutur ex adulterio, & ex illo damnum: indè est, quod volens adulterium, necessariò vult fraudem, & damnum; qui autem vult per fraudem damnum alteri dare, & de facto dat: tenetur illud resarcire. Actio namque adulterij erat contrà iustitiam, & ex illa communiter loquendo oritur fraus suppositionis; quare qui vult adulterium, necessariò vult suppositionis effectum, qui ex illo communiter resultat. 109 *Cum his opinor.*

CAPVT IX.

Circa mutuam Mariti, & Vxoris obligationem.

PROBL. XXII.

Tenetur, & non tenetur maritus è patria recessurus secum deferre vxorem si illa eum velit comitari, in iis casibus, in quibus ei licet, ab ea, vel inuita diuertere.

110 *Certa suppono.* QVAMVIS cohabitatio coniugum sit de iure naturali, & diuino; (quia non minor est obligatio cohabitandi, quam reddendi debitum) permittitur tamen viro diu abesse inuita vxore ex causa iusta: verbi gratiâ, si Princeps eum ad bellum conducat. Si id necessarium sit ad gubernationem domus, & rem familiarem tuendam. Quia in his ac similibus euentibus irrationabiliter est vxor inuita: neque enim tenetur vir ei morem gerere cum bonorum iactura, aut præbendo se Regi inobedientem. Nam in ipso matrimonij contractu pollicentur sibi coniuges mutuam operam, & ex illo tenetur vir vxorem, & familiam sustentare, ac gubernare. Sanch. *lib. 9. de matrimon. d. 4. num.* 13. Quæritur autem, an in iis casibus, in quibus marito licet recedere ab vxore etiam inuita, teneatur secum deferre vxorem, si illum ea velit comitari?

111 *Tenetur quidem.* Tenetur planè. Quia *cap. Quod super, de Voto*, deciditur, virum in peregrinatione Terræ Sanctæ abeuntem teneri deferre vxorem illum volentem comitari, ac remanere nolentem. Quod etiam habetur *in l. fin. titul. 8. part. 1.* Sic nonnulli docti Iurisperiti, quibus videtur, partem hanc ex his textibus clarè probari.

112 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia cum necessariò multæ expensæ gerendæ sint ad vxoris cum viro profectionem, variáque inde incommoda viro resluant, irrationabiliter vxor erit inuita: nec textus citati cum tanto viri onere sunt exponendi si quidem ratione nituntur. Ita Sanch. *l. 9. de matr. d. 4. n. 14.* Fagūd. *to. 1. Decal. l. 4. c. 7. n. 12.*

Ego

113 *Auctoris resolutio.*

Ego quidem existimo, si vir proficiscatur statim reuersurus, aut notabilem moram facturus non vno in loco, sed in diuersis, non teneri secum vxorem adducere comitari volentem; quia id esset magno impedimento, & sumptu marito. Quare tunc vxor nolens remanere, esset irrationabiliter inuita. Si verò maritus vno in loco sit diù habitaturus, & illi non sint necessariæ graues expensæ ad traducendam vxorem, tenebitur secum adducere. Quia tunc rationabiliter vult vxor virũ suum sequi: & in hoc casu textus citatos intellexerim. Potest tamen vir cum sit caput vxoris breuem aliquam profectionem inire, & peregrinationem vouere absque illius consensu: non tamen longam poterit, ea inuita, promittere, & exequi. Quia Deo non placent vota, quæ sunt cum alterius damno implenda; quale esset huiusmodi Votum, quod in debiti ac cohabitationis præiudicium esset implendum. Sylvest. *verb. Votum* 5. *quæst.* 1. & omnes.

PROBL. XXIII.

Vota longæ peregrinationis coniugis sunt, & non sunt ipso iure irrita.

114 *Sunt ipso iure irrita.*

QVæsierim, num vota longæ peregrinationis, vel diuturnæ absentiæ emissa ab vno coniuge, altero ignorante sint ipso iure irrita, imò potius valida, donec ab altero, in cuius præiudicium fiunt, irritentur? Sunt quidem ipso iure irrita, ac proinde nulla indigent irritatione. Quia vouit rem sibi prohibitam, & præiudicium alteri coniugi afferentem: ac proindè facit votum vinculum iniquitatis; sicut faceret, si voueret, se minimè debitum redditurum. Sic Sotus *libr. 7. de iust. quæs. 3. art. 1.* Manu *tom. 1. sum. cap. 90. num. 7.*

115 *Non sunt irrita ipso iure.*

Non sunt ipso iure irrita. Quia votum longæ peregrinationis, vel abstinentiæ non opponitur directè matrimonio, nec coniugali debito: sed est aliquod grauamen alterius coniugis; quare validum erit, & obligabit: licitum tamen erit alteri coniugi ab eo dissentiri, illúdque irritare. Ità Caiet. 2. 2. *quæs.* 88. *artic.* 8. Sanchez *libr. 9. matrimon. d. 3. num.* 8. Turrecr. *ad cap. sunt quædam* 17. *quæs. 1. num. 9.* Angl. *in floribus part. 2. quæs. vni. art. 7. post 9. difficult. dub. 5. concl. 1.* Nauar. *sum. cap. 12. num. 62.* Ludou. Lopez *part. 1. Instruct. cap. 46. §. Mulier vxor.* Fagund. *tom. 1. Decalog. libr. 4. capite 7. numero 16.*

116 *Resolutio Auctoris.*

Crediderim, huiusmodi votum licitum, ac validum esse: non posse tamen impleri, nec obligare, donec alteri coniugi sit manifestum, & ille id approbet: quare nec coniux vouens absolutè, peccabit, (nisi expresè intenderet se obligare contrà alterius coniugis voluntatem: & tunc votum esset ipso iure naturæ irritum.) Quia hoc votum pendet à voluntate alterius, & licitum est vouere rem ab alterius voluntate pendentem sub ea conditione, si ab altero approbetur. Sic Religiosi sæpè vouent rem sibi prohibitam, & pendentem à Superioris voluntate, quam tenentur exequi, si Superior votum approbauerit: & votum est validum, donec à Superiore irritetur. Nec est simile de voto non reddendi debitum, nam illud ipso iure est irritum. Quia est directè emissum contrà matrimonij fidem: & est Votum de præstanda Deo re aliena: habet enim alter coniux dominium in alterius corpore quoad debitum, quod in actionibus ipsius coniugis liberis non habet.

PROBL. XXIV.

Coniux Catholicus tenetur, & non tenetur admittere coniugem hæreticum, si post sententiam de hæresi latam ab eo diuerit conuerso, & velit in sæculo sic remanere.

117 *Status quæstionis.*

COnueniunt Doctores teneri coniugem Catholicum coniugem conuersum ab hæresi admittere, quando ab eo antè sententiam hæresis, & iudicium Ecclesiæ propria authoritate se separauit. Quæstio autem est, an teneatur coniux Catholicus admittere coniugem hæreticum conuersum, si post sententiam hæresis ab eo recessit, & velit sic ab illo separatus in sæculo remanere?

118 *Tenetur si vel à in sæculo manere coniugem hæreticum admittere.*

Coniux Catholicus recedens à coniuge hæretico conuerso, post Iudicis sententiam de hæresi, non tenetur ad eum redire, siuè illum admittere, si velit Religionem ingredi: tenetur autem si velit, in sæculo manere. Quia *cap. fin. de conuer. coniug.* diuertenti post sententiam non conceditur plena libertas ad manendum in sæculo, sed limitata, vt Religionem ingrediatur: Ergò si ad Religionem non transierit, minimè eximetur ab obligatione alendi, admittendique vxorem, si ipsa sit, quæ conuertitur: vel reuertendi ad virum, si ipse sit, qui conuersus est. Sic Glossa *ad cap. fin. verb. Iudicio.* Abul. *ad cap.* 19. *Mat. quæst.* 76. Veracr. *part. 3. spec. art. 2. concl. 5.* Sanch. *libr. 10. de matrimon. d. 15. num.* 18. Manu. *tom. 2. sum. cap. 230. num. 2.* Hostiens. Ioan. Andre. Alex. de Næuo. Sum. Astens. Iulius Clar. Surdus apud Sanch. Sotus *in 4. dist. 39. q. vnic. art. 4. ad 3.* Graf. *part. 2. decis. libr. 1. cap. 12. numer. 73.*

119 *Non tenetur etiam si velit manere in sæculo, admittere coniugem hæreticum.*

Si coniux post sententiam Iudicis de hæresi ab alio coniuge diuertit, non tenetur illum admittere, vel ad eum reuerti, etiam si in sæculo maneat: sed liberum ei est, illum admittere prout maluerit, ac si adulterio carnali commisso, diuertisset. Quia Ecclesia in pœnam hæresis in iudicio contractæ facit ius coniugi Catholico in perpetuum diuertendi ab hæretico, etiam si resipiscat: & ita hoc diuortium esse pœnam ait Castro *lib. 2. de lege pœn. cap. 4.* & Sanch. *libr. 10. de matrimon. d. 15. num. 9.* & 19. & Valent. *in contr. l. vni. de insolubil. matrimon. cap. 6.* vbi ait, posse Ecclesiam in pœnam semel commissi criminis diuortium perpetuum concedere, *Sicut contingit in hæresi, quando disceditur ex peculiari iudicio Ecclesiæ*, & Henriq. *l. 11. c. 17. n. 6.* docet, hæresis damnatũ cẽseri inter alias pœnas dãnati pœna diuortij perpetui. Itaque potest coniux si velit, in sæculo manere. Quia *in c. fin. de conuers. coniug.* præscribitur, posse quidem coniugem ad Religionem conuolare: non autem non posse, etiamsi velit, in sæculo manere. Neque enim hæc

hæc est apta consequentia: Potest ad Religionem transire: ergo non potest in sæculo remanere. Ità Monald. *sum. tit. de disp. cultu.* Angel. *v. Matrimonium* 4. Couarr. 4. *Decretal. p. 2. c. 7. §. 5. n. 5.* Matienzo *l. 1. recopil. tit. 1. glos. 1. nu. 8.* Fagund. *to. 2. l. 4. c. 8. n. 10.* Castro *l. 2. de iusta hæret. punit. c. 7.* Rojas *de hæret. p. 2. assert. 40. num. 211.* & alij plures.

120 *Secundam eligo sententiam.*

Ego autem quamuis aliquando primam sententiam veriorem esse credebam propter textum *capitis fin. de conuers. coniug.* attentius tamen perpendens verba crediderim secundam sententiam esse probabiliorem. Nam textus non loquitur expresè de hac re, neque definit non posse coniugem Catholicum in sæculo manere absque obligatione admittendi coniugem hæreticum damnatum de hæresi per Ecclesiæ sententiam; sed tantùm dicit, posse, prædicto coniuge nolente, ad Religionem transire Catholicam, vbi enim in pœnam coniugis damnati conceditur Catholico libertas transeundi ad Religionem, provt maluerit. Vnde non coarctanie diuertendi facultatem coniugis Catholici ad ingressum Religionis tantùm: sed explicauit casum Religionis, supponens, posse etiam manere in sæculo: & sic exposuit casum difficiliorem, supponens tanquam verum minus difficilem. Si enim solum diceret, eximi coniugem Catholicum ab obligatione reddendi debitum: & cohabitandi cum hæretico conuerso: non indè sequeretur habere licentiam ineundi Religionem; nam ratione affinitatis amittit coniux ius exigendi debitum, ità vt alter non teneatur reddere, & tamen non indè sequitur, posse alterum ad Religionem transire.

PROBL. XXV.

Vt coniux Catholicus valeat perpetuò separari à coniuge hæretico conuerso: requiritur, & non requiritur specialis sententia diuortij: & sufficit, & non sufficit condemnatoria hæresis sententia.

121 *Specialis diuortij sententia requiritur.*

NOn sufficit condemnatoria sententia hæresis, sed requiritur specialis sententia diuortij. Quia sæpè sententia hæresis fertur in occulto, nec de illius tempore publicè constat. Ergo vt constet cunctis, coniugem Catholicum iuste à coniuge hæretico conuerso seiungi, necessaria erit specialis diuortij sententia. Sic Ouand. *in 4. dist. 39. d. vni propos. 13.*

122 *Non requiritur specialis diuortij sententia.*

Sufficit condemnatoria sententia hæresis, nec requiritur specialis diuortij sententia. Quia diuortium est quædam hæresis pœna: vndè eo ipso quod coniux, hæreticus declaratur per iudicis sententiam, simul pœna diuortij damnatur: sicut consequenter etiam damnatur pœna amissionis bonorum, & honoris. Ita Sanch. *l. 10. de matr. d. 15. num. 20.* Castro *l. 2. de iust. hæret. punit. c. 7.* Couar. *4. Decretal. p. 2. c. 7. §. 5. n. 5.* Barbo. *Rubri. p. 2. n. 21. & 22.* Sotus *in 4. dist. 39. q. vni. a. 2. ad 3.* Henriq. *l. 11. c. 17. num. 6.* Ludou. Lopez *p. 2. Instr. c. 54.* Graf. *p. 1. decis. l. 2. c. 84. num. 16.*

123 *Hoc dicendū existimo.*

Dicendum existimo, minimè desiderari diuortij sententiam sed iudicium Ecclesiæ requisitum nullum aliud esse, quam sententiam Iudicis Ecclesiastici, qua declaratur, illum fuisse hæreticum; qua sententia data, sine vlteriori sententia diuortij integrum est coniugi Catholico omninò diuertere & vel manere in sæculo, vel ad Religionem transire. Nec opus est, in actu publico huiusmodi hæreticum coniugem per Iudicis sententiam damnari: si enim re vera declaretur per illam, eum fuisse hæreticum, & vt talis habitum pœnitentium induatur, & reconcilietur quamuis in occulto, & inter priuatos parietes id fiat, sufficit planè. Quia semper verificatur, præcessisse Ecclesiæ iudicium, & sententiam declaratoriam hæresis: quam declarationem statim sequuntur pœnæ hæreticis in iure statutæ, quarum vna est diuortium perpetuum.

PROBL. XXVI.

Post sententiam latam, qua vxor declaratur hæretica, potest, & non potest eius vir sacris ordinibus, manens in sæculo, initiari: sicut potest, si velit, ad Religionem transire, ea inuita, & renitente.

MInimè potest. Quia Religionis ingressus expresè permittitur, & conceditur cõiugi Catholico *c. fin. de conuer. coniug.* ibi: *Mulier, quæ in Fide permansit, potest, nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad Religionem liberè conuolare.* transitus verò ad sacros ordines in sæculo manendo nullibi in iure expresè permittitur. Et quia Extrauag. *Antiqua Ioann 22. de diuort.* habetur, nulli licere ad Sacros Ordines transire, nisi vt in sacris canonibus permittitur: At nullus est canon permittens viro Catholico, vt sacris Ordinibus initietur manens in sæculo, inuita vxore post sententiam hæresis illius. Sic Angl. *in florib. p. 1. de matr. q. 12. de dispari cultu a. 2. post dub. 7. diffic. 1.* Cannedo *sum. vbi de matr. c. 7.* Ludou. Lopez *p. 2. Instr. c. 54.* 124 *Minimè potest.*

Potest omnino. Quia eadē est ratio de transitu ad Sacros Ordines, atque ad Religionem, cum vtrobique detur perpetuum solemnis castitatis votum, & consequenter perpetua status mutatio. Vndè cum in iure expresse concedatur coniugi Catholico transitus ad Religionem, inuito altero coniuge de hæresi in iudicio conuicto, & iam conuerso: consequenter etiam expresse conceditur transitus ad ordines sacros: maximè quia hoc est fauor coniugis innocentis, & fauores sunt ampliandi. Ità Sanch. *l. 10. de matr. d. 15. n. 21.* Rodrig. *to. 1. sum. c. 230. n. 2. concl. 2.* Vega *to. 1. sum. c. 89. casu 3.* Sotus *in 4. dist. 39. q. vni. a. 4. ad 3.* Palati. *in 4. dist. 25. q. vni.* Fagund. *to. 2. Decal. l. 4. c. 8. n. 13.* Barbo. *in rub. 2. p. n. 20. ff. soluto matrim.* 125 *Potest omnino.*

Hanc sententiam probabiliorem admodum esse crediderim. Quia hæc est regula generalis: (quam tradunt Sylvest. *v. Diuortium, q. 17. nu. 20. dicto 1.* Navar. *l. 3. consil. tit. de conuers. coniug. conf. 10. n. 4.* Henriq. *l. 11. c. 8. nu. 10. & l. 12. c. 5. n. 10.* & Sanch. *l. 10. de matr. d. 12. n. 16.*) Quoties licet viro ad Religionem connolare vxore hæretica reconciliata in sæculo manente, ac renitente; 126 *Hæc longè mihi verior.*

tente; licet ei quoque Sacris Ordinibus initiari in sæculo manendo, nisi aliunde adsit impedimentum irregularitatis, bigamiæ, natalis, &c. Neque est opus, vt coniux de hæresi damnatus & reconciliatus ad Religionem transeat, vel in sæculo manens continentiam promittat, vt huiusmodi transitus ad Ordines Sacros, vel Religionem sit licitus coniugi catholico. Quia facultas concessa catholico innocenti nullam debet vim inferre coniugi hæretico reconciliato.

PROBL. XXVII.

Post adulterium potest, & non potest vir innocens Sacris Ordinibus initiari, inuita, & reclamante vxore adultera, sicut ad Religionem potest conuolare.

127 *Non potest.* NOn potest. Quia in iure expressum est, vt coniux possit ob adulterium spirituale hæresis conuictæ in iudicio alterius coniugis, ad Religionem conuolare, non autem ad sacros Ordines, vt patet *cap. fin. de conuers. coniug.* Ergo idem est dicendum ob eandem rationem de adulterio carnali. Sic Innoc. *ad c. Veniens, de conuers. coniug.* & *ibi* Hostiens. *nu.* 8. & 9. Ioan. Andre. *num.* 4. Butri. *num.* 4. & hoc dicit esse tutius Cardin. *ibi, in fine.* summa Astens. *part.* 2. *l.* 4. *tit.* 11. *art.* 2. *quæst.* 9. Gutier. *qq. Canon. lib.* 1. *cap.* 25. *numer.* 13. Graf. *part.* 2. *decis. libr.* 1. *cap.* 12. *num.* 64.

128 *Potest omnino.* Potest omninò. Quia adultera omni iure coniugali destituitur, vnde cum eo omnino in pœnam criminis destituatur: æque licebit viro ipsa inuita ad Sacros Ordines, atque ad Religionem transire, ex regula illa generali, quam *num.* 126. tradidimus. Ita Sylvest. *v. Diuortium num.* 20. Armil. *ibi, num.* 11. Nauar. *lib.* 3. *consil. tit. de conuers. coniug. concl.* 5. Sanch. *lib.* 10. *de diuort. d.* 11. *num.* 16. Sa *v. Diuortium.* Henriq. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. Fagund. *tom.* 1. *Decal. lib.* 4. *cap.* 8. *numer.* 16. Corduba *sum. quæst.* 138. victor. *sum. num.* 253.

129 *Longè hoc verius.* Liberum certe est viro innocenti, vxore adultera inuita, ad Sacros Ordines manendo in sæculo transire: sicut liberum ei est, si voluerit ad Religionem commigrare, inibique profiteri. Quia vere est, & recepta communiter illa regula: Quoties licet viro ad Religionem, innita vxore, transire: licet ei quoque ad Sacros Ordines, manendo in sæculo conuolare. Induobus autem casibus hoc est licitum. Primo ob adulterium spirituale hæresis, vt definitum est in *cap. vltim. de conuersat. coniug.* Secundo ob adulterium carnale propter eandem rationem. Et quia hanc causam dimissionis expressit Christus Dominus *Mat.* 5. & 9. ob adulterium enim carnale priuatur adulter coniux omni iure coniugali.

* *
*

PROBL. XXVIII.

Maritus tenetur, & non tenetur alere vxorem, quam sine dote dixit, quando illa est dives, aut pater eius.

SVppono ex *sect.* 1. teneri virum alere vxorem, quam sine dotis duxit promissione. Quia sibi imputare debet, quod nullam dotem postulauerit. Et quia tacitè videtur, personam vxoris pro dote accipere: sunt enim nonnullæ, quarum industria plus valet, quam copiosa dos; & ad hæc alimenta præstanda potest in vtroque foro cogi. Quæsierim autem, an maritus teneatur alere vxorem si postquam eam sine dote duxit, dotem petat, & illa neget dum dives sit ipsa, aut parens eius? 130 *Certum supponO.*

Tenetur quidem. Quia sibi imputare debet maritus, nullum, de dote sibi prius constituenda, pactum iniisse: & quia re vera, indotatam duxit. Vnde nec ipsa, nec parentes eius tenentur postmodum in conscientia illi dotem constituere. Sic Molina *tom.* 2. *de iust. d.* 425. Surdus *de alim. tit.* 7. *quæst.* 19. *num.* 1. & alij citati à Sanctio *lib.* 6. *de matr. d.* 5. *num.* 8. 131 *Tenetur quidem.*

Non tenetur vir alere vxorem, quam sine dote duxit, si ipsa sit dives, & nolit dotem constituere. Quia dum mulier dives absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè elicere actum de dote constituenda; quare dum dos tacitè promissa non soluitur, iustam causam vir habet ei alimenta denegandi: nunquam enim assolent viri mulieres diuites ducere, nec tanto studio eas inquirunt, ac solicitant, nisi sub tacita dotis intentione, quam præsumitur mulier promittere, dum aliquem in maritum acceptat. Ita Sanchez *lib.* 9. *de matr. d.* 5. *num.* 9. & *lib.* 1. *d.* 59. *num.* 4. & *d.* 60. *num.* 1. multos vbique citans. Fagund. *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 4. & apud ipsum Baldus, Iason, Lupus. 132 *Non tenetur.*

Hoc verius mihi; Adiicio autem quando non ipsa mulier, sed pater eius dives esset, dotemque filiæ constituere nollet: tum maritum adstringi eam alere. Quia dotem in pactum non deduxit. Molina *to.* 2. *de iust. d.* 145. & alij communiter. Hæc autem intellige, si maritus dives sit, & possit; nam pauper non tenetur vxorem alere, sicut non tenetur, filios; nemo enim ad impossibile obligari potest. Imo quamvis proprium sit viri vxorem, filios, & familiam sustentare, & laborare teneatur, vt illis alimenta præstet, & mortifere peccet, nisi id efficiat: vt optimè docet Tolet. *lib.* 5. *cap.* 2. tamen si vxor dives sit, & maritus pauper, & ignauus adeò, vt industriam non habeat ad vitam alendam: tenetur vxor viro ac filiis, familiæque alimenta præstare. *l. si cum dote* 23. §. *si maritus, ff. soluto matrim.* Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 36. *numer.* 6. & 7. 133 *Hoc verius existimans, aliquid additio.*

* *
*

PROBL.

PROBL. XXIX.

Quando mortuo viro, nulla suppetunt viri bona, vxor vidua tenetur, & non tenetur ex bonis suis dotalibus, & arrhis soluere debita à viro suo contracta ad ipsam, & familiam alendam: verbi gratiâ, ad soluendum famulorum mercedem, domus locationem, vestes, & cibaria.

134 *Tenetur quidem.* TEnetur profectò. Quia quando res aliena in alicuius conuersa est vtilitatem, quamvis illam minime furto acceperit: tenetur ille eam soluere: vt cernitur in his qui hędum furtiuum comedunt, scientes esse furto acquisitum: debet enim vnusquisque illorum in subsidium furantis hædum restituere, quoniam in eorum conuersus est vtilitatem, vt docet Gabri. *in 4. dist. 15. quæst. 3.* Et quia vbi aliquis occasione rei alienæ fit ditior, tenetur, quamvis rem illam apud se non habeat, restituere id, in quo factus est ditior: idque in vtróque foro, *libr. 2. ff. ad legem Rhodiam, de iactu merc.* Vbi decernitur si laborante naue, aliquarum mercium iactus factus fuerit, detrimentum esse commune, & ad illas teneri illos, quorum merces propter aliarum iactum saluæ factæ sunt. Quia occasione iactus rei alienæ ditiores sunt facti; perirent enim omnes merces, nisi illæ iactarentur. Sed occasione mutui accepti à viro paupere vxor eo capiens alimenta ditior facta est, ex suis enim se bonis aleret, si mutuum non reciperetur. Ergò in defectum, & subsidium viri, soluere id tenetur. Sic Lara *l. si quis à liberis. §. si quis ex his, num. 115. ff. de lib. agnosc.* Gama *part. 1. decis. 366. num. 7.* Barbos. *l. si constante 25. num. 52. ff. soluto matrimon.* Surdus *de aliment. priuil. 48. numer. 5.*

135 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia vxor non teneretur ad ea debita à viro paupere contracta pro suis alimentis, si facultates viri successu temporis augerentur: Ergò non tenetur, quando vir est pauper, & non habet, vndè soluat; nam si ratione paupertatis mariti teneretur, posteà redeunte viro ad meliorem fortunam non resurgeret ea obligatio; si enim paupertate viri extingueretur obligatio illa, profectò auctis eius fortunis non reuiuisceret; obligatio namque semel extincta, non reuiuiscit. *l. Cum ex causa. Codic. de remiss. pignor.* Et quia si Antonius vt suis creditoribus Petro, ac Ioanni satisfaciat, æs alienum accipiat existimans se posse illud in futurum soluere: si posteà non possit, nullus dicet, Petrum ac Ioannem, queis eo mutuo posteriori satisfactum est, eo quod totum illud in illorum vtilitatem fuerit conuersum, teneri eam pecuniam soluere posterioribus creditoribus: nec etiam dicet, hos posteriores actionem habere contrà Petrum, & Ioannem; quia hi posteriores nullum contractum cum illis inierunt, nec illi ab his quicquam accepêre. Haud secus quamvis maritus mutuam pecuniam conflet, ad alendam vxorem, ac familiam, & ea pecunia in vxoris conuersa sit vtilitatem: non renebitur vxor ad illius solutionem; quia nullum contractum cum creditoribus iniit, nec quidquam ab illis accepit. Ità Molina *tom. 2. de iust. d. 435.* Gomez Arias *libr. 49. Tauri, num. 7.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 100. num. 8.* Sanch. *libr. 9. de matrimon. d. 4. num. 39.*

136 *Primam eius sententiam.* Ego quidem hanc sententiam probabilem ducens: iudico primam esse probabiliorem. Nec meum Thomam Santium audeo sectari, credens ex eius sententia non parua incommoda posse obuenire. Indè enim mariti occasionem sumerent splendidè victitandi, & alendi vxores ex alieno mutuo: si postea illæ ad solutionem non tenerentur in illorum defectum.

PROBL. XXX.

Vxor non plus insumens de bonis à marito per vsuras acquisitis, quàm quod ad congruam sustentationem sufficeret iuxtà personæ propriæ qualitatem tenetur posteà, & non tenetur de suis bonis satisfacere iis, quibus maritus per vsuras damnum egit, si ipse nihil habuit, vnde solueret.

137 *Non tenetur.* NOn tenetur. Quia non minus debitor est vir vxori suæ talis sustentationis, quam ceteris creditoribus, & alioquin mulier semper præfertur aliis creditoribus mariti, & debitum mulieris aliorum creditorum debito. Sic Molina *tom. 2. de iust. d. 350.* Nauar. *sum. cap. 17. num. 268.* Sanch. *lib. 9. de matrimon. d. 4. numer. 30.*

138 *Tenetur omnino.* Tenetur omninò. Quia totum id expensum est à viro in vxoris vtilitatem, & indè illa facta est ditior. Quoniam tantùm deberet insumere ex proprio nisi ex alieno, à marito aleretur: quare velit nolit, ad id tenebitur. Ità Fagund. *tom. 2. Decalog. libr. 4. cap. 9. num. 13.* Et hoc consequenter debent fateri. Gama *part. 1. decis. 366.* Barbosa *l. si constante 25. num. 52.* Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, num. 115. ff. de liber. agnosc.* asserentes, mortuo viro, quando nulla suppetunt illius bona, teneri viduam ex suis bonis dotalibus vel arrhas soluere debita à suo viro contracta, ad ipsam, & familiam alendam.

139 *Auctoris resolutio vnam & alteram sententiam exponens.* Profectò Santij ac Molinæ sententiam intellexerim, quando matrimonium celebratum fuit per contractum dotis, & arrharum, & sub ea conditione, vt mulier soluto matrimonio, extraheret suam dotem integram, & arrhas. Quia tunc ille tenebatur alere vxorem ex fructibus dotis, & ex bonis propriis, salua semper vxoris dote, & arrhis. Nam si per contractum medietatis bonorum matrimonium fuit celebratum, non sic res habet: sed sumptuum omnium quos vir facit, dimidium pertinet ad vxorem, vndè tenebitur illa in sententia, illorum, si consumptis omnibus bonis dotalibus, mariti, & vxoris debita remaneant post viri obitum, ex suis bonis paraphernalibus vel aliundè soluto matrimonio hæreditate acquisitis dimidium debiti soluere creditoribus pro se à viro alenda contracti. At in mea sententia, si quæ bona paraphernalia constante matrimonio habebat, totum debitum tenetur soluere; quia totum insumptum est in illius sustentatione, vt suppono:

suppono: & tantundem illa insumptura erat ex ipsis, nisi ex debita (seu vsuris) ratum à marito ad effectum illam alendi contractam aleretur. Et idem dixerim, si post mortem viri, & soluto matrimonio aliqua bona ex hæreditate acquisiuit; nam eadem debita erat illa contractura ad sui sustentationem.

PROBL. XXXI.

Maritus tenetur, & non tenetur vxori adulteræ alimenta impertire.

140 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem, etiam facta toti separatione. Quia non desinit esse vxor. Licet enim ob adulterium possit vir impunè vxorem occidere propria authoritate, si in crimine deprehendat, attamen illicitè occidit, & mortiferè peccat. Vndè si occidendo delinquit in adulterio deprehensam, etiam peccabit lethaliter, ei alimenta denegando, cum alimenta dentur ad alendam vitam, & eorum negatio est quædam sublatio vitæ. Sic Iuli. Clarus *libr. 5. receptar. §. Adulterium. vers. facta autem.* Anton. Gabr. *tom. 1. commun. opinion. lib. 1. fol. 21. vers. Adulteram vxorem.* Alij docent, vxorem eiectam à viro ob adulterium occultum alendam adhuc esse: secus si eam eiiciat ob adulterium notorium. Quia in priori casu non priuatur vxor iure in virum, nec alimentis, nisi secuta sententia, nec potest à viro domo expelli, nec vir ab ea diuertere, & separari. Sic Rosel. *verb. Diuortium, numer. 11.* Angel. *verb. Dos, num 20.* Armil. *ibi, num. 18.* Taaie. *q. 11. n. 12.* Sylvest. *ibid. q. 14. dicto 9.* & alij ex Iuris peritis.

141 *Non tenetur.* Minime tenetur. Quia sicut vir conscius adulterij vxoris, & de illo moraliter certus, negare ei potest conuictum, & cohabitationem: ita & alimenta poterit abnegare. Quia omni iure maritali priuata censetur. Nam Christus Dominus *Mat. 5. & 19.* permittit viris dimittere vxores ob adulterij causam, & non requirit publicum, aut notorium adulterium, sufficit ergò vt vir possit ab vxore diuertere, quod adulterium sit certum, licet occultum. Ita Sanchez *l. 10. de matr. d. 8. n. 25.* Sotus *in 4. dist. 36. q. vni. a. 4.* Manu. *to. 1. sum. c. 240. n. 4.* Fagund. *to. 1. Decal. l. 4. c. 9. n. 23.* Barth. à Ledes. *de matr. dub. 67.*

142 *Hoc vnicè tenendum existimo.* Non possum non mirari, primam sententiam à viris admodum doctis visam fuisse probabilem tam debili fundamento hærentē. Quia Christus Dominus permisit dimissionem vxorum, & separationem à toro ob earum adulterium: non autem earum occisionem, & consequenter permisit alimentorum negationem; quia hæc non debetur vxoribus nisi dum in obsequio suorum virorum adsunt. Et quamvis alimentorum negatio sit quædam sublatio vitæ: attamen id est lato modo, non pressè, ac per se loquendo. Et quidem per huiusmodi alimentorum negationem non intelligi hîc alimenta ad vitæ necessaria affirmo. Nam si vxores in extrema sint necessitate, non possunt mariti adulteris alimenta negare; si enim debētur cuilibet proximo, etiam illis debentur; quia adhuc sunt proximæ; nec illis negandum, quod infidelibus in externa necessitate constitutis abnegari non potest.

PROBL. XXXII.

Maritus tenetur, & non tenetur vxorem alere, dum eam in osculis, & amplexibus cum alio deprehendit.

143 *Non tenetur* NOn solùm non tenetur vir vxorem adulteram alere; sed nec etiam cum eam in solis osculis, & amplexibus deprehendit. Quia sicut ob hæc vxor dote priuatur, ita & alimentis. Sic Lara *l. si quis à liberis, §. si quis ex his, n. 77. ff. de liber. agnoscend.* Surdus *de aliment. tit. 7 quæst. 16. num. 35.*

144 *Tenetur profectò.* Tenetur planè. Quia sicut non est verum, eam tunc priuari dote, vt optimè ostendit Santius *l. 10. de matr. d. 4. n. 12.* ita nec alimentis potest priuari. Ità ipse Sanch. *ibi, d. 8. n. 27.* fatus, oscula & amplexus non esse sufficientem causā dimissionis, cum Christus solum permittat, & concedat viris licentiam ad vxores dimittendas ob adulterium. Ergo si dimittere non possunt ob oscula & amplexus, nec eis poterunt alimēta denegare. Fagund. *tom. 2. lib. 4. cap 9. num. 25.*

145 *Hoc certum esse credo.* Hoc quidem certum esse crediderim. Quia vxor solummodo priuari licitè potest ob adulterium quando est certum: At oscula, & amplexus non est adulterium, nec dispositio proxima ad illud, sed remota; neque est certum quæ admittit oscula, & amplexus, adulteriū cōmisisse.

PROBL. XXXIII.

Vir debet, & non debet alimenta vxorì adulteræ impertire, si à principio ipse causam dedit adulterio eam domo iniustè pellendo, vnde illa fuit in adulterium lapsa.

146 *Debet ei alimenta præstare.* DEbet ei præstare alimenta. Quia viri culpa in adulteriam lapsa fuit. Sic Lupus *in br. de donat. inter virum & vxor. §. 20. n. 4. & 5. §. 64. n. 3.* Couar. alios citans 4. *Decret. p. 2. c. 7. §. 5. n. 2.* Ludou. Lopez *p. 2. Instr. vbi de matr. c. 54.* Cifuentes *l. 81. Tauri limitat. 4.* asserens, quando vir iniustè expulit vxorem, si illa postea fornicata est, ei debere alimenta; quia viri culpa in adulterium lapsa fuit. Idem docet Couarruuias, quando ob viri sæuitiam ab eius consortio fugit, & post fugam adulterio inficitur.

147 *Non debet.* Non debet necessariò vir in eo casu alimēta vxori impertire. Quia expulsio iniusta minimè excusat vxoris adulterium, nec ipsi imputatur marito nisi tanquam causæ remotæ. Ita Sanchez *libr. 10. de matrimon. d. 8. numer. 26.* Fagund. *tom. 2. Decal. libr. 4. cap. 9. numer. 29.* & alij apud Santium.

148 *Sententia hæc mihi vnicè vera.* Primam sententiam falsam esse indico, secūdam autem vnicè veram: intelligo eam tamen, nisi maritus eo fine expelleret vxorem, vt adulterium ipsa committeret; tunc enim sicut adultera non posset dote priuari, ita nec alimētis. Nam in adulterio saltèm tacitè consentit maritus, si autem eo fine vxorem domo non expulit,

pulit, aut sæuitiam expressit: nec in foro externo vxor à pœna adulterij excusatur, vel amissione dotis propter famis necessitatem aut propter paupertatem: secus si eo hæc tenderent; vt ipsa adulterium perpetraret Sanch. *l.* 10. *d.* 5. *num.* 6. *&* 10. Farinac. *in praxi crimin. q.* 141. *n.* 15. & alij.

PROBL. XXXIV.

Si dos promissa integrè non soluatur: tenetur, & non tenetur maritus vxorem alere, pro rata acceptæ dotis.

149 *Certa suppono.* MAritus tenetur alere integrè vxorem ex tota dote soluta. Negatur à nemine. Ob dotem promissam non solutam non tenetur maritus vxorem ex suo præstare alimenta. Quia dos quasi in pretium datur, vt eius fructibus teneatur vir onera matrimonij sustinere, vxoremque alere. Hoc tamen intelligendum, quando promittens dotem est in mora soluendi; nam si tempus aliquod concessum sit à viro ad dotem soluendam, nondum aduentante tempore, alere eam tenetur. Quia concessa ea dilatione, tacitè ad id se obligauit: adueniente autem, non tenetur. Sanch. *l.* 8. *de matr. d.* 5. *n.* 1. Angel. *v. Dos, n.* 9. Sylvest. *ibi, q.* 10. Molina *to.* 2. *de iust. d.* 425. Sa *v. Dos. §. acceptam sine dote.* Sed quid, si adueniente tempore solutionis dos promissa integrè non soluatur, sed pars solummodò: tenetur ne maritus vxorem alere? saltem pro rata accepti?

150 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia dum dos sibi integra non soluitur, contractus initi, fides non seruatur: vndè nec ipse tenetur seruare fidem in contractu matrimonij tacitè promissam eam alèdi. Sic Lupus *ad c. Per vestras, de donat. inter virum & vxor. notab.* 3. *n.* 2. & alij plures, quos citat, sed non plene sequitur Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 17. *n.* 3.

151 *Tenetur plane.* Tenetur maritus ad partem alimentorum pro rata solutæ dotis. Quia eadem est ratio partis ad partem ac totius ad totum, *l. Quæ de tota, ff. de rei vendicat.* Vnde sicut tota dote recepta, tenetur ad sustentationem totalem: ita recepta parte ad partialem sustentationem impertiendam tenebitur. Ità Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 5. *nu.* 3. Fagund. *to.* 2. *l.* 4. *c.* 10. *n.* 3. Surdus *citat.*

152 *Hanc partem puto esse veriorem.* Hanc partem veriorem esse reor. Neque obstat, quod non sit ipsi seruata fides, vt ipsam etiam maritus non seruet; nam vbi primùm illam partem dotis acceptauit, tacitè, velit, nolit, se præstandi alimenti obligauit ad partem.

PROBL. XXXV.

Maritus tenetur, & non tenetur, vxorem alere, quando parentes dotem dolosè, minimè soluturi, promiserunt.

153 *Certa præmitto.* CErta præmitto, si extraneus promisit dotē, & nō soluit, nec vnde soluat habeat, maritus non tenetur vxorem alere: si autem ipsa vxor aut parentes vxoris dotem promiserunt, eam alere tenetur. Ratio discriminis est, quia vxor, eiusque pater gaudet priuilegio, vt conueniri non possint pro dote soluenda vltra quàm facere possint, & sibi imputet maritus, qui fideiussores non adsciuit. Barbosa *l. Maritum* 13. *n.* 57. *ff. soluto matrimonio.* At si dolosè promiserunt; quæsierim, an teneatur maritus vxorem indotatam alere?

154 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia fraus & dolus non debet suis authoribus patrocinari: Et quia quando dolosè promisere, carent priuilegio illo, vt conueniri non possint. Sic Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 5. *n.* 5. Surdus *de aliment. tit.* 7. *q.* 17. *nu.* 27. 30. & alij.

155 *Tenetur omnino.* Tenetur quidem. Quia vxor indotata seruit marito, & in obsequio illius est. Ergo si non vti vxorem, debet tamen eam vti famulam alere. Ità Abbas *consil.* 85. *numer.* 2. *& 3. volum.* 2. Anchar. *ad cap. Per vestras, de donation. inter virum & vxor. numer.* 14. Ioan. Lupus *ibi, notab.* 3. §. 1. *numer.* 1. & alij, quos refert Surdus *de aliment. tit.* 7. *quæst.* 17. *numer.* 38.

156 *Primæ sententiæ adhæreo.* Primæ sententiæ adhæreo, fundamentum secundæ infirmum esse iudicans. Quia vxor duo tenetur præstare viro propter sustentationem, dotem, & obsequium: quare altero deficiente, non tenetur maritus eam alere. Certè dote non soluta, non tenetur maritus vxorem alere, non tamen ob id potest domo expelli. Vnde colligitur non cogi ipsum ad eam alendam, eo quod illa in obsequio eius sit: sed quam non potest domo pellere, quam sibi obsequentem experitur, quomodo non lubens alimento donabit?

PROBL. XXXVI.

Quando vir non tenetur vxorem alere ob promissam dotem non solutam: potest & non potest eam non traducere, traductamque domo expellere.

157 *Potest quidē.* POtest vir eam non traducere, & traductam domo pellere. Quia vir sine dote non tenetur onera matrimonij sustinere. Poterit ergò vir dote promissa, & non soluta vxorem non traducere, & illam domo pellere, ne ex suo cogatur onera sustinere. Et quia omnia iura fauent deceptis: & indigni sunt decipientes omni fauore. Quamobrem cum vir deceptus sit, illi potius quam mulieri est fauendum. Et hoc verum est, siue dos promissa sit ab extraneo, siuè ab ipsa vxore, vel à patre illius. Quia expulsio hæc aut non receptio non permittitur viro propter vxoris culpam, sed ne vir cogatur onera matrimonij ex suo sustinere. Sic Anchar. *ad c. Per vestras, de donat. inter virum & vxor. numer. decimo tertio.* Alexand. de Neuo *ibi nume.* 3. Lupus *ibi, notab.* 3. & alij apud Santium *citandum.*

158 *Non potest.* Non potest vir eam non traducere, nec traductam expellere. Quia dotem promissam solui, aut non solui, nihil ad ius cohabitandi attinet: ius enim cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex intrinseca natura ipsius contractus matrimonij, & ex lege naturali & diuina

Erunt

Erunt duo in carne vna: sicut & obligatio reddendi debitum coniugale non oritur ex solutione dotis sed ex ipsa contractus matrimonij natura: Ergò sicut non solutio dotis haud eximit virum à redditione debiti, vt latè probat Sanch. *l.9.de matr.d.4. num.2.* Ità non eximet ab obligatione cohabitationis. Ità ipse Sanch. *d.5.num.17.&* 18. Fagund. *tom.2.Decal.l.4. cap.10.num.16.*

159 *Hoc mihi probabilius.* Hanc partem probabiliorem esse existimo. Quia præcipuus finis cohabitationis non est, vt vxor à viro alatur, ad quod dos constituitur: sed vt mutua sibi obsequia coniuges præstent ad prolis generationem, & commodam eius educationem: sed hic finis non cessat, dote non soluta: ergo non cessabit traductionis, ac retentionis vxoris obligatio. Itáque tenetur vir vxorem traducere, eámque non expellere: nam Christus Dominus prohibuit vxorem dimitti, excepta fornicationis causa: non tenetur autem eam alere, quia dos promissa soluta non est, quæ quidem ad vxoris alimenta assolet assignari. Addiderim, nec Iudicis authoritate posse vxorem ob hanc causam expelli. Quia hæc non est sufficiens expulsionis causa, nec à iure Canonico annumeratur *c. Porrò, de diuortiis.*

PROBL. XXXVII.

Socer non soluit genero totum dotis promissæ capitale, sed partem illius: Tenetur gener, & non tenetur minuere de perceptione fructuum rei oppignoratæ aliquid pro rata.

160 *Statum quæstionis explico, certum statuens.* PEtrus (v.gr.) dedit filiam suam in vxorem Antonio, promissis pro dote mille aureis, tradit ei fundum in pignus: Potest Antonius licitè percipere fructus prædij oppignorati, quamdiu ei dos integra non soluitur: idque quamvis ratione temporis fructus excedant partem reliquam capitalis dotis. Quia definitum est expressè *in c. Salubriter, de vsuris.* ibi. *Sane generum ad fructus possessionum, quæ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.* Quod si fructus successu temporis capitale dotis excedant, adhuc potest gener eos percipere, quamdiu capitale non soluitur. Quia si vno cumulo solueretur capitale, res tam fructifera emeretur, quam fructifera est res oppignorata, & fortasse magis: etsi non emeretur, cogeretur gener, aliunde ex suo onera matrimonij subire: vndè semper ratione damni emergentis gener posset fructus percipere, licet temporis successu capitale excederet. Nauar. *sum. c.17.n.213.* Ludou. Lopez. *p.2. Instr.c.60.* Couar. *l.3.variar.c.1.* sed quid si socer non soluat totum capitale, soluat verò partem illius: tenetur ne tunc gener aliquid de perceptione fructuum oppignorati fundus pro rata imminuere?

161 *Minimè tenetur.* Minimè tenetur. Quia priuilegium est dotis, vt dum integra non soluitur, præfati fru percipiantur. Sic Lupus ad *cap. Per vestras de donat. inter virum & vxor. notab. 3. num.2.&* plures citati à Surdo *de aliment. tit.7.q.17.nu.3.* Et hanc partem necessario debent tueri cum his omnes alij, qui affirmant, non teneri virum vxorem alere nec in totum, nec in partem, quamdiu dos integra sibi non soluitur. Quia contractus fides sibi non seruatur soluendo totam dotem promissam præfixo tempore. Quamobrem nec ipse tenebitur aliquid de fructibus prædij oppignorati minuere.

162 *Tenetur quidem.* Tenetur equidem de fructibus fundi minuere tantum, quantum accrescit sibi ex capitali dotis solutæ pro rata. Quia eadem est ratio de toto ad totum, atque de parte ad partem. *l. Quæ de tota, ff. de rei vendicat.* Vndè sicut tota dote recepta, tenetur gener restituere totos fructus fundi, (imo & ipsum fundum) si vlterius percipiat: ita recepta parte dotis tenetur restituere, ac minuere partem fructuum illius agri pro rata respondentem parti dotis solutæ. Ità Sanch. *l.9. de matr.d.5.n.3.* Surdus *citatus*, Fagund. *tom.2.l.4.cap.10.n.4.* & alij apud Surdum.

163 *Hæc verior opinio.* Hæc verior opinio. Quia soluta parte dotis debitæ censetur socer illam soluens, ea intentione soluisse, vt tantum diminuatur pro rata ex fructibus, quos ex fundo gener percipiebat: nam id poterat, quando partem dotis soluit, iustè in pactum deducere. Vnde tacitè soluisse censetur saluo suo iure diminutionis fructuum illorum, ne plus lædatur, quam oportet. Ex qua resolutione tria infero corollaria. Primum, posse maritum, quamvis non sit gener eius, qui tale pignus dedit, fructus percipere, cum admonitione, non computandi eos cum promissa dote, quamvis illam excedant temporis successu, nisi contrarium in dotis contractu exprimatur. Secundum, posse maritum pacisci cum eo, qui dotem sibi promisit, & non soluit, vt quamdiu non soluerit, pendat sibi in singulos annos tantum, quantum aliquis mediocriter industrius ex illa dote ipsa salua, lucraretur. Nauar. *sum.cap. 17.num. 213.* Abbas *cap. salubriter, de vsur.* Sotus *l.6. de iust. quæst. 1. art. 2.* sentiunt, iustè seruari posse statuta terrarum præscribentia, vt qui dotem promittit, quoad soluat, certum quid in singulos annos pendat. Ludou. Lopez *p.1. Instr.c.60.*

PROBL. XXXVIII.

Vxor nobilis tenetur, & non tenetur præstare marito quæcumque vilia obsequia, ex iustitia, & vi contractus matrimonij, si licita sint.

164 *Tenetur caute ninò.* TEnetur omninò licet sit nobilissima. Quia non debet esse conditio creditoris peior ob creditoris nobilitatem, nisi aliter sit in iure cautum: sed ex iuris dispositione tenetur vxor obsequia præstare viro cum ipsi sit subdita: *l. sed si vir ex lana. ff. de donat. inter virum & vxor. cap. Hæc imago, & cap. Est ordo 33. q.5.* vbi præscribitur, mulierem esse viro subiectam & penè eius famulam: Ergo licet vxor sit nobilis admodum ad quæque ministeria tenetur, cum in iure vxor nobilis nō excipiatur. Et quia vir tanquam caput mulieris in omnibus eam

potest dirigere, & omnia ei præcipere obsequia, modo non sint peccato obnoxia iuxta illud Gen. 3. *sub viri potestate erit, & ipse dominabitur eius.* Si ergò est dominus, illa est quasi serua: seruus autem in omnibus licitis, quamvis vilibus domino tenetur obedire. Et quia ab initio contractus matrimonij inerat conditio nobilitatis vxori: & tamē voluit matrimoniū contrahere cū viro etiā ignobili: Ergò neq; viri ignobilitas eā nō excusat ab his obsequiis: eo enim quod se ad coniugium obligauit, consequenter ad hæc adstrinxit obsequia. Sic Pinellus *de bonis maternis lib. 1. part. 3. num. 61.* Barbati. *in addit. ad Baldum, l. si vxorem C. de condit. insertis.* Ioan. Andr. *ad cap. Litteras, numer. 9.* Angel. *v. Vxor. num. 2.* Et Tiraquel. *de nobilit. cap. 20. num. 95.* ait hanc sententiam fortasse esse veriorem.

165 *Non tenetur.* Non tenetur vxor nobilis ad obsequia vilia præstanda marito: sed ad ea solum, quæ illius dignitatem, ac nobilitatem non dedecent. Quia *lege interdum lana. ff. de oper. liber.* dicitur: *Sed si liberta, quæ operas promisit, ad eam dignitatem perueniat, vt inconueniens sit præstare patrono operas ipso iure hæc interdicent.* Et quia vxor non est serua, nec famula; sed socia, & coadiutrix; opera autem vilia ad domus seruitium attinentia famulæ propria sunt, ac seruæ, vt per se patet. Ità Abbas, Baldus, Decius, Lupus, Cynus, Salicetus, Guillelmus, quos citat, & sequitur Fagund. *tom. 2. lib. 4. cap. 12. num. 4.* Rosel. *v. Vxor. num. 7.* Sylvest. *ibi; quæst. 2.* Suarez iurisconsult. *lib. 9. tit. Delos pleitos, l. 1. n. 13.* Sanchez *to. 1. de matr. l. 6. d. 9. num. 24.*

166 *Longè probabiliorem hanc putarim sententiam.* Probabilem primam sententiam esse reor, secundā autē longe probabiliorem. Vnde vxor nobilis nō tenetur pedes mariti diluere, cibos condire, domum verrere, tergere, fricare, & alia vilia, ac seruilia id generis obsequia exercere. Attamen si coniuges ità inopes essent, vt famulam conducere non possent, tunc nobilis vxor teneretur ea opera præstare: imò quamvis minime teneretur, ipsa nobilitas eam ad huiusmodi præstanda obsequia in mariti obsequium inclinaret.

PROBL. XXXIX.

Vt vxor teneatur virum sequi aliò domicilium mutantem, necessarium est, & non est necessarium, vt detur causa mutandi illud.

167 *Certa suppono.* CErtum est, teneri vxorem virum sequi domicilium aliò mutantem; nisi matrimonium ab initio contractum fuerit sub onere, seu pacto non mutandi illud; vel nisi post pactum appositum, & matrimonium contractum noua causa mutandi domicilium aduenerit: nēpè quia cœli temperies minus salubris sit, noxiaque actualiter valetudini coniugis, vel prolis generationi, aut procreationi filiorum: vel si in eo oppido capitales inimicitiæ contrahantur; tunc enim spreto pacto etiam si iuramento firmatum fuerit, possunt alio commigrare. Non tenetur autem virum sequi, si ei salutis animæ sequatur detrimentum: v. gr. virum Anglicum comitari ad terras hæreticorum proficiscenter. Quæsierim verò, num vt vxor virum aliàs sequi teneatur, requiratur, vt detur causa necessaria domicilium mutandi?

Necessum est, vt causa adsit huiusmodi. Quia durum esset, velle obligare vxorem ad sequendum maritum, sine causa volentem aliò domicilium mutare. Sic Alex. de Neuo *cap. De illis, de sponsalib. num. 11. & cap. 1. num. 7.* 168 *Necessum est, vt causa adsit.*

Non est necessarium, vt adsit causa, sed tenetur vxor maritum sequi aliò transferentem domicilium, modo non detur in transmutatione in honestas. Quia alias nulla esset distinctio inter virum & vxorem, quod est absurdum; nam vir est caput, vxor socia illius, & adiutrix, imo membrum capitis: Oportet ergò vt detur aliqua distinctio inter virum & vxorem, quoad obligationem comitandi, ac sequendi illum; ea autem est, vt vir teneatur vxorem sequi, quando vult mutare domicilium ex causa: vxor verò semper teneatur sequi virum, siue detur, siuè non detur causa domicilium mutandi: modo tamen in tali mutatione non detur inhonestas, aut turpitudo. Ità Glos. *ad c. 1. de coniuge lepro. v. sequatur.* Hostiens. *ibi, ad ver. sequatur.* Innocent. *n. vni.* Anton. *num. 11.* Anchar. *num. 6.* Abbas *ad cap. De illis, num. 4. de spons.* Rosel. *v. vxor, nu. 3.* Angel. *v. vxor, n. 9.* Sylvest. *ibi, q. 8.* Tabie. *qua est 2. n. 3.* Glos. *ad c. vnaquæque, v. sequitur 13. q. 2.* 169 *Non est necessum vt adsit causa.*

Communis sententia hæc est. Vnde asserо teneri vxorem virum mutantem domicilium pro libito, sequi, nisi ex causa tupi mutaret. Nec hoc durum debet videri, cum maritus sit caput ad quod gubernatio domus spectat: illa non sit. Igitur in hoc consistit differentia inter virum & vxorem quoad obligationem comitandi, vt cum vir sit caput, possit liberè eligere locum, vbi figendum sit domicilium, & vxor teneatur illum sequi, siue detur causa mutandi illud, siue non: vxor verò non possit illum eligere, nec vir teneatur illam sequi, nisi cum compulsa necessitate, illud mutat; & obligatio reddendi debitum compellit vxorem ad sequendum virum, compellit etiā virum ad sequendam vxorem ex causa iusta. 170 *Vera hæc sententia omnium.*

PROBL. XL.

Vir tenetur, & non tenetur vxorem, quam dotatam duxit, alere, si ob vxoris culpam rel hæresim publicata fuit, siue eā ad suū admiserit consortium, siue non admiserit.

MAritus catholicus tenetur alere vxorem de hæresi damnatam, & cuius dos ob hæresim publicata fuit, si eam ad suum consortium admisit, si verò non admisit, minimè tenetur. Quia in defectum dotis, & patrimonij tenetur vir alere vxorem propter debitum coniugale. Et quia inhumanum esset negare alimenta ei, quam ad suum obsequium admisit. Et quia maritus tenetur alere vxorem indotatam: & in hoc casu perindè est, ac si sine dote duceret. Sic Abbas *consil. 85. n. 4. volum. 2.* Lupus *c. Per vestras, de donat. inter virum & vxor. notab. 3. §. 1. n. 1.* Gomez *lib. 78. Tauri, n. 6.* Simancas *de catholic. instit. tit. 16. n. 19.* Surdus *de aliment. tit. 7. quæst. 21. n. 6. & 7.* citans Gondisaluum *tr. de haret. quæst. 15. num. 9.* 171 *Tenetur alere.*

Non

172 *Alere non tenetur.*

Non tenetur alere vxorem, etiam si ad suum consortium post damnationem admittat, & in eius seruitio, toro, & obsequio sit. Quia obligatio cohabitandi, non oritur ex solutione dotis promissæ, sicut oritur obligatio alendi vxorem, sed ex intrinseca natura contractus ipsius matrimonij, & ex lege naturali, ac diuina. Vndè qui gratis se vult rursum submittere cohabitandi obligationi, non ideò submittitur obligationi alendi: hæc enim e dote nascitur; quæ si deperiit vxoris ex culpa, deficit alendi obligatio. Ità Rojas *de haret. part. 2. nu.* 225. Couar. 4. *Decret. par. 2 cap 7. num. 2.* Bæza *de non melior. filiab. causa dotis. cap. 32. num. 21.* Matienzo *lib. 5. recopil. tit. 1 rubr. gloss. 1. num. 91.* Pars, vtraque probabilis.

173 *Auctoris resolutio.*

Existimo autem non teneri maritum, siuè admittat, siue non admittat vxorem, eam alere si parentes illius possint ei alimenta impertire: teneri autem in defectu parentum, eam alere si ad coniugale consortium admisit. Quia aliud est, vxorem sine dote ducere, aliud cum dote ducere, quam vxor sua culpa seu proprio delicto amisit. Nam vir ratione dotis solutæ tenetur vxorem alere, & dum non soluitur, non tenetur; perinde est autem culpa vxoris dotem amitti, & publicari, ac si non esset soluta. Non tenetur ergo vir eam alere, quando illa, vel hæresi, vel quocumque alio crimine culpa sua dotem amisit. Nec est simile, quando indotatam duxit. Quia tunc sua sponte, nullo recepto pretio, se ad illam alendam obligauit. At si illam admisit, & in eius consortio sit, parentes autem non possunt ei alimenta impendere: amor coniugalis, & nexus tam arctus postulat, vt à viro alatur, ne fame depereat. Accepi ex Santio *lib. 9. de matrimon. d. 5. num. 10.* quem sequitur Fagund. *tom. 2. Decalog. libr. 4. cap. 13. num. 7.*

CAPVT X.

Circa mutuam obligationem Domini, serui, ac famuli.

PROBL. XLI.

Famulo, qui promisit seruire anno integro, pro assignato stipendio si primus sex mensibus tantùm inseruiat, dominus tenetur, & non tenetur dimidium mercedis soluere.

174 *Non tenetur dimidiam partem soluere.*

NOn tenetur, dimidiam ei partem soluere, sed paulò minorem, & de iure alicuius Regni nihil ei debetur. Quia fidem datam violauit. Sic Sylues. *v. Famulus, q. 5.* Azor. *to. 2. l. 11. c. 39. q. 7.* Barthol. *ad Diuortium, §. Quod in anno, ff. soluto matrimonio,* & alij communiter.

175 *Tenetur planè.*

Tenetur dominus ei soluere dimidiam stipendij partem. Quia famulus dimidium temporis proculdubto seruitium præstitit: Ergo dignus est illius seruitij mercede. Ità Fagundez *tom. 2. libro 4. capite 15. num. 15.*

176 *Idem asseritur.*

Ei lubens adhæreo, nec priuatæ sententiæ resolutionem improbo: Existimo enim eam, eiusque fundamentum in foro externo procedere: nam in foro interno probabilius crediderim teneri dominos pro rata famulis stipendia impertire. Quia conscientiæ forus est tribunal veritatis, & ille dimidium temporis seruiit, cui labori sua merces respondet. Si autem alicubi speciali iure integra merces abnegatur famulo non implenti tempus promissum id fundatur in malitia seruorum, & in damno, quod ob malitiam eorum præsumitur dominis obuenire. Suppono autem hîc nec damnum, nec malitiam interueniisse. Nam si famuli malitia damno herus afficeretur, assererem, posse herum à mercede tantundem extrahere, non tam in pœnam malitiæ, quam in damni satisfactionem.

PROBL. XLII.

Si Famulus seruiat minori pretio infimo sperans aliquo beneficio à domino esse donandos, quod posteà minime accipit. Hic potest licitè, & non potest, id occultè compensare.

177 *Quæstionis statum explico.*

SVnt nonnulli famuli, qui minori mercede seruiunt, quàm alioquin spectato infimo stipendio sit iusta: volunt tamen id libenter remittere, ac condonare suis dominis, vel propter beneficia iam accepta, vel vt gratiam apud illos mereantur spe maioris boni ab illis, aut illorum causa obtinendi: & tunc quidem non tenentur domini eis mercedem augere vsque ad iustum pretium infimum: neque illi poterunt sibi occultè compensare. Quia ibi non cernitur nuda locatio, sed per mixta condonatio. Molina *tom. 2. de iust. d. 506.* Quæsierim autem, nùm si posteà nihil gratiæ à domino obtineant, possint occultè compensationem facere?

178 *Possunt quia dem.*

Possunt quidem. Quia beneficium, vel gratia ab hero sperata fuit quasi conditio, sub qua ea facta est mercedis iustæ condonatio. Nam si in famuli mentem veniret, se oleum, & operam perditurum, nullatenus huiusmodi gereret condonationem. Sic Doctores nonnulli apud Molinam *tom. 1. de iust. d. 210.*

179 *Non possunt.*

Minimè possunt. Quia spes promerendæ gratiæ, aut beneficij consequendi, non fuit simpliciter conditio sub qua ea facta est condonatio, qua non secuta reddatur ea condonatio nulla; (quod illi Doctores verè affirmant) sed est causa motiua, & finalis donandi. Vndè si fructus speciei desit, sibi famuli non domino imputent. Ità Fagund. *tom. 1. Decalog. libr. 4. cap. 15. num. 33.*

180 *Hoc vnicè verum puto*

Hoc vnicè verum existimo. Parum enim refert, quod si id scirent, nullo modo inseruirent pro mercede illa iusto infimo minori. Nam obligatio domini erga seruos oritur non ex iis, quæ fierent; sed ex his, quæ sunt facta.

PROBL. XLIII.

Dominus potest licitè, & non potest vendere mancipium, quod de ineundo matrimonio sinè illius licentia tractat.

181 *Non potest.* NOn potest. Quià ius seruì ad matrimonium contrahendum, non potest à Domino impediri; sunt enim serui ad hoc sui iuris. Et quia in matrimonij fraudem id à Domino gereretur; fraus autem & dolus nemini debet patrocinari: omnia enim iura diuina, & humana fraudi obsistunt: Ergo non potest dominus licitè mancipium vendere, vel alio vendendum mittere, nè ineat coniugium. Sic viri docti admodum in manuscriptis.

182 *Potest omninò.* Potest planè. Quia dominus non amittit dominium in seruos per eam matrimonij tractationem: vnde sicut antè eam eos vendere poterat, ità & post eam: quod non in matrimonij fraudem, sed in proprium commodum exequuntur. Ità nonnulli, quos presso nomine memorat Fagundez *to. 1. Decal. l. 4. c. 13. num. 6.*

183 *Auctoris resolutio.* Rem ita decido cum Santio *l. 7. matr. d. 21. num. 9.* si mancipium iam fidem suam de matrimonio contrahendo adstrinxit, aut sponsalia sunt celebrata: non potest licitè dominus illud vendere. Si verò sponsalia nondum inita sunt, poterit tunc dominus seruum vendere, nihil impediente præfata tractatione. Quia per illa sponsalia iam est cœptum matrimonium: & quia seruus, inuito domino, poterat fidem suam fœminæ seruæ vel liberæ, de matrimonio cum ea ineundo, adstringere: ac proindè per eam promissionè, & fidè legitimum ius fœmina illa ad coniugium præfati serui comparauit. Vndè cum iam tertio ius sit acquisitum, non potest dominus illud impedire. Antè sponsalia verò, cum ius nulli tertio sit acquisitum, non amittit dominus, nec ei interdictum manet ius, quod anteà habebat, ad vendendum seruum. Porrò nec directè ille impedit matrimonium, sed iure suo vtitur, vt suæ indemnitati consulat. Nec potest dici fraudem in matrimonium committere, qui iure vtitur suo, vti Sanch. docet *l. 3. de mat. d. 18. numero vigesimo nono.*

PROBL. XLIV.

Non est integrum, & integrum est dominis seruos coniugatos, qui sine eorum consensu inierè coniugium, in partibus longinquis separatim vendere.

184 *Non est integrum domino separatim vendere.* NOn est integrum domino diuendere separatim coniugatos seruos in partibus longinquis etiam quando sinè eius consensu fuit contractum matrimonium. Quia in fraudem matrimonij fit, seruos coniugatos ita distrahere, vt non valeant matrimonij vsui operam dare. Et quia interest Reipublicæ, ne quis re sua abutatur: abuteretur autem dominus dominio, quod habet in seruum, si illum in longinquas terras in fraudem coniugij distraheret: maxime cum non desint vbique seruorum emptores & in eadem Vrbe, vel pago, qui iusto pretio emant. Sic D. Tho. *in 4. dist. 36. q. vni. a. 2. ad 4.* Palud. *ibi, q. 2. a. 1. concl. 13. n. 9.* Turrecr. *ad c. fin. 29. q. 2. num. 2.* Vigner. *l. institut. c. 26. §. 17. vers. 9. impedim. 2.* Ludou. Lopez *l. 1. de contract. c. 5. fine.*

185 *Integrum est.* Integrum est domino diuendere separatim seruos coniugatos in partes longinquas deferendos, quando sinè eius consensu fuit initum matrimonium. Quià id innititur esse à lethali culpa liberum *in c. 1. de coniug. seruor.* Ità Nauar. *sum. c. 22. num. 34.* fatus: *Honestum esset, nè in remotas partes venderet, etiam dum contra voluntatem eius contraheret: quamuis ad id sub pœna peccati mortalis nõ teneatur iuxta communem in c. 1. de coniug. seruor.* Henriq. *l. 11. c. 10. numer. 4.* Tolet. *l. 7. c. 3. num. 3. proposit. 1.* Rosel. *v. seruus 3. fine.* Supplem. sum. Pisanæ *v. seruus 3. n. penult.* Sa *v. Matrimonium, de imped. dirim. n. 1.* & alij.

186 *Qui sententiam veriorem exponit.* Memini me *to. 4.* hanc euolusse quæstionem. Attamen vt in re tam graui, & passim occurrenti ius miseri mancipij non violetur, vberius quid asserendum probabilius sit, exponam. Si alter coniux sit liber alter seruus, potest seruus licitè venundari in partes longinquas, siuè consentiente domino, siue inuito, siue nesciente coniugium fuerit initum. Quia non posse vendi seruum coniugem à domino, consurgit ex vinculo matrimonij, in quo dominus consensit, vel non consensit: ne scilicet ex eo, quod in longinquas terras distrahatur, matrimonij impediatur vsus: vti omnes fatentur: At quando alter coniux est liber, minimè impeditur vsus huiusmodi, nam coniux liber tenetur coniugem seruum sequi propter ius debiti: Ego. Quando vterque coniux est seruus eiusdem domini, vel vnus tantum liber, & alter seruus sed liber seruum sequi commode non potest, & ideò ab obligatione eum sequendi est immunis: si consensu domini matrimonium initum fuit, tenetur dominus de iustitia, non ita distrahere seruum, vt matrimonio vti non possit. Quia qui concedit principale, concedit etiam accessorium, *c. Prudentiam, de officio delegati.* Hanc autem propositionem limitarim, modo ancilla, vel seruus male moratus non sit, latro, aut fugitiuus, ità vt non possit dominus illum domi retinere sine detrimẽto, nec in proprio loco, aut in partibus vicinis emptorem inuenit. Siue dominus consentiat matrimonio suorum seruorum, siuè non consentiat, secluſa necessitate vendendi seruum, vel ancillam; non potest illum, aut illam diuendere in partes remotas, vbi matrimonij vsus impeditur: vnde inuento hic iusto pretio, mortaliter peccaret eum, vel eam in alium locum distrahendo. Quia impedire vsum matrimonij sine causa, & necessitate res est grauissima: vndè miror Henriquez Toletum, & Nauarrum relatos asseruisse, illicitum id esse, sed non mortale: ideoque Sanch. *citandus* eorum opinionem improbabilem esse censuit Si vterque coniux seruus sit diuersorum dominorum, & in diuersis locis habitantium, ità vt mutuo coniuncti nequeant obsequiis domini vtriusque satisfacere:

cere : tunc vt euitetur incontinentiæ periculum potest Ecclesia cogere alterum dominum, vt vendat suum mancipium alteri domino id volenti emere. Quia sicut quando seruus est multorum dominorum, & ei vnus ex illis pro sua parte concedit libertatem, in fauorem libertatis coguntur alij domini suas partes vendere, vt seruus ille liber fiat, *lib. 1. C. de communi seruo manumisso* : ita cogetur alter dominus vendere seruum in fauorem matrimonij, cum matrimonij causa sit fauorabilior in iure, quam causa libertatis. Et si neuter dominus emere velit, cogendus erit, alter vendere cuicumque extraneo in parte illa, in qua alter seruus adest; & si nullus inueniatur emptor, emit Ecclesia, argumento ducto *ex c. Fraternitatem dist.* 54. Hasce quatuor propositiones accepi ex Santio *lib. 7. de matr. d. 22. num.* 8. *&* 9. 10. 11. *&* 16. & Fagundez *tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 14. num.* 18. 20. 21. 23. qui quidem plures alios citant.

PROBL. XLV.

Peccat, & non peccat herus, qui famulis arculam apertam relinquit eo fine, vt furentur, & postea ab illis caueant. Vbi plura de licitis, & illicitis furtis famulorum enuncio.

187 *Non peccat.* NOn peccat herus: Quia licitum est ei, suis bonis custodiendis prouidere, etiam intendendo, vt furetur, & delinquat famulas, si aliter eum non valeat de furto conuincere. Sic Petrus Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 4. part. 1. dub. vltim. num.* 104.

188 *Peccat quidem.* Peccat equidem. Quia id non est iam permittere, sed concurrere, & cooperari ad peccatum illorum. Ità Sanchez *lib. 10. de matr. d. 12. num.* 52. Sa *v. Peccatum, num.* 6. Fagundez *tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 15. num.* 34.

189 *Auctoris resoluio.* Certè non peccat dominus, aut parens, qui famulis, ac filiis non aufert aliquam furandi occasionem, cum eos ad furandum pronos vident aut suspicantur. Sed possunt eos obseruare arcam aut scrinium apertum relinquentes eo fine vt furto comprehensi resipiscãt: non tamen eo fine, vt peccent, quia id (vt Auctores secundæ sententiæ, quam vnicè probabilem esse reor, profantur) non solum est permittere furtum, sed ad illud cooperari, & positiuè concurrere. Sic etiam suspicanti marito adulterium vxoris licitum est illam obseruare cum testibus idoneis vti eam valeat de adulterio conuincere. Quia id non est eius crimini conniuere, aut cooperari; sed illud ad proprium commodum permittere. Aliud enim est, rogare, iubere, consulere malum, & cum illo concurrere; aliud permittere, & non auferre illius occasionem: hoc licet, vt quis cautior fiat, & veritatem deprehendat, illud licèt nunquam.

190 *Explico, quãdo licitum sit famulis, aliquid secreto à domino furripere, quando non.* Iam verò quia multi famuli ex iis, qui domino stipendio constituto inseruiunt, qui sæpe de stipendij tenuitate queruntur, & ob illam se conantur à furtis minoribus excusare, & sæpe Confessariorum aures ea re obtundunt: Et quia sunt alij ex iis, qui gratis & solum ob victum & vestitum inseruiunt: qui ità miserè à dominis tractantur, vt vix ad victum necessaria illis præstent: has regulas habet statuere, *Regula prima.*

Si attento obsequio, in quo famulus pro stipendio inseruiunt, & attenta multitudine, vel penuria seruorum, qui ad ita inseruiendum eo tempore comperiuntur, eis constituatur saltèm infimum pretium pro stipendio, quod eo in regione eo tempore assolet famulis tali ministerio seruientibus constitui: id censendum est iustum stipendium. Vnde si is famulus aliquid eo titulo vsurpet, quod sibi iustum stipendium non detur, tenetur illud restituere, nisi euidenter constet, dominum nõ esse inuitũ si verò eis cõstituatur minus in fimo stipendio tunc consueto: vel quia famus in quando se locauit, & de pretio conuenit, consuetũ stipendiũ ignorauit; vel quia coactus fuit inuitus à ministris Regiis pro eo stipendio seruire, vel à quocumque alio; vel quia necessitate compulsus non inueniens maius pro eo se locauit, cum tamen nulla alia detur circumstantia, cur minus valeat suum ministerium, & ob sequium, quam aliorum; tunc dominus tenetur ei pretium augere, & restituere vsque ad iusti infimi limites. Molina *tom. 2. de iust. d. 506. vers. Quod itaque.*

Si famulus, qui nulla mercede constituta, pro solo victu, ac vestitu gratis domino inseruit, tàm miserè tractetur à domino, vt neque ad victũ necessaria, quæ aliis in domibus similibus famulis dantur, sibi ministrentur; neque indusia, calcei, galerus, & his similia conferantur: sed domini expectent, vt ea sibi famuli aliunde quærant: culpandi non erunt, neque obligandi ad restitutionem hi famuli, si ad hæc tantum de bonis domini aliquid occultè vsurpent: modò à domino sibi necessaria quoad victum, ac vestitum prius petant, si id possint sinè suo damno, & maximo rubore efficere; alioquin enim ea poterunt sibi, haud monito domino, sibi occultè vsurpare. Quia sustentatio competens, ac vestitus licet parcus iuxtà communem omnium consuetudinem eis de iustitia debetur. Molina *vbi supra, vers. Illud est obseruandum.* 191 *Regula secunda.*

Si famulus operas suas domino locauit, ad peragendas causas, ac solicitando negotia: non tenetur dominus illi augere salarium ad causarum augmentum: sicut, nec augetur salarium aduocati vel medici, auctis causis, vel infirmis, nisi à principio id sit conuentum. Vnde famulus, si aliquid occultè surripiat, nullam habet furti excusationem. Gutier. *pract. lib. 1. quæst. 32. num.* 2. 192 *Regula tertia.*

Denique iis famulis, qui inseruiunt mechanicis magistris, vt eos suas artes edoceant, salarium non debetur; imò ipsi ex consuetudine magistris stipendia conferunt, vt edoceantur. Vnde quidquid ex heri bonis attripuerint, restituere proculdubio tenentur. Molina *tom. 2. de iust. d. 56. vers. Alterum est.* Asor. *tom. 3. l. 8. cap. 13. quæs. 3.* Rebel. *de iust. part. 2. libr. 14. quæst. 13. num. 2.* 193 *Regula quarta.*

* *
*

CAPVT XI.

Circa mutuam fratrum ac sororum obligationem.

PROBL. XLVI.

Frater vterinus tenetur, & non tenetur saltem pro ratione alimentorum sorores, ac fratres vterinos dotare sicut alere tenetur.

194 *Nonnulla suppono.*

SVPPONO, fratres vtrinque natos, hoc est eodem patre ac matre, si sint diuites, teneri dotare fratres ac sorores pauperes conuenienter ad genus suum, in vtroque foro soli, & poli. Quià inter fratres consanguineos & vtrinque natos arctissima est consuetudo, cum illis omnia iura nominis, agnationis, & familiæ sint communia. Barbo. *to. 1. p. 4. l. ff. soluto matrim.* Menoch *l. 4. de præsump. præsump. 189. num. 43.* Barthol. *ad l. cum plures 13. de administr. tutor. §. fin.* & alij communiter. De fratribus, ac sororibus pauperibus consanguineis tantum, hoc est, ex eodem patre natis, diuersa tamen matre, idem est dicendum. Vndè tenentur fratres, ac sorores diuites in subsidium ac defectum ascendentium auorum ac proauorum scilicet, eos alere, & dotare competenter ad genus suum. Quia in huiusmodi fratribus ac sororibus consanguineis speciali modo considerantur in iure iura cognationis, Sanguinis, & familiæ, *l. 2. & l. spuriy. ff. vnde cognati.* Ergo considerari etiam debet onus dotandi. Molina *to. 1. de iust. d. 159. §. Nihilominus.* Sorores & fratres vterinis pauperes, hoc est, ex eadem matre, & diuerso patre natos non tenentur fratres & sorores diuites dotare competenter ad genus suum, sed tamen eos alere tenentur: nisi sint hæredes bonorum matris; tunc enim non solum alere, sed etiam dotare tenentur, sicut tenentur matres. Quià fratres & sorores vtrinque coniuncti excludunt ab intestato, vterinos tantum; imò & filij fratrum, & sororum vtrinque coniunctorum excludunt ab intestato fratrem ex eadem matre, & diuerso patre. Molina *to. 1. de iust. d. 164. §. septima conclusio. & d. 159. §. Nihilominus.* Quæsierim autem, an frater vterinus teneatur saltem pro ratione alimentorum dotare fratres ac sorores vterinos, sicut tenetur alere, nihil eis amplius pro dote constituendo, nisi id quod alioqui, plus minusve in eorum alimentis erat insumpturus?

195 *Tenetur planè.*

Tenetur quidem. Quià hoc non est dotare simpliciter secundum dignitatem, & facultates suas competenter ad genus suum; sed pro modulo, ac tenuitate alimentorum. Benè enim valet argumentum de alimentis ad dotem: & de dote ad alimenta, vt passim Doctores communiter asserunt; & in iure nomine dotis veniunt etiam alimenta. Vndè in iure valet hoc argumentum: Tenetur alere, ergò tenetur dotare pro ratione alimentorum. Sic Greg. Lopez *l. 18. tit. 16. p. 6.* Molina *de primog. l. 2. c. 15. n. 62.* Campegi. *de dote. p. 1. q. 23.* Boëri. *decis. 129. n. 9.* Tiraquel. *de primog. q. 62 fine.*

Non tenetur. Quia non valet in hoc casu argumentatio de alimentis ad dotem, cum adsit textus expressus præscribens, fratres non teneri dotare vterinas sorores. *l. cum plures, §. finali ff. de administ. tutor.* ibi: *sed non dabit dotem sorori ex alio patre natæ, etiam si ea aliter nubere non possit.* Ratio est, quia alimenta dietim præstantur, menstruatim, aut ad summum annuatim: dos verò præstatur simul, & vno cumulo: & sic in dote agitur de maiori præiudicio. *l. Tutor 14. §. fin. ff. de administr. tutor.* Hæc est enim natura dotis, vt simul proferatur, & constituatur. Ita Barbosa *p. 4. l. 1. ff. solut. matrim. to. 1. numer. 126.* Fagund. *to. 1. Decal. l. 4. c. 16. num. 7.* 196 *Non tenetur.*

Idem asseruerim. Non enim valet argumentum de alimentis ad dotem, vt nostra probat assertio; valet tamen de dote ad alimenta. Hæc enim est apta argumentatio: Tenetur dotare, ergo alere tenetur. Hæc autem non est bona: Tenetur alere, ergò tenetur dotare; quia in dote agitur de maiori præiudicio, quam in alimentis; dos enim datur simul, non sic alimenta. At si frater hæres sit bonorum matris tenebitur ad alendam & dotandam vterinam sororem. Quia ea obligatio imposita est rebus si non personis: vnde ea bona cum suo onere transierunt ad fratrem hæredem: habetur expressè *in c. cum haberet, de eo, qui duxit in vxorem.* 197 *Idem asserme.*

PROBL. XLVII.

Fratres, & patres Clerici, & beneficiati possunt & non possunt tuta conscientia sorores, ac fratres suos, filios, ac filias etiam spurias ex fructibus Beneficij dotare, ex eo capite: Quia dos succedit alimentorum loco.

SVppono posse si velint, & requiro ex quo capite id possint? An quia dos loco alimentorum succedit? Ita plane. Vnde si tenentur alere fratres, sorores, ac filios etiam spurios, etiam pro modulo alimentorum dotare tenentur: quod arctius est, quam *Possunt.* Sic Azor. *to. 2. l. 11. c. 40. q. 6.* 198 *Possunt ratione alimentorum.*

Non possunt dotare sorores fratres, ac filios spurios eo quod dos succedit alimentorum loco. Quia dos loco alimentorum minimè succedit; non enim valet argumentum de alimentis ad dotem: valet tamen de dote ad alimenta, cum alimenta dietim præstentur, menstruatim, vel annuatim: dos autem vno cumulo constituatur. Vnde in dote agitur (vt *Probl. 46.* vidimus) de maiori præiudicio dotantis. Et quia dos primario datur ad sustentandam familiam, secundario ad vitæ sustentationem; alimenta verò semper & solum dantur ad sustentandam vitam conuenienter ad genus tantum: quamobrem est diuersa ratio in dote, ac in alimentis. Ita Abbas *ad c. Perueniet de arb. num. 1. & 5.* Vasquez *de succes. creat. l. 2. §. 20. num.* 199 *Non possunt alimentis ratione.*

num. 314. vbi latè probat, dotem loco alimentorum minimè succedere.

200 *Expono, ex quo titulo possint.*

Igitur si hoc titulo Clerici non possunt dotare Fratres, Sorores, ac filios; quonam titulo possunt? Certè id possunt, quia hoc in casu dos titulo eleemosynæ præstatur. Solùm hoc titulo fratres, aut patres Clerici, & beneficiati Sorores suas pauperes, fratres, filios, filiásque in defectum bonorum patrimonialium dotare possunt ex fructibus Beneficij. Hoc fundamento hanc sententiam Panormitanus fulcit, quod fortius Azoris mei venia, esse crediderim.

PROBL. XLVIII.

Fratres, ac patres Clerici tenentur, & non tenentur Fratres, Sorores filios, ac filias etiam spurias ex bonis Ecclesiæ dotare.

201 *Tenentur ad id patres, & fratres.*

NOn solùm possunt, si velint, fratres, aut patres Clerici etiam beneficiati Fratres, Sorores, ac filios etiam spurios dotare: sed ad id tenentur in vtróque foro in defectum bonorum patrimonialium. Quia *in cap. Peruenit, de arbitr. num. 5. & in l. Promittendo 4. initio. Cod. de iure dotium*, disponitur, fratrem Clericum promittentem dotem sorori, teneri eam in subsidium, ac defectum bonorum patrimonialium ex fructibus Beneficij persoluere. Sic Barbosa *tom. 1. part. 4. lib. 1. ff. soluto matrimon. num. 132.* Butrius *ad cap. Peruenit, n. 2.* Imola *ibi, num. 1.* Garcia Gallego *tract. de expensis. cap. 4. num. 26.*

202 *Non tenentur.*

Non tenentur dotare, sed possunt si velint. Quia (vt *Problem. 47.* vidimus) dos solùm titulo eleemosynæ potest conferri. Ergò nec tenentur eam dare, nec ad id cogi possunt. Nam extra casum extremæ necessitatis eleemosyna faciendis arbitrio committitur, cui potius velit eam elargiri: eleemosyna námque est voluntaria, & non coacta quoad electionem, exclusa extrema necessitate, & cæteris paribus. Et quidem ex *cap. Peruenit*, nihil in contrarium colligitur. Quia ibi tantùm dicitur fratrem Clericum sua sponte sororem dotasse; non autem dicitur, dotasse inuitum, aut obligatum fuisse ad dotandum. Postquam autem liberè, & sponte dotauit, iustissimè potuit obligari ad soluendam dotem promissam ex fructibus Beneficij in patrimonialium bonorum defectum. Neque *lex Cum plures* Clericos comprehendit expressè, cum Clerici, & eorum bona Ecclesiastica effugiant iuris ciuilis dispositionem: nec ius ciuile absque Papæ facultate de bonis Ecclesiasticis, quales sunt Beneficij fructus, potest disponere. Ità Panormit. *ad cap. Peruenit, de arbitr.* Fagund. *tom. 1. Decalog. libr. 4. cap. 7. num. 5.*

203 *Secunda sententia subscribo.*

Fateor, primam sententiam communiorem esse, ac plurium Doctorum authoritate fulciri. Attamen cum paucis secundæ subscribo, asserens, posse Clericos ex Beneficij fructibus dotare pauperes sorores filios, ac filias suas spurias etiam: non tamen ad id teneri. Addiderim, nec teneri etiam, vt aliqui existimant, apponere pactum, in dote, vt, soluto matrimonio, dos ad Ecclesiam reuertatur. Quia dos illa datur eleemosynæ titulo, quæ cum impenditur, absolutè impenditur, & non sub conditione reuertendi ad largitorem, si pauper accipiens moriatur, vel viuens ad fortunam meliorem recurrat; posse tamen illud apponere, si eis libuerit. Ratio est, quia Clerici possunt dotare ex fructibus suorum Beneficiorum, & hæredes instituere quoscúmque alios pauperes, sine eiusmodi pacti appositione: Ergò & sorores proprias, & filios, ac filias suas, quando pauperes sunt. Neque enim ex eo, quod consanguinitate sint propinqui peioris fiunt conditionis quam reliqui pauperes.

PROBL. XLIX.

Licet, & non licet Clericis ex fructibus Beneficij dotare sorores spurias, vel spurios fratres ex coitu legibus damnato.

SVppono, coitum damnatum non esse qualecúmque in re fornicaria peccatum, sed coitum inter personam, vel personas adulteras, aut habentes impedimentum dirimens, vel impediens consanguinitatis, affinitatis, vel voti castitatis simplicis, aut solennis, vel Sacros Ordines. Itaque filij spurij, seu ex coitu damnato illi dicuntur in iure, qui sunt ex adulterio, & quorum patres, vel matres hæc habent ad contrahendum impedimenta. Quæsierim igitur, an liceat Clericis ex fructibus Beneficij dotare fratres, vel sorores spurias ex coitu legibus damnato ex iure antiquo, & communi?

204 *Nonnulla suppono.*

205 *Minimè sit licet.*

Minimè eis licet. Quia ius ciuile id expressè negauit filiis spuriis ex coitu damnato: vt constat ex Authent. *Ex complexu Codic. de incest. nupt.* & Authent. *Quibus modis naturaliter efficiantur liberi, §. vltim.* & Authent. *Licet patri, Codic. de natural. liber.* Sic Azor. *tom. 2. libr. 2. cap. 4. quæst. 7.* Vbi prohibentur huiusmodi spurij accipere à Clericis alimenta: Ergò efficacius à dote accipiendo prohibebuntur.

206 *Licet omnino.*

Eis licet omninò. Quia licet ius ciuile id interdixit, ius tamen Canonicum æquius iudicauit, hac in re, quam æquitatem iam Iudices ciuiles hodie sequuntur: & constat ex *c. Cum haberet, de eo, qui duxit in vxorem eam, quam polluit per adulterium.* Et ex *cap. Per venerab. in fine*, & ex Gloss. *ad cap. Cum haberet.* Ratio est, quia alimenta sunt simpliciter necessaria ad vitam, & hæc iure naturali, non æquitate tantùm quibuslibet filiis etiam spuriis debentur, nec possunt minui, aut potestate humana tolli. Igitur, si de alimentis loquamur, non solùm possunt Clerici, sed etiam teneri alere Fratres seu Sorores spurias ex coitu damnato, & posse ad id obligari pro vtróque foro: dotare autem possunt, si velint, titulo scilicèt alimentorum, aut eleemosynæ: quod ius ciuile videtur abnegasse. Possunt ergò, si velint dotare spurios Fratres, aut Sorores ex coitu damnato: non tamen ad id tenentur, neque possunt in aliquo foro obligari. Ità Curtius *de iure patron. verb. Honorifice, numer. 13.* Abbas *ad cap. Peruenit, de arbitr.*

Syluest.

Sylueſt. *v. Clericus, 4. q.* 14. Fagund. *to.* 1. *Decal. l.* 4. *c.* 17. *n.* 6.

207 *Auctorum ſententia.* Crediderim, ius ciuile non priuare ſimpliciter ſpurios huiuſmodi alimentis ad vitam neceſſariis, ſed aliis lautioribus ad familiæ honeſtatem. Licèt verò interdixerit, ne de eis impendatur, ius canonicum mitius adiudicauit. Vnde Clerici poſſunt, ſi velint fratres ac ſorores ſic ſpurias decenter titulo eleemoſynæ, vel alimentorum dotare. Hæc autem procedunt de iure Canonico antiquo. Nunc verò, an id interdictum ſit Clericis conſtitutione noua Pij V. quæ incipit *Quæ ordini Eccleſiaſtico*, eſt dubium. Nam ibi Pontifex reddit in clericis omnes licentias, & facultates irritas, priuilegia, diſpenſationes, & donationes, ſiue inter viuos, ſiue cauſa mortis, teſtamenta, & alia huiuſmodi in quoſcumque illegitimos ſiue proprios, ſiue extraneos facta. Exiſtimo tamen, noluiſſe Pontificem per hæc verba iuri communi derogare: quod præſcribit, vt filiis, ac ſororibus etiam ſpuriis alimenta præſtantur, quæ ſunt de iure naturæ; ſed voluiſſe tantũ abrogare aliquas ſpeciales licentias, ac facultates conceſſas aliquibus Prælatis, ac perſonis Eccleſiaſticis teſtandi, aut donandi aliquid de fructibus, ſeu redditibus Beneficij. Neque etiam voluiſſe illis interdicere conſtitutionem dotis titulo eleemoſynæ, & pro modo alimentorum. Sic reſpondet Azor. *to.* 2. *l.* 1. *c.* 11. Nauar. *tr. de ſpoliis Cleric.* §. 19. *num.* 9. 10. & 11. Barboſa *to.* 1. *p.* 4. *l.* 1. *ff. ſoluto matrim. n.* 65.

PROBL. L.

Huiuſmodi fratribus ſororibus, filiis, ſeu filiabus ſpuriis ſolummodò præſtanda ſunt, & non ſolummodo ſunt præſtanda alimenta quæ ad vitæ ſuſtentationem ſunt precisè neceſſaria.

208 *Solum tenentur ad præciſa.* QVæſtio eſt, quænam alimenta huiuſmodi filiabus, filiis, fratribus, ſororibus ſpuriis præſtanda ſint: an illa ſolum, quæ ſunt præcisè ad vitam neceſſaria: an verò illa, quæ neceſſaria ſunt ad tranſigendam vitam competenter ad genus proprium? Fratres & patres ſolùm tenentur ad ea alimenta eis præſtanda, quæ præcisè neceſſaria ſunt ad vitam ſuſtinendam, nulla habita ratione diuitiarum, honoris, vel generis paterni. Quia cum huiuſmodi alimenta ſpuriis præſtentur miſerationis gratia: ſecundum tantum naturæ indigentiam præſtanda ſunt. Sic Bald. *l. ſi maritus. ff. eodem.* Palati. *in repetit c. Per veſtras, notab.* 3. §. 24. *nu.* 3. Caſſan. *conſil.* 39. n. 55. Gamma *deciſ.* 343. *n.* 4. Cordub. *l. ſequis à liberis*, §. *idem reſcripſit. à n.* 48. *ff. de liber. agnoſc.*

209 *Non ſolum ad præciſa tenentur.* Alimenta filiis fratribus ac ſororibus ſpuriis præſtanda ſunt non tantum quo ad vitæ neceſſitatem ſubleuandam; ſed attentis diuitiis paternis, vel fraternis, honore, dignitate, ac generis ſplendore. Quia id exprimitur *c. cum habeat, ad finem, de eo qui duxit in vxorem eam, quam polluit.* dum decernitur, ſpuriis præſtari alimenta ſecundum id, quod ſuppetunt facultates paternæ: Ergo ad diuitias paternas debet reſpectus haberi, ac conſequenter ad eius dignitatem, & generis ſplendorem. Textus ſic: *Filiis (ſpuriis) ſecundum quod eis ſuppetunt facultates, neceſſaria ſubminiſtrent.* vbi Gloſ. *v. ſecundum facultates.* inquit: Hoc eſt regulare, quod ſecundum facultates alimenta miniſtrentur. Ità Gregor. Lopez *l.* 10. *tit.* 13. *p.* 6. *v. Heredar.* Caſſaneus ſibi contrarius *in conſuetudinib. Burgundiæ, rubr.* 8. §. 3. *n.* 11. Tello *l.* 10. *Tauri nu.* 2. Cervantes *ibi, n.* 6. Et hanc opinionem communiter receptam eſſe in forenſibus controuerſiis teſtatur Molina *de primog. l.* 2. *c.* 15. *n.* 18. & Matienzo *l.* 8. *tit.* 8. *l.* 5. *ordinat.*

210 *Hoc verius eſſe credo.* Hoc verius eſſe crediderim; quia alimenta hæc, ſpectato iure canonico, non dantur præcisè ſecundum exigentiam naturæ, ac commiſerationis cauſa; ſed ſecundum naturæ exigentiam ſpectata paterna, aut fraterna dignitate, & iure ſanguinis, generis nobilitate, ac facultate diuitiarum. Si ergo pater, aut frater ſit dines alimenta ſpurio præſtari debent ſecundum id quod dines ſuam familiam alere ſolet: ſi verò pauper, tunc neceſſaria iuxta pauperum morem præſtentur.

PROBL. LI.

Veſtes pretioſæ quas ſponſi aſſolent mittere ſponſis ſuis, vt in die nuptiarum illis induantur, ſoluto breui matrimonio, per obitum ſponſæ, & in dubio, an ſponſus voluerit ea ornamenta abſolute donare; pertinent, & non pertinent ad hæredes ſponſæ.

211 *Nonnulla præmitto.* NOnnulla lubet circa materiam partitionis inter fratres in præſenti diſſerere, vt conſtet, an teneantur aliqua bona de quibus maior eſt difficultas in diuiſionem adducere. Suppono autem ad præſentem quæſtionem, veſtes & ornamenta data à parentibus filiis, vel filiabus nubentibus poſſe, & non poſſe à collatione diuiſionis liberari. Nam ſi conſtat data fuiſſe, vt die nuptiarum ornatius appareant: conferenda ſunt; quia non fuerunt tranſlata in dominium filiorum, ſec ſemper in dominio parentum permanſere. Si conſtas fuiſſe ſimpliciter donata, tunc attento iure communi, non ſunt conferenda in diuiſione aut partitione bonorum inter fratres; quia ſunt ſimplices? ac liberales donationes, quæ de iure communi non conferuntur, quandò non excedunt quantitatem, quam parentes donare poterant abſque inſinuatione, iuxtà *leg. penult. C. de collat.* Velaſco *de partit. c.* 13. *n.* 57. & alij. Hinc inſurgit aliud dubium huic affine, num veſtes pretioſæ, quas ſponſus aſſolet immittere ſponſæ ſuæ antè contractum matrimonium, vt in die nuptiarum illis induantur, ſoluto breui coniugio per obitum ſponſæ ſine liberis decedentis ſint ipſi ſponſo reſtituendæ, an hæredibus ſponſæ debeantur? Certè quæſtioni huic etiam cum diſtinctione reſpondeo. Si quando veſtes, vel ornamenta immiſſa ſunt ab ſponſo ſponſæ, conſtat voluiſſe eas ſimpliciter donare? non ſunt reſtituendæ ſponſo, ſed ſponſæ pertinent ad hæredes, modo non excedant quantitatem, quam ſponſus abſque inſinuatione ſponſæ poterat donare: nam ſi excedant, valor pro exceſſu reſtituendus eſt ſponſo. Conſtat *ex l.* 1. *C. de*

de donat. ante nuptias. & in hoc puncto omnes consentiunt. At in dubio, an voluerit, vel noluerit donare, quæsierim, vtrum vestes illæ seu ornamenta ad sponsum pertineant, an ad sponsæ hæredes?

212 *Pertinent ad hæredes sponsi, non ad sponsam.* Non pertinent ad sponsum, sed ad hæredes sponsæ. Quia in dubio præsumenda est simpliciter donatio, maximè si moris sit in aliqua ciuitate aut Regno, hæc ab sponso ad sponsam immitti, & verecundum sit, id sponsum non agere. Quia in omnibus contractibus & donationibus spectandus est semper mos Regni, ac ciuitatis; semper enim istiusmodi res censentur datæ iuxta morem ciuitatis, iuxtà *l. penult. §. 1. ff. soluto matrim.* Sic Afflictis *decis. 315. num. 7.* Qui quidem addit: *sane prodigalia vestimenta, quæ modernus abusus induxit, donata censeri non puto, nec monilia, nec lapides pretiosos. Quia nemo præsumitur velle male vti substantia sua cum damni enormitate.*

213 *Ad sponsam pertinent, non ad sponsi hæredes.* Ad sponsum pertinent, etsi non excedant quantitatem, quam sponsus absque insinuatione donare non potest, sed intra illam contineatur; non ad sponsam. Quia Glossa communiter recepta *ad l. cum quid, ff. si certum petatur*, asserit, nunquam præsumi donationem simplicem, si aliunde detur aliqua coniectura, qua contrarium possimus coniectare iuxta *leg. cum de indebito. ff. de probat.* Cum igitur in præsenti casu illa occurrat coniectura, quod sponsus hasce vestes, ac ornamenta sponsæ immittat, vt in die nuptiarum ornatior appareat, vel procedat ad Templum: cessat omnino donationis præsumptio. Ità Barthol. *ad l. 1. §. Nec castrense, ff. de collat. bonor. n. 10.* Imola *ad l. penult. §. seruis, n. 10. ff. soluto matrim.* Fagund. *to. 1. Decal. l. 4. c. 19. n. 14.* Palati. *in repet. rubr. de donat. inter virum & vxor. §. 7.* Gama *decis. 123. n. 1.* & alij.

214 *Hanc partem nunc receptiorem eligo.* Hæc sententia hodie est planè receptior, quam veriorem esse crediderim. Nec enim Matthæi de Afflictis coniectura conuincit, dũ ait, in hoc casu si vestes, aut monilia sint tradita ac missa in ciuitatem, aut locum, in quo moris est ad sponsam immitti, & verecundum esset sponso id non facere: præsumendam esse donationem: nam hæc coniectura infirma est, & in illum potes retorqueri, vt aptè docet Gama. Nam in ea circumstantia, si verecundum esset sponso hos non agere, magis præsumitur id fieri ob necessitatem, quàm ob voluntatem, argumento *l. Pecunia, ff. de aliment. & cibar. leg.* ideoque non censentur simpliciter merè gratis & liberaliter donatæ. Quia in necessitatibus nemo præsumitur liberalis, nemo liberalis existit.

PROBL. LII.

Patrimonium Sacrorum Ordinum est, & non est adducendum ad collationem, si attingat aliorum fratrum legitimam & tertiam patris dotantis.

215 *Nonnulla præmitto.* SVppono, Concilium Trident. *sess. 21. c. 2.* non inducere absolutam prohibitionem alienandi patrimonium, quod assignatur à patre filio pro ordinum susceptione: sed donec Sacris ordinatus, Ecclesiasticum Beneficium sit adeptus, vel aliunde habeat, vnde congruè ac decenter viuere possit. Quæsierim itaque, num donatio facta à patre filio ad titulum patrimonij pro suscipiendis Ordinibus Sacris debeat conferri in eo casu, quo filius sacris initiatus collationem cum aliis fratribus ingredi voluerit, aut alij fratres in legitimis defraudati, id requisierint.

216 *Non tenetur adducere, si non velit filius sacris initiatus id patrimonium.* Filius Sacris initiatus potest spe consequendi maiorem portionem, quam sibi à parentibus fuerit donata, conferre cum aliis fratribus suum patrimonium, non tamen ad id tenetur: nam si contentus suo patrimonio velit abstinere à paterna hæreditate id poterit efficere. Quia Tridentinum solùm prohibet alienationem patrimonij illius qui initiatus sacris, non habet aliunde, quo viuere possit: at qui spe melioris legitimæ illud dimittit, non alienat, sed in melius commutat, & habet vnde melius sustentari possit. Potest autem id non conferre, si contentus sit. Quia donata à patribus filiis ob militiam terrestrem non conferuntur, etiam si legitimam aliorum filiorum attingant, & tertiam parentum excedant, nam castrensia reputantur *l. fin. C. de collat.* Ergò nec etiam conferentur ea, quæ ad militiam cœlestem donantur: valet enim argumentum ab vna militia ad alteram *l. Miles ff. de re iudicata.* Sic Caldas Perei *ad l. si curatorem, v. Læsis, n. 132.* Gratian. *disceptat. forens. c. 259. n. 31.* Ripa *obseru. 230.* Rojas *de succes. c. 7. n. 46.* & alij.

217 *Id conferre necessario tenetur.* Præfatum patrimonium necessariò est conferendum. Quia bona castrensia donata cum præiudicio tertij, etiam adducenda sunt ad collationem, quatenus tertio id est aliis fratribus præiudicant. Ità Couar. *ad c. Raynaldus, §. 2. n. 7. de testam.* Azor. *de partition. p. 2. q. 13.* Salcedo *in pract. ad Bernard. c. 18. n. 16.* Petr. de Ledes. *p. 1. sum. tr. de Sacram. Ordin. c. 7. concl. 6.* Molina *to. 1. de iust. d. 238. & 241.* Garcia *de Benef. p. 2. c. 5. n. 159.*

218 *Hanc partem puto esse probabiliorem.* Probabiliorem hanc partem esse existimo. Quia quando huiusmodi patrimonium excedit portionem illam, de qua pater, vel mater illud constituens liberè disponere potest, quæ apud Castellæ Regna est tertia & quinta: non est negandum, præiudicio id esse aliis filiis, quorum legitimam attingit: quæ autem cum præiudicio tertij efficiuntur, iure naturali sunt illicita, & inualida. *c. si diligenti, de foro competenti.*

PROBL. LIII.

Patres tenentur, & non tenentur filios alere in studiis cæris, quoad vsque illa absoluant.

219 *Tenetur planè.* SI filius de licentia patris nouare operam studiis incepit, tenentur parentes ei omnes expensas vsque ad gradus Doctoratus, vel ad gradus formaturæ subministrare. Quia eo ipso, quod licentiam impertiit, visus est necessaria ad eius executionem velut promisisse. Sic Menoch. *de præsumpt. l. 3. q. 29. num. 86.* Cor-

duba

duba *in §. Non tantùm, num. 32.* Rebel. *de iust. part. 2. qu. 8. sect. 3. num. 33.*

220 *Non tenentur.* Non tenentur parentes filiis in studiis alimenta præstare, quoadvsque ea absoluant, quamvis de patris licentia inceperint: nisi inter patrem, ac filium reliquósque cohæredes pactum intercedat. Quia in reliquorum fratrum id cederet præiudicium. Ità Anton. Gomez allegans multos *ad l. 29. Tauri, num. 18.* Molina *tom. 1. de iust. d. 239. vers. Dubium est.* Fagund. *tom. 1. Decal. l. 4. cap. 20. num. 19.* & alij.

221 *Hoc dicendum existimo.* Hoc dicendum existimo, adiiciens consequenter nec mortuo parente, teneri reliquos cohæredes eadem alimenta continuare, quoad vsque illi studia persoluant, nisi inter patrem, ac filium, & reliquos cohæredes pactum interceſſerit, quòd ea alimenta in legitimam filiorum imputentur.

PROBL. LIV

Libri filiis à parente ad studendum dati, sunt, & non sunt ab onere collationis exempti.

222 *Sunt filiorum, nec ad collationem adducendi.* Libri huiusmodi in quocúmque euentu semper filiorum studentium sunt, & literatorum, quando filiis sunt traditi etiamsi studia sua non absoluant, nec in procinctu sint ad literas exercendas, in bonum commune: vndè nunc sunt ad collationem adducendi. Quia pater tradens filiis studentibus, libros, videtur eos absolutè impertire non solùm ad vsum, sed ad dominium. Et huic absolutæ donationi censentur fratres reliqui annuere ob honorem literarum, quo cupiunt fratrem frui. Sic Antoni. Gomez *ad l. 19. Tauri, num. 17.*

223 *Non sunt filiorum ideò adducendi ad collationem.* Sunt adducendi ad collationem. Quia patres non intendunt tradere filiis dum in studiis versantur, huiusmodi libros tradere, ità vt statim ipsorum efficiantur, & plenum in illos habeant dominium; sed eis traduntur ad vsum, sicut & reliqua suppellex, qua in studio vtuntur. Quamobrem dominium illorum sicut & reliquæ supellectilis ad patrem spectat, & in patre perseuerat, súntque veluti bona profecticia nondum à parentibus filiis donata. Ità Molina *tom. 1. de iust. d. 239. vers. Quod ad libros attinet.* Fagund. *tom. 1. libr. 4. cap. 20. nu. 21.*

224 *Auctoris distinctio.* Ego quidem existimo, si libri empti fuêre à patre filio, & filius sub patria potestate existens, erat Doctor, licentiatus aduocatus, vel Iudex: aut absoluerat studia, & erat iam in procinctu paratus ad exercendum id, quod didicerat; & hi libri erant iam filio traditi, vel promissio, aut donatio illorum illi à patre facta, & ab ipso acceptata fuit: tunc filij libros esse, nec esse adducendos ad collationem veluti bona quasi crastensia: nec patrem teneri illos imputare in eam partem, de qua potest disponere. At si tempore mortis patris libri non erant filio traditi, nec illorum donatio, & promissio à patre filio facta, & acceptata, siuè filius studia absoluerit, & esset in præcinctu ad exercendas literas, quas didicerat, aut illas iam exerceret: siue non: conferendos esse præfatos libros. Quia nondum erat perfecta donatio. Nauar. *sum. cap. 17. num 19.* Menoch. *de arbitr. l. 2. centur. 2. casu 131.* Mantica *de tacitis, & ambig. conuent. libr. 19. titul. 14. num. 8* Gratian. *discept. forens. cap. 50. num. 24.* & ali communiter.

PROBL. LV.

Filius tenetur, & non tenetur, cum aliis fratribus, & cohæredibus ad collationem ea quæ malè insumpsit adducere.

225 *Tenentur adducere ad partitionem.* Asolent non semel filij multa à parentibus furto auferre ludo, ac luxuriei, vt indulgeant. Hi quidem tenentur ea cum fratribus ad partitionem adducere, & in partitionem legitimæ, quæ ad illos pertinet, computare. Quia fratribus aliis modestè viuentibus manifesta infertur iniuria, si dissipata illa bona in collationem non adducãtur, & melior circa hoc iniquí fratris esset conditio. Sic Nauar. *sum. cap. 17. num. 164.* citans Glossam *ad l. Illud. Cod. de collat.* Sylvest. *verb. Peculium 2. q. 6.* Anton. Gomez *ad l. 19. Tauri, num. 15.* D. Antonin. *part. 2. titul. 1. cap. 15. §. 1.*

226 *Non tenentur.* Non tenetur, ea adducere ad collationem. Quia non semper quando filius inordinatè, & illicitè aliquid contrà voluntatem patris insumit, ità vt mortaliter peccet transgrediendo patris voluntatem, tenetur illud restituere, aut adducere ad collationem cum aliis fratribus. Nam rarò inuenitur pater, qui velit, vt filius post mortem suam, id quod ita insumpsit, ad partitionem adducere teneatur. Et sufficit ea tacita, ac præsumptiua patris voluntas vt filius sit à collationis onere immunis. Ità Sotus *libr. 4. quæst. 5. artic. 5.* Molina *tom. 1. de iust. d. 242. vers. Vt verò hæc, & vers. Deindè dico.* Fagund. *tom. 1. Decalog. libro 4. capite 24. numero 2.*

227 *Auctoris resolutio.* Ego quidem nec in totum abnego, nec in totum concesserim. Certè quando filius malè absumpsit non maiorem quantitatem, quam pater contentus esset, vt ille in sui sustentationem, honestámque recreationem insumeret: ad nullam tenetur restitutionem, si quid intra illam summam inordinate, illicitè, & contrà voluntatem patris, vel matris in ludo, aut cum meretricibus, aut quovis alio modo illicito absumpserit. Attamen, si quod sic dissipauit admodum excedat, iam non præsumitur patris voluntas annuens cum graui aliorum fratrum præiudicio.

LIBER

LIBER XXXII.

PRÆCEPTVM DECALOGI QVINTVM.

QVintum Decalogi Præceptum. Non occides, *exponendum assumo, quod inter Præcepta negatiua, quæ prohibent, ne proximus offendatur, primum obtinet locum. Primùm itaque agam de Homicidio, quod permittitur. Deinde de Homicidio, quod prohibetur. Tertiò, de Homicidio Casuali. Quartò, de Restitutione propter Homicidium, referens quidem receptiores Doctorum sine pugna sententias. Mox verò haud dissimili ordine problematica disquisitione totam materiam illustrabo.*

SECTIO PRIMA.

De Præcepto Quinto receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De Homicidio, quod permittitur.

1 *Quid homicidium, & quale peccatum.*

QVinto Decalogi Præcepto, *Non occides*, omnis, & sola illa occisio prohibetur, quæ rectæ rationi dissona, ac repugnans est, nempe qua homo priuatur vita rationali contra rationem rectam, & rationalem hominis voluntatem. Vnde Homicidium definitur, *Iniusta hominis occisio.* Peccatum lethale est, tantóque grauius, quanto iniustitia quæ fit homini, dum vita priuatur, maior est. D.Thom. 1.2.*q.* 100.*a.*8.*ad* 3.Victor.*de homic.à n.*14. *ad* 20. Tolet.*lib.* 1.*c.*6. & alij communiter.

2 *Licita est animalium occisio.*

Occisio animalium non prohibetur hoc præcepto. Imò de fide tenendum, homines in vsus suos animantia posse interimere. Quia in Scriptura Sacra, homo Dominus inferiorum omnium constituitur. Genes. 9. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Ergò potest in suum vsum conuertere. Sylu. 2.1.*qu* 64. *a.*1. Molina *to.*4.*tr.*3.*d.*4. Lessi.*l.*2.*c.*9.*dub.*1.

3 *Licitum est cuique sibi ex optare mortem ad incommoda vitanda.*

Licet cuique sibi mortem exoptare ad incōmoda temporaria vitanda, nempè ægritudinem, animi afflictionem, paupertatem, &c. Quia prudenter quis censere potest, maius malum aliquam afflictionem esse, quam mortem: Ergo non est contra charitatem sibi debitam, velle mori potius, quam illo affici incommodo. Attamen extra casum magnæ calamitatis, aut afflictionis huiusmodi efficax desiderium vix potest à mortali excusari. Quia grauiter lædit charitatis iura, qui vult priuari maximo naturali bono, cuius non est Dominus, absque graui causa. Certè desiderium mortis talis est naturæ, vt nisi fine honesto, aut bono non leuis momenti cohonestetur, grauiter malum sit, sicut est malum grauiter occidere proximum. Santius *in select. d.* 2. *num.*9. Sotus *in* 4. *dist.* 5. *q. vni. art.* 5.*post* 5. *conclus.* Granad. 2. 2. *controu.* 3.*tr.*6.*d.*2.*sect.* 4.*n.*22.

Ex ignorantia inuincibili posset quis excusari ab homicidio sui ipsius, nempè ad vitandam ignominiam, vel tuendam castitatem. Quia probabilis sententia est, ignorantiam excusare Lucretiam à lethali piaculo potuisse. Nam se occidere ob pudicitiæ custodiam, non est ità euidens esse malū, quin inculpatè possit ignorari, ac putari licitum. Et quamuis homicidiū sit contra lumen naturæ secundariū, hoc est contrà cōclusiones deductas ex principiis lumine naturali notis: tamē potest cadere ignorātia in eiusmodi veritate, non solum inter Ethnicos, sed etiā apud Christicolas. Sic à multis excusatur D.Poloniæ factum. Sotus *l.*5.*de iust.q.*1.*a.*3. Malder. 2.2.*tr.*1.*c.*1.*dub.*17 Molina *de iust. to.*4. *tr.*3.*d.*9. Filliuc.*tr.*29.*n.*67. Lessi.*l.*2.*c.*9.*n.*123.

4 *Ex ignorantia inuincibili posset quis ab homicidio sui ipsius excusari.*

Licita est alterius occisio ad propriā defensionem: modò hæ confluant conditiones: Vt vis ab altero inferatur, & inuasor inuadat iniustè. Vt occisio fiat in ipso inuasionis actu, ita vt nō præueniatur inimicus. Vt occisio non fiat postfactum: quià alias esset vltio, & non defensio; nisi hoc fieret ad defensionem honoris. Vt fiat cū moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, quādo efficitur id tantùm, quod expedit ad vitam conseruandam, seu quādò adhibetur ea moderatio, & cautio, sine qua iniuria de celli nó potest. Vt inuasus probabiliter credat, se grauiter læ-

5 *Licitum est alium occidere, ad vitæ, aut integritatem membrorum defensionem, quinque adhibitis conditionibus.*

dendum, vel occidendum, si vi non repellat; occidendo inuasorem: Hisce conditionibus quinque adhibitis, fas est occidere iniustum inuasorem, ad vitæ defensionem, vel membrorum integritatem. Quia vim vi repellere omnia iura permittunt. Alexand. *cap. 1. si vero, de sent. excommun.* Sayr. *in Clavi lib. 7. cap. 10. num. 18.* Nauar. *sum. cap. 15. num. 3.* Sylvest. *verb. Bellum 2. num. 1.* Manuel. *part. 1. sum. cap. 155.* Valent. *to. 3. d. 5. q. 8 pun. 4.* Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 8. n. 41.* Bannes *1. 2. q. 64. art. 7.* Diana *p. 5. tract. 4. resol. 1. & 2.*

6 *Etiam Clericis & Monachis id licet contra quemcunque inuasorem iniustum.*

Etiam Clericis, & Monachis hoc concessum est, sicut laicis, idque contra quoscumque, etiam contrà superiores: Monacho contra Abbatem: filio contrà parentem, seruo contrà dominum: vasallo contrà Principem: & in quocumque officio sit occupatus, vnde si quis celebret, & inuadatur, potest se tueri, ac inuasorem occidere, si necesse sit, & postea sacrum continuare. Doctores *citat.* Attamè si ex morte Principis magnum Reipublicæ damnum sequeretur, vt bella ciuilia ob successionem: tenetur persona vilis perpeti mortem. Lessi. *l. 2. c. 9. n. 42.* Molina *to. 4. tr. 3. d. 14. concl. 2.*

7 *Licitè occiditur furiosus, aut amens inuasor.*

Licitè potest occidi furiosus, vel amens, vel ebrius, vel dormiens, qui alium iniustè inuadit, si aliter euadere non potest inuasus. Quia vim vi licet repellere: nec ex eo, quod ille inuadendo non delinquit, debet inuasus vulnus expectare. Omnes communiter.

8 *Qui à principio inuadit iniustè, sed postea desistit, & id intuetur inuasor, qui nō vult à pœna desistere, non patrat inuasor homicidij; ecce sed velut homicida punietur.*

Si Antonius iniustè inuasit Ioannem à principio, sed postea voluit ab inuasionis prosecutione desistere, suamque voluntatem Ioanni indicauit. Antonius autem inuasus noluit à pugna desistere: Ioānes nō patrat homicidij peccatum occidendo Antonium, si aliter nequit suā vitā defendere. In foro autē externo punietur tanquam homicida, & ad restitutionem damnorum condemnabitur. Quia incepit actionē periculosam homicidij, ad quod præcauendum non adhibuit sufficientem cautionem. Lessi. *l. 2. c. 9. n. 42.* Molina *to. 4. de iust. tr. 3. d. 11. nu. 2.* Bonac. *de restit. d. 2. q. vlt. sect. 1. pun. 8. n. 5. & 6.*

9 *Licitum est occidere publicos ministros in defensionem innocentis.*

Licitum est occidere satellites, seu publicos ministros cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando iniustè conantur innocentem interficere, vel illum capere, vt iniustè occidatur, si autem non constet, eum esse innocentem, sed bona fide munus suum obeant, occidi non possunt. Quia bonum commune postulat, vt ministro bona fide publicum officium exercenti, iniuria aut damnum non inferatur. Manu. *part. 1. sum. cap. 155. num. 9.* Aragon *2. 2. quæst. 69. num. 4.*

10 *Regulariter possumus permittere ab inuasore occidi, sed aliquando id agere non possumus.*

Quamvis verò liceat occidere iniustum inuasorem ob vitæ nostræ defensionem, regulariter loquendo non tenemur. Quia possumus exponere vitam nostram pro vitā temporali proximi: imò sæpè laudabilius est permittere te occidi, quam occidere. In aliquibus tamen casibus occidere inuasorem tenemur: verbi gratiâ, quando inuasus est valde vtilis Reipublicæ. Quia bonum commune priuato est præferendum. Vel quando ex inuasi morte maximum sequetur damnum familiæ, vt vxori, & filiis, quibus tenetur inuasus alimenta præstare. Vel quando inuasus putat se lethalis criminis esse reum, & timet damnationi addici, si tunc temporis occidatur. Quia quilibet tenetur magis animæ suæ salutem, quam proximi diligere. Tolet. *l. 5. c. 5. n. 10.* Sa *v. Homicidium, num. 17.* Molina *tom. 4. de iust. tract. 3. d. 14. nu. 1.* Diana *part. 5. tra. 4. resol. 14.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. num. 56.*

11 *Potest se inuasus cum innocentis tueri periculo.*

Si non potest inuasus se tueri nisi innocentis, quem inuasor se protegit, periculo: potest se cum eius periculo defendere. Quia ius habet se defendendi, quo non priuatur ex innocentis interpositione, si tamen fugere potest, tenetur saltem ex charitate, ne innocentem interficiat. Idem dicendum de illo qui fugit hostem, & infantem proterit, præ itineris angustia. Quia ius habet ad fugam via, quo iure nō potest in tanto discrimine priuari ratione infantis inibi constituti. Casu tamē, quo infans esset sine sacro obiturus lauacro, lege charitatis teneretur, potius se occidi permittere. Quia salutem proximi spiritualem suæ corporali anteponere tenetur. Corduba *lib. 1. q. 38 dub. 2.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap 3. num. 147.* Manu *pa. 1. sum. cap. 135. num. 6. & 7.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 9.* Diana *par. 5. tract. 4. resol. 4.*

12 *Licitum cum citra est tu furtum magni momenti defensionem occidere.*

Tam Clericis, quam laicis licitum est occidere propriarum facultatum inuasorem, si illæ magni momenti existant, nec sit probabilis spes, aliter illas recuperandi. Quia omnibus licitum est iure naturę vim vi repellere non solum à propria vita, sed etiam abiis, sine quibus simpliciter, vel commodè vita sustentari non potest. Tamen si aliter facile saluari, aut recuperari res possint, non est licitum latronem occidere inuadentem. Porrò in dubio, an recuperari possint, latro posset occidi. Pro re minima non conceditur ius defensionis cum tanto alterius malo. Res autem exigui momenti dicitur, quando est valoris triū, quatuor, aut quinque nummorum aut eorum. Manuel *to. 1. sum. c. 135. n. n. 15. & 16.* Valent. *to. 3. d. 5. q. 8. pun. 4.* Molina *to. 4. de iustitia, tr. 2. d. 16.* Nauar. *sum. c. 15. n. 2.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 11.* Sayr. *in Clavi l. 7. c. 10. num. 30.* Diana *p. 5. tr. 4 resol. 17. & 18.*

13 *Septem modis rem alienam inuadendi licitum.*

Varij vero sunt modi rem alienam inuadendi. Primò si quis per se nitatur auferre, seque contra impedientem defendat: in hoc casu licet impedienti raptorem occidere. Secundo, si raptor re accepta fugiat, potest dominus illum insequi & ferire: vel si necesse sit, telo petere: non licet tamen furem interficere, qui se in tutum recepit, & rē incepit quietè possidere. Tertio, si re loco certo deposita, voléti ingredi in eū locum vi raptor impediatur: tūc videtur cōcessum, vt vi aliter repellat, suam que rem recuperet: dūmodo desit ludex, cuius opem possit consequi. Idem dixerim, quando quis nulla interposita mora, raptorem persequitur. Quartò, si quis res alterius inuadat, famuli ministerio, vel arte magica per dæmonem, nec alia ratione quā nece id præcipientis aut moliētis possit impediri. Quinto, si coniurauerit in alterius dāna. Sexto si quis alterius debitores iniustè impediat, ne creditori satisfaciant. Septimò, si falsa accusatione, vel falso testimonio aliū fortunis conetur euertere: nec alia ratio impedienti suppetat. Reginal. *lib. 21. n. 67.* Diana *part. 5. num. 4. resol. 37.* Vasq. *de restit. §. 1. dub. 8. numer. 43.* Lessi. *lib. 2. cap 9. dub. 11. numer. 74. & 75.* Manu. *part. 1. sum. c. 73. num. 15.* Sylvest. *verb. Bellum, 2. num. 3.*

14 Licitum est cuilibet prò pudicitiæ defen-

sione

Pro pudicitia defensione occidere licet.

sione inuasorem interimere, quando pudicitia fugiendo, aut vociferando, vel alio modo defendi non potest, quam occidendo. Quia pudicitia plutis meritò quam opes æstimatur: & in hac re non semel adest peccati periculum. Scio tamen posse fœminam condonare inuasori vitam patiendo sui violationem, quando abest consensus periculum. Nauar. *sum. cap.* 15. *num.* 5. Sylui. 2. *qu.* 64. *artic.* 7. *quæsito* 9. *concl.* 1. Moli. *tom.* 4. *de iust. tract.* 3. *d.* 17. *num.* 10. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 36. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 73. *num.* 14.

15 *Et pro ignominia propulsandam.*

Inuasorem inferentem ignominiam licitum est occidere, si aliter ignominia vitari nequit. Quia periculum famæ æquiparatur vitæ periculo. Vndè potest occidi, qui virum honoratum fuste, vel alapa percutit, vt ignominiam inferat: nec in hoc casu inuasus tenetur fugere, si fuga est illi ignominiosa; non enim tenetur vitare pati tantum incommodum, etiam si fugiendo suam, & inuasoris vitam conseruaret. Id tamen non admiserim in plebeis hominibus infimæ conditionis, qui ex alapis aut verberibus non magnam sustinerent ignominiam. Lessi. *libr.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 77. Nauar. *sum. capit.* 15. *numer.* 3. Sayr. *in Clavi, libr.* 7. *capit.* 10. *numero* 27. Diana *p.* 3. *tractat.* 5. *resolut.* 90.

16 *Variis modis potest imperi, & auferri honor, in quibus receptius est, posse inuasorem interimi.*

Profectò honor alterius variis modis potest imperi, & auferri, in quibus receptius est, concessam esse defensionem. Primò, si alapam, vel baculo vulnus quis nitatur impingere, de quo iam dixi. Secundo, si quis alium per verba, vel signa contumeliis afficiat. Quia licet, contumeliosum occidere, quando aliter contumelia huiusmodi arceri non potest. Sic graues Doctores, quorum sententiam *sect.* 2. ad trutinam afferam; quia contumeliæ aliter possunt proculdubio repelli. Tertiò si quis illata alicui nobili alapa fugiat, aut consistat, huiusmodi vir iniuria affectus potest percutere, aut insequi fugientem, quantum ad honoris recuperationem sufficit: quandò aliter honor recuperari nequit. Quia hoc non est, vlcisci: sed honorem defendere. Quamvis in foro externo insequens punietur pœna homicidij, ne cædibus via patefiat. Vndè in praxi, vt vitetur cædium occasio, contrarium sustinuerim, præsertim quando læsor veniam implorat. Nauarra *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 376. Lessi. *libr.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 78. Nauar. *sum. cap.* 15. *num.* 4. Henriquez *de Irregul. capite* 10. Diana *particul* 2 *tractat.* 1. *resol.* 15. & *particul.* 5. *tractat.* 4 *resolut.* 12. citans Azorium, Sylvium, Reginaldum, ac Filiucium.

17 *Licitum est, vitam proximi tuendo inuasorem necare.*

Licitum est vitam proximi, quæ ab alio priuata authoritate impetitur, tueri, etiam cum inuasoris interemptione, si aliter defendi nequit. Quia possumus cooperari ad bonum, & suscipere partem innocentis. Verùm innocens hoc loci dicitur, non solùm ille, qui non inuasit; sed etiam ille, qui licèt dederit causam inuasionis, aut à principio inuaserit, vult nihilominus postea ab inuasione desistere. Imò charitas ad hoc obligat, quando sinè graui incommodo nostro, vel alterius, id geri potest. Idque verum est, etiamsi ille nollet defendi, sed vellet se pati occidi. Idem dixerim, quando pudicitia, honor, ac fortunæ proximi nobis sanguine iuncti inuaduntur, & opem nostram efflagitat. Quia iniuria quæ personæ nobis coniunctæ infertur in nos proculdubio redundat. Sayr. *in Clavi, lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 35. Salon. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Sa *verb. Homicidium, num.* 16. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. §. 2. Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 19. Malder. 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 15.

18 *Non semper tenetur quis cum vita propria periculo alterum defendere.*

Iure quis potest si velit, tueri vitam hominis priuati cum vitæ suæ probabili periculo: non tamen tenetur. Quia nemo tenetur suam vitam exponere pro vita corporali proximi. Potest enim quis diligere suam vitam præ vita cuiusvis priuati alterius. Secus dixerim, si persona Regis, seu Principis periclitaretur, vnde bonum Reipublicæ pendet. Adnoto tamen priuatum non teneri defendere alterius priuati, quando sine occisione inuasoris non potest. Quia vbi mala sunt paria, nemo tenetur vnum inferre, vt excludat alterum, præsertim cum id geri nequeat nisi per proximi occisionem. Certum tamen est, nos teneri bona externa quæ nobis necessaria non sunt ad tuendam vitam, exponere pro vita proximi saluanda. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 13. *nu.* 90. & 92. Moli. *tom.* 4. *d.* 18. *num.* 1 & 2. Diana *part.* 5. *tr.* 4. *resol.* 19. & 28. Reginal. *lib* 25. *cap.* 6 *num.* 71.

19 *Ex charitate tenemur proximi vitam, & fortunas defendere. Aliqui tenentur ex iustitia.*

Si quis commodè potens vitam, vel fortunas proximi non defendit, mortaliter delinquit contra charitatem: sed non tenetur ad restitutionem, nisi iustitia defendere teneatur. Nam qui ex officio proprio tenentur succurrere, peccant etiam contra iustitiam: nempè Principes, Magistratus, Prætor iuxtà modum regiminis sibi præscriptum. Similiter tenetur id gerere tutor, curator, & alij, qui ad hoc cõducti sunt, vt famuli milites, feudatarij. Lessi. *lib.* 2. *c* 9. *dub.* 13. *n.* 93. Diana *p.* 5 *tr.* 4. *resol.* 10.

20 *Publica potestas potest mutilare, & occidere. Quando quis possit & quãdo debeat sibi membrum secari permittere.*

Publica potestas potest mutilare, ac occidere malefactorem. Cuilibet etiam licet sibi membrum, vel partem membri mutilare, quando illius amputatio ad salutem totius corporis est necessaria. Imò in tali euentu adest amputandi obligatio, si dolores sint non nimium diri, ita Medico iudicante. Quia tenetur quisque vitæ suæ periclitanti mediis ordinariis, non tamen difficilibus admodum, opitulari, si tamen ingentes essent cruciatus tolerandi, non teneretur permittere, neque etiam potest ad hoc cogi, nisi quando quis est Reipublicæ valdè necessarius: tunc enim ad bonum publicum tenetur, & potest cogi à Republica. Quia bonum publicum priuato est præferendum. Sotus *lib.* 5. *de iust. q.* 2. *art.* 1 Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *d.* 10. *num.* 2. Sa *verb. Homicidium, num.* 14. Tolet. *lib.* 5. *c* 6. *nu.* 7.

21 *Quid si iubeat Iudex vel Tyrannus vt quis sibi membrum amputet?*

Licitum est cuique, sibi amputare membrum, iubente Iudice, vel Tyranno, alioquin minante mortem. Quia par periculo exponitur, (vel serpente magisterium præstante) vt totum conseruetur. Hinc est, vt qui catena ferrea detinetur in carcere occidendus, vel flammis est comburendus domo conflagrante, vel necandus à latronibus, vel à feris vorandus, potest sibi membrum amputare, vt se liberet à vinculis, & vitam conseruet. Non licet tamen sibi membrum resecare, si Tyrãnus id ob Religionis causam imperaret: exempli gratiâ. *Quia Sacrum feci, eas abscinde manus.* Quia id gerendo, videretur factum suum punire, & improbare. Lessi.

l.2.c.9.dub.13.n.181. Sa v. Homicidium, n. 24. Tanner. 2.2.d.4.q.8.dub.5.num. 100. Diana p.5. tr.4. resol.32. Tolet. l.5.c.6.

CAPVT II.

De Homicidio, quod prohibetur.

22 *Priuata authoritate non licet malefactorem occidere. Et quid de proscripto.*

NOn licet priuata authoritate malefactorem occidere, sed publica tantùm. Quia non licet interficere peccatores, nisi ob bonum Reipublicæ: At boni Reipublicæ procuratio ad publicam pertinet potestatem, quæ est in Principe, vel Magistratu. Hinc proscripti, contrà quos lata est sententia capitis possunt à priuato homine interfici. Quia hoc fit publica authoritate iustitiæ, cuius quilibet est respectu proscriptorum minister. Tamen si proscriptus esset extrà territorium eius, qui condemnauit, non potest occidi, nisi Princeps loci illius facultatem concedat. Imò proscripti possunt se inuicem etiam proditoriè, & per insidias interimere propter propositum sibi præmium à Principe, vel ob promissam libertatem. Quia hoc fit publica authoritate, & aliquandò bono communi expedit. D. Tho. 2.2. q. 64. a. 2. Aragon. *ibi.* Sylvest. *v. Homicidium* 1. n. 7. Reginal. *l.* 21. *numer.* 18. Azor. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 2. *quæst.* 2. & 4.

23. *Non licet ante Iudicis sententiam vxorem adulteram interficere.*

Non est licitum antè Iudicis sententiam licet impunè hoc à legibus permittatur, interficere vxorem, vel filiam in actu turpi deprehensam. Quia est contrà ius naturæ aliquem interimere antè sententiam Iudicis, & parte inaudita. Sa *v. Homicidium, numer. decimo tertio. & decimo quarto.* Lessi. *l.2.c.9.dub.* 5. Sylui. *in supplem. q.60. a.* 1. Santius *in select. d.* 48. *numer.* 60. Diana *p.* 3. *de sacram. resol.* 225. Nauarra *de restit. l.2.c.3.n.*100.

24. *Nec homini priuato licitum est, Principem, tyrannum ex administratione occidere.*

Non licet homini priuato interficere legitimum Principem, Tyrannum solo regimine, & administratione, hoc est, quando ininstè onerat subditos, discordias dedita opera seminat, vt bonis spoliet eos, & ipse ditetur. Quia etsi Princeps legitimus tyrannicè regat, tamen est superior, & scriptura imperat, nos Principibus Ethnicis parere. Quandò autem Princeps tyrannus est ratione tituli, nempe si absque vllo iure armis Principatum inuadat, vel occupet, potest à quouis de Regno interimi, modo conditiones hæ interueniant. Prima, vt non pateat ad superiorem recursus. Secunda, vt constet esse tyrannum titulo Imperij. Tertia, vt non sit contra expressam Reipublicæ voluntatem. Quarta, vt non timeantur maiora mala ab eius successoribus. Ratio est, quia talis non est Princeps sed iniustus inuasor, continuò vim inferendo Reipublicæ, vndè etiam illi vim licet inferre. Moli. *to.4.tr.3.d.6.* Baunes 2.2.*q.*64. *a.* 3. Sa *v. Tyrannus.* Malderus 2. 2. *tr.* 3. *c.* 1. *dub.* 4. Bonac. *de restitut. d.* 2. *q vlt. sect.* 1. *pun.* 3. Sayr. *l.*7. *c.*10. *n.*2. Lessi. *l.*2. *c.*9. *dub.* 4. Sylui. 2.2. *q.* 64. *a.*3. *concl.* 1. & 2.

25 *Nulli licet seipsum directè interimere.*

Licitum non est se ipsum directè seu ex intentione interimere. Quia homo non est dominus vitæ suæ, & suorum membrorum. Vndè mortaliter delinquit qui priuata authoritate occidit aliquem etiam volentem, consentientem, & id efflagitantem. Tamen licitum est quandò iusta causa subest, aliquid facere, vel omittere, vndè certò scitur, secuturus interitus, hoc est, licèt cooperari ad propriam mortem, idque tripliciter. Primo indirectè, per accidens, & mediatè, exponendo vitam periculo ob rationabilem causam, aut omittendo actiones ad vitam necessarias. Secundò, immediatè, ac directè, sed ex præcepto Dei, vt fecit Samson, & D. Appollonia. Tertiò, publica authoritate, si quis coactè sumat venenum; hæc enim cooperatio non videtur iuri naturæ esse contraria D. Tho. 2.2.*q.*64. *art.* 5. Nauarr. *sum. c.* 15. *num.* 11. Tolet. *l.*5. *c.*6. Sayr. *in claui, l.*7. *c.*9. Lessi. *l.*1. *c.*9. *dub.*6. Sa *v. Iudiciales actus, n.*54. Aragon 2.2. *q* 69. *a.*4.

Tenetur communiter vnusquisque sub mortali suam vitam conseruare, in quantum potest. Sunt tamen multi casus, in quibus quamuis possit, vitam tueri non teneatur. Primus est, quando quis permittit, se occidi nè alter moriatur in peccato lethali: quod intelligo de eo, qui non est persona publica Reipublicæ, vel alius admodum vtilis. Si enim talis esset, & non alter, se defendere, etiam occidendo, tenetur. Secundus, Miles potest, sed non tenetur, deferre stationem in periculo communi, etsi certus sit se occidendum. Tertius, reus potest non fugam arripere è carcere aperto, etsi certo sciat, se capite plectendum. Quartus, damnatus ad mortem per famem, potest à cibo clanculum oblato abstinere. Quintus in naufragio potest quis alteri permittere tabulam à se occupatam, & vndis committi. Sextus, si duo in extrema necessitate sint constituti, potest alter alteri cedere cibum, & finere se mori. Septimus, potest quis se telo obiicere ad Principis, vel amici vitam conseruandam: imo si amicus sit damnatus ad mortem iniustè, potest se pro illo occidendum offerre. Octauus, licet militibus de communi consensu immittere puluerì tormentario ignem, quo nauis incendatur, vel care se in mare præcipites etiam cum aperto vitæ periculo, ne cum ipsis nauis in infidelium manus in Ecclesiæ damnum adueniat. Nonus, excusari etiam possunt qui sui corporis agilitate ambulant super funem, quamuis enim periculosa sit actio, experimento constat, raro accidere eos præcipitium. Ratio horum omnium est, quia non est prohibitum homini nè vitam suam periculis vnquam exponat; sed tantùm nè ex intentione illam quasi exosam auferat. Manu. *p.*1. *c.*137. *numero primo, & secundo.* Marchant. *in Decal. c.* 5. *q.* 8. *casu* 4. Nauarra *de restit. l.* 2. *c.*3. *numero septuagesimo tertio & octuagesimo secundo.* Malder. 2.2. *tr.*3. *c.*1. *dub.* 19. Tolet. *l.*5. *c.*6. Sa *v. Homicidium*, Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.*6. *n.*27. Bonac. *de restit. d.*2. *q.vlt pun.*5. *n.*4. Sayr. *in Clani, l.*7. *c.*9. *a n.*19. Diana *p.*5. *tr.*4. *resol.*16. 28. 31. 41. & 42. & *p.*6 *tr.*7. *resol.*48.

26 *Suam quisque vitam conseruare tenetur. Multa tamen in casibus potest quis non tueri suam.*

27 *Non licet vitam immoderatis ieiuniis & asperitatibus ex intentione abbreuiare.*

Non licet alicui ex intentione vitam notabiliter ieiuniis, vigiliis, psalmorum decantatione abbreuiare: & licet id non intendat, aduertens tamen eiusmodi effectum sequi solere. Quia omnes tenemur ex charitate nos ipsos conseruare, & contrarium affectum non habere. Attamen non iudico peccati esse reum, qui per moderatam abstinentiam, aut macerationem, aut ieiunia præuidet fore, vt vita abreuietur, non

inten

intendendo mortem, sed virtutem. Quia hoc non repugnat rationi, cum ea opera laude sint digna. Vnde si quis indiscreta ieiunia suscipiat, quæ vitam abreuiatura sunt, sed id non aduertat, & intendat spiritualem animi profectum, à peccato excusatur. Quia inaduertentia facit, quòd vitæ imminutio voluntaria non sit. Nauar. *sum. c.* 15. *n.* 12. Aragon. 2. 2. *q.* 64. *c.* 5. *ad* 5. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *q.* 7. Nauarra *l.* 2. *c.* 3. *n.* 88. Victor. *de temper. n.* 2. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 33. Pasqualig. *in praxi ieiunij, decis.* 27.

28 *Non potest fœmina seipsam interficere, ne ab alio violetur.*

Non potest fœmina se ipsam interimere, ne ab alio violetur. Quia violatio non imputatur illi ad peccatum, nisi adsit consensus: nec per id virtus castitatis aut laureola virginitatis amittitur: cum potius dicatur pati, quam agere. Secus dixerim de viro, qui ob metum mortis fornicationem committeret. Quia hic actiuè concurrit ad actum, consentit, & vult illum gerere. In eo autem casu, quo mors fœminæ minitata est, nisi crimini assentiat, potest se negatiue habere immota manens, si periculum consensus absit. Verum quia admodum est difficile, ob vehementem naturæ inclinationem non consentire, ideo licitè poterit id periculum præueniendo resistere, etiam spreta morte: imò laudabiliter pro virtute morietur. Reginal. *l.* 21. *n.* 43. Diana *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 31. Benedict. *sum. l.* 2. *c.* 4. *n.* 7. Sayr. *in Claui l.* 7. *c.* 9. *n.* 23. Tolet. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 4. Nauar. *c.* 16. *n.* 1.

29 *Non est licitū directè innocentem occidere.*

Licitum non est, directè innocentem occidere. Quia cum nullus homo habeat vitæ alterius dominium, nemo potest eam auferre, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminum punitionem. Vndè si tyrannus innocentem persequeretur, & minaretur Vrbi excidium nisi illum ciues interimant: non possunt interimere. Posset tamen Respublica innocentem cogere, vt ad tyrannum accedat: & si pergere nolit, potest eum tyranno tradere. Quia innocens in eo euentu tenetur mortem obire pro patria, & vltro sese offerre tyranno, neci se exponendo, si certum sit calamitatem communem esse impediendam: Ergò etiam ad id compelli poterit. D. Tho. 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. Sylui. *ibi.* Bonac. *de re it. d.* 2. *q. vlt pun.* 7. *nu.* 1. Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 7. Moli. *to.* 4. *tr.* 2. *d.* 10. *numer.* 4. Nauarra *de rest it. l.* 2. *c.* 2. *n.* 120. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 23.

30 *Non licet aggressorem vitæ nostræ præuenire.*

Non licet aggressorem vitæ nostræ præuenire, ante quam moraliter actum aggressionis inceperit. Quia antè aggressionis actum non infertur illa vis, quæ sit repellenda. Vndè licitum erit vxori occidere maritum, qui iam pugionem sub cerucali ad eius necem collocauit, vel apparauit venenum, aut quid simile: modò non sit alia spes euadendi ex eius manibus. Non liceret tamen adulteræ, quæ nouit, maritum esse sui criminis conscium, eum interimere, si maritus nondum se, ad eam occidendam parauit. Porrò malefica, quæ magicis artibus assidue per dæmonem nocet, potest cogi verberibus ad desistendum, quando alia via euadendi non adest. Imò potest occidi, modò certò constet, eam esse authorem mali, & putetur prius maleficium sine nouo maleficio tolli posse. Nauar. *sum. c.* 15. *nu.* 3. Bonac. *de rest it. d.* 2. *q. vlt pun.* 9. Bannes 2. 2. *q.* 64. *a.* 3. *dub.* 4. *concl.* 2. & 5. Manu. *p.* 1. *c.* 135. *numero* 2. Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *n. quadragesimo sexto.* Diana *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 90. & *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 5. Sylui, Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom IV.*

2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *quæst.* 6. Marchant. *c.* 5. *Decal. q.* 2. *casu* 3.

31 *Illicitum est dare, aut accipere pharmacum ad abortum. Et quando ad matris ægritudinis medicamen licitum.*

Licitum nunquam est, antè, aut post fœtus animationem dare matri pharmacum mortiferum fœtui, seu ex vi sua ad abortum ordinatum, vel fœtus mortem. Quia non potest quis directè innocentem occidere, vt alium seruet; si id fiat post animationem; si verò antè etiam erit illicitum. Quia sicut non licet ob sanitatem procurare pollutionem, ita non licebit, procurare abortum: vtrumque enim est contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem. At si mater periculosè laboret, & aliud non supersit remedium: potest ei exhiberi pharmacum directè in curationem tendens, etiam si putetur inde abortio secutura: modo proles non sit animata. Quia abortio tunc censetur solum permissa, non procurata; nam præter intentionem superuenit, matre suo iure vtente. Cæterum si proles iam animata sit, non est licitum præbere matri medicamentum directè curatiuum cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel probabile admodum, prolem sine illo viuam edendam. Attamen si valde probabile esset, non adhibito remedio vtrumque moriturum: eo verò adhibito, saltem matrem posse seruari: licitè possunt hæc remedia adhiberi. Couar. *p.* 2. §. 3. *numero primo.* Nauarra *l.* 2. *c.* 9. *numer.* 140. Nauarrus *sum. c.* 25. *numer. sexagesimo secundo.* Sayr. *in claui l.* 7. *c.* 12. *numero vigesimo.* Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 10. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 11. Graf. *p.* 1. *l.* 1. *c.* 61. *n.* 24. Henriq. *l.* 11. *c.* 16. *n.* 8. Sylues. *v. Medicus, q.* 4.

Nullo bono fine honestari potest sumptio potionis, qua prolis conceptioni obstetur. Quia eam impedire est contra naturalem generationis finem. Vndè id agere prohibet Bulla Sixti V. *de abortu*, §. 5. & etiam prohibetur *in c. si aliquis, de homicidio.* Sylui. 2. *q.* 64. *a.* 7. *quæst.* 4 *concl.* 3. Turrian. 2. *to.* 2. *d.* 26. *dub.* 2. *num.* 45. Sanch. *de matr. l.* 9. *d.* 10. *num.* 18. & 10. Nauar. *sum. c.* 16. *n.* 25. Filliuc. *tr.* 19. *n.* 101.

32 *Ob consumelium sum verbū non licet occidere.*

Illicitum est viro quantumuis nobili, occidere eum, qui sibi dicit contumeliosè *Mentiris.* Quia occidendo non ostendit, se non mentiri: Ergò cum occisio, aut vulneratio, aut quæcumque alia percussio non sit medium aptum ad huiusmodi iniuriam depellendam: nec etiam esse potest medium licitum; hæc enim non sunt licita, nisi quando sunt apta, aut necessaria pro defensione. Azor. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 1. *q.* 17. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 13. & alij communiter.

33 *Illicitum est duellū acceptare.*

Illicitum est duellum acceptare practicè loquendo, etiamsi recusando aliqua infamia apud eos, quibus cum viuitur imminere videatur. Quia recusans duellum, nullam honoris sui iacturam facit apud pios Christicolas. Vndè ille, cui duellum offertur, potest honori suo consulere dicendo, se paratum esse illud acceptare, si per Ecclesiæ decreta liceret. Quòd si alia ratione honesta inuadatur, se non defuturum Christianæ virtuti, & suo honori. Valen. 2. 2. *q.* 17. *d.* 3. *pun.* 1. Sayr. *in claui, l.* 7. *c.* 13. *n.* 13. Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 8 & 84. Manu. *p.* 1. *c.* 136. *n.* 1.

34 *Non licet interficere furiosum inuasorem, si quis fugere possit sine periculo.*

Non est licitum vel furiosum inuasorem interficere quando inuasus aufugere potest. Quia talem fugere, probrosum non est: sed potius non fugiens probro afficitur. Item tenetur filij fugere patrē, & auum: frater minor natu fratrem

maiorem. Quia huiusmodi fuga non timiditati, sed pietati, ac reuerentiæ adscribitur. Attamen quando ex fuga magis periclitaretur inuasus, quam si non fugeret, eo quod inuasor maiores assumeret vires, vt à tergo fugientem vulneraret, vel in insidias paratas incideret: fugere non tenetur, esto esset persona Ecclesiastica, aut alia, cui fugere, dedecori non tribuendum esset. Malder. 2.2.tr. 3.c.1.dub.12. Molina to.4.tr.3.d.17.

35 *Nec sibi membrum ad spiritualem sanitatem amputare.*

Nulli est licitum, sibi membrum, aut partem membri mutilare ad sanitatem spiritualem, vt ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum. Quia huiusmodi diligentia non est medium necessarium ad animi salutem; non enim membra afferunt perniciem homini, sed malitia, ac negligentia liberæ voluntatis. Nec refert aliquem sanctum hoc fecisse; id enim ex diuina inspiratione, vel probabili ignorantia gessêre. Licitum tamen est membra affigere vsque ad sanguinis profluxionem, modo non sit vitæ vel amissionis alicuius membri periculum D. Tho. 2.2.q.63.a.1.ad 3. Sylui. ibi q.65. a. 1. Tolet. l.5.c.6.n.7. Moli. to.4.tr.3.d.9. Lessi. l.2. c. 9.dub.14.n.98.

CAPVT III.

De Homicidio Casuali.

36 *Quotuplex dicatur homicidium casuale*

HOMICIDIVM casuale dicitur, quod omnino casu sit præter operantis voluntatem. Dupliciter potest dici casuale; Primò, quòd non sit directè intentum, siue sit aliquo modo voluntarium, quod vocatur mixtum, siuè sit purè fortuitum, & casuale. Secundò, homicidium propriè & pure casuale dicitur, seu fortuitū, quod ex aliquo opere nostro præter intentionem euenit: ità vt nec directè, nec indirectè volitum censeatur, id est, nec in se, nec in sua causa. Ad hoc verò duo requiruntur. Primo, vt quis non vacet operi, quod sibi sit prohibitum, aut illicitum; quia periculosum. Secundò vt debitam diligentiam adhibeat, ne quem lædat; si enim eam non adhibeat operi periculoso incumbens, cēsebitur saltē in sua causa homicidiū voluisse. D. Tho. 2.2.q. 64.a.8. Sylvius ibi. Caiet. ad 2. Lessi. l.2.c.9.dub. 15. Sayr. de cēsur. l.7.c.5. & 6. & in clavi, l.7.c.14.

37 *Homicidium puri casuale ad nullam restitutionem obligat.*

Homicidium purè fortuitum, seu casuale ad nullam obligat restitutionē. Quia nullū est peccatum: est enim prorsus inuoluntarium, vt potè nec in se, nec in sua causa intentum. Homicidiū autem non purè fortuitum, prouenies scilicet ex eo, quod quis in opere suo non adhibeat debitam diligentiam, obligat ad satisfactionē aliquando sub mortali, sub veniali aliquādo. Quia hoc homicidium est peccatum iniustitiæ mortale vel veniale pro ratione negligentiæ, volūtariæve omissionis diligentiæ, quam vel ratione operis, quod hic & nunc aliquis facit, vel ratione officij tenebatur adhibere: Ergo similiter obligatio ad satisfactionem nascēs ex hoc peccato aliquando erit sub mortali, aliquando sub veniali. Tale est homicidium secutum ex deiectione tegulæ, quando deest sufficiens cautio. Et homicidiū secutum ex negligentia Magistratus in Vrbe. Bonac. de restit. d. q.vlt.sect.1.pun. 2.n.3. & 5. Lessi. l.2.c.9.n.103. 108. & 109. Diana p.5.tr.4.resol.46.

38 *Qui vitiliti ad aliquem operam ex qua præter intentionem sequitur homicidium, vi est reus homicidij.*

Si quis rei prohibitæ incumbat, & illicitæ, eo quod periculosa sit, tamen adhibeat debitā diligētiam: etsi homicidium indè secutum quadam ratione censeatur peccatum, non tamen peccatum iniustitiæ, nec obligat ad restitutionem. V.gr. si Clericus venetur cum scoplo, vel telo periculoso, & hominē casu interficiat, adhibita tamen diligentia necessaria, ne quē læderet: peccat quodammodo illa occisione volēdo eius causam, quæ erat illicita, eo quod esset via ad læsiones & homicidia: non tamē peccat crimine homicidij, aut iniustitiæ; sed contra Religionem; qui gessit quod status clericalis dedecet sanctitatē. Nam venatio periculosa, quæ fit cum debita circūspectione, non ideo est prohibita, quod per eā fiat proximo iniuria: alioquin etiā laico prohibita esset; sed quia dedecet statum Clerici illa militaris exercitatio, ex quo interdùm mortes hominum quamuis inculpatè assolēt euenire. Nauarra de restit. l.2.c.3.n.362. Filliuc. tr.29.c.7.q.5. & 6. Henriq. l.14.c.16.n.1. Bonac. de restit. d.2.q.vlt sect.2.pun.2.n. 5. Lessi. l.2.c.9.dub.15.n.104.

39 *Casualis censetur occisio, etsi à marito adulter inuasus eum occidat, modo negligentiæ adhibito.*

Committit quis adulterium, & præuentus ab adulteræ marito, eū occidit cum moderamine, occisio ea censetur casualis. Quia nec est culpabilis in causa, cum adulterium sit causa tantùm remota, & occasio: non enim est via ad occisionem mariti, sed potius adulteri. Et hoc verum esse iudico, etiamsi antè quam ad adulteram accederet, suspicatus sit, hæc incommoda obuentura. Bonac. de restit. d.2.q.vlt.sect.2.pun.2.nn. 6. Lessi. l.2.c.9.dub.15.n.106. & 107. Filliuc tr. 29. n.35. Diana p.5.tr.1.resol.47.

40 *Si homicidium ab Antonio patratum Petro imputetur debet ne aliquid Antonius Petro restituere.*

Antonius clam Ioannem occidit, & Petro ex suspitione homicidium illud imponitur eo quod inimicus Ioannis occisi ab omnibus habeatur: quæritur, an damnum, quod Petro obuenit, Antonio occidenti ad satisfactionem sit imputandum? Si non ea intentione Antonius dānum intulit Ioanni, vt inde Petro incommodū accideret, sed per accidens secutū est, Antonio non aduertente: non tenetur Antonius quicquā Petro restituere. Quia qui occidit inimicū suū, non tenetur ex iustitia cauere, nè alius accusetur: & quia tale damnum per accidens euenit Petro, non ex actu Antonij occidentis Ioannē: sed ex actu accusatorum, & falsorum testiū. Nauarra de restit. l.2.c.1.n.77. Sotus de iust. l.4.q.6. a.4. Lessi. l.2.c.9.n.110. Porrò si præuideat Antonius ex sua actione damnum Petro euenturum ob aliorum malitiam, sed id nullo modo intendit, ex receptiori sententia non tenetur ad restitutionem. Quia quandò ex aliqua actione sequitur damnum tertio non ex natura actionis sed ex malitia, aut ignorantia aliorum, quæ se immiscet, non censetur huiusmodi actio iniuriosa tertio: Homicida tamen tunc contra charitatem delinquet præuidens tale damnum tertio secuturum occasione homicidij, quod tenebatur ex charitate euitare. Sotus citat. a.3. ad 4. Ludou. Lopez to.1. Instr.c.63. Nauarr. sum. c.15. num.17.

CAPVT

CAPVT IV.

De Restitutione propter Homicidium.

41 *Qui importunè ab altero prouocatur ad pugnã licèt modum iustæ defensionis excedat non obligatur ad restitutionem, licèt vulneret, aut occidat.*

QVi ab altero importunè ad pugnam prouocatur, licèt modum iustæ defensionis excedat, non tenetur ad restitutionem, homicidio, aut mutilatione secuta. Quia prouocans videtur ei condonare, cum facit illi potestatem, vt contra se agat, quod poterit. Idem dixerim quando duo se vicissim prouocant, vel alter alterum etiam simplicibus verbis, absque importunitate, & tali consensu, pugnam aggrediuntur. Azor. *part. 3. libr. 5. cap. 3. quæs. 7.* Salon. *2. 2. quæs. 61. artic. 2.* Lessi. *libr. 9. capit. 9. dub. 21.* Moli. *tom. 4. d. 82.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 50.* Filliuc. *tract. 32. numer. 112.*

42 *Qui inuaditur sine prouocatione, si limites iustæ defensionis notabiliter excedat, tenetur integrè damna compensare, si occidat, vel vulneret.*

Qui autẽ inuaditur ab altero sine prouocatione, si limites iustæ defensionis notabiliter excedat, ita vt mortaliter delinquat, inuasorem occidendo: tenetur integrè damna compensare. Quia qui ità interimit, facit alteri iniuriam, & est iniusta totius damni causa: sicut qui dolo, aut lata culpa est alteri causa damni. Licèt enim culpa, & iniuria imminuatur ex inuasione alterius quoad malitiam: non tamen quoad restitutionem Sic fur, qui clam accepit mille, non minus tenetur ad restitutionem, quam raptor, qui eadem millia vi abripuit: esto fur minus peccarit, & minorem in auferendo intulerit iniuriam, quam raptor. Nauar. *sum. cap. 15. num. 14.* Nauarra *de restit. libr. 4. cap. 1. num. 92.* Vasq. *de restit. cap. 2. §. 3. dub. 4.* Manu. *part. 1. cap. 138. num. 2.*

43 *Non tenetur restituere, qui ab altero inuasus, & potest fugere, si-stit gradum, & interimit.*

Qui ab altero inuasus potest fugere, vel aliter pugnam declinare, etsi id non faciat, sed sistens gradum iusta moderatione se defendendo, occidat inuasorem: ad restitutionem non tenetur. Quia non peccauit contrà iustitiam, sed solùm contrà charitatem; non enim ex iustitia fugere tenebatur, vel alia via declinare. Nemo námque ex sua malitia, qua vult adulterum inuadere, acquirit ius in eum, vt ad fugam teneatur, ita vt nisi fugiat, censeatur ei iniuriam facere; sed solùm tenetur ex charitate fugere, si absque honoris dispendio possit. Imò hæredes inuasoris occisi tenentur restituere damna, quæ passus fuit inuasus, qui cum moderamine inuasorem occidit. Quia hæc damna subiit inuasus ob inuasoris culpam. Moli. *tom. 4. d. 81.* Bonacin. *de restit. d. 2. quæst. vltim. sect. 2. punct. 1. num. 3.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 48.* Lessi. *libr. 2. cap. 7. dub. 21. numer. 136.*

44 *Si quis inuadat eum, a quo affectus fuit iniuria, & ab eo occidatur, non tenetur inuasus ad restitutionem.*

Si is, quem iniuria affecisti, te inuadat, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, eum interima: non teneris ad restitutionem, seu compensationem homicidij. Quia qui alteri iniuriam intulit si armis ab eo inuadatur, vltionis ergò, potest se cum moderata defensione tuesum ad restitutionem; alter enim nullum ius habet sic priuata authoritate inuadendi. Nauarra *de restit. libro 2. cap. 3. num. 362.* Lessi. *libro 2. capite 9. dub. 21. numer. 137.* Manu. *part. 1. cap. 135. num. 2.*

45 *Mutilator, vel homicida iniustus ad omnia damna tenetur.*

Mutilator, vel homicida, qui alium iniustè aggressus est, tenetur ad omnia damna, quæ passus est occisus, aut qui vulnus accepit: verbi gratiâ, ad damnum emergens, & integras expensas factas ex curatione vulneris, ad lucrum etiam cessans vulneris causa. Quia iniusta sua actione causa fuit efficax huiusmodi damni, & cessationis lucri. Tamen non est restituendum totum lucrum, quod occisus, aut vulneratus consecutus fuisset, sed quantum illa spes lucri valebat, si quæstum aliquo officio, vel ministerio faciebat; iis tamen detractis quę ipse solebat consumere, si obiit: vt sunt expensæ cibi, potus, vestitus, &c. Nam quæ ipse absumebat, non possunt in lucris ad hæredes pertinentibus censeri; lucrum enim dicitur, quod supereſt, deductis expensis: verbi gratiâ, si ipes lucri æstimetur mille aureis, erat consumpturus quingentos supersunt, quingenti restituendi. Verùm quia difficile est ad vnguem quid sit restituendum definire, expedit adhibere transactionem, & compositionem cum parte, cui gerenda est restitutio. Nauar. *sum. cap. 15. num. 19.* Sayr. *libr. 11. cap. 2. num. 5. & 6.* Azor. *part. 3. libr. 5. cap. 3. quæs. 2.* Nauarra *de restit. cap. 1. num. 54.* Molina *tom. 4. d. 81.* Couar. *libr. 2. variar. cap. 10. num. 7.* Diana *part. 5. tr. 4. resol. 53.*

46 *Etiam si homicida pœnam talionis sustinuerit, omnia damna homicidij resarcienda sunt.*

Si in rigore loquamur, omnia damna ex homicidio secuta ex bonis homicidæ sunt resarcienda, etiam si homicida pœnam talionis sustinuerit. Quia pœna à Iudice infligitur non vt damnum parti læsæ compensetur; sed vt iniuria Reipublicæ, ac legibus illata vindicetur, aliisque terror incutiatur. Azor. *tom. 3. libr. 5. cap. 3. quæs. 6.* Sa *verb. Homicidium, num. 18.* Nauar. *sum. capite 15. numero 22. sect. 2.* sermo recurret.

47 *Pro funere expensis nil restituendum.*

Pro funeris expensis nihil ordinariè est restituendum. Quia nullum hoc ex capite illatum est damnum: nam si occisus morte naturali obiisset, similes expensæ essent gerendæ. Lessi. *libr. 2. cap. 9. dub. 23.* Nauarra *de restit. libr. 4. cap. 1. num 80.* Vasq. *de restit. cap. 2. §. 3. dub. 6. num. 17.* Sylui. *2. 2. quæs. 61. artic. 2. quæsito 3. conclus. 1.* Filliuc. *tractat. 32. numer. 200. & 201.* Diana *part. 5. tractat. 4. resol. 54. & 61.*

48 *Non obligatur homicida ad suffragia pro occisi anima.*

Iuxta receptiorem sententiam non obligatur homicida ad gerendam restitutionem pro anima occisi per eleemosynas, Missas, &c. (Quamuis sit saluberrimum consilium, & naturalis æquitas id postulare videatur. Vnde pro satisfactione Sacramentali ego ei huiusmodi suffragia adhibenda iniungerem.) Quia bonum spirituale non potest esse rei temporalis pretium: Ergò non potest pro damno vitæ ex iustitia deberi. Molina *tom. 4. d. 84. numer. 10.* Manu. *part. cap. 148. num. 8.* Sotus *libr. 4. de iust. quæs. 6. artic. 3.* Azor. *tom. 3. libr. 5. cap. 3.* Filliuc. *tractat. 32. num. 205.* Sylvest. *verb. Restitutio, 3. quæs. 2.* Diana *part. 5. tractat. 4. resol. 55.*

Qui interficit eum, qui naturali, vel iusta erat morte obiturus, non tenetur ad restitutionem. Quia homicida: nullum damnum pecuniatus videtur intulisse. Nam occisus nihil lucratus fuisset tam breui temporis interstitio.

49 *Non tenetur ad restitutionem, qui interficit eum*

qui paulò post erat naturalem, vel iustam mortem subiturus.

Contrarium dixerim de eo, qui occidit alium, qui paulò post iniustè erat à latrone occidendus: tenetur enim ad restitutionem. Quia iniustè occidit, & damnum, attulit: sicut alter si interfecisset, obligatus proculdubio esset. Nauarra *de restit. libr. 4. capit. 1. num 78.* Vasq. *de restit. cap. 2. §. 3. dub. 3. num. 8.* Lessi. *lib. 2. capit. 9. dub. 10. num 131.* Filliuc. *tract. 32. num. 204.*

50 *Hæredes homicidæ ad restitutionem, tenentur, si homicida reliquit bona libera, in quibus hæredes succesſerunt.*

Homicidæ hæredes tenentur ad restitutionem tam damni naturalis, quam temporalis, si antè mortem ille non satisfecerit: sicut tenentur soluere debita, quæ occisor debuit ex iustitia, aut ex contractu; modo homicida reliquerit bona libera, in quibus hæredes succesſerunt. Quia obligatio restituendi est realis: obligatio autem realis ad hæredes transmittitur. Ad huiusmodi verò restitutionem non tenetur pater pro homicidio facto à filio, ni filius habeat bona castrensia, vel quasi. Quandò autem bona homicidæ consecrata sunt, fiscus tenetur eam gerere restitutionem. Nauar. *sum. cap. 15. num. 25.* Aragon. *2. 2. qu. 62. art. 2.* Sayr *lib. 11. cap. 2. num. 19.* Reginal. *lib. 10. num. 320.*

51 *Tenetur homicida lucrū cessans, ac damnum emergens resarcire.*

Tenetur homicida lucrum cessans, & damnum emergens resarcire parentibus occisi, proli, & vxori. Quia parens, & filius censentur vna persona: similiter maritus, & vxor. Quare qui occidit Petrum, vxori, filiis, & parentibus damnum infert: nam veluti partem quandam abscidit, à qua illis obueniebat strictissima obligatione vtilitas. Quare si filius sit occisus, & parens debebat succedere, eo quod interfectus prole carebat, ipsi est gerenda restitutio. Similiter si filius debebat parentem alere. Idem dicendum de vxore, ac filiis: ea enim commoda vxori, filiis, ac parentibus rependenda, quæ occisus præstare debuisset. Sayr. *in Clau. lib. 11. cap. 1. num. 14.* Sotus *libr. 4. de iust. quæst. 6. artic. 2. ad 3.* Bonac. *de restit. d. 2. qu. vltim sect. 2. punct. vltim. num. 2.* Filliuc. *tract. 32. num. 207.* Sylui. *2. 2. quæ. 62. art. 2. quæst. 4. concl. 1.* Layman. *libr. 3. tract. 3. part. 3. cap. 6. num. 1.* Moli. *tom. 4. d. 83. num. 6.* Reginald. *libr. 10. numer. 314.*

52 *Ad nullam restitutionem tenetur, quādò læsus, vel eius hæredes debitum omne remittunt.*

Homicida non tenetur ad aliquam restitutionem, quando læsus, vel eius hæredes remittunt omne debitum. Quia filiis, & vxori non fit iniuria per homicidium, nisi quatenus læduntur in sua parte contra eorum voluntatem. Ergò quando hæc pars condonat omne damnum, nullus ius eis remanet. Erit tamen graue peccatum, si filiis valdè egentibus parens condonet occisori omnem restitutionem; valebit tamen in conscientia, nisi certæ alicuius portionis, verbi gratiâ tertiæ, quartæ, vel quintæ dispositio alicubi lege positiua ei non permitteretur; tunc enim non valeret remissio nisi secundùm hanc moderationem. Equidem fieri poterit, vt homicida etiam post factam remissionem ex charitate teneatur aliquid vxori, ac filiis restituere: verbi gratiâ, si sint effecti pauperes valdè ex illo homicidio, & homicida commodè valeat illis succurrere. Molina *tom. 4. d. 81.* Filliuc. *lib. 32. num. 210.* Bonacin. *de restit d. 2. quæst. vltim. punct. 1. numer. 16.* Bannes *2. 2. qu. 62. artic. 2.* Salon. *ibi, controuers. 9.* Lessi. *libr. 2. cap. 9. dub. 26. num. 158.* Diana *part. 5. tr. 4. resol. 58.*

53 *Ad restitutionem tenetur Antonius occidens, iudicans esse Ioannem.*

A peccato mortali iniustitiæ non excusatur, & ad restitutionem tenetur Antonius occidens iudicans esse Ioannem. Quia hæc actio est iniusta contrà Antonium, licet falsò putaretur Ioannes. Nam qui comburit domum Petri, quam putabat esse Pauli, Petro restituere tenetur, *l. Eum qui nocentem 4. §. si iniuria, ff. de iniuriis.* Molina *tom. 4. d. 30. & 53.* Sanch. *de matrimon. libr. 9. d. 32. num. 27.* Couar. *part. 1. cap. Alma, §. 10. num. 15.* Gomez *3. variar. cap. 3. num. 14.*

54 *Homicidium irrogatum per mancipium, vel animal tuum tibi imputatur ad restitutionem.*

Homicidium, vel aliud damnum irrogatum per mancipium, vel animal tuum, tibi imputabitur, si tua culpa lata factum est, & ad restitutionem totius damni teneberis. Verbi gratiâ, si iusseris, suaseris, impulseris: vel si negligens fuisti in præcauendo. Nec tunc sufficit, seruum, vel animal noxæ dare, sed totum damnum est compensandum. At si nulla tua culpa interuenerit, non teneris ad totum damnum; sed sufficit mancipium, vel animal noxæ dedere. Liberum tamen tibi est, vel damnum compensare, vel rem, quæ nocuit tribuere: eidque post Iudicis sententiam. Sylues. *verb. Restitutio 3. quæst. 4.* Lessi. *libro 2. capite 9. dub. 17. numero 119.* Diana *particul. 5. tractat. 4. resolut. 52.*

55 *Homicidia facta per Turcarum triremes, quam sunt remigibus Christianis captiuis tribuenda.*

Verùm homicidia, ac damna, quæ per triremes Turcarum, aut infidelium quorumcúmque inferuntur, remigibus Christianis imputari non debent. Quia captiui non tenentur ex iustitia à remigio abstinere, quando flagris, aut nece proposita vrgentur, esto Turcæ contrà Christicolas dimicent. Quia remigatio est per se actio indifferens, quæ ex Turcarum malitia ad Christianorum necem tendit. Secus dicendum de iis, qui tormenta in Christianos dirigunt, ignem bombardis admouent, pilas explodunt, aut sagittas proiiciunt, etiamsi hoc gerunt metu mortis. Quia actionem intrinsecè malam exercent. Cæterùm fieri potest, vt remiges illi ex charitate teneantur non remigare: verbi gratiâ, si tam ingentia damna sequerentur, vt ad ea impedienda tenerentur vitam exponere; secus si mala secutura haud tanti ponderis essent. Sanch. *lib. 1. sum. cap. 7. num. 18.* Vasq. *de iustit. cap. 9. §. 1. dub. 2. numer. 39.* Lessi. *libr. 2. cap. 9. dub. 18.* Bonac. *de restit d. 1. quæst. 2. punct. 10. num. 4. & 5.* Reginald. *lib. 21. num. 119.* Azor. *part. 3. libr. 4. c. 15. qu. 2.* Layman *l. 2. tr. 3. c. 13. n. 5.* Diana *part. 3. tract. 6. resol. 48.*

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto Decalogi quinto Problemata.

CAPVT V.

Circa Homicidium licitum.

PROBL. I.

Licitum est, & non est, inuasorem occidere, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

56 *Non est licitum.* NOn est licitum. Quia absolutæ Decalogi Præceptum imperat. *Non occides*: & ad vim repellendam, variis quilibet potest mediis vti. Sic Accursius, & Glossa *ad l. Vim vi, ff. de iust. & iure.* Richar. de S. Vict. *opusc. de charit.* Gerson. *tract. de Euch.* Ancona *de potest. Eccles. qu. 2. artic. 3.* Hugo. *dist. 50. cap. De his Cleric.* Abul. *ad cap. 5. Mat. qu. 109.*

57 *Licitum est.* Licitum est cunctis. Quia ipsa natura dictante, vim vi licet repellere. Et quia ius Canon. & Ciuile id omninò permittit. *cap. significasti 2. de homicid. cap. si verò, de sent. excomm.* Clement. *Si furiosus, de homicid. libr. 1. Cod. de vi armata. l. Scientiam. §. qui cum aliter. ff. ad legem Achiliam, & l. Vim vi. ff. de iust. & iure.* Sic D. Antonin. Angel. Sylvest. Abbas. Socin. Manil. quos citat, & sequitur Binsfeldius *de iniur. & damno dato, cap. 1 qu. 5. concl. 3.* asserunt, si quis Sacerdotem celebrantem inuadat, posse eum intermittere officium, & se defendere; & si cum moderamine iusto inuasorem occidat, Missam perficere. Quia peccati reus minimè efficitur. Omnes huic sententiæ subscribunt.

58 *Primam sententiam improbabilem esse reor.* Primam sententiam improbabilem omninò esse reor. Vndè solùm adiicio, duo esse necessaria, vt quis se cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere dicatur. Primùm, vt inuasus non possit alia via se abirruente defendere: ad cuius cognitionem sufficit coniectura probabilis, nec opus est, attente vestigare, nùm poterit alia via vitare periculum; huiusmodi enim in casibus fermè est talis attentio impossibilis. Secundum, vt qui inuaditur non adhibeat inpugna maiorem conatum, quam qui necessarius ad defensionem videatur. Et id verum, non solùm vt quis se à nece defendat, sed etiam à vulnere, & à qualibet iniuria.

* * *

PROBL. II.

Licitum est, & non est inuasorem occidere, qui fustem, vel alapam viro honorato vult infligere.

59 *Licitum non est.* NOn est licitum. Quia si res in occulto geratur, parum lædit honori: si publicè, læsus honor facilè via iuris, aut aliis modis potest recuperari, Sic Sylui. 2. 2. *qu. 64. articul. 7. quæst. 9.* Tanner. *tom. 3. d. 4 qu. 8. dub. 4. num. 74.* Malder. *2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 7. assert. 1.* Maior. *in 4. dist. 15. qu. 20.*

60 *Est licitum.* Licitum est. Quia huiusmodi inuasor conatur honorem auferre, qui pluris meritò apud homines æstimatur, quàm magna vis opum. Ergò si quisque potest inuasorem occidere (de quo infrà) in opum defensionem, à fortiori poterit, nè ignominiam cogatur sustinere. Ità Nauar. Lopez, Sylvest. Sotus, & alij, quos citat, ac sequitur Lessi. *libr. 2. cap. 9. dub. 12. num. 77.* Villalob. *sum. tom. 2. tract. 12. difficul. 10. num. 5.* Meus sapientissimus Magister Petr. Hurtado de Mendoza *2. 2. d. 170. sect. 16. §. 137.* Marchant. *sum. ad Decalog. cap. 5. qu. 1. casu 2.* Filliuc. *tract. 29. num. 50.* Becan. *2. 2. de homicid. qu. 8. concl. 2.*

61 *Hoc probabilius.* Hanc sententiam longè probabiliorem esse reor. Attamen eam non admitto in conditionis infimæ hominibus, qui ex alapis, & verberibus haud magnam sustinent ignominiam.

PROBL. III.

Licet, & non licet cuique, præuenire aggressorem, eumque prius quam inuadat, occidere.

62 *Minimè licet.* MInimè licet. Quia defensio fit per repulsionem violentiæ, vbi autem violentia nondum infertur, hæc non propriè repellitur, sed vindictæ nondum perfectæ, iniuriæ opera datur. Certè qui præuenit inimicum paratum dūtaxat, nondum vim patitur: si igitur illum occidat, non dicetur vim vi repulisse. Sic Sylui. *2. 2. quæst. 64. art. 7. quæsito 6.* Nauar. *sum. cap. 15. num. 2.* Saloni. *2. 2. quæst. 64. art. 7. concl. 3.*

63 *Licet omninò.* Licet omninò. Quia vnicuique id licet efficere naturali iure, quod alterius nequitia, medium est effectum necessarium ad propriam vitam conseruandam. Quo fit, vt quando iniustè alterius decreto, quo iniustè auferrè intendit alterius vitam, factum est huic medium necessarium, ad suam vitam conseruandam,

cum

eámque à verisimili mortis periculo eruendam, illum arceuertere, illum prius interficiendo: licitum sit huic, siue ille alias ob id decretum dicendus sit aggressor, siuè non. Neque enim idcircò fas est interficere iniustum aggressorem, quia aggreditur; sed quia aggressione constituit iniustè in discrimine vitam aggressi, ita vt nulla pateat via ad eam ab eo periculo eruendam, nisi illum interficiendo. Sic Molina *tom. 4. de iust. tractat. 3. d. 12. numer. 2.* Couar. *Clement. Si furiosus, part. 3. §. vni. num. 3.* & multi alij apud ipsum. Diana *part. 4. tract. 4. resol. 5.*

64 *Huic sententiæ adhæreo.* Existimo huic applaudens sententiæ, fas esse, eum interimere, qui nos interficere decreuit, & certò scitur, insidias apparare, quandò aliter non patet via mortem euadendi, seu graue exitij periculum declinandi, quod illius nequitia ex decreto nobis imminet, siuè qui id ita decreuit, dicendus iam aggressor sit, siuè non; id enim est de vocabulo quæstio.

PROBL. IV.

Si Petrus statuat, per famulum Antonium occidere: licitum est, & non est Antonio, cui nulla euadendi est spes, antè irruptionem famuli, Petrum imperantem interimere.

65 *Hoc non licet.* FAmulum inuadentem occidere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ; at Petrum imperantem minimè licet. Quia non est ipse, qui inuadit, nec facta est ab eo vis, quam vi liceat repellere. Sic Malder. *2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 7. assert. 1.* Sylui. *ibi, quæst. 46. artic. 7. quæsito 5.*

66 *Licet plane.* Licet quidem Petrum immittentem famulum vt me interimat, occidere. Quia moraliter loquendo, ille est actualis aggressor. Nam si quis vadit, vt irritet contra me canem rabie affectum (verbi gratiâ,) vt me morsu exitiali interimat, licitum est mihi eum occidere priusquam canem soluat, si aliter nequeo periculum propulsare. Ergò licebit Antonio immittentem famulum, vel sicarium vt eum enecet, præuenire insidias, & Petrum id molientem famuli ministerio, de medio tollere. Ità Bannes *2. 2. qu. 84. art. 7. concluſ. 2.* Marchant. *sum. qq. pastoral. ad Decalog. cap. 5. qu. 2. casu 3.* Ioan. Franc. Suarez *enchirid. casuum conſc. lib. 7. verb. Homicidium, § 7.* Reginald. *lib. 21. num. 57.* fatus: *Si famulos voces, ad me occidendum, nec aliter saluus esse possim, quam te occidendo possum te occidere.* Ioan. de la Cruz *part. 1. Director. part. 1. prac. 5. qu. 1. dub. 5.*

67 *Quid Auctor?* Ergò autem cum Lessio *lib. 2. cap. 9. dub. 8. nu. 46.* existimo hanc sententiam speculatiue esse veriorem, difficulter autem posse ad praxim adduci, ob abusus periculum: & quia rarò accidere possit, vt non suppetat mortis euadendi via.

* *
*

PROBL. V.

Licet, & non licet occidere falsum testem, pergentem ad testificandum contrà te, cuius testimonio vita, vel honor tuus in discrimen adducendus erit.

MInimè licet. Quia huiusmodi testis non potest dici tuæ vitæ, aut honoris inuasor, licèt enim contra ius faciat, falsum asserendo: sed non contra ordinem iuris: est namque de ratione aggressionis, vt contrà ordinem iuris iniuriam inferat, id est propria authoritate, nec vt priuata persona, sed per Iudicem, seruato iuris ordine occidit, licèt iniquè. Ergò non est aggressor. Sic Turrian. *2. 2. d. 27. dub. 2. num. 10.* Salon. *2. 2. quæst. 64. artic. 7. contr. 1. concluſ. 3.* Corduba *lib. 1. quæst. 38. dub. 1.* Sotus *libr. 5. de iust. qu. 1. art. 8.* Sylui. *2. 2. quæst. 64. art. 7. quæsito 5.* Malder. *ibi, tractat. 3. capite 1. dub. 7.* 68 *Minimè licet.*

Licèt omninò. Quia nihil differt armis me, vel alia via inuadere, si certo scio, gladio oris eius me fore occidendum. Ità Ioan. Franc. Suar. *in enchirid. l. 7. verb. Homicidium*, §. 13. Bannes *de iust. & iure, quæst. 74. art. 7. dub. 4. concl. 1.* Tanner. *tom. 2. d. 4. qu. 8. dub. 4. num. 83.* Reginald. *libr. 21. cap. 5. num. 57.* & probabilem esse asserit Nauarra *de rest. libr. 2. cap. 3. num. 357.* Vega *sum. part. 1. cap. 127. casu 11.* 69 *Licet omninò.*

Hoc probabilius esse crediderim, addens, idem asserendum de accusatore, si falsis criminationibus, vel falsis testibus vitam alicuius in iudicio impeteret, nec alia esset effugij ratio. Scio Bannes, & meum Magistrum, ac propinquum Petrum Hurtado de Mendoza *2. 2. d. 170. sect. 8. §. 62.* id extendere, non solùm quandò falsus testis, vel accusator impetereret in iudicio alicuius vitam, sed etiam temporaria bona. Nam (vt infrà patebit, & *sect. 1.* inf. animus) licitum est; aliquibus circumstantiis adhibitis, pro defensione rerum temporalium inuasorem occidere. Itaque si falsus testis, vel accusator pergit ad Iudicem, & monitus noluerit retrocedere: licitum est ei, qui iniuriam patitur, illum occidere, defendendo se, vel res, si aliter non possit. 70 *Mihi non probabilius.*

PROBL. VI.

Quis aliqua in domo reclusus, videt inimicum qui expectat eum egredientem, vt occidat: Hic potest, & non potest, illum interimere, si aliter seruari non valet.

NOn potest illum interimere. Quia nunquam licitum est præuenire inimicum quantumvis paratum, donec actu inuadat, seu aggrediatur. Sic Salon. *2. 2. tom. 1. qu. 64. artic. 7. contr. 1. concluſ. 3.* Sylui. *2. 2. quæst. 64. articul. 7. quæst. 5.* 71 *Non potest.*

Potest planè. Quia illum ipsum expectare reclusum, qui non potest fugam arripere, quin in manus inimici necè præparati incidat, 72 *Potest plane.*

est

est prorsus aggredi, & inuadere. Ergò si licitum est inuasorem occidere actu irruentem in vitæ defensionem, etiam licebit hostem expectantem vt interimat, præueniendo interimere. Ità Azor. *libr. 2. cap. 1. quæstion. 12.* Reginald. *libr. 21. num. 57.* hisce verbis. Si accedas catapultam displosurus ad me occidendum, nec possim aliter mortem euadere, nisi præueniam, occidendo te, possum præuenire; quia erit defensio vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ. Similiter si nondum accedis quidem, tamen iam es ad occidendum instructus, atque sic conclusum obsessúmque tenes, vt non possim euadere, nisi te occidendo præueniam. Hactenus ille.

73 *His subscribo Doctoribus.* His subscribo Doctoribus. Itaque si nondum certamen hostis instituit, sed paratus est, & instructus ad inuadendum, nec reclusus potest euadere, nisi præueniat, potest equidem præuenire. Exempla exhibebo. Maritus pugionem apponit sub ceruiculo, vt vxorem interimat, vxor id certo sciens, si aliud non subest remedium, potest præuertere, & occidere virum. Alter alteri venenum apparauit, potest illud ex industria conuerti in authorem, si alia euadendi ratio non supersit. Hæc duo exempla communiter à Doctoribus admittuntur, & accepi à Lessio *libro 2. capite 9. dub. 8. numero 45.*

PROBL. VII.

In foro conscientiæ licet, & non licet alium pro honoris defensione interimere.

74 *Non licet.* NOn licet. Quia defensio honoris cum occisione non est iuris naturalis, nec ex eo iure descendit. Ergò eodem titulo, quo defensio vitæ confirmatur, non potest defensio honoris stabiliri. Antecedens probatur. Si esset iuris naturalis, aut ab eo descenderet honoris defensio, æquè Clericis, ac laicis competeret: ea enim, quæ iuris naturalis sunt, toti speciei humanæ conueniunt; & ea est ratio, cur vnicuique competat contrà quémque defensio vitæ cum occisione, quia est iuris naturalis vim vi tali in casu repellere: quæ defensio nec à sæculari, nec ab Ecclesiastica potestate tolli valet: Ergò cum Clericis huiusmodi defensio ad honoris tuitionem sit interdicta, conuincitur, iuris naturalis minimè esse. Sic Sylui. *2.2. qu. 64. art. 7. quæsito 9. conclus. 2.* Binsfeldius *in comm. de iniuriis, & damno dato, cap. 1. quæs. 5. conclus. 8.* Baldus *libr. 4. consil. 312.* Vndè Andreas Gail *obserua. 100. num 8.* dictitat, contrarium opinantes magis politicè, quam Christianè scripsisse.

75 *Licet quidem.* Licet planè pro honoris alicuius ponderis defensione, ratione habita personarum, ac circumstantiarum occurrentium aggressorem interimere, quandò aliter honor conseruari non potest: vt si sit homo ingenuus, cui dedecori sit aufugere, cui alius eum aggreditur, nunc licèt fugiendo vitam propriam, & aggressoris quiret conseruare, non tenetur fugere. Quia propter defensionem facultatum licitum est inuasorem occidere: sed honor cuncta temporalia bona, pretio superat: Ergò pro defensione honoris alicuius ponderis, quandò aliter nequit tueri, licitum erit iniustum aggressorem interimere. Ità Azor. *tom. 3. libr. 2. cap. 1. qu. 14.* Molina *tom 4. tractat. 3. d. 17.* Escobar *part. 1. de pietate, & nobilit probanda, qu. 1. §. 8. num. 13.* Turrian. *2.2. tom. 2. d. 28. dub. . numer. 1.* Zanger. *tom. 3. d. 4. qu. 8. dub. 4. num. 73.* citans Aragon. Valent. Bannes, Saloni. Sotus *de iust. libr. 8. qu. . art. 8.* Nauar. *sum. cap. 15. num. 3.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. capite 3. numero 13.* Diana *part. 5. tractat. 4. resolut. 9.* & alij communiter.

Longè hoc probabilius, habita, vti innui, personarum ratione. Nam si alicui non sit dedecori fugam arripere, tenetur fugiendo vitam proximi conseruare. Verbi gratiâ personæ Ecclesiasticæ, aut Religiosæ, cui dedecus est, arma arripere, & dimicare. Item si inuasus persona est de infima plebe, ac talis quæ dedecore non suffundatur ob fugam, vel paruo quidem dedecore afficiatur, tenetur aufugere. Nam si cum modico sui detrimento potest quis proximi mortem vitare, id tenetur efficere. 76 *Probabiliorem hanc partem esse puto.*

PROBL. VIII.

Licet, & non licet occidere eum, qui mortem minitatur, si talis solitus sit minas executioni mandare.

MInimè licet eum, qui solis verbis tibi mortem minatur, interimere. Quia vti Dominus dixit, *duodecim sunt diei horæ*, & quod ex commotione irati animi dictitatur, frigescente iracundia, traditur obliuioni: nec minæ illæ possunt dici vim aliquam iniustè vitæ intulisse, quæ possit vi illata repelli. Sic Malder. *2.2. tract. 3. cap. 1. dub. 7.* Diana *part. 5. tract. 4. resol. 10.* 77 *Minimè licet.*

Licet equidem. Quia si qui minatur, solitus sit minas dare executioni, idem erit minas proferre, ac insidias iam alterius vitæ instructo, animo præparat: vnde iam vis adiecta esse potest existimari. Ità Ioan. Franc. Suarius *in Enchirid. casuum conscient. lib. 7. verb. Homicidium, §. 7.* Iulius Clar. ex Afflicto, & alijs, asserens absolutum fuisse quendam, qui alterum sibi minantem interemerat. Legendus *in pract. crim. lib. 5. §. Homicidium, num. 33.*

Ego quidem speculatiuè hanc partem probabiliorem esse crediderim; sed difficilè ad praxim adducendam, cum tam diuersa sint hominum iratorum ingenia. Certè si qui minatur mortem assolet faciliter iracundia succendi, haud difficilè excutiet occidendi propositum. At si experimento constet, esse nunquam minas inaniter iactitasse; illud ipsum minas proferre existimarim esse vim vitæ addicere, non videtur illicitum eam vi repellere. Ad id tamen perpendendum accurata admodum attentio requiritur. 78 *Auctoris resolutio.*

PROBL.

PROBL. IX.

Princeps, aut quiuis alius Reipublicæ perquam commodus tenetur, & non tenetur, inuadentem se occidere.

75 *Minimè tenetur.* MInimè tenetur. Quia cum scriptura Sacra omnes hortetur ad ponendam vitam etiam pro inimicis, non potest accidere casus, quo vllus quantumvis Reipublicæ vtilis teneatur vitam propriam tueri, peracto homicidio. Nec enim sacra pagina de persona publica, ac priuata distinguit. Sic Petr. Binsfeldius *de iniur. & damno dato, cap. 1. q. 5. concl. 7.* inuenhens contra Sotum.

76 *Tenetur equidem.* Tenetur equidem. Quià inibi agitur de communi maximo bono, in cuius præiudicium nō potest quis sine lethali piaculo suam vitam, vel inuasoris exitio exponere nec ad cōtrarium censenda est facta ei à Numine copia, cui quoad dominium vita hominum subest. Ità Molina *tom. 4. tract. 3. d. 14. num. 1.* Sotus *de iust. lib. 5. quæst. 1. art. 8.* Salui. *2.2. quæst. 64. art. 7. quæst. 1.* Arag. *ibi.* & alij.

81 *Hanc præfero partem.* Hanc præfero partem. Quia præferenda est communis vtilitas damno priuato. Idem dixerim, si ex huius morte maximum detrimentum familiæ, vxori, scilicet, ac liberis sequeretur, quos alere vir obligatur. Quamvis enim cedere posset iuri suo permittendo se ab aggressore occidi, ne aggressor mortem temporariam, & æternam subiret: non tamen posset cedere iuri suorum, quibus vita ipsius est necessaria, & quibus alimenta, educationem, ac protectionem debet.

PROBL. X.

Certò scit miles, bellum à suo Principe iniustum esse, & hic à milite iustè dimicante inuaditur: Hic quidem potest, & non potest in sui defensionem iustum inuasorem interimere.

82 *Non potest.* NOn potest. Quia miles irruens ius habet ad alterum interficiendum, non secus ac ministri publici habent ius ad necandos malefactores. Ergo sicut non possunt hi in sui defensionem publicos interimere ministros, sic miles Ducis iniustè dimicantis non poterit se defendens, iustum bellatorem aggredientem, aut insequentem internecare. Alioquin daretur bellum iustum ex vtráque parte, (pulsa prorsus ex parte vtráquo ignorantia) quod videtur absurdum. Sic Molina *tom. 4. tract. 3. d. 15. numer. 5.* qui quidem vi argumenti illigatus anceps hæret in quæstionis resolutione, quod huic sententiæ probabilitatem, me iudice, adstruit.

83 *Potest quidem.* POtest quidem. Quia non ad militem subditum, sed ad Imperatorem pertinet de belli iustitia dissertio: & hic stylus vbique gentium asseruatur. Neque obstat vel cognita à milite belli iniustitia, quominus ipse naturali iure defendendi vitam, vtatur. Ità Sotus *de iust. libr. 5. qu. 1. art. 7.* Azor. *part. 3. libr. 2. cap. 1. qu. 5.* Diana *part. 5. tract. 4. resolut. 15.* Philip. Fabr. *de rest. in 4. sentent. dist. 15. quæst. 3. d. 52. cap. 1. num. 17.*

Debet quidem miles Ducis iniustè dimicantis militem iusti exercitus irruentem monere, si possit, vt ab aggressione desistat. Quod si nolit, tunc inuasus ius habet se tuendi, occidendique alterum pro sua defensione. Nec ideò bellum ex vtraque parte iustum obiicitur. Princeps enim bellum iustum non gerit, miles autē illius non ex iustitia aut iniustitia belli, sed ex iure naturali tuendi vitam sui communuit aggressorem. 84 *Hoc magis probo.*

PROBL. XI.

Quando quis inuasorem interimit potest & non potest eius necem directe intendere tanquam medium ad sui defensionem necessarium.

NOn potest per se intendere inuadentis necem, sed solummodo respicere directè suæ vitæ defensionem, ex qua consequitur quasi accidentaliter ad conatum nex inuadentis. Quia aliàs magis habebit repugnatio illa vindictæ, quam defensionis speciem. Sic Caietan. *2. 1. qu. 64. art. 7. dub. 5.* Sylui. *ibi quæsito .* & alij. Antonius verò à Corduba *lib. 1. quæs. 8.* & Aragon. *2.2. quæs. 64. artic. 7.* asserunt licitum esse scienter occidere inuasorem, & id confuse velle, quonammodo Deus scit, id licitum esse: neque oportere considerare, qua intentione actualiter fiat. 85 *Non potest.*

Potest quidem aggressus per se intendere aggressoris mortem ictu cor vulnerando, aut iugulum, animo eum prosternendi, ac necandi, quando videt, id sibi esse necessarium, vt tutè eius manus euadat. Quia medium necessarium ad vitam tuendam licitè potest per se intendi. Ita Molina *tom. 4. tract. 3. d. 11. num. 4.* Faber *de rest. ad 4. ser. dist. 15. q. 3. d. 5. a. 1. n. 18.* Manu. *sum. tom. 1. cap. 210. num. 3.* Villalob. *tom. 2. sum. tra. 12. diffic. 10. num. 9.* Sotus *de iust. lib. 5. quæst. 1. art. 8.* & alij communiter. 86 *Potest plane.*

Equidem quisque potest intendere per se necem aggressoris in sui defensionem, propriæque conseruationem vitæ. Fateor primam sententiam pietatem redolere; sed ideò mihi minus arridet, quia præcisio illa ad aliud non deseruit, quam ad conscientiæ errorem, & scrupulorum scaturiginem in satis lubrica materia. Et quis quæso perturbatione affectus ex repentina inimici irruptione, & mox percitus iracundia, ac totus intentus ad periculum declinandum, potuit vnquam attendere, nùm per se intendat, necne suæ vitæ inuasorem? 87 *Verius puto.*

PROBL. XII.

Licitum est, & non est licitum in propriarum facultatum defensionem inuasorem interimere.

ID in foro poli minimè licet, sed solùm iure humano permittitur, vt id fiat impunè. Quia si in ordine 88 *Minime licet in foro cæli.*

ordine ac lege charitatis vita proximi corporalis est bonis nostris temporariis præponenda; Ergò pro eorum defensione nefas erit proximum duplici morte spirituali, ac temporali afficere. Sic Felin. *ad c. 2. de homicid post num. 4.* Abul. *ad c. 15. Mat.* Ancona *opusc. de author. Eccle.* Gerson *tr. de Euchar.* Tabie. *v. Homicidium, q. 7. & v. Irregularitas, 2. 1. n. 25.* Accursius, & alij apud Nauart. *sum. c. 15.* Archidiacon. & Panormit. quos citat Sylvest. *v. Homicidium 1. q. 4.*

89 *Licet in foro conscientiæ.* In foro conscientiæ licet omninò. Quia bona externa media sunt ad vitæ sustentationem, conseruationemque status, & honoris. Ergò sicut pro defensione vitæ licitum est, aggressorem occidere: ita etiam licebit ad facultatum defensionem, quæ vitæ conseruationi deseruiunt. Vndè res externæ dicûtur sanguis, ac vita hominis, vti docet Glossa iuncto textu *in l. Adnocati, C. de aduoc. diuers. iudic.* Ità Tanner. *to. 3. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 81.* citãs Sylvestrum, Navarra, Sotum, Valentiam, Aragon, Bannes, ac Lessium, Turrian. *2. 2. to. 2. d. 27. dub. 2. numero decimo quinto.* Marchant. *sum. mor. resolut. pastor. ad Decal. c. 15. q. 5.* Baldellus *to. 1. l. 3. d. 26. numer. decimo.* Laym. *l. 3. tr. 3. sect. 5 p. 3. c. 3. n. 4.* Moli. *to. 4, tr. 3. d. 16. num. 1.* Azor. *to. 3. l. 2, c. 1. q. 19.* Filliuc. *to. 2. tr. 19. n. 36.*

90 *Veriorem hãc iudico sententiam.* Hanc sententiam longè iudicarim esse veriorem. Quia licet vita proximi bonis temporariis sit præferenda, quando ex natura rei id contingit: tamen si id proueniat ex inuasoris malitia, præferenda non est necessario. In casu autem nostro ex malitia inuasoris id accidit: Ergo eius vitæ bona temporaria sunt præferenda. Quod quidem verum esse iudico etiam in Clericis, queis licitum est facultatum inuasorem interimere, si aliter non valeant defendere. De quo *sect. 1.* disserui.

PROBL. XIII.

Religiosi possunt, & non possunt ad temporariorum bonorum defensionem raptorem occidere.

91 *Minimè possunt.* MInimè possunt. Quia proprium non possunt habere: ergò nec gaudere iure defensionis rerum externarum vti laici, ac Clerici: Sic Petr. Binsfeldius *de iniur. & damno dato c. 1. q. 5. concl. 4.* ex D. Antonino.

92 *Possunt planè.* Possunt planè. Quia etsi Religiosi proprium non habeant, vnusquisque habet ius defendendi non solum ea, quæ possidet, sed etiam queis fruitur in communi, vel quorum vsus, vel custodia ipsi est commissa. Ità Tanner. *to. 3. d. 4. qu. 8. dub. 4. numero septuagesimo septimo.* Sylui. *2. 2. q. 64. art. 7. quæsito 8.* Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 11. numero septuagesimo secundo.* Malder. *2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 13.* Becan. *2. 2. to. 2. qu. 7. de homic. c. 2. numero 5.* Diana *p. 5. tr. 4. resol. 17.*

93 *Mihi hoc verius.* Idem quod de laicis ac Clericis communis asserit sententia existimo de Religiosis affirmandum. Quia communitatis bona ad cunctos pertinent Regulares domus, & ad quemcumque pertinet eorum defensio, quasi singuli possiderent.

PROBL. XIV.

Potest quis, & non potest, pro defensione rei, quæ vnius aurei valorem non excedit, inuasorem de medio tollere.

94 *Nonnulla suppono.* SVppono ex *sect. 1.* nulli licere furem occidere pro defensione rei, quæ parui est momenti. Quod limitant Theologi, quando qui rem paruam sustulit, ne reddat, incipit ferro repetentem inuadere. Nocturnum etiam furem quidam excipiunt, qui etiam ob rem modicam posse inquiunt interimi, nocturna enim irruptio non assolet pro re modica fieri. Quæsierim autem quanti ponderis debeat esse res, quam aggressor inuadit iniustus, vt illius possessor, vel custos possit eum in illius defensionem interimere? Num sufficiat, rem vnius aurei valorem æquare?

95 *Et quisque potest.* Pro defensione rei, quæ vnius aurei valorem non excedit, potest quis furem occidere. Quia in tali casu inuasor non solum rem aufert, sed etiam magnam infert contumeliam, quæ per vim potest repelli. Sic Molina *de iust. to. 4. tr. 3. d. 16. numero septimo.* Bonac. *de contract. d. 2. q. vlt. sect. 1. pun. 10. numero primo.* Patris Moninæ accipe verba. Quando quis iniustè aggreditur, vsurpare rem etiã valoris vnius aurei, vel minoris adhuc valoris, resistente domino, aut custode illius: certè neque ad culpam, neque ad pœnam auderem damnare eum, qui illam defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ iniustum aggressorem: quidquid in contrarium cum Baldo, & Angelo dicat Caterius. Huc vsque Molina.

96 *Minime potest.* Pro defensione rei, quæ vnius aurei valorem non superat, minimè licet domino, vel custodi aggressorem interficere. Quia licet quisque ius habeat sua tuendi, conferendum tamen est damnum quod vitare occidendo procurat, cum damno, quod infert, quamuis innocentis sit melior conditio. Et quidem pro re parua iniquum est vitam hominis eripere. Ità Iason *ad l. Vim vi. ff. de iust. & iure, numero vigesimo quinto.* Mathesilan. *in sing. 135.* Sotus *de iust. l. 5. q. 1. a. 8.* Arag. *2. 2. q. 64. a. 7.* Diana *p. 5. tr. 4. resol. 18.* asserentes vnico calamo vnius, duorum, ac trium aureorum valorem vilissimi esse pretij, vt pro eo vita hominis sit auferenda.

97 *Auctorum sententia.* Ego autem asseruerim vti *sect. 1.* expressi) si fur aggrediatur accipere rem ascendentem ad summam quatuor aut quinque aureorum, resistente domino, posse illum interficere, esse probabile, & receptius. Attamen non audeo omninò hasce sententias approbare; durum enim semper mihi fuit, pro quatuor vel quinque aureis defendendis, vitam hominis licitè eripi posse. Vnde concludo, rem, propter quam aggressor interficiendus est, debere esse magni momẽti vel ex se, vel in suo pretio, aut æstimatione, vel in suo consequenti, vt si domino admodum necessaria sit propter inopiã familiæ, &c. Attamẽ (loquor cũ Lessio *l. 2. c. 9. dub. 11. n. 68.*) si ver-

teretur tibi probrom isi rem minimam abripi, extorqueas, nunc posses conari, etsi opus esset, occidere; tunc enim non tam rei, quàm honoris esset defensio.

PROBL. XV.

Priuato cuique homini licet, & non licet, gladio, veneno, proditione, aliáve quauis vi occidere Regem tyrannicè dominantem, Regnum scilicet iàm possidentem ex tyrannide.

98 *Licet quidem.* LIcet priuato cuique occidere tyrannum, qui vi, fraudeve Regnum, aut Vrbem inuasit, duabus seruatis conditionibus. Prima est, si aliter non possit Respublica à tyrannide liberari. Secunda, si maiora incommoda non timeantur. Quia talis non est verus Princeps, ac dominus subditorum, sed hostis: At hostem licet tempore belli occidere: Ergo & tyrannum. Consequentia patet: nam tyrannus cum Regno, seu Republica continuum bellum gerit. Sic Caiet 2.2.q.64.art.3. Salon. *ibi contr.* 1. Sotus *de iust.l.*5.q.1.a.3. Couar. 4. *Decret. de matrim.p.*2.c.3.§.4.n.6. Malder. 2.2.tr.3.c.1.dub.4. Lessi. *l.*2.c.9.dub.4.n.6. Moli. to.4.tr.3.d.6.n.2. duce D. Tho. *sent. dist. vlt.q.*2.a.2.& *l.*2. *de regim. Princ.c.*6. Et hæc sententia absolutè intelligitur licet iam tyrannus Regnum tyrannicè possideat, semper enim illegitimus est Princeps.

99 *Non licet.* Non licet priuato occidere tyrannum, qui iam tyrānica Regni, Prouinciæ, aut Vrbis fungitur possessione. Quia nemo deiici à possessione debet, nisi prius audiatur, & iudicetur. Et quia euidentia patrati sceleris, quamvis accusationem, ac probationem non requirat: exigit tamen sententiam declaratoriam, ex Glos. *ad cap. Euidentia, de accusat.* Ita Filliuc. *tract.* 28. *numer.*14. Azor. *tom.*2. *libr.*11. *cap.*5. *quæst.* 10. Sylui. 2.2. *quæst.*64. *art.*3. *concl.*2. Diana *p.*5. *tract.*4. *resol.*21.

100 *Hæc sententia verior omninò.* Hanc sententiam putarim esse admodū veriorem, quam vberius exponam. Eo tempore, quo tyrannus aliquis Regnum inuaderet alienum, & in ipso inuasionis actu interimeretur, sententiam primam satis probabilem esse iudicarim. Nam supponi deberet, contrà eiusmodi tyrannum subditos Regni, quod inuaditur, iure posse bellum gerere, seque defendere ab iniusta inuasione: & cum expedi ior via sit ducem aduersarij exercitus de medio tollere, hæc executioni detur, non videtur, in quo executor possit redargui. At si tyrannus inuadens Regnum, Prouinciam, aut Vrbem, retineat qualemcumque possessionem, & administrationem capti Principatus, dubiam, & suspectam hanc sententiam existimo, neminique consulendam. Quia nullus deiici à possessione debet, nisi prius audiatur, eiusque causa iudicetur. Et quia res tam grauis minimè est priuato iudicio concedenda, sed publicum postulat iudicium: & cædes, si alia non profuerint, tanquam vltimum remedium, adhibenda.

PROBL. XVI.

Hostis Vrbi minatur excidium, nisi qui innocens interimatur: Potest hic, & non potest licitè à ciuibus interimi.

CErtum existimo huiusmodi innocentem non solum posse, sed & teneri se ipsum tradere tyranno id postulanti pro patriæ salute, quæ alia via salua esse non valet. Quia quisque tenetur pro bono communi Reipublicæ etiam temporario mortem subire. Addo, hoc ipsum posse ei Rempublicam præcipere, imo cogere, & si obedire renuerit inuitum tyranno tradere. Quia Respublica ad quoduis debitum ac sibi necessarium officium ciuem subditum cogere potest. Quæsierim autem, an si innocens contumaciter renuat tradi tyranno, valeat ab ipsa Republica occidi?

101 *Supponę ea.*

Minimè occidi potest. Quia directè & ex intentione innocentem occidere, est per se malum, & aduersatur non modò charitati, sed etiam iustitiæ. Sic Bonac. *de contract.d.*2. *quæst. vltim. sect.* 1. *punct.* 7. *numer.* 1. Molina *tom.* 4. *tractat.* 3. *d.* 10. *n.* 1. & alij apud ipsos.

102 *Non potest occidi.*

Potest licitè occidi. Quia eiusmodi innocens, qui cū teneatur sese pro patriæ salute tali in casu tyranno tradere, id nō gerit, iam incipit esse nocens, meritoque à Republica trucidandus. Ita Tanner. *tom.*3.*d.*4. *quæst.*8 *dub* 4. *num.*54.& 55. Diana *part.*5. *tract.*4. *resol.* 23. Filliuc. *tract.*28. *cap.*1. *num.*11.

103 *Occidi potest.*

Probabilius hoc esse existimo. Nam cum Respublica innocentem monet, vt se tradat, illum cogit, vt suam impleat obligationem, eo ipso quod adhuc contumax ostendatur, iam exuta innocentia, reus in patriam ostentatur. Vnde Respublica in eum potest licitè exurgere, & quasi malefactorem plectere.

104 *Verius hoc mihi.*

PROBL. XVII.

Licitum est, & non est bannitum proditoriè interimere.

NOn est licitum. Quia si bannitus proditoriè, & sinè occidentis monito interimatur, damnationis manifesto plerumque periculo exponitur. Ergo impium est eum proditoriè vulnerare. Sic Menoch. *de arbitr. l.*9. *q.*90. *n.* 49. Bonac. *de contract. d.*2. *q. vlt. sect.* 1. *pun.*2. *n.* 3. Homobon. *to.*1. *p.*2. *respons.*118. & alij, quos citat Iulius Clar. *in praxi crim. lib.*5. *§. Homicidium, num.*61.

105 *Non est licitum.*

106 *Licitum est.*

Licitum est. Quia proscripti huiusmodi sua iniquitate à peccatis cessare nolunt, maiorque ratio habenda est publici boni, quam priuati illius, qui sibi prospicere potest. Ita Azor. *to.* 3. *l.*2. *c.*2. *q.*3. Molina *to.*4. *tr.*3. *d.*7. *n.*1. Filliuc. *tr.* 28. *c.*2. *n.*25. Diana *p.*5. *tract.*2. *resol.* 25. & alij.

107 *Hoc verius esse credo.*

Verius hoc crediderim. Nam si bannitus agnoscat, se proscriptum esse, iam est veluti sententiæ capitali addictus, & se ad meliorem frugem recipere debet, nisi velit damnationis manifestæ plerumque subire periculum. Si autem id ignoret, etiam eum proditoriè interimens

interimens ignorat illum adhuc peccatis implicari, & bonum commune promouere cupiés, non tenetur ad priuatum attendere. Attamen, si facilè posset bannitum ità subiicere, vt valeat moneri, vt contritionis actum ante vulnus eliciat, pium erit, & fortè obligatorium.

PROBL. XVIII.

Licet, & non licet propriam vitam exponere pro vita amici conseruanda.

108 *Minimè licet.* Minimè licet. Quia mensura est perfectior mensurato: sed dilectio sui est mensura dilectionis proximi, iuxta illud *Mat. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ergo nemo potest vitam suam pro conseruanda vita amici exponere: nam poneret perfectius pro imperfectiori, quod rectæ rationi repugnat. Sic Scotus *in 3. dist. 29. in argu. ad oppos.* Petr. Hurtad. de Mendoza *2. 2. d. 144. sect. 4. §. 42.* asserens peccatum esse, aliquem mortem obire pro vita temporaria hominis priuati sibi æqualis. Fauet D. August. *l. de mendac. c. 6.* fatus: *Si quis vitam corporalem pro vita corporali amici perdat, non diligit proximum sicut se ipsum, sed plusquam se ipsum, quod doctrinæ regulam excedit.*

109 *Licet planè.* Licet planè. Quia contra ordinem charitatis non est vitam pro amico ponere: nam ordo charitatis exigit, vt bona gratiæ, vel virtutis prius velimus nobis, quam proximo; non tamen exigit, vt reliqua bona, nempè vel vitæ corporalis, vel famæ, vel honoris, vel bonorum temporalium prius velimus nobis, quàm proximo. Ità Azor. *to. 3. l. 2. c. 3. q. 2.* Sotus *de iust. l. 5. q. a. 6.* Victor. *relect. de homicid. nu. 25.* Corduba *l. 1. q. 38. ad 4.* & alij.

110 *Auctoris resolutio.* Ego autem sic quæstioni respondeo (iudicans sanè vtramque sententiam esse probabilem) Vitam pro alio exponere, opus quandoque est fortitudinis egregiæ, & debitum: v. gr. si exponatur pro Republica. Quandoque est laudabile, sed non debitum: v. gr. si exponatur pro patre aut pro amico, quo cum stricta licita amicitia interueniat. At quandoque erit non laudabile, & inordinatum: v. gr. si exponatur pro quocumque alio homine. In quo casu existimo probabilius esse imprudentem vitæ professionem, ac prodigalitatem, quæ à culpa excusari non possit. Quia tamen satis est probabilis sententia secunda, non solum ergà strictum amicum, sed etiam ergà proximum, licet amicitiæ strictio non adsit, infero, posse quem in naufragio tabulam cedere alteri, vt euadat à pelago. Et constitutum in extrema egestate posse impertiri cibum sibi necessarium, vt alter eadem pressus necessitate succurratur. Et licitum esse cuique occurrere hosti, vel bestiæ furenti, vt alter euadat incolumis. Et se ab irruēte non defendere, quamuis possit inuasorem occidere. Et tradere equum, quem habet, vt aufugere possit exercitus victoris exitiale vulnus, vt alter fugam capessere valeat. Et ini tinere per medias niues vestem suam alteri elargiri. Legendus Boicius *p. 2. l. 12. c. 4. q. 4.*

PROBL. XIX.

Licet, & non licet propriam vitam pro honore, aut facultatibus amici exponere.

111 *Quæstionis status.* DVobus modis potest exponi vita certo periculo, & absque euasionis spe. Vno quidem negligendo medium, quo conseruari possit. Alio offerendo se euidenti mortis occasioni, vt obiiciendo se hosti parato ad interficiēdum. Priori modo licet vitam negligere pro honore vel facultatibus amici: v. gr si ego occidēdus sim, nisi amicus aliquid agat, quod in magnum eius dedecus vergit, vel nisi magnā partem suarum facultatum expendat: possum pati mortem, ne ille huiusmodi incurrat detrimenta. Quæsierim verò circa modum secundum secūdum, nùm liceat cuique obiicere se morti pro defensione honoris, aut facultatum amici: v. gr. si latrones diripiant eius domum, vel si inimicus eum vulneraturus fuste irruat?

112 *Non licet.* Minimè licet. Quia quamuis sit licitum non vti medio ad vitæ cōseruationē, quod sine ignominia, aut magnis sumptibus amici exequi non possum: non tamen fas erit opponere me interficiendum, vt honor vel substantia illius conseruetur. Differentia verò inter vtrumque casum ea est: quia plus agit cnotra propriam vitam, & manifestius eligit mortem, & præfert, prodigè quidem, bona illa pro quibus moritur, propriæ vitæ, qui ità se obiicit morti; quam qui non curat difficilia media, quibus eā conseruet. Et ideo qui se obiicit morti pro defensione honoris seu facultatum alterius censebitur vitam pretiosam summè pro bonis longè inferioribus amici commutare, & ex intentione perdere. Sic Lorca *2. 2. sect. 3. d. 28. membr. 3. n. 60.*

113 *Licet omninò.* Licet omninò. Quia sicut fas est pro defensione proprij honoris, aut facultatum vitam exponere, ità licitum id etiam erit pro honoris, vel facultatū amici defensione. Ità Sotus *l. 5. de iust. q. 1. a. 6.* & fere omnes.

114 *Hoc probabilius.* Hanc mentem probabiliorem esse iudico. Nam qui proximum tenemur veluti nos ipsos diligere, id pro illorum defensione gerere potemus, quod pro honoris, aut substantiæ propriæ nobis agere licet.

PROBL. XX.

Potest quis, & non potest ab internecione sui ipsius ex inuincibili ignorantia excusari.

115 *Minimè potest.* MInimè potest. Quia homicidium est planè contrà lumen naturæ secundarium, id est, contra conclusiones deductas ex principiis lumine naturali notis. Ergo nulla potest obiici homini ratio ad sui ipsius internecionem, quæ lumini naturali cunctis agnato non repugnet. Sic Caiet. *2. 2. q. 124. a. 5.*

116 *Potest equidem.* Potest equidem. Quia quamuis homicidium huiusmodi sit contra lumen naturæ secundarium: tamen potest cadere ignorantia in eiusmodi veritate, præsertim in aliquo casu quo conseruatio alicuius boni tanti esse ponderis menti fœmineæ obiiciatur, vt minus malum

ei appareat id subire, quam propriis manibus sibi mortem inferre: v. gr. ad vitandam ignominiam, vel tuendam castitatem. Ità Sotus *de iust. l. 5. q. 1. a. 5.* Molina *to. 1. tr. 3. d. 9. num. 5.* Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 6. n. 23.* Becan. *de iust. & iure, q. 11. de homic. concl. 1.* Malder. *2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 17.* Filliuc. *tr. 29. n. 67.*

117 *Hoc teneo, & expono.* Profectò quando quod de iure naturali est, occultam, subtilem, minimeque facilè peruiam habet rationem: in id cadere potest inuincibilis ignorantia: maximè quando id æstimatoribus huius mundi virtutis actus laude & honore dignus communiter reputatur. Nec est improbabile, ignorantiam excusasse à culpa lethali actum Lucretiæ, cum se ipsam ob castimoniæ defensionem interemit, similesque alios actus ab Ethnicis hominibus perpetratos. Vndè secundam sententiam longè probabiliorem esse crediderim.

PROBL. XXI.

Martyr tenetur, & non tenetur è carcere fugere; si potest commodè, & sine scandalo.

118 *Non tenetur fugere.* NOn tenetur fugere, licèt sciat euidenter, se morte afficiendum, & possit sine scandalo, aut alterius incommodo fugam arripere. Quia ob iustam causam, qualis est professio fidei, ac Religionis potest quisque desiderare, & procurare mortem modo legitimo. Sic Petr. Nauarra *l. c. 3. n. 73.* Sotus, & Azor. citati à Philippo Fabro *vbi infrà.*

119 *Fugere tenetur.* Tenetur quidem. Quia est generalis regula, quod nemo debet dare alteri occasionem martyrij: & ideo Dominus *Mat. 5.* dixit: *si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Vndè si potest commodè, & sinè scandalo fugere, plane tenetur. Ità Faber *de rest. in 4. dist. 15. q. 3. d. 52. c. 1. n. 46.*

120 *Primam sententiam vnicè approbo.* Equidem etsi non liceat cuique directè se ipsum interimere, licitum tamen est, si iusta causa adsit, aliquid facere, vel omittere, vnde certo constat, mortem secuturam. Vndè Martyr laudabiliter admodum perstitit in carcere, modum obtinēs, quo commode & sine scandalo fugere possit, quamuis certo sciat, se morte afficiendum. Quia fugam omittens, non intendit directè non fugere, vt subeat mortem; sed vt confessionem fidei publicè gerat. Quod si tyrannus iniuste agat, ei infligendo necem, hoc non debet Martyri imputari, qui ei nullam licitam occasionem talis necis obiecit. Igitur sententiæ adhærens primæ, parum probabilitatis reor esse secundæ. Christus enim imperat, fideles actos persecutione fugere; quia fas non est, sese carceri addici, nec carnificem ad vulnus excitare, dum fidei profitendæ non adest instantia; non autem iam in carcere inclusis dat præceptum fugiendi; adest namque iàm profitendæ fidei, pro eaque profundendi vitam opportunitas.

* * *

PROBL. XXII.

Reus sciens Prætorem aduentare ad se capiendum, licitè potest, & non potest eum expectare, & in aperto carcere fugam omittere, morti addicendus.

NOn potest licitè expectare Iudicem, nec in aperto carcere consistere. Quia qui non fugit, ne sententia, licet iusta, executioni mandetur, directè propriam oppetit mortem, quod est illicitum. Hæc autem regula semper seruanda est, ne quis voluntariè directè velit mortem; hoc enim est voluntarium homicidium. Sic Philippus Faber. *de rest. in 4. dist. 15. q. 3. d. 52. c. 1. num. 46.* 121 *Non potest.*

Potest licitè Iudicem expectare venientem ad se capiendum, atque in aperto carcere sine vllis vinculis fugam non arripere. Quia suorum criminum conscius videt iustè necci addici posse, piè in aliorum exemplum supplicium inferendum expectat. Ita Sotus *citatus* à Fabro, & alij. 122 *Potest quidē.*

Ego quidem existimo, etsi non liceat directè se ipsum occidere quemlibet, licitum tamen esse, si iusta causa adsit, aliquid agere, vel omittere, vnde certò mortem secuturam, non dubitetur. Vnde miles potest, (imò tenetur) non deserere stationem in communi periculo, etsi certus sit, se interimendum. Et reus potest etsi adsit fugiendi opportunitas, consistere in carcere, quamuis certò sciat se capite plectendum. Imo potest malefactor zelo iustitiæ & exempli publici non solum Iudicem, aut satellites se comprehensuros expectare, sed & se offerre Iudici puniendum vt docet Nauarra *l. 2. c. 3. n. 73.* Quia ob iustam causam potest quis desiderare mortē, & eam modo legitimo procurare. Becan. *de iust. & iure in 2. 2. D. Tho. q. 11. de homicid. concl. 2.* Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 6. n. 26.* Malder. *2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 19.* Molfes. *sum to. 1. tr. 1. c. 19. n. 156.* lege Baldellum *l. 5. d. 44. à numer. 3. vsque ad 7.* Salas *de legib. d. 15. sect. 7. à n. 85.* & Vasques *1. 2. d. 173. c. 3. & 4.* 123 *Auctoris resp. latio.*

PROBL. XXIII.

Carthusiani possunt, & non possunt in mortis periculo vesci carnibus.

QVæstio procedit casu, quo cibi quieis Carthusiani vescuntur noxij grauiter Medicorum iudicio reputentur: & inquiro, nùm seclusō scandalo, possint carnibus vesci? Possunt quidē. Quia ius naturale dat copiā vitam tuendi quacumque via possit sine aliorum scandalo conseruari. Sed id possunt Carthusiani à sæcularibus remoti gerere, vel secretò ab alio eis possunt carnes ministrari: Ergo fas eis erit in periculo mortis constituti carnibus vesci. Sic Victoria *relect. de temper. numero octauo.* Diana *p. 5. tr. 4. resol. 32.* Molfes. *sum to. 2. d. 23. q. 10. n. 177.* Lorca *1. 2. d. 23. de leg. ad 4. exemplum.* 124 *Possunt quidem.*

Minime vesci possunt carnibus in mortis periculo constituti. Quia spectat ad magnū 125 *Minimè possunt.*

& publicum illius integerrimæ ac sanctissimæ Religionis spirituale bonum, vt tanto rigore illa obseruantia vigeat. Ità Vasq. 1. 2. *d.* 162. Granad. *ibi. controu.* 7. *tr.* 3. *p.* 1. *d.* 8. *sect.* 5. *numero* 27.

126 *Idem assero.* Ego his adhærens existimo legem, ac consuetudinem Carthusianam suos alumnos obligare, simpliciter, ità vt non possint etiam in mortis periculo vesci carnibus. Nam lex humana potest ob commune bonum, quando opus est, etiam cum vitæ dispendio obligare. Probabilem verò satis primam reor esse sententiam: vndè amplius illustrissimæ Carthusiensis Familiæ sanctitatem commendo, quæ quidem cum possit probabiliter mortis fortasse vitare periculum carnibus vtendo. Satius ducit Brunonis beatissimi alumnus mori, quam illam commendatissimam consuetudinem vel secreto abditissimo, sinè piaculo transgredi.

PROBL. XXIV.

Licet, & non licet vigiliis, ieiuniis, asperitatibus, &c. vitam abreuiare.

127 *Minimè licet.* QVæstio procedit, cũ quis huiusmodi exercitamentis impendens operam, apertè dignoscit, fore vt vita sit abreuianda. Ergò minime licet. Quia homo non est dominus vitæ suæ & ea opera exercere perinde est, ac partem sibi vitæ auferre. Nam si homo, cui vna tantum dies vitæ supereſt, se ipsum interimeret, lethaliter peccaret: ergò potiori iure censebitur grauiter delinquere, qui ita corpus affligit, vt vita per aliquot annos decurtetur. Sic graues ac docti nonnulli apud Victoriam *relect. de temper. num.* 8. Lorcam 1. 2. *d.* 23. Montesinos *ibi. q.* 10. & alios.

Licet omninò. Quia homo est veluti vitæ suæ administrator, potestque eam exercere, & atterere, præsertim cum conditus sit ad promerendam gloriam, qui finis multa exigit non ita accommodata ad vitam protrahendam. Ità ex Victoria, & aliis Granad. 2. 2. *controu.* 3, *tr.* 6. *d.* 2. *sect.* 3. *n.* 12.

128 *Idem teneo, & vbertim expono.* Ego autem his adhærens existimo, hanc rem non esse scrupulosè accipiendam præsertim ab iis, qui ob diuinum obsequium, & satisfaciendam Deo pro peccatis valdè corpus affligunt: raro enim, aut potius nunquam damnarim eum tãquam culpæ lethalis reum, qui propterea vitam abreuiaret. Profectò malitia occisionis non consistit in eo, quod vna, vel plures dies vitæ auferantur; sed in modo auferendi. Ille enim, qui iam proximus morti, auferret diem vitæ, quæ illi supererat, foret absolute sui interemptor; ille verò, qui paulatim vitam abreuiat, non est sui occisor; sed veluti administrator, & gubernator suæ vitæ; ad gubernationem autem pertinet, ità se gerere, vt vel magis, vel minus viuat. Præsertim quæ non potest non esse laudabile id in obsequio diuino, quod sæpe consistit in rebus vitæ contrariis, eam imminuere. Pro quo facit, quod cum tempus vitæ nostræ incertum sit, & fortasse illi, qui nunc agit annos adolescentiæ, & robore polleat, exiguum tempus supersit: non est censendus sibi inimicus, aut contra rationem, vel charitatem agens, si vt carnem spiritui subiiciat, se exerceat in operibus, quæ alioquin minus accommodata vitæ conseruationi videantur. Hinc Victoria apud Granado ait, licet Medicus dicat, fore vt vita alicuius protrahatur ad decem annos, si vinum bibat, posse nihilominus à vino abstinere. Et alij docent, non esse illicitum pœnitentiis affligi, licet propterea, vitæ duodecim annos sis amissurus. Attamen monuerim, nihil circà hoc geri oportere, sine superioris, aut prudentis consilio Confessarij.

PROBL. XXV.

Qui inuaditur, potest, & non potest seſe cum periculo mortis alicuius innocentis tueri.

POno, quem de exercitu aufugere equo vectus inimicum, & videt puerulum, aut quẽuis alium hominem dormientem, quem necessum est conculcare, aut si gradum sistat in manus inimici incidere: licebit ne infantem, aut hominem illum conculcare, & occidere, ne eques fugiens occidatur? Minimè licet. Quia puer iacens, vel homo dormiens est iustus viæ communisque loci possessor, in quo iacet, sicut ille, qui fugit. Ergò iniustè alius scienter & actu directo cum proterit, & occidit. Sic Lublin. *Summula v. Bellum. n.* 3. Sayr. *in Claui l.* 7. *c.* 12. *numero* 17. Turrian. 2. 2. *to.* 2. *d.* 26. *dub.* 2. *numer.* 28. Et ex parte Nauarra *de restit. l.* 2. *c.* 3. *numero* 135. 129 *Non potest.*

Potest planè in hoc casum, & similibus inuasus innocentem occidere, si aliter vitam suã tueri non valeat. Quia hic ius habet ad fugam via publica, quo iure non potest priuari in tanto discrimine constitutus, ratione infantis, vel dormientis, vel claudi imbi existentis. Sufficit igitur in tali casu, vt eam circumspectionem adhibeat, quam pro tempore, ac loco potest, ne noceat. Ità Corduba *l.* 1. *q.* 18. *dub.* 2. Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *numero quinquagesimo nono.* Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 4. 130 *Potest plane.*

Cum his sentio adiciens in sententiæ confirmationem, si inuasor tibi obiiciat innocentem tanquam clypeum suum, vt post eum latitans impunè te interimat, si fugere non valeas, non teneris mortem subire, sed potes inuasori ac innocenti cum moderatione inculpatæ tutelæ defendendo necem inferre. Attamen si in vno & altero casu aperte tibi constaret infantem sinè Baptismo esse moriturum, lege charitatis teneris potius te occidi permittere. 131 *Cum his opinor.*

PROBL. XXVI.

Quando aduersarij duces non stant promissis, licitum est, & non est, obsides interimere.

NOn est licitum. Quia intrinsece malum est occidere directè innocentem. Sic Bonac. *de contract. d.* 2. *q. vlt. sect.* 1. *pun.* 7. *nu.* 2. citans Victoriam, & Lessium. 132 *Non est licitum.*

133 *Licitum est.* Licitum est. Quia ea conditione dantur obsides, vt hostes fidem seruent: nec aliter pax, & securitas ex bello posset haberi. Ità Azor. *to.3. libr.2.cap.7.qu.16.*

134 *Idem affirmo.* Idem affirmo. Quia cum obsides Principis, aut ducis eos immittentis, aut relinquentis apud aduersarios personam exerant, eo ipso quod Princeps aut Dux ille fidem frangat, obsides quasi desinunt reputari innocentes. Vndè qui eas interimunt, non ducuntur innocentes occidere. Porrò Lessius, & Victoria, quos Bonacina pro se allegat, nihil de hoc casu in particulari agunt, solummodo ibi affirmant, innocentes non esse occidendos, quod meus non negat Azorius: Difficultas est, an in tali casu qui occidunt obsides, dicantur innocentes occidere: & hoc Bonacina probare debebat. Certè si sententia nostra vera non esset, hostes semel delicti in officio promisso contineri non possent.

PROBL. XXVII.

Damnatus ad mortem per famem potest, & non potest à cibo clanculum oblato sibi, abstinere.

135 *Minimè potest.* Minimè potest, sed tenetur comedere etsi iustè sit condemnatus. Quia si comedere nolit, etiam ea intentione, vt locum iusta sententia haberet, directè se occideret. Nam etsi teneatur subire mortem iustè inflictam à iudice non tamen debet ipse sibi illam infligere, sed à ministris iustitiæ illam sibi infligi. Sicut reus, dum iam carnifex funem collo apposuit, non potest se ex scala dare præcipitem; quia huiusmodi actio sui ipsius esse interemptorem eum efficerer. Sic Philip. Faber *de rest. in 4.dist.15.qu.3.d.52.cap.1.num.46.* Couar. *l.1. variar.cap 2.num.20.* Castro *lib.2. de lege pœn. cap.8.* Caiet. *2.2.qu.69.art.4.* Corduba *lib.1.qu. 36* D. Thom. *2.2.qu.89.art.4.ad 2.* Comitol. *l.4. resp.moral.qu.10.num.6.*

136 *Potest omninò.* Potest omninò. Quia qui non comedit, positiuè nihil sibi infert ad mortem, sed solummodò permittit calore interno vitam absumi. Ita Malder. *2.2.tract.3.cap.1.dub.19.* Sotus *lib.5.de iust.qu.6.art.4.* Lessi. *lib.2.cap.9.dub.6. num.29.* Azor. *part.3.lib.2.cap.3.qu.5.* & alij.

137 *Hoc probabilius est reor.* Hanc sententiam credo esse probabiliorem. Quia reus ille in hoc casu solùm non conseruat vitam, quam conseruare poterat: non positiuè ei vim infert; & vt sic se gerat à cibo oblato sibi abstinendo satis grauem habet causam, nempè vt sese iustæ sententiæ conformet. Nam si sententia esset iniusta, proculdubio absumere cibos oblatos teneretur.

PROBL. XXVIII.

Potest quis, & non potest, tabulam à se in naufragio nactam alteri impertire, vt saluetur pij largitoris interitu.

138 *Non potest.* Non potest. Quia qui tabulam iam possidet, illáque potest probabiliter mortis periculũ superare, dum alteri tradit, se ipsum manifestè positiuè interimit. Secus esset si nondũ tabulã arripuisset, quam pie posset alteri arripiendam relinquere. Quia tunc solùm negatiuè se gereret, nec propriæ morti positiuè cooperaretur. Sic Sotus *libr.5.de iust.quæst.1.art.6.* Vega *sum.tom.1. cap.127.casu 7.* Manu. *sum.to. 1.cap.221.num.6.*

139 *Potest planè.* Potest planè. Quia hoc gerere, non est directè se occidere, sed non tueri se, cum possit; nam si esset directè se interimere, nunquam esset licitum id pro alio facere: at primæ sententiæ Doctores fatentur, id esse licitũ pro Rege, Duce, aut alia persona maximè vtili Reipublicæ: Ergò re vera non est directè se occidere, sed solùm non tueri se, cum possit; at non tueri nos, cum possumus, licitum est nobis, eum id fieret propter bonum amici: Ergò, &c. Ità Azor. *to.3.l.2.c.3.qu.5.* Lessi. *l.2.c.9.dub 6.n. 31.* Malder. *2.2. tr.4.c.1.dub.19.* Nauarra *de restit.l.2.cap.3.num.66. & 67.*

140 *Hoc verius esse credit.* Hoc verius esse credo, & non solùm seruo pro Domino, & subdito pro Rege, sed & cuilibet pro proximo id esse laudabile. Notarim autem, eum, qui prior tabulam in naufragio occuparet, non teneri alterum in ea admittere, sed posse illum impedire, ne ascendat, nisi vtrique sufficiat. Quod si simul illam occuparunt, sorte id dirimendum, nisi alter alteri sponte velit cedere. Ex citato Lessio accepi.

PROBL. XXIX.

Quando quis iniurius dedit antecedenter causam ob quam inuadatur, verbi gratia, vel quia commisit adulterium cum vxore iniuriosi, vel quia eum verbis, & iniuriis prouocauit: potest, & non potest illum, se defendendo, occidere.

141 *Non potest.* Non potest. Quia adulter præuidere debebat, ad adulterium solere consequi homicidium, à marito in vindictam criminis infligendo. Idem dixerim de eo, qui alium verbis aut iniuria lacessiuit. Sic Nauar. *sum.c.7.n.218. & c.15.n.7.* vbi docet, prouocantem alium, & causam dantem, vt inuadatur, si posteà inuasorem occidat, homicidam esse voluntarium: modo ipsa causa, quam dedit, directè tendat ad insultationem alterius aduersus se ipsum, & talem causam putat adulterium, maximè quia præuidere debebat adulter homicidij consecutionem: & citat pro se D. Antonin. *3.p.tit.5. cap.8.§.1.*

142 *Potest quidem.* Potest equidè adulter se licitè defendere interficiendo maritũ illius, qua cũ adulterium patrauit, quandò non potest se aliter ab iniuriente liberare: vel eum, quem verbis, & iniuriis prouocauit. Quia quamvis causam antecedenter exhibuerit tamen iustè se defendit, cum maritus, aut ille iniurioso verbo lacessitus eum priuata authoritate velit occidere. Vnde licet adulter, & verbo iniurioso prouocans absolutè in ordine ad adulterium, vel iniuriam illatam sit nocens: in ordine ad defensionem innocens est. Ità Lessi. *lib.2.cap.9.dub.13.num.87.* Sayr *in Claui, libr.7.cap.10.num.24.* Silon. *2.2 quæst.64. art.7.contro.1.concl.2.* Beia. *part.2.casu 11.* Petr. Nauarra *de restit.l.3.ca.3 num.36 & 46.* Mercado. *tract.6.cap.4.* Syluest. *verb. Homicidium 1. dubio*

dicto 3. Fagund. *tom.* 1. *Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 7. Cardos. *praxi iudic. v. Irregular. numer.* 10. Ouand. *in* 4. *dist.* 25. *propos.* 15.

143 *Longè mihi hoc verius.* Hanc sententiam longe veriorem esse non dubito. Quia adulter facto ipso, hoc est adulterio prouocans maritum adulterę, in actu quo maritus illum priuata authoritate antè accusationem, ac sententiam latam illum ad mortem inuadit: vim vi repellit. Nam cum illicitè illum inuadat, vim illi infert: & cum illicitè illi vim inferat, licitè alter vim repellit. Quare & ille licitè ac iustè se potest defendere ab inuasore cum morte illius: & quilibet licitè ac iustè illum etiam defendere potest tanquam proximum iniustè ac illicitè oppressum: idque absque vlla irregularitate. Monuerim, Nauarrum non aptè citasse D. Antoninum cum ibi nihil tale asserat. Citat etiam Caietanum contrarium apertè asserentem.

PROBL. XXX.

Moderamen inculpatæ tutelæ consistit in hoc, quod incontinenti fiat. Verum sit, & non sit incontinenti quando insultatus in domum se recipit arma quærens, & postea in foro percutit insultantem.

144 *Nonnulla suppono.* SVppono, moderamē inculpatæ tutelę in tribus consistere, videlicet, in tēpore, in modo, in causa. In tēpore, hoc est, vt defensiuitę vel rei propriæ aut proximi magni momenti, fiat in continēti, seu in fragranti delicto inuasionis, nō ex magno interuallo. Nā si ex magno interuallo facta fuerit, id nō erit vim in actu repellere, sed vindictā sumere, quod nunquā licitū esse potest. Vindictam enim iniuriæ solus Deus sibi reseruauit, Ezech. 9. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Quæsierim autem, num moderamen inculpatæ tutelæ incontinenti fieri dicatur, quando insultatus in domum se recipit arma arrepturus, & postea in foro, verbi gratiâ percutit insultantem?

145 *Fieri id incōtinenti dicitur.* Fieri incontinenti dicitur. Quia hæc propulsatio iniuriæ moraliter loquendo dicitur incontinēti facta nam actus defensionis est actus moralis, qui morā tēporis requirit. Sic Cæpola *consil.* 42. *n.* 1. Bontinus *cons.* 9. *n.* 13. addit, illum si incontinenti defendere, qui sequenti die conuocatis amicis, interfecit illum, à quo in die præcedenti alapa diuerberatus fuit, ob eandem rationem. Id approbat Boërius *decis.* 168. *num.* 6. Mascard. *de probat. lib.* 3. *concl.* 1126. *nu.* 51. asserens, eam defensionem incontinenti fieri, in qua inuasus pro interficiendo inuasore suo, conuocatis amicis, statim ad inuasorem regreditur, eumque occidit.

146 *Non dicitur fieri incontinenti.* Non dicitur fieri incontinenti huiusmodi defensio. Quia licet sit actus moralis, & actus moralis requirat continuationem temporis moralem: tamen post intermissionem illam rixæ, regressus ad illam potentioribus armis, videtur potius vindictam de iniuria sumere, quam se iustè defendere. Ita Sayr. *in Clavi, lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 18. Salon. *in repetit. Vt vim ff. de iust. & iure, num.* 9. Claud. *num.* 56. Bologn. *et. n.* 46. vbi dicit, id incontinenti fieri, quod fit durante rixa, vel aggressore ab illa non discedente: Angel. *de malefic. verb. Et dictus Titius se defendendo. num.* 18. Hostiens. *ad cap. significasti, 2. de homicid. num.* 17. & alij.

147 *Auctoris resolutio.* Certè id fieri existimo incontinenti, & se incontinenti aliquem defendere crediderim, quando id agit vel in aggressu inuasionis, vel successiue immediate, vel quasi immediate post. Vnde Doctorum pro prima sententia adductorum dotrinam vix probabilem esse reor. Addo moderamen inculpatæ tutelæ consistere etiam in modo sese defendēdi hoc est, vt arma sint æqualia, gladius pro gladio, sclopetus pro sclopeto. Factum sit æquale, vt scilicet percussus in parte corporis non periculosa, in parte periculosa non percutiat, verbi gratiâ, vt percussus in brachio, vel in humeris, non repercutiat in capite vel in pectore. Consistere demum in æqualitate offensionis, & defensionis: vt si aliquis offendat pugno, alius se pugno defendat. Quia si in aliquo istorum non seruetur æqualitas iam non seruatur moderamen inculpatæ tutelæ, sed vindictæ culpatæ opera exhibetur.

PROBL. XXXI.

Licitum est, & non est, illum morte præuenire, qui per famulum, & sicarium te iubet occidere, casu quo ob huiusmodi mandatum mors instet, & in propinquo sit.

148 *Quæstionis status.* LIcitum esse videtur. Quia ille actu mandat inuadere, parum refert, an per alium occidat: sicut qui alteri mandat, vt de me detrahat, parum refert, vt per se, vel per alium id faciat. Hoc admitto, sed tamen quæsierim, an vt possim licitè mittentem, vt me interimat eum famulum, occidere, opus est, vt ob illius mandatum mors instet, & sit in propinquo?

149 *Necessarium non est.* Necessarium id non est. Quia eadem est ratio, cum ille ita insidiatur tuæ vitæ, vt nulla alia via secure possis mortem auertere. Sic Bannes. 2. 1. *quæst.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. Nauarr. *lib.* 2. *de reflit. quæst.* 95. *art.* 8. *ad* 3.

150 *Est necessarium.* Est quidem necessarium. Quia si nex in propinquo non sit, periculum adhuc longinquum non ita instat, vt nulla alia adsit euadendi ratio. Et certe licentiosa admodum facultas hominibus permitteretur ad alios occidendum quolibet prætextu. Ita Lessi. *lib.* 2. *de iust. cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 46. Fagund. *lib.* 5. *Decal. cap.* 6. *nu.* 5.

151 *Prudentis. id iudicio relinquo.* Existimo, casum magis ex prudentis iudicio, quam ex iuris definitione pendere. Quare non hoc ita facile concedendum est, vt inde ansa ad aliorum occisiones facile arripiatur: nec ita difficile faciendum, vt periclitetur vita illius, cuius occisio alteri mandatur. Quare totum hoc negotium iudicio prudentis committo, qui perpensis circumstantiis & qualitate personarum, indole, ingenio, & in rebus similibus consuetudine, ac propositi tenacitate, in re adeo periculosa ferret sententiam

* * *

PROBL. XXXII.

Licet, & non licet, occidere eum, qui apud Principes, ac viros nobiles nostro honori continuo detrahunt, infamiáque afficiunt.

152 *Quæstionis statum explico.*

ALiquis falsis criminationibus nomini, ac famæ viri probi, aut alicuius Regij Ministri, apud eundem Regem, & apud viros graues occultè detrahit ea intentione, vt illum à seruitio Regis amoueat. Quæritur, an licitum sit illi, cuius famæ detrahitur, & ea exclusio, seu amotio paratur, detrahentem occultè occidere, si nulla alia via, aut ratione damnum hoc valeat auertere?

153 *Licitum est.*

Licitum est. Quia si is alapa, aut baculo velit honorem, & famam huiusmodi viri probi lædere, poterit illum vir probus occidere, dummodo aliter suam famam, & honorem tueri non possit. Ergò. Et quia periculum famæ, & honoris æquiparatur vitæ periculo: Sed ad tuendam vitam, quandò aliter eam tueri non possumus, licet alios occidere: Ergò & ad tuendam famam licitum erit Sic Nauarra *libr. 2. de restit. cap. 3. num. 375.* Probabile dicit hoc esse Bannes 2.2 *qu. 64. dub. 4.* addens, idem esse dicendum, etiamsi crimen sit verum, modò sit adeò occultum, vt in iudicio probari non possit.

154 *Minimè licet.*

Minimè licet. Quia vel huiusmodi detractionibus infamia est iam illata, vel non, sed est inferenda. Si iam est illata, non deletur per mortem infamantis, nec dici potest euitatio damni inferendi, sed illati vindicta, si non est illata, non desunt viæ, per quas poterit euitari, vndè iniusta planè erit occisio. Ità Fagund. *l. 5. Decalog. cap. 6. num. 8.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 82.* Iul. Clarus *lib. 5. sen. §. fin. q. 60. num. 14.* Bossi. *tit. de homicid. num. 60.* & alij apud Prosperum, quem Fagund. memorat.

155 *Auctoris iudicium.*

Profectò sententia prima licet speculatiuè loquendo probabilis admodum videatur: in praxi tamen eam non admittam. Quia multis occultis cædibus cum magna Reipublicæ perturbatione exhibet occasionem. Attamen si nulla via pateat, qua huiusmodi iniuria aliter possit impediri: etiam in praxi probabilem satis eam sententiam iudicarim.

PROBL. XXIII.

Licet, & non licet latronem occidere postquam is occultauit rem intra domum suam, & veluti possidet. Vbi plura circa licitam, & illicitam latronum interemptionem.

156 *Nonnihil præmitto.*

SI latro rem magni momenti; quam furto abstulit, secum deferat, & dimittere nolit, siue sit propria, siue proximi, & aliter nequeat recuperari: licitum est, cum territus minis eam adhuc retinet, illum fugientem, emissa sagitta, iaculo, vel sclopeta interimere. Quia quando rem non dimittit, moraliter loquendo vis durat, iniustáque inuasio, quamvis ipse fugiat: & vim vi repellere omnia iura permittunt. Sotus *lib. 5. de iust. qu. 2. art. 3.* Sylvest. *verb. Excommunicatio 6. not. b. 4. casu 6.* Lessi. *libr. 2. cap. 9. dub. 11. numer. 75.* Quod iam latro intra domum suam rem iam occultauit, & veluti possidet?

157 *Minimè licet eum occidere.*

Minime licet eum interimere. Quia iam transacta est vis ab eo illata, & moraliter loquendo iniusta non datur inuasio, sed iniusta retentio: ob iniustam autem retentionem non licet alium occidere: alioquin nobis omnes nostros debitores, ac retentores iniustos, qui contra nostram voluntatem debita nolunt soluere, de medio tollere liceret, quod est inaudi-tum, & iniustissimum. Sic Sylvest. *verb. Bellum, 2. numer. 3.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 3. numer. 411.*

158 *Licet equidem.*

Licet equidem. Quia adhuc inuasionis actus moraliter durat, & actualiter vis, quam vi licet repellere. Ità Fagund. *libr. 5. Decal. cap. 6. num. 13.*

159 *Quid Auctor?*

Ego quidem existimo cum eodem Doctore, primam sententiam veram omninò esse, si intelligatur, quando elapsi sunt iam dies aliquot, post occultationem. Nam si latronem à longe insequaris, & ille oculos tuos effugiat, ac rem occultet, statimque tibi dissimulanter appareat, & tu nondum destiteris ab illius insecutione, puto licitum esse illum interimere, si rem non vult reddere & nullo alio medio valeat recuperari. Quia non potest dici tunc pacificus rei furatæ possessor, & actus inuasionis moraliter persistit.

160 *Septem regulas exhibeo, vt planum fiat, quándo licet, & quando non licet nobis inuadere res nostras, aut proximi, aut proximi prædonem occidere.*

Vt tamen agnoscas, quatenus nobis sit licitum vel illicitum res nostras, vel proximi cũ morte inuasoris prædonis recuperare, septem accipe regulas. Prima est. Licet occidere furem, dum se ad furandum rem tuam magni momenti præparat, si aliter illam defendere non possis, vel fidem Regiam implorando, vel illam postea recuperando. Quia *cap. si perfodiens extra de homicid.* habetur, impunè occidi nocturnum furem, quando in actu fodiendi domum ad furandum reperitur: & sic ante furtum, & dum se ad furandum præparat sine telo, & armis. Et idem est de eo fure, qui scalas apponit ad furtum gerendum. Farinac. *de homicid. q. 125. num. 195. tom. 4. tit. 14.* Secunda. Si fur nocturnus sit, siue se telo, siue aliis armis defendat, siuè non defendat, licitè illum pateris occidere, si te, rem tuam, vel proximi magni momenti aliter non valeas defendere. Quia cum noctu adueniat discerni non potest, an ad furandum, an ad occidendum aduentarit. Dixi *Licitè*, non dixi *Impunè*. Quia vt impune id geras pro foro externo, opus est, vt fidem Regiam prius implores, vel voces edas, quæ testentur vim tibi, vel alteri inferri. Iul. Clarus *lib. 5. §. Homicidium. num. 27.* Tertia. Fur diurnus nisi se furtumque telo defendat, occidi non potest, si furtum dimittat: secus si non dimittat, modo furtum sit magni momenti. Vnde magnum discrimen est inter furem nocturnum & diurnum: nam nocturnus si non patiatur se capi occidi poterit, siue armatus veniat, licet sine armis: siue se telo defendat, siue non: quia ignoramus, an ad occidendum, an ad furandum accedat. Diurnus autem occidi non potest, nisi veniat armatus & se ac furtum armis tueatur. Atsi furtum dimittat, occidi seu mutilari non potest: quia res nostra, vel proximi est recuperata. Doctores commmuniter, *ad cap. si*

si perfodiens. extra de homicid. Quarta, si fur cũ re furto ablata diffugiat, nec clamoribus eam vult dimittere, poteris illum insequi, ferire, & si necesse sit, interimere, emisso telo vel sagitta, modo res illa non exigui valoris sit, & aliter illam haud possis recuperare. Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 11. num. 69. & 75.* Quinta, si rem meam vel proximi furatam habeas positam certo in loco, & te in continenti insequar, & illuc me curantem ingredi impedias: licitè te potero occidere, quando nullum aliud medium mihi supereſt illam recuperandi. *Incontinenti* inquam; quia si ex intervallo fiat occisio, iam non erit rei vendicatio, sed iniuriæ vindicta. Abbas *ad c. sicut tertio, de iureiur.* Sexta. Si invadas, ac fureris res meas per famulos, vel arte magica, nec alia ratione possim impedire, aut recuperare, quam tua nece: tunc in ipsa actuali vi, si nolis à furto desistere, & aliter nullatenus amplius possim recuperare; licitè ac impunè te possum occidere; quia quæ per alios facimus, per nos ipsos facere reputamur. Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 11. num. 75.* Septima. Si impedias iniquè meos creditores, ne mihi satisfaciant, & perstiteris in violentia, ac damno meo: & nullo alio modo huiusmodi damna possunt euitare, quam tua interemptione: id gerere valeo. Sic Lessi. *citatus.* Sed dura admodum hæc mihi sententia, regulaque in praxi difficillima; quare illam omninò reiiciendam censeo; quià falsum supponit, nullum scilicet aliud dari posse remedium, quo huiusmodi damnum deuites nisi impedientis mortem. Adsunt enim tribunalia iustitiæ, quibus hoc modo aliquo poteris impedire: adsunt monitiones amicorum, & viæ aliæ, vt consideranti patebit.

PROBL. XXXIV.

Personæ ignobiles, ac mechanicæ cum ab alio inuaduntur, tenentur, & non tenentur fugere, nè inuasorem occidant, vt se defendant.

161 *Nonnulla suppono.* SVppono, nobiles fugere non teneri. Quia fuga eis grauem inurit infamiam. Idem dixerim de militibus, etiam si ignobilis sint conditionis. Quia cum ratione officij arma tractẽt, eis etiam fuga infamis existit. Porro licèt nobilis, ac milites sint in loco deserto, & à nemine videantur, fugere non tenentur. Quia per accidens est, quod locus sit desertus, & quod à nemine possint aspectari: sufficit, quod de se nobilibus, ac militibus ignominiæ vertatur. Fagund. plures citans *l. 5. Decal. c. 7. num. 2. 3. & 4.* Quæsierim verò an plebei, ignobiles, & mechanici fugere in hoc casu teneantur?

162 *Tenentur fugere.* Tenentur fugere? Quia huiusmodi hominibus fuga minimè cedit in infamiam. Ergo inuasi tenentur, si commode possint, fugam arripere nè inuasorem occidere ad sui defensionem cogantur. Sic Suar. *to. 5. de censur. d. 46. sect. 1. n. 5.* Arag. *2. 2. q. 64. a. 7.* Lessi. *l. 2. de iust. q. 1. a. 8.* Nauar. *sum. c. 15. n. 3.* Solet. *l. 5. c. 6.* & alij.

163 *Fugere non tenentur.* Fugere non tenentur. Quia nullus etiam ignobilis & plebeius tenetur dare contra se ipsum sua arma inuasori. Ergo nec etiam dare illi audaciam: At si teneretur aufugere, animũ ei contra se ipsum adiiceret, & vires assumeret insultator: Ergò nullus etiam ignobilis fugere tenetur. Quid enim magis refert aduersus se metipsum dare arma, quam animum addere? Ità Bartol. sibi contrarius *ad l. 1. num. 8. C. vnde vi.* Bald. *ad l. vt vim. ff. de iust. & iure.* Iaso *ibi, nu. 38.* Claud. *num. 66.* Mantua *num. 31.* Bologne *nu. 38. & 90.* Angel. *ad l. 1. s. qui aggressorem, C. ad leg. Cornel.* Abbas *ad c. suscepimus de homic. n. 4.* & alij plures.

Existimo primam sententiam esse probabiliorem, dummodo hæ adsint limitationes. Prima vt non teneatur inuasus vilis fugam capere, quando est propè insultantem, aut inuadentem, ita vt statim terga vertendo possit occidi vel gladio, vel sclopeta, si forte inuasor illis armatus sit. Et huic limitationi nemo contradicit. Secunda, vt non teneatur vilis persona effugere, quando possit cito comprehendi, quamuis longo distet spatio, quia aggressor cursu, & persona inuasa pinguis, vel claudicans, debilis, vel aliter ad fugiendum ineptus, ità vt facile ab aggressore occidi, aut vulnerari valeat. Cum his limitationibus primam sententiam veriorem esse reor. At in secundam fateor me propendere. Quia in omni genere personarum siue nobilium siue ignobilium infamia est fugere. Et quia potest quis cum fugit se periculo cadendi exponere, & cadendo facilè ab aggressore percuti, vel occidi. Nemo autem tenetur se huiusmodi periculo exponere. Nihilominus tamen à mei Suarij, Toleti, ac Lessij mente non recedam. 164 *Auctoris iudicium.*

PROBL. XXXV.

Clerici, ac Religiosi à quocumque seu laico seu Ecclesiastico aut Regulari inuasi tenentur, & non tenentur fugere, ne cogantur se inuadentis occisione, aut vulnere defendere.

TEnentur fugere: Quià cum humilitatem, modestiam, & mundi contemptum profiteantur, fuga eis non dedecori, sed honori: non ignominiæ, sed gloriæ verti potest; & ideo tantum abest, vt ob eam rem parui pendantur, vt magni æstimentur. Sic Suar. *to. 5. de censur. d. 46. sect. 1. n. 5. & 6.* Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 12. n. 77. & 93.* Tolet. *l. 5. c. 6.* Nauar. *sum. c. 15. n. 3.* Couar. *in Clement. si furiosus post. n. 4.* & alij. 165 *Fugere tenentur.*

Fugere non tenentur. Quià possunt, dum fugiunt ob vestimentorum agnatum cursui impedimentum, facilè cadere, aut retardari, vndè ab aggressore occidantur, aut vulnerentur. Ergò si vitam prostituere non tenentur, vt fatentur omnes: non tenebuntur fugere: vix enim vnquam sine huiusmodi discrimine potuerint fugam meditari. Ità Bologne. *ad l. vt vim. ff. de iust. & iure, n. 91.* Mantua. *ibi. n. 87.* Felin. *ad c. suscepimus, de homicid. fine.* Plaza *in epit. delict. l. 1. c. 28. nu. 10.* Baiard. *in addition. ad Iuli. Clarum. num. 92.* 166 *Non tenentur fugere.*

Primam sententiam teneo, quam minimè à secunda impugnari crediderim. Intelligenda enim non est, quando huiusmodi personæ Ecclesiasticæ probabiliter dubitare possunt, se propter fugam fore morituras. Nam cum illæ tunc vitam suam discrimini exponant fugere 167 *Auctoris resolutio.*

non

non tenentur. Quare si tunc aggressorem occidant, vel mutilent, licitè id gerunt, & nullam irregularitatem (nec excommunicationem si forte inuasor sit Clericus) incurrunt. Non enim Ecclesiastici, ac Regulares fugere tenentur, nisi quando fuga vitam suam, aut membra tueri possunt. Igitur si huiusmodi periculum non incurrant, tenentur, pedem referre, domum aliquam ingredi, ostium claudere, si ob pinguedinem grauantur ad fugam, & hoc agere possint.

PROBL. XXXVI.

Quando iure ciuili permittitur patri, ac marito filiam, vel vxorem in adulterio deprehensam occidere; possunt, & non possunt eam occisionem aliis impunè mandare.

168 *Certum suppono.* CVm nobis licitum est, proximum defendere cum occisione iniusti inuasoris, certum est, nobis etiam licitum esse eam defensionem cum præfata occisione alteri mandare. Quia quod nobis licitum est facere per nos ipsos, etiam per alios gerere licebit, eandem enim tunc obligationem defendendi proximum innocentem subit mandatarius, ac mādans. Quæsierim verò, an quando in iure ciuili propter iustum dolorem permittitur marito impunè adulterum cum propria vxore in actu adulterij cōprehensum occidere; & patri interimere adulterum cum propria filia nupta inuentum, possint eam occisionem impunè alteri mandare & idem est de ipsius vxoris, ac filiæ occisione.

169 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quia quæ à iure communi deuiant, strictè sunt interpretanda, nec ampliāda vllatenus sunt. Quare cum hæc permissio sit contra ius commune, & sit veluti quædam iuris communis dispensatio ob iustum dolorem solis patribus, ac maritis concessa: nullo modo videtur amplianda, & extendenda ad alias personas de illorum mandato; ea enim dispensatio & permissio est mors iuris, correctioque illius: correctio autem, & mors iuris communis semper est vitanda. *c. Ecclesia vestra 2. de elect.* Glos. *in reg. 28. de regul. iur. c. Quæ à iure. l. Quod contra rationem. ff. de reg. iur.* Sic Baldus *in c. si quis vero, de pace iuram. firmata in vsib. feudor.* Claudi. *ad l. vt vim. n. 124. ff. de iust. & iure.* Roland. *consil. 24. n. 29. l. 2.* & alij.

170 *Possunt quidem.* Possunt planè maritus & pater id filiis, aut seruis mandare. Quia parum refert, an occidat per se, an per alios; nam quæ per alios facimus, per nos ipsos facimus: & cui principale, hoc est, mors filiæ, vel vxoris à iure est concessum, necessariò etiam minus principale concedi videtur, id est, persona quæ illam de mandato eius, cui mors seu principale conceditur, exequatur. Ità Baldus sibi contrarius *ad l. Gracchus, num. 3. ff. ad leg. Iuli. de adult.* Iul. Clar. *§. Homicidium, n. 51. & §. fin. q. 60. num. 16. fine.* Couar. *4. decretal. fol. mihi 140. numer. 5.* Anton. Gomez *l. 8. Tauri num. 6.*

171 *Verius ac receptius hoc.* Hanc existimo communem esse hodie sententiam. Imo tenent multi non solùm filiis propriis, ac seruis posse huiusmodi homicidia à parentibus ac maritis impune mandari, sed etiam alij queiscumque extraneis. Quod quidem in praxi asseruatur, vt docent Cæpolla *consil. crimin. 4.* Afflictis *p. 9. constit. Regni Neapol. rubr. 46. n. 4.* Carrer. *in practica. fol. 445. num. 240.* Iul. Clar. *citatus.*

PROBL. XXXVII.

Duces classis Regiæ, vel nauium Indicarum, quando nec hostiles naues fugere, nec vincere valent; possunt, & non possunt licitè naues igne cremare, aut aquæ aditum aperire, se indirectè occidendo, eneruandi hostes intuitu.

172 *Minimè possunt.* MInimè possunt. Quià contrà naturalem inclinationem, & charitatem propriam sit, seipsum occidere. Et quia ad solum Deum pertinet vitæ, ac mortis iudicium. Deuter. 33. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Sic D. Tho. *2. 2. q. 64. a. 5.* quem omnes Thomistæ sequuntur. Qui quidem in facto Samsonis, & Eleazari (de quo mox) ad miraculum, & spiritum Dei eos intus mouentem recurrunt; factum verò Raziæ à mortali non excusant. Adduntque perindè esse se hoc modo interimere, ac se iugulare, vel se in flammam præcipitem agere, quod omninò est illicitum absque Dei impulsu. Nonnulli ex Neotericis huic adhærent sententiæ, quam Fagund. *l. 5. Decal. c. 11. n. 14.* vsu communiorem, ac receptiorem esse dictitat.

173 *Possunt omninò.* Possunt omninò. Quia huiusmodi Duces non intendunt se directè perimere, sed pro bono cōmuni, & sui Regis authoritate directè & positiuè intendunt eneruare hostem, contrà quē iustum bellū gerimus: illūque ea priuare præda, nè postmodū insolentior fiat: licet concomitanter, & per accidens propriam mortē ipso facto sibi inferant; ipsi enim optassent, se saluis hostes (si possent) debellare. Et quia potest quis igné tormentario pulueri iniicere ad solo æquandam hostilem arcem, etsi sciat, se momento fore dissipandum; neque enim ipse propriè se interimit sed ignis impetus, & arcis ruina illius interitum afferunt, cui se ob iustissimam causam exponit. Non secus ac is, qui se volanti telo obiicit, vt vitam sui Principis tueatur, quod in bellis vsu tritum; alioquin illicitum esset militibus cum periculo vitæ suffodere turres, mœniaque hostilia. Quare si illi excusantur, cur non ex iam excusabuntur nostri milites, sociique nauales, qui strenuè cū hæreticis dimicantes, cum iā iam vident, nauim in potestatem hostium deuēturam communi consensu ignem pulueri iniiciunt, & se mari committunt, nè & ipsi, & naues in hostium veniant potestatem; non enim intendunt suum interitum: sed ne hostes Christianæ Reipublicæ damno illo potiantur. Et quià certissimum est in materia de Bello posse eos, qui patriam in certamine iusto defendunt, quando certum vident interitum, & cum aliter euadere non possunt, excogitare, & aggredi facinus aliquod, quod sit patriæ saluti, ac hostibus detrimento, etiam si mors inde sibi certissimè accidat, vt docent Victoria *relect. de homicid. fine.* Aragon *2. 2. q. 62. tr. 1. de dominio vitæ*, *concl. 1.* Valent. *to. 3. d. 5. q. 8. pun. 2.* Ludou. Lopez

Lopez *p. 1. Instr. c. 65.* Quod patet in facto Sãsonis *Iudic. 16.* qui Tẽpli columnas euertit, quo moriens plures hostes, quàm viuens perimeret. Nam licet D. August. *l. contra Epist. 2. Gaudent.* asserat, Samsonem Deo præmouente id egisse; tamen absque ea præmotione id agere poterat, debilitandi hostes, quos effugere non poterat, intuitu, vt docent Sayr. *in Clau., libr. 7. cap. 9. num. 9.* Lessi. *com. 1. libr. 2. cap. 9. dub. 6. numer. 32.* Caiet. *Iud. 16.* Ludouic. Lopez *part. 1. Instr. cap. 65.* Id etiam patet in facto Eleazari 1. *Mach. 9.* quod à sacra pagina commentatur. Vidēs enim vir fortissimus in arce lignea dorso Elephantis structa Duces hostilis exercitus euehi, & indè magnam cladem in suos edere, agnoscénsque ea machinatione destructa, hostes perituros, magna animi virtute ob communem sui populi salutem subtus bestiam ingressus, eam gladio confodit, licèt videret, se ea cadente perituru̇m, vt periit, *præclarum huius mortis genus inueniens* (ait textus,) *vt populum suum ea clade liberaret.* Quod factum laudat Ambros. *libr. 1. de offic. cap. 40.* Cur igitur non erit licitum, ac laudabile nostris Ducibus Indicarum classium præclarum mortis genus concremationē, aut obrutione nauium inuenire, ne diuitiis nostris hostes fiant postmodum potentiores, magnámque nobis cladem inferant? Ità Lessius breuissimè *lib. 2. cap. 9. dub. 9. num. 32.* & Fagund. citatus *num. 14.* qui licet receptiorem primam sententiam vocitat, proculdubio hanc non solùm probabilem sed probabiliorem esse iudicat.

174 *Hoc teneo, & vberius confirmo.*

His adhæreo Doctoribus. Vt autem huius sententiæ veritas liqueat, scribens eo tempore, quo strenuissimi duces propè Gaditana littora post fortissimi animi documenta expressa ad hostium repressionem: vtinam nacti fuissent temporis opportunitatem vt possent sese huic accommodare sententiæ, operæ pretium duxi, eam vberius confirmare. Dic mihi quæso, ei qui in naufragio apprehensam haberet mediis in vndis tabulam, qua saluari posset, nonne licitum esset illam Regi, amico, aut proximo elargiri, vt ipso pereunte ille ad littus incolumis deferretur? Esset quidem; auctore Toleto *libr. 5. cap. 6. num. 6.* Lessio *libr. 2. cap. 9. dub. 6. num. 31.* Fagundez *libr. 5. Decalog. cap. 12. num. 18.* Et pro debilitatione hostilis exercitus nonne licet militibus iustum bellum gerentibus ad duella prouocare, & acceptare illa? Affirmat, aliis citatis, Fagundez *ibi, cap. 8. numer. 36. & 50.* & nos *tom. 8. de Virtutibus Theologicis*, confirmamus. Ergò etiam pro communi Reipublicæ bono, pro eneruatione: ac debilitione hostium infidelium licitum erit Catholico duci mortem sibi permittere nauem cremando, aut obruendo, ne hostes plures ex nostris postmodum interimant, ac male partis diuitiis in nostram pernitiem potiantur. Profectò quando aliquis certo se mortis periculo pro bono patriæ exponit, non eligit per se, ac directè mortem propriam, sed eligit mortem hostium, illorúmque damnum: & solùm per accidens, & concomitanter permittit mortem propriam propter bonum commune, quod negari non potest esse ex se, & ex sua natura licitum; quia actiones humanæ ex fine, & obiecto bonæ, aut malæ redduntur moraliter: quidquid sit de illis rebus, quæ per accidens, & concomitanter, sequuntur: vt communiter edocent Aragon. & Salon. *2. 2. qu. 64. artic. 5.* Valentia *tom. 3. d. 5. qu. 8. pun. 2.* Victoria *relect. de homicid. resp. ad vlti. argum.* & Sotus *lib. 2. de iust. qu. 3. art. 8. & lib. 5. qu. 1. art. 5. ad 4.* An non mens nostra præter Samsonis, & Eleazari facinus, fortissimi Rasiæ confirmatur exemplo? Hic 2. *Mach. 14.* cum ab hostibus vndique cingeretur, nec posset euadere, se gladio percussit, & cum se perimere non posset, de muro se præcipitem egit, *Eligens* (inquit sacra historia) *nobiliter potius mori, quam subditus fieri peccatoribus.* Quod factum licet aliqui incusent, & Rasiam mortaliter deliquisse affirment: tamen Nicolaus de Lyra factum laudat, illúmque à lethali crimine excusat. Quod etiam probabile putat Victoria *relect. de homicid. ad vltim. argument.* Diuinare enim est asserere, Sacram scripturam id dixisse ex opinione ipsius Rasiæ, & non factum approbare. Vndè si Rasias à mortali excusatur, & à Sacra scriptura commendatur, cum id non ex intuitu boni communis, ex hostium debilitatione gesserit; sed solùm ne ignominiosam mortem ab hostibus pateretur infidelibus: qua ratione, quo fundamento factum nostrorum ducum improbabimus cum bono fine intuitúque id efficiant? Licitum proculdubio est minus bonum iacturæ exponere ob maioris boni conseruationem: verbi gratiâ, licitum est pedis, vel manus præcisionem pati propter totius conseruationem corporis. Ergò licitum erit Catholicis ducibus naues, & vitâ igni, aut pelago exponi propter maius Reipublicæ, cuius membra sunt, commodum. Denique id gessere nonnulli egregij viri, Catholico zelo, quos durum videtur lethali crimine reos fuisse affirmare. Vnicum exemplum exponam ex Antonio de Herrera *part. 3. hist. gener. Philippi II. Hispan. Regis libr. 13. cap. 19.* Quo tempore Turcarum Rex arcem Tatæ in Vngaria inferiori sitam, vi, & armis ceperunt, volentes Turcæ illius arcis Præfectum viuum capere, qua fuerat Christianus, & abiurata fide Christi ad Turcarum sectam defecerat: & postea ductus conscientiæ stimulis, ea secta ei ingrata, ad veram Religionem incredibili lætitia redierat, vt in illum Turcico animo sæuirent: ipse vt erat strenuo ac valenti spiritu, ne Turcarum manus subiret, deditione vrbis facta, & in tuto omnibus ducibus, ac militibus cōstitutis, volēs morte sua solatio esse Imperialibus, & exitio Turcis: in effuso arci cuniculo nitrato puluere referto mansit, & cum intellexit, reliquas Christicolas iam posse esse tutos, iudicánsque tempus esse apt̃issimum ad nocendum Turcis per aream dispersis, ignem sulphuri applicuit, quo, horrendo fragore, ars, & Turcæ circiter quingenti suprà mille euolarunt: & maiori vtilitati Christianis fuit mortuus, quam viuus. Quis ergò audebit hoc improbare factum, cum patratum fuerit directè ad nocendum fidei hostibus, potiùs, quam ad se ipsum interimendum? aut quis intendet tantùm virum, & moralis criminis reum, & æternæ damnationi addictum fuisse affirmare? Equidem ego id minimè auderem.

CAPVT

CAPVT VI.

Circa Homicidium, quod prohibetur.

PROBL. XXXVIII.

Maritus vxorem, & pater filiam nuptam simul cum adultero possunt, & non possunt licitè perimere.

17 *Possunt planè si zelo iustitiæ id faciant.*

QVÆSTIO est, an sicut in foro soli potest maritus impunè vxorem adulteram simul cum adultero, & pater filiam perimere, (vt vidimus) ità possint licitè in foro poli id efficere? Possunt quidem, dummodò non liuore vindictæ, sed zelo iustitiæ id præstet. Quia illi occidunt vt ciuilium legum authoritate, & tanquam legis iustæ ministri: leges autem iustas in foro conscientiæ seruandas esse nemo dubitat. Et quia si leges ciuiles hoc tãtum permitterent, & non concederent in pœnam delicti tanquam licitum, profectio iniquæ essent, quia permitterent id, quod interdicere tenebantur: tenentur enim leges peccata prohibere. Certè hæ leges non solum permissionem, sed etiam concessionem videntur significare. Sic Anton. Gomez *ad l. 8. Tauri, num. 52. & 55. iuncta lege 76.* Castil. *l. 82. Tauri, n. 6.* Menchaca *l. 1. controu. c. 6. n. 2.* Azened. *l. 8. recopil. tit. 1. l. 1. & l. 4. tit. 10. l. 1. n. 21.* Sa *v. Homicidium, numer. 50.* Fagund. *citandus* asserit, hanc sententiam non videri improbabilem.

176 *Minimè possunt.*

Minimè possunt, sed quamuis impunè id fiat in foro soli, non tamen fit licitè in poli, seu conscientiæ foro: & ideo semper mortaliter id agens delinquit, & contra iustitiam operatur. Quia *c. Inter hæc 33. q. 2.* Nicolaus I. ait, licere secundum leges mundanas, non tamen secundum Ecclesiasticas vxorem adulteram impunè interficere. Et quià leges ciuiles solùm ob vehementem dolorem huiusmodi homicidia impunè fieri permittunt: at leges permittentes aliquid impunè fieri, minimè à culpa excusant, vt multis adductis exemplis affirmat Tiraquel. *l. 1. connub. a n. 1.* Aliud enim est ad maiora vitanda peccata, & scandala, aliqua minora permittere: aliud illa præcipere, vel concedere licentiam ad illa perpetranda, vt in meretricibus publicis patet: nec tamen hæc permissio illas à crimine excusat, nec excusare potest. Ità Sanch. *l. 10. de matr. d. 8. n. 3.* D. Tho. *in 4. dist. 37. q. 2. a. 1. in corp.* D. Bonau. *a. 2. q. 1.* Victor. *sum. vbi de matrim. nu. 192.* Veracr. *3. p. specu. a. 4.* Sotus *in 4. dist. 37. q. vni. a. 3. concl. 1. & l. 5. de iust. q. 1. a. 3. ad 2.* Manu. *to. 1. sum. c. 206. n. 9.* Gutier. *l. 1. qq. practic. q. 1. nu. 22.* Navarra *l. 2. de rest. c. 3. p. 2. dub. 8. n. 206.* Navarrus *sum. Hisp. c. 15. n. 3.* Couar. *4. decretal. 2. p. §. 7. n. 9.* & alij communiter.

177 *Hoc mihi certum.*

Hæc sententia communior, verior, probabilior, imò certa mihi omninò videtur; Quia iniustum planè est, parte non audita, & ante latam sententiam concedere generalem, vel specialem facultatem reum perimendi. Quamobrem iniquissimè ageret Iudex, si antè latam adulterij sententiam id parenti, aut marito earum, quæ in adulterio reperiuntur, concederet. Vndè elicio, eum maritum, qui priuata authoritate adulteros in scelere deprehensos enecat, teneri damna restituere, instar aliorum homicidarum, quia contra iustitiam delinquit.

PROBL. XXXIX.

In Cap. Si verò alicuius, de sent. excommunicat. *vbi decidituir ab excommunicatione liberum esse, qui in Clericum cum vxore, matre, Sorore, vel filia deprehensum turpiter manus violentas iniecerit: comprehenditur, & non comprehenditur mater, Soror, & filia adoptata.*

PRæmitto *c. si vero alicuius*, præscriptionem. *Nec ille compellendus est ad sedem Apostolicam venire, qui in Clericum cum vxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inuentum manus iniecerit violentas.* Quæstioni do, nùm mater, soror, aut filia adoptatæ in hoc *cap.* comprehendantur? 178 *Præmitto clausulam c. si verò alicuius.*

Comprehenduntur quidem. Quia in iure circa hoc idem iudicium fertur de matre, sorore, ac filia adoptata ac de naturali. *l. Nec in ea, ff. ad l. Iuliam, de adult.* textus ait: *Nec in ea lege naturalis pater ab adoptiuo separatur.* & idem est de matre, ac sorore adoptata. Sic Farinac. *in praxi, to. 1. q. 121. nu. 2. & 5.* asserens idem dicendum de filia legitima, naturali, & adoptiua. Consentit Glos. *ad l. Patri. n. 1.* 179 *Cõprehenditur quidem.*

Minimè comprehenduntur. Quia hæ omnes verè ac propriè (naturali excepta) non sunt filiæ, nec sorores, nec matres: & in illius textus intelligentia sistendum est in verborum proprietate. Nã licet ea extensio fauorabilis videatur respectu percutientis, & in fauorabilibus propter iustũ dolor ẽ detur extẽsio: tamẽ est odiosa respectu Clerici, & respectu fœminæ, qua cũ inuenitur; & quia in his personis non est tam iusta causa doloris, cum linea veræ ac propriæ consanguinitatis eas non attingat. Ita Suar. *to. 5. de censur. d. 22. sect. 1. n. 34.* citans Glossam *ad c. si verò alicuius in v. Mater, & in v. Turpiter, & in v. Contingit.* Etsi autem Glossa ibi non loquatur clarè ad præsentem quæstionem, deducitur tamen ex illa, quod Suarius asseruit. 180 *Non comprehenduntur.*

Ego quidem probabiliorem reor esse Suarij sententiam, sed satius duxerim vtramque mentem concordare dicens, in foro Ecclesiastico, & de iure canonico, quo ad excusationem *cap. si quis*, non venire nomine *patris* patrem adoptiuum, nec nomine matris, filiæ, & sororis, matrẽ, sororem, & filiam adoptiuam. Secus de iure ciuili quoad excusationem impunitatis homicidij. Profecto filiam non legitimam, sed naturalem putarim in vtraque opinione comprehendi; & non insiodari patrem aliqua excommunicatione, irregularitateve, si Clericum cum ea inuentum perimat, seu percutiat: & tale homicidium esse impunibile in foro externo ciuili; quia pater naturalis verè ac propriè est pater in linea 181 *Hoc probabilius, sed vtrãque sententiam ad concordiam affero.*

verè

veræ ac propriæ consanguinitatis, vt requirit textus in *cap. si vero aliquis.*

PROBL. XL.

Permittitur, & non permittitur marito, aut patri occidere vxorem, vel filiam prægnantem in adulterio inuentam.

182 *Permittitur id.* PErmittitur planè. Quia illi vtuntur permissione à iure facta, occidendi vxorem, aut filiam & solum intendunt iure suo vti, repellendo iniuriam, & non intendum occidere prolem. Et qui iustus dolor, ob quem maritus vxorem, aut pater filiam in adulterio deprehensam potest impune occidere, æqualiter procedit in vxore, aut filia prægnante, ac non prægnante. Sic Partol. *ad l. imperator 2. n.* Baldus *ibi.* Angel. *de statu homi.* Anton. Gomez *in l. 89. Tauri, n. 5.* Iodochus *in pract. crimin c. 89. rubr. de adulter. n. 1.* & alij.

183 *Non permittitur.* Non permittitur. Quia in ea occisione exceditur iuris præscriptio. Ius enim solum permittit occisionem vxoris, aut filiæ, non prolem illius. Ità Baiard. *in addit. ad Iul. Clarũ §. Homicidiũ, n. 167.* Farinac. *in praxi to. 4. q. 121. n. 5. & 47.*

184 *Probabilior hanc reor esse partem.* Scio Fagundez *l. 5. Decal. c. 10. n. 32.* primam sententiam probabiliorem esse docuisse propter suos Auctores. At tanti viri venia, secundam duorum solummodo Doctorum authoritate fultam veriorem esse ob fundamentum reor. Nam ius patri, aut marito permittit vnicæ vitæ filiæ aut vxoris posse impunè excidium inferre. Et quidem impie permitteretur à lege innocentis occisio maximè sine sacro recessuri lauacro. Profecto lex, quæ fœminæ capitali sententia affectæ partum expectat, vt detur executioni, quomodo permittet impune prægnantem filiam, aut vxorem à patre aut à marito simul cum prole perimi: Crediderim tamen eum qui prægnantem filiam, aut vxorem perimeret, non esse pœna ordinaria plectendum, sed Iudicis arbitrio mitius cum eo agendum.

PROBL. XLI.

Damnatus ad sumendum venenum, aut venam scindendam, vt hoc mortis genere obeat: tenetur ipse, & non tenetur venenum bibere, aut venam scindere.

185 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem, modò iustè ad id mortis genus sit damnatus. Quia licitè potest Iudex obligare aliquem vt alium reum mortis iudicio conuictum suspendat, vel gladio iugulet: Ergò vt & ipse se conuictum perimat: & tenetur vtrique parere: est enim tale præceptum iustum, & à legitimo Iudice procedens. Et quia si licet damnato ad mortem, imo & tenetur scalam ad suspendium ascendere, & iugulũ ad securim exhibere: cur etiam non tenebitur, venanum potare, & venam sibi scindere, si ad mortis genus damnatur? Aragon 2. 1. q. 64. a. 4. Sa *v. Iudiciales actus, §. de reo.* Manu. *tr. de ordin. iudic. c. 14. concl. 2.* Fauet Tolet. *l. 6. cap. 4.*

Minimè tenetur. Quia est duplex genus actionum circà mortem: vnum, quod tendit ad mortem, & actiones illius sunt ad ipsam mortem dispositiones: aliud, cuius actiones non tàm sunt dispositiones ad mortem, quam verè ac propriè ipsa mors. V. gr. in primo genere ascendere scalam ad suspendium, præbere collum ad gladij ictum, aperire os, vt venenum ab aliis infundatur, brachium porrigere, vt scindatur vena. In secundo genere, præcipitem se è furca dare, venenum propriis manibus haurire, venam sibi abscindere. Porrò actiones prioris generis sunt licitæ, & possunt illas Iudices imperare, reique tenentur Iudici parere. imo intrinsecè in ipsa mortis sententia virtute præcipiuntur, At actiones secundi generis sunt illicitæ, quia mortem formaliter in se continent, & sunt meræ executiones sententiæ mortis Ità Caiet. *1. 2. q. 69. a. 4. dub. 7.* Sotus *l. de iust. q. 6. a. 4. contra. 4.* Bannes *1. q. 6 a. 1. conc. 6.* Nauarra *c. 27. de restit. c. 3. n. 8.* Ludou Lopez *p. 1. Instruct. c. 65.* Philiarc. *de offic. sacerd. p. 1. l. 4. c. 8.* Sayr. *in Claui, l. 7. c. 9. nu. 26.* Fagund. *l. 5. Decal. c. 12. n. 14.*

186 *Non tenetur.*

Verior mihi est hæc sententia. Actiones enim sententiæ executrices sunt supra vires humanas & de se illicitæ: vnde nec iuste possunt à Iudice præcipi, nec exequi à reo, cum id sit, seipsum occidere, solum enim damnari possunt rei ad mortem patiendam, non autem ad illam in se ipsis executioni dandam. Equidem iustè potest Iudex aliquem obligare, vt alterum occidat, quando deficit publicus iustitiæ minister, ne ex defectu executoris iustitiæ Respublica sceleratis abundet, commune in incommodum: non tamen potest obligare reum, vt ipse se perimat, cum huiusmodi actus sit de se crudelissimus, & vires humanas excedat.

187 *Verior mihi hæc sententia.*

PROBL. XLII.

Si Tyrannus minetur alicui mortem, nisi ipse sibi brachium abscindat: vel præcipiat, vt ipse sibi vnam manum resecet, nisi vtrique ab alio sibi vtramque amputari: tenetur, & non tenetur parere: potest, & non potest id licitè facere.

188 *Potest licitè; imo tenetur.* POtest licitè id facere, imo parere tenetur. Quia ius naturale dictat, vt minus malum eligatur, ad maius vitandum: minus autem malum est, vt quis careat vno membro, quam duobus: & maius bonũ etiam est respectu huius hominis vnũ habere mẽbrum præcisum, veluti vnum brachiũ, & vitam conservare, quam illam amittere: & vnam manum præscindere, quam duabus priuari? Certè qui manum ferro habet alligatam, si videt se igne cremari, potest licitè sibi amputare manum, vt fugiat vim ignis exitialem euadat. Et qui à canibus detentus est, & mori timet, nec aliter potest euadere, nisi abscindendo membrum, potest imo & tenetur, illud præscindere. Et qui vnũ membrum, brachiũ scilicet, vel pedem infectũ habet, licitè potest iubere, illud sibi amputari, vt vitam meatur. Sic Nauarra *l. 2. de rest. c. 3. n. 98. & 99.* Less. *l. 2. c. 9. dub. 14. n. 10.* Tolet. *l. 5. c. 6. concl. 2.* Sa *v. Homicidium, fine.* Aragon. 2. 2. q. 65. a. 1.

189 *Non tenetur, nec licitè id potest agere.*

Nec tenetur, nec licitè id potest agere. Quia est contra ius naturæ, vt quis se ipsum interficiat, vel mutilet. Et qui Tyrannus mortaliter delinquit, quando præcipit, aut minatur alicui mortem, aut duarum manuum abscisionem, nisi ipse sibi vnam præscindat: illéque metus est ab extrinseco agente, contrà iustitiam illatus, & per iniuriam, ac contra ius naturale; nemo enim tenetur tam seueræ sententiæ, aut præcepti in semetipsum esse executor. Quapropter non licet contrà ius naturę: imò cooperaretur cum peccato Tyranni, qui tunc ei obediret. Vndè communiter reprehenditur Iosephus Iudæus, qui (vt ipse de se refert *lib. 2. de bello, cap. 27.*) vnam manum sibi amputauit, præcipiente Tyranno, nè ambæ ei præscinderentur. Et quia quandò medium, quod eligitur ad vitandum maius malum, est de se licitum, aut saltem indifferens, rectè possumus licitè eligere minus malum, ad maius vitādum: Secùs quando est intrinsecè malum, quia est cooperari iniustitiæ, & peccato Tyranni rem tam iniquam præcipienti. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst. 65. art. 1.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 2. artic. 1. conclus. 3.* Salon. 2. 2. *quæst. 65. art. 1.* Sayr. *in Clau. lib. 7. cap. 9. num. 37.* Fagund. *libr. 5. Decalog. cap. 12. num. 17.*

190 *Probabilius hoc mihi.*

Probabilior hæc sententia. Nam ille, qui manum alligatam habet, estque igne circumdatus, ideò potest licitè illam resecare, & se per fenestram immittere cum periculo frangendi cruris: ne cremetur. Et qui membro putrido laborat, ideò licitè potest, illius amputationem præcipere, ne totum corpus infectione afficiatur; quia patitur ab extrinseco agente, igne videlicet: & ab intrinseco, scilicet morbo naturaliter etiam operante. At sibi præcipiente id Iudice iniquo licitè agere non potest; quia cum Iudex iniquè agat, simile præceptum imponendo, iniquè operatur, qui cooperatur, illud implendo.

PROBL. XLIII.

Si credatur fœtus esse animatus, & viuus potest, & non potest mater sumere medicinam ad sanitatem, etiamsi præter intentionem aborsus sequatur.

191 *Nonnulla præmitto.*

PRæmitto, nunquam esse licitum præbere, aut sumere pharmacum siue antè siue post fœtus animationem directa intentione vt procuretur aborsus: non post fœtus animationem, quia non licet directè innocentem occidere, vt vita temporalis alterius saluetur: & quia tenemur vitam nostram temporalem periculo mortis exponere ob vitam proximi spiritualem; quare si fœtus est iam animatus, cum necessariò viuus debeat prodire, vt vitam spiritualem per Baptismum recipiat: tenetur mater vitam suam temporariam pro spirituali filij periculo mortis exponere. At si probabiliter dubitatur, an proles sit animata, & mater sit in vitæ periculo, nec aliud superfit remedium, potest mater licitè sumere pharmacum, ac venæ sciſſionem, & hæc ei medicamina possunt applicari, non directa ac positiua intentione aborsus faciendi, sed matris curandæ, etiamsi indè per accidens sequatur aborsus. Quia mater est in possessione certa vitæ, filius autem, vel factus est veluti in possessione dubia, imò in nulla est possessione. Quæsierim verò an cum proles iam sit animata, possit mater ægra pharmacum sumere directè curatiuum vitæ propriæ cum periculo vitæ prolis, quam in vtero gestat?

192 *Potest plam.*

Potest quidem. Quia pharmachi illius sumptio, vel sciſſio venæ directè tendit ad matris sanitatem, licèt autem accidentaliter possit prolis vitæ nocere: etiam fauere potest; nam matre sanitatem assequente fortasse fœtus in lucem edetur: illa autem moriente rarò filius viuus euadit. Sic Manuel Sa *verb. Homicidium, num. 1.* fatus: Etiamsi credatur fœtus animatus, & viuus, potest mater sumere medicinam non ad aborsum, sed ad propriam sanitatem, etiamsi præter intentionem aborsus sequatur.

193 *Non potest.*

Minimè potest, dum probabile est, sine eo medicamento prolem viuam prodituram, & cum eo mortuam egressuram esse. Quia dum proles viua probabiliter esse creditur in matris vtero, suam possidet vitam sine matris iniuria: Ergò etiamsi mater intendat suam curationem, & non nocere vitæ prolis, si tamen medicina talis est, quæ proli noceat, iniuria sine dubio ei fit: & licet sumatur præcisa intentione curandi matrem, est sine dubio occisio filij, & ideò semper est illicita. Ità Lessi. *libr. 2. capit. 9. dub. 10. num. 67.* D. Antonin. *part. 3. titul. 7. capit. 2. §. 2.* Aragon. *2. 2. quæst. 64. art. 7.* Nauarra *libr. 2. de restit. capit. 3. numero 138. & 143.* Sayr. *in Claui, libro 7. capite 12. numer. 22.*

194 *Hoc mihi certum, quod vberius pono.*

Hoc mihi certum, Emanuelis Sa mei venia. Quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona: malum autem est, prolem occidere, & ei nocere, dum in vtero viuere putatur, licet fiat ex intentione corporalis salutis matris bonum inueniendi: maximè cum teneamur vitam nostram temporalem periculo mortis exponere pro vita spirituali proximi. Igitur si abstinente matre ab eo medicamento proles creditur viua proditura ad vitam spiritualem Baptismi, tenetur mater ab eo abstinere cum vitæ etiam periculo, quamvis proles statim post Baptismum sit moritura. Nè autem omninò Patris Sa sententiam damnemus, scio posse dari medicinam, quæ ex natura sua directè tendat, ad curationem matris sine vlla lesſione animatæ prolis: posse etiam dari medicamentum, quæ directè tendat ad curationem matris, sed cum prolis læsione: & fortè si detur tale genus medicinæ quæ ex se, & natura, compositioneque sua, quæ directè tendat ad matris curationem sinè vlla læsione animatæ prolis, (de quo Medici iudicabunt) de illa intelligendus est Sa, & in eo sensu eius opinionem probabilem iudico; quamvis ex accidenti speciali, vel Medicorum errore animatæ proli lethalis existat. Si verò medicina respectum habeat aliquem ad læsionem prolis, etiamsi profutura sit matri, & directa intentione ei applicetur, vt curetur ipsa, vt vt fiat aborsus: sententiam

tiam Patris Sa parum probabilitatis habere iudicarim.

PROBL. LXIV.

In dubio, an proles sit iam mortua, vel an viua sit exitura, potest, & non potest mater sumere medicamentum directè curatiuum sui; cum periculo nocendi proli, si fortè viuat.

195 *Potest quidem.* POtest profectò. Quia mater antequam concipiat prolem, & in illius vterò sit animata, habebat ius vtendi medicamentis necessariis ad propriæ vitæ conseruationem, quod ius non videtur amittere saltem in eo casu, in quo æqualiter, ac practicè dubitatur, an proles sit mortua, an viuens. Porrò in probabilitate æquali, nùm lucraturus sim vitam spiritualem proximi, vel non sim: non teneor vitam meam temporalem certo mortis periculo obiicere; nam vt ea obiectio prudens sit, debet esse cum certa lucri spiritualis spe, alioqui erit imprudens; nullus enim prudens dat certum pro dubio. Sic à fortiori Sa *verb. Homicidium, numero primo*, & docti viri, quos consului.

196 *Non potest.* Nequaquam potest, sed in eo dubio ius prolis præualet. Quia illud dubium cum sit practicum, inducit probabilitatem, quod proles viuat: viuente autem prole, mater nullum habet ius sumendi medicamentum cum vitæ prolis periculo. Ità Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 10. num. 67.* Fagund. *libr. 5. Decalog. cap. 12. num. 32.* Sayr. *in Clau. lib. 7. cap. 11. num. 22.* Aragon. 2. 2. *qu. 64. art. 7.* Nauarra *lib. 2. de rest. cap. 3. numero 138. & 193.* & alij apud Fagund. *num. 34.*

197 *Idem sentio.* Idem sentio. Nam dum proles probabiliter putatur animata, duplicatum ius ad tuendam vitam tam spiritualem quam temporariam habet. Dum autem prudentialiter ac practicè dubitatur, an viua, an mortua sit, probabiliter putatur viua, possidet enim vitam suam, qua non debet per dubium illud spoliari; nam cum sit practicum, & non merè speculatiuum dubium, est probabile, & pro ipso fœtu probabilitatem inducit. Et quidem mater cum primum proles animatur, non amittit ius, quod ante animationem prolis habebat conseruandi propriam vitam: at antè prolis animationem solùm habebat ius conseruandi vitam propriam temporalem sine prolis viuentis præiudicio: & hoc iure potest post animationem prolis vti: at cum præiudicio, viuentis prolis minimè potest; quia antè prolis animationem illud non habebat. Cæterùm in æquali probabilitate, an lucraturus sim vitam spiritualem proximi, an non: teneor meam vitam temporalem pro illius spirituali vita certo mortis periculo obiicere. Quia vt ea obiectio sit prudens satis est, quod detur probabilis spes lucrandi spiritualem proximi vitam.

PROBL. LXV.

Licitum est, & non est filio, patrem bannitum occidere.

198 *Potest, quidem.* POsito statuto, quod bannitus vbicúmque inuentus interficiatur, de quo suprà, quæsierim an licitè & impunè possit filius patrem bannitum interimere? Potest planè. Quia mox ac pater virtute talis statuti hostis Reipublicæ declaratur, nulla dari potest ratio, cur non liceat filio illum occidere, iuxtà textum *in l. Minimè ff. de Relig. & sumptib. funer.* Et quia in casu, quo pater iniustè arma sumeret contrà suum verum Principem, & contrà patriam suam, & actu ei bellum inferret, iustè, ac licitè potest eum filius in eodem bello sequens partes veri Principis interimere, vt fert communis Doctorum sententia. Iul. Clar. *lib. 5. sent. §. Homicidium, nu. 59.* & alij. Ergò etiam iustè & licitè poterit pater occidi à filio, quandò statutum, aut sententia Iudicis declaratur bannitus, siue hostis Reipublicæ. Sic Bartol. *ad l. si adulterium cum incestu, §. liberto, ff. de adult.* Marsil. *in l. 1. §. præterea, n. 33. ff. de quæst.* Berous *in cap. Quæ in Ecclesiarum, num. 114.* Angel. *de malef. num. 27.*

199 *Non potest.* Non potest. Quia licet pater virtute talis statuti, vel Iudicis sententiæ bannitus censeatur, & hostis communis declaretur: nunquam tamen exuit ius naturale patris, nec illud amittit; nec desinit esse pater. At filij iure naturali obligantur ergà parentes, & veritas iuris naturalis debet præferri fictioni iuris, & Iudicis, quia per tale statutum, & sententiam fingitur pater communis Reipublicæ hostis. Nec refert, quod potest pater à filio occidi licitè, & iustè in eo casu, quo pater aduersus Regnum, patriam, & Principem arma assumeret, & iniustum bellum patriæ inferret; quia in ea circumstantia iam ipse pater non ex fictione iuris, & Iudicis, Reipublicè hostis obiicitur, sed in rei veritate est talis. Ità Iul. Clarus *citatus, nu. 59.* primam sententiam appellans duram, crudelem, & impietatis plenam. Claudius *in l. 1. §. ius gentium, n. 8. ff. de iust. & iure.* Alberic. *in 4. p. statutor. q. 27.* Cœpolla *cons. crimin. 5. vers. septimo post hoc.* Fagund. *libr. 5. Decalog. cap. 16. num. 13.*

200 *Probabilius hoc longè.* Hanc partem longè reor probabiliorem. Nam si stante statuto, quod verus, & legitimus Princeps sit bannitus, non potest licitè vasallus illum occidere, vt Albericus, & Cœpolla affirmant; quis sanæ mentis negabit, maius esse ius filiorum in patres, quam vasallorum in suos Principes? Quamuis enim Reges, ac Principes sint patres communes Reipublicæ, & respectu vasallorum instar parentum sint: tamen maius ius est in filiis respectu parentum: & mox ac Principes Reipublicæ sunt hostes, desinunt esse patres communes. Quæ autem dixi de filio respectu patris banniti, dicta esse de patre respectu filij banniti censeantur. Quia potiori ratione procedere debent in patre respectu filij, cum iura naturæ descendant à parentibus in filios: & non ascendant à filiis in parentes.

PROBL. XLVI.

Licet, & non licet ad mortem damnare innocentem, qui secundùm allegata, & probata nocens exponitur.

201 *Non solum licet, sed & tenetur.*

NOn solum licet, sed & tenetur Iudex innocentem damnare, tam in causis ciuilibus, quàm criminalibus, etiāsi ad mortē dānet. Quia Iudex, quà Iudex est, non est persona priuata, sed publica. Ergo non secundùm priuatam notitiā, sed secundùm publicā testiū depositionem, & publicū iuris ordiné procedere tenetur: aliter possent Iudices facili negotio pecunia corrumpi, ac reos absoluere, dicendo, se habere priuatam facti notitiam, vndè summa esset rerum confusio, ac Reipublicæ perturbatio. Et quià magis tenetur Iudex iuris, ac officij sibi commissi, quàm priuatæ vitæ alterius curam habere sibi non commissæ. Vndè licitè quis potest inuasorem occidere, vt se defendat, quia maiorem curam, ac rationem debet habere suæ, quam alterius vitæ sibi non commissæ. Sic D. Tho. 2.2.q.67.a.2.& q.64.a.6.ad 3. quem omnes Thomistæ sequuntur. Caiet. q.67. Sotus l.5. de iust. q.4. a.2. Nauarra l.2. de restit. c.3. nu.137. Couar. l.1. variar. c.1. n.6. Nauar. sum. c.25. n.13. &c. Tolet. l.5. c.6. n.11. & alij ex Iurisperitis.

202 *Nec tenetur nec potest.*

Nec tenetur, nec potest Iudex in ciuilibus, vel criminalibus damnare innocentem, quem certa notitia priuata inculpatū esse cognoscit, quamuis iuridice nocens probetur. Quia occidere innocentem directè, & ex proposito tam est intrinsecè malum, quàm cognoscere non suam, etiam si millies probetur esse sua. Ergo sicut Iudex non potest cognoscere illam, quam certa notitia priuata scit esse non suam, etiam si probetur esse sua: ita non potest innocentem damnare, quem certa notitia priuata scit esse innocentem, etiam si millies probetur esse nocens. Probo intrinsecè esse malum; quia per se malum est, aliquem sinè authoritate publica ad mortem damnare. Iudex autem nullam habet authoritatem cōtra innocentem, nec ius eam illi concedendi potest, cum innocentis vita soli Deo sit subiecta. Ergò eam illi adimere, per se, est intrinsecè malum. Et quia si esset licitum innocentem damnare, qui secundùm allegata & probata nocens exponitur ideò esset, quia teneretur Iudex sequi publicam iuris, ac testium notitiam: & quia ità expediret ob bonum Reipublicæ: sed leges, quæ requirūt hanc publicam notitiam, ideò eam requirunt, vt constet Iudici de veritate rei & facti: & ob nullum Reipublicæ bonum licet innocentem damnare. Ergo quando aliundè de ipsa veritate facti certa & indubitabili notitia constat, non potest Iudex iustè hanc publicam falsam sectare notitiam. Certè si daretur ius, quod iuberet occidi innocentem, etiam si probetur nocens, esset iniustum, & impium: Ergo iniustum, ac impium erit, hoc modo ius facere, & explere. Antecedens probo, quia occidere innocentem est contrà ius naturale: ius autem quod est contrà ius naturæ, iniquum est; dictat enim ius naturæ, reos esse damnandos, innocentes absoluendos. Ità Lessi. l.2.c.29.dub.10.n.78. & 82. Lyra ad illud Exo.23. *Innocentem & iustum &c.* Adrian. *quodl.* 6.a.3. Angel. *v. Iudicare, nu.* 7. Nauarra l.2. *de restit. c.3. n.161.* Hostiens. Calderin. Panormit. *ad c. Pastorale. de offic. deleg.* Corduba l.1.qq.q.37. Raynut. *in sua glossa*, teste Syluestro *v. Iudex* 2.q.5. Diana *p.5.tr.4. resol.*12. Sylui. 2.2.q.66.a.2.concl.2.

Scio, primam sententiam receptiorem in praxi esse, & à Fagundez probabiliorem existimari. Ast ego quidquid asserat frequentior praxis, probabiliorem iudico esse secundam vnica illigatus ratione: Quia directè, & ex intentione innocentem occidere, est per se malum, & aduersatur non modo charitati, sed etiam iustitiæ: Ergo Iudex non potest innocentem morti addicere, quantumuis ex allegatis, & probatis appareat. Quidnam igitur Iudex agere hoc in casu tenetur? Debet à principio conari actorem ab accusatione auertere; quod si non obtineat, sedulò operam impendat, vt actor litem cœptam non prosequatur: curareque siue actorem, siue testes secretò admonere prudentum ministerio de sua falsitate, horribilis Dei iudicij minas contorquens. Quod si nolint desistere, litem protrahat, testes bis, ter, quater seorsim per interualla super facti circumstantias diligenter examinet earum species, partes, & accidentia aduertenter euoluens, si fortè variatio deprehendatur, vti accidit Danieli. Si verò hac via non proficiat, si commodè, & absque scandalo queat, carcerem curet apertum obiici, vt innocens fugiat. Demùm si neque hoc quidem geri possit, ad superiorem Iudicem remittat. Partibus verò pro sententia instantibus respondeat, se ea in causa difficultatem inuenire, quare necessum est superiorem adire. Quem quidem secretò debet de actoris ac testium iniquitate certiorem efficere. Superior autem Iudex ab inferiori recte informatus, dicat se ex causis sibi cognitis, nolle illum reum capitali pœnæ, aut mutilationi addicere: pœnamque (si expedire videbitur) suprema sua authoritate relaxet. Verùm si postquam omnem lapidem admouerit, ad innocentis liberationem nihil gesserit, debet potius se officio quere, quam eum condemnare, dummodo magnum ei non obueniat ex huiusmodi officij depositione incommodum. Quia si grauissimo esset incommodo afficiendus potest eum licitè condemnare iuxta publicam probationem.

203 *Auctoru. v. Sylu. so. secundam probat. ju & confir. maxi. sententiam.*

PROBL. XLVII.

Licet, & non licet contumelijs te afficientem occidere, quando aliter eas iniurias non potes arcere.

204 *Licet quidem.*

LIcet quidem interficere eum, qui virum aliquem honoratum conuitiis, ac maledictis afficit, nec potest aliter cogi, vt taceat: nam talis est honoris iniusor modò contumeliæ sint atroces. Quia ratio naturalis dictat, licitam esse eam defensionē, quæ necessaria sit ad contumeliā depellēdā: alioqui daretur licēria improbāti, optimos viros cōtumeliis diuexādi: quæ quidē multo quàm damna rei temporariæ sunt acerbiora, & magis animum affligunt. Sic Baldel. *Theol. Mor. l.3.d.24.n.14.* Ioan. de Escob. *p.1. de purita. & nebil. proban. q.1. glos.4. n.14.* Nauarra de

de restit. l. 2. c. 3. 376. Henric. Strouers Dorf *de iust. & iure ad* 2. 2. D. Tho. *q. 64. a. 7. concl. 5.*

205 *Minimè licet.* Minimè hoc licet. Quià verbales iniuriæ verbis repelli possunt, quæ est legitima vindicta. Tùm quia sic assolent repelli etiam apud viros honoratos: nam si factis repellerentur iam fieret in defensione excessus, cum aliter & possint, & soleant repelli. Ità meus doctissimus Magister, & propinquus P. Petr. Hurtado de Mendoza 2. 2. *d.* 170. *sect.* 15. §. 123. Binsfeldius *de iniur. & damno dato, c.* 1. *q.* 9. *concl.* 4. Molfes. *sum. to.* 1. *tr.* 11. *c.* 19. *n.* 74. Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 12. *n.* 78. Filliuc. *to.* 2. *tr.* 29. *n.* 49. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 12. Azor. *to.* 3. *l.* 2. *c.* 1. *q.* 17. & alij.

206 *Hoc probabilius iudico.* Secundam sententiam probabiliorem esse iudicarim. Quare si inuasor solummodo verbis cõtumeliosis lædat: v. gr. dicens: *Mentiris.* non licet eum occidere, nec vulnerare. Nam licet verbum illud sit fere vbique contumeliosum valdè, huiusmodi contumelia aliter repelli potest, & assolet.

CAPVT VII.

Circa Restitutionem ex homicidio, aut mutilatione.

PROBL. XLVIII.

Qui inuasorem occidit, excedens iustæ tutelæ moderamen, tenetur, & non tenetur ad restitutionem integram.

207 *Tenetur integra damna compensare.* Si vi inuaditur ab altero sinè prouocatione, & si iustam moderationem excedat, illum occidendo, tenetur integrè damna compensare. Quia qui ità occidit alterum iniuria afficit, & est totius damni causa. Sic ex Nauarra Manuel. *sum. to.* 1. *c.* 122. *n.* 1. Vasq. *opusc. de restit. c.* 2. §. 3. *dub.* 4. Becan. 2. 2. *q.* 9. *de restit. concl.* 2. Nauarra *de restit. l.* 4. *c.* 1. *n.* 92. Sanch. *to.* 1. *Consil. l.* 1. *c.* 4. *dub.* 9. *n.* 3. Turrian. 2. 2. *d.* 28. *dub.* 4. Faustus *de restit. d.* 2. *q.* 10. *n.* 4.

208 *Non tenetur integre restituere damna.* Non tenetur ad integram restitutionem, seu compensationem damni, sed solummodo pro excessus ratione. Quia qui alterum ininstè aggreditur, & aperta vi, vel ex insidiis occidit, maiorem infert iniuriam, quam qui aggressus, & rei indignitate commotus, aggressorem interimit: ergo ad maiorem tenetur restitutionem: ergo si ille integrè, hic nõ tenetur integrè compensare. Ità Angel. *v. Restitutio* 1. §. *Homicidia.* Strouers. Dorf. *de inst. & iure ad* 2. 2. D. Tho. *q.* 68. *d. vni. memb.* 2. *concl.* 5. Sylui. 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *quæsito* 3. Cœlestin. *in compend. Theolog. mor. tr.* 10. *c.* 3. *n.* 3. Comitol. *respons. l.* 4. *q.* 11. *n.* 6. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 44.

209 *Hanc præfero sententiam, quam amplius confirmo.* Hanc sententiam præferendam iudico. Vndè si quis quantumcumque ininstè inuasus occidendo, vel percutiendo moderamen inculpatæ ex cedat tutelæ, ad restitutionem integram non tenetur, sed pro excessus ratione. Nam si per leuem inadvertentiam, vel aliam venialem culpam excessit defensionis modum: (quod præsumendum erit, quando non ex voluntate occidit, sed animo se defendendi, vel sua præsertim in defensione vitæ, cuius amittendæ timor strenuum quemque assolet perturbare) tunc leuis quoque restitutio iniungenda erit culpæ proportionata, v. gr. vt preces, ac sacrificia aliqua pro occiso faciat offerri. At si maior interueniat excessus, maior erit exhibenda restitutio, iuxtà prudentis arbitrium: vt si forte per culpam mortalem crassæ inadvertentiæ quis hominem occidisset, non seruato moderamine, maior quidem, non tamen integra restitutio gerenda erit; non tamen integra: ac si prudens, & sciens occideret. Ratio est, quia ea restitutio non debetur nisi ex culpa iniustæ acceptionis: quanrò ergò fuerit minor culpa tãto minor debet esse restitutio: quæ quidem si per crassam inadvertentiam eueniat, duplo minor fortè esse debebit, quàm si dedita opera contigisset. Lege Rebellum *de oblig. iust. p.* 2. *l.* 3. *q.* 12. *numero septimo.*

PROBL. XLIX.

Si quis suarum rerum quas posset postmodum iudicialiter recuperare, inuasorem occidat, tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

210 *Tenetur quidem.* Tenetur profectò. Quia cum re vera non sit amittenda res, quæ iudicialiter potest recuperari, iniustè ille inuasorem occideret. Sic Bartol. *ad l. Furem, ff. de sicariis.* Sylvest. *v. excommunicatio 6. notab.* 4. *casu* 9. Comitol. *l.* 4. *respons. q.* 10. *num. decimo septimo.* Homobon. *de casib. reseru. p.* 2. *c.* 3. Nauarra *de restit. l.* 2. *c.* 3. *n.* 41.

211 *Non tenetur.* Non tenetur ad restitutionem, etiamsi res possit iudicialiter recuperari. Quia aggressus tũc vtitur iure suo, aggressorem occidendo in iustam rerum suarum defensionem. Ità Caiet. 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 11. *n.* 71. Rebel. *p.* 2. *l.* 3. *q.* 12. *n.* 10. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 45.

212 *Vtr distinctione.* Ego quidem ex duabus sententiis expositis probabiliorem secundam esse existimo. Quia sic occidens aggressorem, non delinquit contra iustitiam, ac proindè ad restitutionem non tenetur. Inuasor namque in nullum ius iustitiæ habet, vt domino inuito, res suas accipiat: sed iniustè eas inuadit; Ergò iustè defendere eas quisque potest, etiam cum ipsius inuasoris detrimento. Attamen valde inclinor in Soti sententiam *l.* 5. *de iust. q.* 1. *a.* 8. asserentis illicitũ esse cõtrà charitatem raptorẽ occidere, cũ facilis erit per Iudicem illius rei recuperatio. Nã charitas iubet leue damnum pati pro euitando maiori, aut saltem maximo proximi: sed leue damnũ est, breui tẽpore te tuis rebus carere: maximũ verò dãnũ vitæ orbitas. Ergo ex charitate teneris breui spatio tuis rebus carere, vt euitare maximum proximi damnum valeat. Illicitũ etiam erit contrà iustitiã; quia nemini ex officio licet inferre grauissimum damnũ proximo pro leui suo euitando: alioquin pro teruntio liceret raptorem occidere. Attamen cum difficillima speraretur collatorũ rerum recuperatio per Iudicẽ, tunc si aliter quam occidendo non posset quis sua defendere, licebit occidere furem. Mecum Malder. 2. 2. *tr.* 3. *c.* 1. *dub.* 13. & Fernandez *in Theolog. mor. p.* 1. *c.* 14. §. 1. *num.* 13.

PROBL. L.

Adulter occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum inuasorem, tenetur, & non tenetur aliquid restituere.

213 *Tenetur planè.* TEnetur planè. Quia licet adulter non peccauerit delicto homicidij, cum tamen causam efficacem per iniuriam dederit aggressori ex qua subsecutum fuit occisionis damnum, tenetur illud compensare : non quatenus ex homicidio, sed quatenus ex iniusta prouocatione fuit profectum. Sic Rebel. *de oblig. iust. part. 1. lib. 3. quæst. 12. num. 6.*

214 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia adulter ius sese defendendi habuit, & occisus maritus non habuit ius illum priuata authoritate interimendi, nec inuadendi. Ità Lessi. *l. 2. cap. 9. dub. 2. num. 37.* Diana. *part. 5. tract. 4. resol. 47.*

215 *Præfero secundam sententiam sed vnam & alteram in concordiam adduco.* Lessij mei sententia mihi magis arridet. Nam huiusmodi occisio non est culpabilis in defensione, vt suppono, nec est culpabilis in causa ; adulterium enim est causa remota, & occasio dumtaxat: nec est via ad mariti occisionem, sed potius ad interemptionem adulteri; nam rarius mors mariti ex adulterio sequitur, quam mors adulteri; vt Megalius *p. 2. l. 3. c. 1. q. 1. n. 10.* aptè argumentatur. Crediderim tamen adhuc mihi probabilius vtramque sententiam sic debere ad cõcordiam adduci. Adulter, qui priuata authoritate à marito inuaditur, debet prius alias vias damni vitandi quærere: v. gr. fugiendo, vel precando veniam, vel offerendo satisfactionẽ: quæ si omittat, tenetur ad restitutionẽ etiam fortè tanquam homicidam; quia hoc in casu latam culpam perpetrat, & iustæ defensionis modum excedit, maximè cum ipse tam grauem causam inuasionis dederit. At si his frustrà tentatis, adhuc maritus persistat, & priuata instet authoritate : potest adulter inuasus moderatè sese defendẽdo, illũ occidere, nec tenebitur ad restitutionem, quia vsus fuit iure suo, & iniustè fuit à marito inuasus; vnde eiusmodi occisio tanquam per accidens se habebit, ac mediante alterius malitia prouenies occasione operis iniurioſi.

PROBL. LI.

Si quis laicus alteri dedit vehementem occasionem, ab eoque inuaditur : si potens fugere inuasorem occidit : tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

216 *Tenetur planè.* TEnetur ad restitutionem, si potens fugere, id non gerat, sed inuasorem occidat, etiam si nobilitate præfulgeat. Quia præbuit per magnam iniuriam aggressionis occasionem, nempè per contumelias. Sic Rebel. *par. 1. l. 3. q. 12. num. 6.*

217 *Non tenetur.* Non tenetur ad restitutionem, licet fugere possit, & id non faciat, sed debita moderatione se, vel sua defendens inuasorem occidat. Quia non peccauit contra iustitiam, sed contra charitatem : non enim ex iustitia tenebatur fugere, vel à via declinare. Profecto nemo ex malitia sua qua vult alterum inuadere, ius in illum acquirit, quo illum obliget ad fugam ; ita vt nisi fugiat, vel se interimi patiatur, ipsum iniuria afficere censeatur ; sed solum tenetur ex charitate aufugere, dum sine honoris dispendio potest. Ita Lessi. *libr. 2. cap. 9. dub. 21. numer. 136.* Molina *de iust. tom. 4. tract. 5. d. 8* Becan. *1. 2. quæst. 62. quæst. 9. concl. 3.*

His adhæreo Doctoribus. Nam licet inuasus ve hementem dedisset inuadenti per contumelias occasionem : tamen in aggressione iniustitiam committit inuasor : & licet inuasus peccauerit in occasione, quam aggressori præstitit : nihilominus postmodum iustè sese ab illo defendit: Ergo si eum interimat cum iniuria non afficit, ac proinde non peccat contrà iustitiam, ideoque ad nullam tenetur restitutionem : sed illud homicidium se habet tanquam per accidens, ac mediante alterius malitia prouenies illatæ iniuriæ occasione. 218 *His adhæreo Doctoribus.*

PROBL. LII.

Religiosus, vel Clericus nolens aufugere dum potest, inuasorem si occidat : tenetur, & non tenetur restitutionem facere.

COntra iustitiã peccat, & ad restitutionem tenetur. Quia in Religiosis, aut Clericis locum non habet honoris defensio : nam cum humilitatem, modestiam, ac mansuetudinem profiteantur : nullum eis dedecus accrescit ex contumeliis, aut ex fuga, sed potius gloria: nec parui habentur, sed magni potius æstimantur; quod quidem in viro nobili sæculari non accidit. Sic Nauarra *de resti. lib. 2. cap. 3. nu. 389.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 220. num. 12.* 219 *Ad restitutionem tenetur.*

Non tenetur ad restitutionem. Quia peccat contra charitatem, non contrà iustitiam: maximè si vita, vel fortunæ inuadũtur; non enim ex iustitia tenetur fugere, & hæc bona tàlia sunt, vt possit eorum defensioni operam dare. Idem dicendum si graues ictus baculi, vel pugni inferendi essent: quia vt hos auertat, se potest tueri. Ita Iul. Clarus *de homic. num. 32.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 136.* Tanner. *tom. 3. d. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 78.* Hurtad. de Mendoza *2. 2. d. sect. 16. §. 135.* Becan. *2. 2. quæst. 9. concl. 3.* docens in nostro casu Ecclesiasticum lege iustitiæ non magis teneri, quam sæcularis quisque. 220 *Non tenetur.*

Non dubito, quin Clerici ac Religiosi, dum inuaduntur, fugere debeant, si possint : quia eis fuga dedecus non parit. At dum fugam omittunt, & coguntur in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ inuasorem occidere: delinquunt quidem contrà charitatem, sed non contrà iustitiã contra quam non delinquerent, si laici essent, ex fugæ omissione: vndenam ergò eo quod Ecclesiastici sint oritur, peccatum illud contrà iustitiam esse: Itaque ad restitutionem nõ tenẽtur, dum minimè contrà iustitiam, sed solummodo contra charitatem facilem fuamg omiserint, aggressoremque de modo iustulerint. 221 *Eiusdem fere mentis.*

PROBL.

PROBL. LIII.

Si prouocatus quis ad duellum, illud acceptat, & prouocantem interimat; tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

222 *Acceptans duellum, tenetur ad restitutionem.* ACceptans duellum, vt suum mundanum tueatur honorem, & prouocantem occidens, tenetur restituere. Quia qui in duello decertat, illicitæ rei dat operam, cum duellum sit prohibitum: Ergò si ex duello læsio, vel mors sequitur, qui lædit, tenetur quascúmque resarcire iacturas: danti enim operam rei illicitæ, quæ prohibita est ex præcepto iustitiæ, imputantur omnia, quæ sequuntur etiam præter intentionem incommoda. Sic Peregrin. *tract. de duel. quæst. 39. num. 4.* Molina *tom. 4. de iust. tractat. 3. d. 82. num. 2.* Megalius *part. 2. lib. 3. c. 1. qu. 1. num. 13.* Turrian. *2. 2. tom. 2. d. 28. dub. 4. numero 12.* Bonauent. Colonnens. *tract. de duel. cap. 12.*

223 *Non tenetur.* Acceptans duellum, & occidens prouocantem, ad restitutionem non tenetur. Quia prouocans alterum, eum ad sui occisionem inuitauit, si fortè sibi superior esset: scienti verò, ac volenti non præstatur iniuria. Ità Rebel. *de iust. part. 1. lib. 3. qu. 12. num. 8. & 9.* Villalob. *sum. tom. 2. tract. 11. diffic. 24. num. 1.* Salon. *2. 2. qu. 62. artic. 2. controuers. 11.* Tanner. *tom. 3. d. 4. qu. 5. 6. dub. 4. num. 101.* Sanch. *Consil. tom. 1. lib. 1. cap. 4. dub. 10.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 133.* Filliuc. *tract. 32 num. 212.* Azor. *part. 3. lib. 5. cap. 5. qu. 7.* Becan. *de iust. & iure, qu. 9. cap. 1.* Layman. *lib. 3. sect. 3. tractat. 3. capite 6. numero 5.* Cælestin. *in compend. Theolog. Moral. tract. 10. cap. 3. num. 3. & alij.*

224 *Mea sententia.* Mea sententia est, si quem ad duellum prouocasti, & sic prouocatum occidisti, obligatum te esse ad restitutionem. Quia ille inuoluntarius ad duellum descendisse censetur, nè apud moniales vilis haberetur. Si verò prouocantem interimas, vel percutias, quamvis leuiter delinquas, ad restitutionem non obligari. Quia prouocans te ad sui occisionem inuitauit. Quod si ambo æquè vos ad duellum prouocastis, neuter alteri ad restitutionem tenebitur. Quia pactum implicitum tunc intercedit, vt nihil occisor indè debeat occiso.

PROBL. LIV.

Si absque Domini culpa mancipium, aut animal aliquem occidat, aut vulneret: Dominus in conscientia tenetur, & non tenetur ad aliquam restitutionem.

225 *In conscientia tenetur.* TEnetur quidem. Quia mancipium, aut animal nocent, dominus videtur nocuisse, ad quem spectat subditos continere. Sic docti Iurisperiti id probantes ex *l. si seruus, ff. de noxialibus actionib. & ex cap. si culpa, de iniuriis, & damno dato.*

226 *Non tenetur in conscientia.* Minimè tenetur in foro conscientiæ. Quia actio, quæ caret culpa, obnoxia non est restitutionis obligationi. Ità Nauarra *de restit. libr. 2. cap. 1. num. 38* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 17. num. 119.* Malder. *2. 2. tract. 3. cap. 2. dub. 5.* Diana *p. 5. tr. 4. resol. 51.*

227 *Hoc mihi certum.* In foro conscientiæ haud teneri, certum est mihi credenti leges illas antè Iudicis sententiam non obligare; quia videntur ad forum externum solummodò pertinere. Neque aliter vsu receptas esse video. Quod autem de mancipio asseritur, à fortiori procedit in animalibus, quæ si aliquod damnum gesserint absque domini culpa, non tenetur dominus ad damni restitutionem nisi post Iudicis sententiam: tunc autem tenebitur; quia forum externum de culpa non iudicat domini, sed solùm ponderat effectum. Vndè Malderus ibi, annotat, dominum posse abscondere seruum, aut animal, nè antè sententiam capiatur.

PROBL. LV.

Homicida, vel mutilator tenetur, & non tenetur integrum lucrum cessans restituere.

228 *Tenetur quidem.* HOmicida vel mutilator tenetur ad impensas vulneris vel morbi, & ad omnia damna ex nece secuta, & ad lucrum cessans. Sed ambigitur, an restituere integrum lucrum cessans teneatur? Ità planè. Quia integri illius cessantis lucri causa fuit. Sic Gloss. *ad cap. 1. de iniur. verb. Operas.* Abbas *ibi, num. 5.* Gloss. *ad l. Ex hac, ff. si quadrup. paup.* Grassi. *decis. libr. 5. cap. 66. num. 2.* Gomez *libr. 3. variar. cap. 6. nu. 9.* Ioan. Maior. *in 4. dist. 15. qu. 9. dub. vlt.* Nauar. *sum. cap. 15. num. 26.*

229 *Non tenetur.* Non tenetur integrum lucrum cessans restituere. Quia lucrum in spe, quod multis modis impediri potest, non valet tantùm quantum lucrum in re. Ità D. Thom. *2. 2. qu. 62. artic. 2. ad 1.* Mercado *de contract. libr. 6. cap. 6.* Sotus *de iust. libr. 4. qu. 6. artic. 3. ad 3.* Ledesma *2. part. 4. qu. 18. artic. 1. dub. 2.* Diana *part. 5. tractat. 4. resolut. 53.*

230 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Vndè in hoc lucro cessante taxando attendendas esse crediderim circumstantias personæ, loci, temporis, &c. Si occisus erat iuuenis, & bonæ valetudinis: si erat dexter artifex, & maximè labori incumbens. Hanc verò æstimationem agendam esse reor iuxta iuris ciuilis dispositionem, quæ habetur, *in l. Computationi. ff. ad l. Falcidi.* Vt si quis sit annorum triginta, vel infrà, hic putetur adhuc triginta: si annum trigesimum quintum expleuerit, putetur alios viginti quinque annos aquaturus: si sit quadragenarius, adhuc victurus viginti: si quinquagenarius, adhuc decem annis superstes futurus reputetur. Quandò autem læsus viuus remanet cum membri alicuius præcipui, brachij scilicèt, abscissione, vel perpetua debilitate haud est huiusmodi computatio annorum facienda; sed ei oportet solui annuatim dum vixerit, certa summa pro illo lucro, quod habiturus erat. Verùm quia valdè difficile est circumstantiarum ratione exhiberi cuilibet ex damnificatis, quod ei ex iustitia debetur: sanum erit consilium, vti compositione cum iis, quibus erit facienda restitutio, qui mutuò sibi debent remittere, si quid plus mi-

núsve ex iniuria illata, & ex satisfactione debeatur.

PROBL. LVI.

Ir lucri cessantis ob necem, aut mutilationem computatione deducenda est, & non est æstimatio molestiæ, & laboris quem occisus aut mutilatus in præstando officio, vel opificio fuisset subiturus.

231 *Non est deducenda.* NOn est deducenda. Quia si æstimatio laboris detrahatur vix aliquid supererit, quod æstimari possit: nam sæpè lucrum non est maius, quam æstimatio laboris; vt patet in iis artificiis, in quibus parum ingeniosæ industriæ reperitur. Et quia qui alium impedit à labore diurno, tenetur integrè, lucrum illius diei resarcire, nulla parte detracta ratione laboris non impensi, alius enim laborem illum subire cupiebat. Ergò deducenda non est, laboris ac molestiæ, quam subiturus erat ille in officio, aut opificio æstimatio. Sic Lessi. *libr.2. cap.9. dub.19.num.125.* Sotus *de iust. libr.4.qu.6.art.3.* Nauarra *de restit. libr.4.cap 1.num.68.* Villalob. *tom.2.sum.tract.11.diffic.27.num.4.* Couar. *lib.2. variar.cap.10.num.7.*

232 *Deducenda est.* Deducenda est, & moderanda restitutio propter æstimationem laboris, quem in lucrando occisus, aut mutilatus subiturus erat: (nisi fortè eius esset ingenij vt non minus molestè ferret otium, quam laborem.) Quia molestia, & labor ille est pretio æstimabilis: Ergò ex lucro cessante deducendus: ac detrahendus est valor, qui eiusmodi molestiæ, ac labori respondet. Ità Ioan. Maior. *in 4.dist.15.qu.19.* Rebel. *de iustit. part.1.libr.3.qu.13.num.2.* Diana *part.5.tract.4. resol.53.* & docti Recentiores.

233 *Hoc mihi verius.* Ego existimo, paucos esse inueniendos illiusmodi ingenij artifices, qui sine labore ac molestia necessaria ad victum acquirerent, maximè si de labore per totam vitam ageretur. Vndè in praxi existimo posse ad arbitrium prudentis aliquid detrahi à lucri cessantis restitutione, ratione leuaminis à labore. Scio, communiorem primam sententiam esse, sed secundam existimo validiori fundamento niti, & à doctis Modernis defendi.

PROBL. LVII.

Pro ipsius vita, aut membri priuatione, deformitate, cicatrice hominis liberi, facienda est, & non est aliqua restitutio.

234 *Facienda est.* FAciendam quidem est. Quia quandocúmque non potest reddi æquiualens, reddi debet possibile: impossibilitas enim excusat à tanto, non autem à toto. Et quia absurdum videtur seruum, aut equum alterius occidentem teneri de damno vitæ, occidentem verò dominum serui, aut æqui non teneri. Et quia in lege Mosis simile damnum erat compensandum *Exo.* 23. vbi pro anima, seu vita iubetur dari pretium, pro oculo, aut dente seruo libertas. Sic D. Thom. 2.2. *qu.62. artic.* 2. *ad* 1. Aragon. *ibi*, Salon. Sylui. Valent. Scot. Richard. Gabri. Maior *in 4.dist.15.* Adrian. *in 4. de restit. quæst. vlt.* Azor. *to.3. lib.3. cap.3. quæst.4.* Molina *de iustit. to.4.tr.5.d.88.* Rebel. *p.1.l.3.q.13.n.1.* Fernand. *Exam. p.1.c.14.§.1.num.17.* & alij. Discrepant vero citati Doctores circa restitutionis modum. Adrianus asserit reum, si in iudicio non puniatur, debere pro Republica aliquo in bello vitam exponere: quod tamen ab aliis merito reiicitur; quia hæc restitutio per se læso nihil prodest. Sotus docet satisfaciendum esse petendo veniam vel à læso, vel ab hæredibus, vel alia arbitraria satisfactione vtendo: determinatè autem ad suffragia spiritualia pro occiso offerenda non putat ex iustitia ledentem teneri, licet hæc commoda satisfactio esse queat. Salon. totum hoc prudentis Confessarij arbitrio relinquit, vt reus satisfaciat aut per suffragia, & spiritualia officia ipsi defuncto, aut per veniæ petitionem aut aliquam compensationem pecuniariam ipsis hæredibus. Conueniunt demùm ferè omnes ad nihil aliud reum teneri, si in iudicio iusta pœna talionis afficiatur.

Non est facienda necessariò restitutio pro vita, membro, cicatrice hominis liberi. Quia in *l.fin.ff.de his, qui effuderint*, & in *l. Ex hac lege ff.si quadrup. paup.* dicitur, liberum corpus nullam recipere æstimationem: ac proinde damna corporis liberi non posse pretio compensari, nam sunt suprà pretium. Et quia restitutio, quæ debetur ex iustitia re parat damnum illatum præcisè ad æqualitatem: Ergo vbi damnum natura sua est irreparabile, non debetur lege iustitiæ restituitio. Vndè è contrario dicendum, pro vita mancipij, vel animalis debere fieri restitutionem pecuniariam, quia illorum vita æstimatur pretio & quoad æqualitatem potest rependi: Ergo pro illa tantum soluendum est, quantum valet. Ità Vasq. *opusc. de restit. c.2.§.3. dub.6.* Becan. *2.2.q.11. concl.1.* Laym. *lib.3.sect.5.tr.3.p.3.c.6.num.1.* Lessi. *lib.2.cap.9. dub.23.num.141.* Gordon. *tom.1. Theol. Mor. l.5. quæst.4.c.4.num.16.* Sanch. *consil. to.1.lib.4.cap.4. dub.1.num.7.* Filliuc. *tr.32.num.200.* Couar. *l.2. variar.cap.10.* Nauar. *sum.cap.15.n.22.* & alij. 235 *Non est facienda.*

Hanc sententiam probabiliorem esse iudico, vndè cum Tannero *to.3.d.4.q.6.dub.4.num.113.* asseruerim pœnitentem non debere à Confessario ad restitutionem vllam hoc in casu compelli. Ex his infero, si vir nobilis, aut alius, qui nihil lucri faciebat, sit occisus, nihil pro eius vita aut opere esse restituendum. Nec homini libero pro deformitate resultante ex vulnere aliquam esse gerendam satisfactionem, nisi indè damnum temporale resultet; tunc enim si non ratione fœditatis, ratione damni compensatio debetur: verbi gratiâ, si deformitatem agat in fœmina nubili, quæ ob eam matrimonio colligari nequit, vèl ampliori indiget dote. Aut si deformitas facta esset in seruo, ob quam minus valeret. 236 *Probabilius hoc iudico.*

* *
*

PROBL.

PROBL. LVIII.

Homicida tenetur, & non tenetur ex iustitia, pro anima à se occisi Missas, & orationes offerre.

237 *Tenetur planè.* TEnetur planè. Quià satisfactio personalis iniuriæ fieri potest per suffragia oblata pro occiso. Vnde ad hoc homicida non solùm ex charitate, sed ex iustitia tenetur. Sic Rebel. *p.* 1. *l.* 3. *q.* 14. *n.* 6. Molina *to.* 4. *de iust. tr.* 3. *d.* 84. *n.* 11. Adrian. *in* 4. *q. vlt.* Aragon 2. 2. *q.* 62. *a.* 1. Scotus *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 1. Gabri. *ibi q.* 15. *art.* 2. Iul. Clar. *in pract. crimin. lib.* 5. §. *Homicidium.* Roland. à Valle *lib.* 2. *cons.* 19.

238 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia nemo tenetur damnum resarcire ex bonis diuersi generis, ac ordinis, si in eodem iniuriæ agnato non possit: solùm enim bona eiusdem generis, ac ordinis inter se commensurari possunt secundum dati, & accepti proportionem, sermo enim est de restitutione, siue compensatione damni per iustitiam commutatiuam. Ità Laym. *l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 2. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *c.* 3. *q.* 12. Filliuc. *tr.* 32. *numer.* 205. Becan. 2. 2. *q.* 13. *concl.* 2. & alij.

239 *Hanc partem præfero.* Hanc præfero sententiam, adiiciens, in foro interno Confessarium decere, pro satisfactione sacramentali homicidæ sacrificia, ac preces pro defuncti anima applicandas imponere.

PROBL. LIX.

Homicida tenetur, & non tenetur restituere damnum, quod per accidens familiaribus, & amicis occisi ex eius morte fuerit secutum.

240 *Tenetur quidem.* NOn tantum parentibus, filiis, vxori occisi est restitutio damnorum gerenda; sed etiam amicis, & aliis familiaribus ac propinquis, quibus aliàs defunctus ex iustitia non tenebatur: tamen probabile erat, eum, si vixisset, alimenta daturum, vel alia pia præstiturum, ægra: quandò, inquam, huius magna erat probabilitas, nempè quia defunctus iàm firmiter decreuerat consanguineum, vel amicum domi alere: tunc enim hisce restituendum tantũ, quanti spes illa probabilis æstimaretur. Quià sicut ille, qui per vim, vel fraudem aliquam impedit à legati alicuius consecutione (v. gr.) quod probabiliter consequeretur, anocans animum illius, qui præstare decreuerat: tenetur ad illius restitutionem, quo spes illa æstimaretur prudentis arbitrio, quamuis ad illud legatum non haberet ius ille, qui id sperabat, solum quòd vi, aut fraude fuit impeditus: Ità ille qui occidit alium, qui amico, aut propinquo decreuerat aliquid conferre, vi impedit illud commodum, quod illi ex defuncto, si viueret, consequerentur: Ergò ad illius restitutionem tenetur. Sic Vasq. *opusc. de restit. c.* 1. §. 3. *dub.* 7. *nu.* 24. rationem præfatam vocitans euidentem. Nauarra *de restit. l.* 4. *c.* 1. *n.* 76. Faber *de restit. in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *d.* 52. *c.* 2. *n.* 77. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *c.* 3. *q.* 11. Adrian. Scot. & alij à Molina citati, vbi infrà.

241 *Non tenetur.* Non tenetur homicida aliquid restituere amicis propinquis, seu familiaribus, quos defunctus ex sua liberalitate sustẽtabat, queisque alia esset viuens beneficia collaturus. Quià id illis non erat debitum, quasi ius ad illud haberent: neque nex interfecto illata fuit animo priuandi huiusmodi homines emolumento, quod ex occiso sperabant, verisimiliterque in futurum percepissent: sed accidit id sequi incommodum præter interfectoris intentionem. Ità Molina *de iust. to.* 4. *tr.* 3. *d.* 8. *n.* 6. Sotus *de iust. l.* 4. *q.* 6. *a.* 3. Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 26. *numer.* 154. Salon 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *contr.* 7. Becan. 2. 2. *q.* 4. *concl.* 2. Cælestin. *in compend. Theol. Moral. tr.* 10. *c.* 3. *num.* 2.

242 *His subscribo Doctoribus.* His subscribo Doctoribus: Nam quæ propinqui, familiares, seu amici ab interfecto percepturi erant, connexionem non habent cum vita illius in ratione debiti, nec aduenit nex ex intentione contraueniendi iuri, quod illi haberent ad accipiendum, quod sibi defunctus ex liberalitate conferre voluisset, quasi homicida id impedire intenderit: sed per accidens est secutum: non secus ac si mors alia ex causa eidem euenisset. Vnde homicida restituere non tenetur emolumenta, quæ eo modo morte iniusta per accidens impediuit.

PROBL. LX.

Homicida tenetur, & non tenetur creditoribus occisi restituere damna.

243 *Tenetur sanè.* TEnetur equidem. Quià hoc debitum de iustitia est, & quod anteponendum erat emolumentis, quo priuatur vxor, & filij, cum ad vxorem & ad filios non aliud ex marito & ex patre pertineat, quam quod remanserit, deducto prius toto ære alieno, satisfactisque integrè omnibus interfecti creditoribus. Quarè cum homicida teneatur vxori, ac filiis eius, quem occidit iniustè, emolumenta vera ex ita interfecto, quo ipsos priuauit: arctiori ratione restituere creditoribus damna tenebitur. Sic Molina *de iust. to.* 4. *tr.* 3. *d.* 83. *n.* 8. Laym. *l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 4.

244 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia per accidens damnum creditoribus obuenit: non enim illa occisionis actio ex sua natura, vel vt plurimum est illis damnosa: ergò non est illis iniuria irrogata. Et quia creditor non habet ius in debitorem, nisi quantum extendunt se bona, quæ actu habet, vel quæ verosimiliter erat habiturus: Ergò cum homicida restituit hæredibus, in quos obligatio defuncti transferuntur, ea, quæ ipse putabatur lucraturus: non facit iniuriam creditoribus: possunt enim ab hæredibus solutionem petere. Ità Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 26. *numero centesimo quinquagesimo primo* Cælestin. *comp. Theol. Moral. tr.* 10. *c.* 3. *numero secundo*, Filliuc. *tr.* 32. *numer.* 209. Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 57. Becan. 2. 2. *q.* 62. *q.* 4. *concl.* 1. Salon 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *contra.* 8. Sotus *de iust. l.* 4. *q.* 6. *a.* 3. *ad* 4. & alij.

Idem

245 *Idem affirmo.* Idem affirmo, hanc sententiam probabiliorem esse iudicans. Nam creditor non est ità coniunctus debitori, vt damnum, quod huic fit, debeat censere factum esse creditori; solùm enim per accidens seu ciuili modo ei cohæret, qua ratione innumeri possent cum ipso coniungi. Absurdum autem proculdubio est, omnes eos, qui cum ipso contrahunt, habere ius iustitiæ in ipsius inimicum, nè ipsum interimat. Porro qui cum aliquo contrahunt, debent perpendere, nùm ille habeat sufficientia bona: vel certè curare, vt det sufficientem cautionem; quod si non gesserint, sibi imputent; non enim tenetur inimicus tam procul respicere.

PROBL. LXI.

Hæredes homicidæ excusantur, & non excusantur à restitutione, si ille capite est damnatus.

246 *Non excusantur.* NOn excusantur. Quia pœna infligitur à Iudice homicidæ, non vt damnum parti læsæ compensetur, sed vt iniuria Reipublicæ & legibus illata vindicetur, aliisque terror incutiatur. Sic Sanch. *consil. to. 1. l. 1. c. 4. dub. 2. n. 2.* Gomez *to. 3. c. 3. n. 3.* Nauarra *de restit. l. 4. c. 1. n. 91.* Couar. *l. 2. variar. c. 10. n. 7.* Azor. *to. 3. l. 5. c. 3. q. 6.* Malder. *2. 2. tr. 3. c. 3. dub. 5.* Gordon. *to. 1. l. 5. q. 4. c. 4. n. 17.* Mercado *de contr. l. 6. c. 6.*

247 *Excusantur omninò.* Excusantur omnino. Quia capitis sententia compensat omnem iniuriam, & damnum homicidij. Ità Bannes *2. 2. q. 62. a. 2.* Adrian. *de restit. q. vlt.* Angel. *v. Restitutio 1. §. Homicida.* Rosel. *v. Restitutio 3.* Scotus *in 4. dist. 15. q. 3. a. 2.* Gabriel. *ibi, q. 15. a.* Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 22. n. 139.* & alij ex Modernis.

248 *Auctoris resolutio.* Satis probabilem hanc iudico sententiam, probabiliorem tamen reor esse primam. Quia vxor, filij, seu hæredes nullum temporarium emolumentum sibi comparant ex homicidæ capite damnati supplicio: Ergò aliundè eis debet suppleri. Quod quidem intelligendum est, quando bona damnati ad mortem peruenére ad hæredes non successione hæreditaria, sed libera legatione. Cæterùm sententiam secundam veriorem esse censerem, mihique eligerem, quandò hæres occisi nihil pro damnorum satisfactione exigit; ita enim habet plerumque vsus, vt pœnæ talionis acquiescere censeatur. Doctore Becano *2. 2. q. 10. concl. 1.*

PROBL. LXII.

Homicida compellendus est, & non est restituere, si ob id in graui constituendus sit necessitate.

249 *Compellendus est.* REstituere est compellendus. Quià huiusmodi obligationi subeundæ se præstitit, cum scelus tantum fuit aggressus, & tam graui iniustitiæ dedit operam: Ergò cum graui eius dispendio compellendus est restituere. Sic Martin. de Ledes. *p. 4. q. 18. dub. 2. a. 2.*

250 *Non est compellendus.* Non est compellendus restituere. Quià nullus tenetur cum tanto dispendio restitutionem gerere. Ità Sanch. *Consil. to. 1. l. 1. c. 4. dub. 7. nu. 2.* Corduba *l. 1. q. 31. a. 3.* Sotus *de iust. l. 4. q. 6. a. 3. in solut. ad 3.* Diana *p. 5. tr. 4. resol. 62.*

251 *Hoc verius existimo.* Hoc verius existimo, modo hæredes occisi, graui etiam necessitate non afficiantur: tunc enim homicida teneretur, sibi retento quod extremæ necessitati succurrendæ sufficiens videretur, hæredibus occisi subuenire.

Hæc circa homicidium attigisse sufficiat, si autem quis tractatum de Maledictionibus requirat, quem huic quinto Præcepto agnatum esse reor: sciat me morem gessisse Auctoribus, qui plerumque hanc materiam ad octauum Præceptum pertinere existimant.

LIBER

LIBER XXXIII.

SEXTVM ET NONVM DECALOGI PRÆCEPTVM.

IEBAT Hippocrates lib. de nat. mulier. Oportet autem, eum qui hæc rectè tractare velit, (*hoc est de infirmitatibus fœminarum agere*) primùm ex Diis ordiri. *Difficilis planè tractatio spirituales corruptæ naturæ infirmitates recensere, ità vt nihil ad documentum desideres, & auris piæ puritas non lædatur: vnde à cœlesti Numine profusis precibus opus est ordiamur. Sed Plinianum illud vulgare tibi & mihi sit in solatium.* Aliquando ex stercore gemmas erui, & aurum in luto inueniri. *Habetur hoc præceptum* Exo. 20. Non mœchaberis. *Quo prohibetur, non solum adulterium viri, quod propriè* Mœchia *dicitur, sed etiam fœminæ, & quicumque alius actus illicitus ad rem veneream, ac voluptatem libidinis spectans. Ad id etiam reducitur Nonum Præceptum de non concupiscenda vxore, aut marito alieno. Nam quando obiectum prohibetur, quod de se malum est, consequenter illius interdicitur desiderium. Igitur cum hic vniuersim omnes actus illiciti prohibeantur venerei tanquam ex sua natura mali; consequens est, fornicationem (simplicem etiam) & omnes illius species vetari. Omnia presso quidem stylo, vt materia postulat vna & altera Sectio recenset.*

SECTIO PRIMA.

De Sexto, ac nono Decalogi Præcepto Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De Luxuria in communi.

1 Quid Luxuria.

LVXVRIA est *Vitium oppositum castitati per excessum*, & versatur circa delectabilia secundum tactū in re venerea. *Est* inquam *vitium castitati oppositum*, quia sumo nomen luxuriæ strictè, ac propriè pro excessu in re venerea: non generatim pro quolibet in vsu rerum pertinentium ad corporis cultum excessu; quo pacto Tulli. *l. 1. offic.* dicit, *esse turpe luxuria, diffluere, delicatè, ac molliter viuere.* Quia luxuriosus dicitur quasi *luxatus* & solutus in voluptates: venereæ enim voluptates maxime hominem soluunt; ideò circà venereas voluptates præcipuè Luxuria consideratur. D. Tho. 2. 2. *q.* 153. ex Isidoro, & omnes *ibi.*

2 Est ex suo genere mortale.

Luxuria est ex suo genere mortale. Quia est peruersus excessus circa rem maximè, alioqui necessariam ad bonum commune, si vsurpetur iuxtà rationem, nempe circa generationem humani generis. Etit ergo inordinatio in re graui & ideo graue peccatū. Neq; obstat, quod semen videatur aliquid superfluum alimenti, ac propterea arguatur non esse peccatum illud exerere

exerere sicut alias superfluitates; est enim alimentum, quo virtus generatiua indiget: ideoque debet taliter exeri, qualiter opus est ad finem, ob quem est institutum. Nec est homini concessa potestas suorum membrorum ad libitum, sed secundum præscriptum rationis. D. Tho. 2.2.q.153.a.3.ad 1.& 2. Caiet. ibi. Lessi. l. 4.c.23.dub.5.

3 *Est vnum ex vitiis Capitalibus.*

Est vnum ex vitiis Capitalibus. Quia ex Luxuria tanquam è radice multa alia prodeunt. Siuè quià ex affectu venereæ delectationis homo multa alia perpetrat vitia, siue quia permittit se in alia incidere. Annumerantur autem octo. Cæcitas scilicet mentis, inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, affectus præsentis sæculi, Horror, vel desperatio futuri. D. Tho. 2.2.q.153.a.5.ad 4. Lessi. l.4.c.23.n.42. Quæ quidem ex D. Isidoro quatuor alia externa adiicit, nempe Turpiloquium, Scurrile Ludicrum, & stultiloquium.

4 *Effectus Luxuriæ.*

Luxuriæ quidem exitiales effectus. Hæc enim vitium peruertit omnem hominis prudentiam. Quia actus ad prudentiam pertinentes sunt boni spiritualis consideratio, apta consultatio de mediis, examen, & iudicium de modis ac mediis occurrentibus, & imperium, quo ratio dat operam, vt mandentur executioni. Hi autem actus tolluntur per vitia opposita prouidentiæ ex Luxuria, nempe cæcitate mentis, inconsideratione, præcipitatione, & inconstantia. Peruertit intentionem voluntatis, eam trahendo ad carnis delectationem, ità vt non modò inordinatè amet, verum etiam sensim in iis finem vltimum quodammodo collocet, omnes suas cogitationes eò referendo. Hinc odium Dei sequitur, qui huiusmodi voluptates grauiter punit, amor huius sæculi, vt iis perpetuò inhæreant; & futuri horror, in quo iis priuati grauissimas sunt pœnas subituri. Lessi. l.4.c.23. Filliuc. tr.30.n.30.& 31.

5 *Sex Luxuriæ species.*

Communiter sex species Luxuriæ assignantur, Fornicatio simplex, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Vitium contra naturam. Quibus additur Sacrilegium, & Impudicitia. Ratio numeri variè assignatur, hanc ferè accommodatiorem elegi: Actus præcipuus venereus seminatio est, in eo autem duobus modis contingit inordinatio: vnâ quo ad substantiam quodammodò, vel quia non fit cum persona legitima: vel quia non fit in organo naturali. Altero quoad modum, vel alias circumstantias. Profectò species hæ sumuntur iuxtà primam inordinationem. Nam si inter personas non colligatas coniugio geratur erit *simplex fornicatio*. Si cum persona alteri iuncta, erit *Adulterium*. Si cum persona nimis propinqua, erit *Incestus*. Si cum persona sub patria potestate, erit *stuprum*. Si illa non consentit, erit *Raptus*. Si organum naturale non seruetur, erit *Vitium contra naturam*. Cæterùm iuxta secundam inordinationem sumuntur quædam species accidentales: vt cum inter coniuges debitus modus in congressu non seruatur, aut debita moderatio, de quibus *Volum.* 4. plura expressi. Dixi addi *Sacrilegium*, & *Impudicitiam*. Illud enim referri potest ad adulterium, quia personæ sacræ spirituale cum Deo contrahunt matrimonium. Impudicitia vero refertur ad illam speciem, ad quam disponit ex se: vt si fiat cum vxore alterius ad adulterium: si cum consanguinea, ad incestum &c. Filliuc. *tr.* 30. *à nu.* 32. & omnes communiter.

CAPVT II.

De Fornicatione simplici.

6 *Quid Fornicatio simplex.*

FORNICATIO simplex est *concubitus soluti cum soluta*. Nomine *soluti* intelligo virum, qui nec coniux est, nec consanguineus, nec affinis, nec voto castitatis illigatur: nomine autem *Solutæ* fœminam similiter se habentem intelligo. D. Tho. 2.2.q.154. *a.*1.& omnes.

7 *Accessus fuit Christianæ ad solutam gentilem, vel Iudæam, vel hæreticam, vt fornicatio sim. plex.*

Simplex fornicatio, & pro tali eam sufficit confiteri, si cognoscat Christianus gentilem, vel Iudæam, vel hæreticam, quando hi sint soluti: dummodo absint subuersionis periculum, scandalum infirmorum, & contemptus legis, vel nisi sit casus ab Episcopo reseruatus. Quia talis copula habet solummodo circumstantiam aggrauantem, quæ necessatio aperienda non est. Sylui. 2.2.q.154.a.2 Filliuc. tr.30.n.52.fin. plex etiam est fornicatio soluti cum vidua, serui cum sua domina, aut domini cum ancilla, tutoris cum pupilla, vel curatoris cum minore. Omnes.

8 *Varij casus in quibus mutatur, aut non mutatur fornicationis species.*

Coitus cum cognata spirituali in eo gradu, in quo hæc cognatio matrimonium dirimit, est circumstantia Luxuriæ specie diuersa necessario fatenda: & hæc fornicatio ab aliquibus spiritualis incestus vocitatur. Concubitus cum cognatis legalibus addit malitiam specificam necessario in confessione aperiendam, ad incestumque reducitur. Si quis accessum habeat cum consanguinea in primo gradu sponsæ propriæ de futuro contra publicæ honestatis impedimentum dirimens in eo gradu matrimonium, reductiuè patrat incestum; vnde talis circumstantia debet in confessione manifestari. Qui rem habet cum qua nequit matrimonium contrahere ob consanguinitatis, aut affinitatis impedimentum, incestum committit specie diuersum à simplici fornicatione in confessione explicandum. Coitus cum impedimento impotentiæ, vt est frigidi, vel eunuchi diuersæ speciei continet circumstantiam necessario fatendam. Vnde huiusmodi coitus ad peccatum contra naturam reducitur. Quia ratio prohibitionis matrimonij inter hos nempe impotentia generandi, & frustratio finis, ad quem natura coitum destinauit, militat etiam in illicita copula. Quando inhabilitas ad matrimonium non est inducta ob peculiarem inordinationem in copula, sed ob aliam causam, scilicet, ob crimen, ignorantiam, metum, est simplex fornicatio: v. gr. cum est impedimentum criminis, vel metus, vel erroris personæ, aut conditionis seruilis, vel raptus. Vnde in tali casu non est circumstantia in confessione detegenda. Varietur fornicationis species, si quis post votum simplex, vel solemne castitatis, aut ordinem Sacrum, aut cum sit coniugatus, fornicetur: in tribus enim primis casibus erit sacrilegium, in vltimo autem adulterium. Sanch. *de matr. l.7. d.5.à num.7.*

*n.*7. Lessi. *l.*4. *c.*3. *nu.*45. Diana *p.*6. *tr.*6. *resol.*35. Bassæ. *v. Fornicatio, n.*1.

9 *De fide est, fornicationem esse lethale.*

De Fide tenendũ Fornicationẽ esse mortale. 1. Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neq; idolis seruientes, &c. Regnũ Dei possidebũt* Et qui rectæ rationi repugnat, iurique naturali: estque contra educationem, ac institutionem prolis. Nec obstat, Principes aliquando meretrices in aliquo Ciuitatis loco permittere; nam etiam Deus aliqua mala permittit, vt maiora vitentur. D. Tho. 2. 2. *q.*154. *a.*2. Lessi. *l.*4. *c.*3. *dub.*7. *num.*47. Laym. *l.*3. *sect.*4. *n.*10. Sylui. 2. 2. *q.*154. *a.*2. Graf. *p.*1. *l.*2. *c.*75. *n.*2.

10 *In duobus casibus fornicatio lethale nõ est.*

Duo tamen inuenio casus, in quibus locum habet excusatio à mortali. Prior est, quando deficit rationis vsus, vt in amentibus, & ebriis, nisi tale periculum præuiderint, & sibi ab eo cauere neglexerint, cum potuerint. Alter est, ex parte patientis, cum cogitur quis ad concubitum; nam in tali actu non consentiat voluntate, licet delectationem carnis sentiat à peccato saltem lethali excusatur, quod consensum plenum voluntatis requirit: quo cum fornicari nullo mortis metu est licitum, Tolet. *l.*5. *c.*10. Regin. *l.*22. *n.*20.

11 *Episcopus, vel alius superior, si fornicetur non tenetur in confessione illigari. circũstantiam officij aperire.*

Non tenetur Episcopus, vel quiuis alius superior, si fornicetur Præsulatus circumstantiam in confessione aperire, si occulta fuit fornicatio: satisfaciunt enim dicendo, se voto castitatis illigari. Si tamen excessus ille ab Episcopo, aut Superiori alio commissus ita publicus esset, vt scandalum pareret: tum aduersus specialem officij obligationem delinquerent, qua tenentur subditos non solùm verbo, sed etiam exemplo pascere; vnde circumstantia specialis malitiæ ex statu, seu officio esset necessariò manifestanda. Colligo, fornicationem Episcopi nondum consecrati, sed tantum electi, & confirmati, nec sacro initiati ordine, malitiam fornicationis simplicis non excedere, nec continere circumstantiam necessariò fatendam. Quia nulli obligationi speciali ad castitatem aduersatur. Sanch. *de matr. l.*7. *d.*27. *n.*31. & 33. Filliuc. *tr.*30. *n.*125. Palati. *in* 4. *dist.*16. *d.*3. Diana *p.a. tr.*7. *resol.*6. Villalob. *to.*1 *sum. tr.*9. *dub.*36. *n.*14. Henriq. *l.*5. *c.*5. *n.*5. *lit. G.*

CAPVT III.

De Adulterio.

12 *Quid, & quotuplex Adulterium?*

ADVLTERIVM, est Luxuriæ peccatum, *quo coniugalis fides violatur, & fit ad alienum thorum accessus.* Vnde requiritur, vt vterque, vel alter sit matrimonio colligatus, vt actus luxuriæ dicatur adulterium. Potest triplici modo committi. Primò ex parte viri tantum, vt si coniugatus rem habeat cum soluta. Secundo ex parte fœminæ tantùm. Si primo modo fiat, graue peccatum lethale erit, minus tamen quam si fœmina adulteriũ committat. Quia fœmina vna pluribus viris satisfacere nequit, quin ordinarie impediatur generatio: vel si interdum non impeditur, erit tamen contrà prolis certitudinem, & in eius verget præiudicium, cum sit incertum, cuinam sit assignanda, marito, an adultero. Deinde marito peculiaris irrogatur iniuria, dum ei proles adscribitur aliena. Tertiò, si vterque coniugij vinculo est adstrictus: & tunc grauissimum erit peccatum, cum in illo actu duplex iniuria mortifera inueniatur, scilicet violatio iuris duorum matrimonium. Vndè in confessione explicanda est illa circũstantia, ratione cuius iniuria duplicatur, nec sufficit. se de adulterio in genere accusare. Petr. Ledes. *sum. tr.*27. *c.*2. Azor. *to.*3. *l.*3. *c.*7. Viguer. *instit. c.*7. §. 4. Sanch. *de matr. l.*9. *d.*15. *n.*6. Bonac. *de matr. q.*4. *pun.*15. *n.*3. 4. & 5. Lessi. *l.*4. *c.*3. *dub.*10. Nauar. *sum. c.*16. *numero quinto.* Filliuc. *tr.*30. *c.*4. *q.*2. & 3. Sayr. *in Claui l.*8. *c.*5.

13 *Adulterium est etiam si maritus consentiat.*

Quando maritus in adulterium vxoris consentit, adulterium tamẽ est, non obstante communi axiomate, *scienti, & consentienti nulla fit iniuria, de reg. iur. in* 6. Quia fit contra ius matrimonij, cui non potest alter coniugum efficaciter cedere: non enim competit ipsi in ordine ad priuatum bonum, sed ratione status, qui est communis: vnde quantumuis vir consentiat, semper remanet locus iniuriæ & adulterij. Doctores *citati.*

14 *Adulterij ciuiles pœnæ.*

Pœnæ adulterij hæc sunt: vxor adultera amittit dotem, quæ propter adulterium post Iudicis sententiam marito eam de adulterio accusanti adiudicatur. Amittit arrhas & munera propter nuptias, non autem paraphernalia. *c. Plerumque, de donat. inter vir. & vxo.* Si maritus postea fornicetur, potest vxor agere contra maritum & ad thori coniugalis consortium, & ad dotis restitutionem. Et si vxor adultera suo viro reconcilietur, omnia recuperat. Couar. *p.*2. *c.*7. §. 6. *n.*6. & 9. Vxor adultera non potest accusari ab hæredibus mariti ad dotis amissionẽ, si adulteriũ viuente marito cõmissum, fuit illi notũ secus si ei notum non fuit. Adulter ob adulterium amittit ius petendi debitum coniugale, hoc sensu, quòd ei petenti non tenetur alter coniux reddere. D. Tho. *in* 4. *dist.*15. *q.*vni. *a.*3. D. Bonauent. *ibi. a.*vlt. *q.*3. Adulter per Iudicis sententiã priuari potest cohabitatione cum altero coniuge, quæ pœna Diuortium dicitur. *c. Ex literis, de diuort.* Contra adulteros iure Codicis pœna capitis est præscripta. Postea iure Pandectarum in fœminis pœna mortis fuit in mitiorẽ commutata; nam fœmina adultera verberari præcipitur, & postea in Monasteriũ recludi, *l. Quamuis* 1. *C. ad l. Iuli. de adulter.* Authent. *sed hodie, C. de adult.* Iure autem Canonico communi pro adulterio tam vir, quàm vxor excommunicatur: item hæc in Monasterium detruditur: & si maritus nolit eam retinere, ibi cogitur, toto vitæ tempore pœnitentiam agere *c. Gaudemus, de diuort.* Clericus adulter notorius ab officio deponitur, & in Monasterium toto vitæ tempore detruditur, sitque infamis: imò est irregularis; quia omne crimen depositione dignum quod est notorium, inducit irregularitatem. Dicitur autem adulterium notorium, vel quia adulter in iudicio confessus est illud; vel quia in iudicio de illo est conuictus; vel quia adeò est manifestum, vt nulla queat tergiuersatione celari: puta si adulter habeat fœminam publice in mensa, in lecto, publiceque filios ex ea susceptos nutriat, *c. si quis Clericus, dist.* 81. *c. fin. de tempor. ordinand.* Sylvest. *v. Adulterium, q.*7.

15 *Adulter, & adultera tenentur ad restitutionem si certo credunt prolem non esse mariti.*

Qui prolem ex adulterio genitam credit & indubitanter esse suam, in solidum tenetur cum matre ad restitutionem, ac compensationem damnorum quæ obueniunt marito vel hæredibus legitimis ex sustentatione prolis spuriæ, & hæreditatis partitione. Quia adulter & adultera relinquendo prolem spuriam inter filios legitimos mariti, sunt illi causa damni contrà illius voluntatem: Ergò ad restitutionem tenentur. Lessi. *libr.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. Sylui. 2. 2. *qu. ſt.* 62. *art.* 2. *quæſt.* 7. Azor. *part.* 3. *libr.* 5. *cap.* 6. Filliuc. *tract.* 30. *num.* 222. Salon. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 21. *num.* 2. & 3.

16 *In dubio non tenetur.*

In dubio autem, an sit adulterina proles, non tenetur adulter ad vllam restitutionem, dummodo probabiles dubitandi adsint rationes. Quia possessio stat pro matrimonio, & præsumendum est, prolem susceptam esse ex marito: nemo enim tenetur aliquid soluere, nisi ei constet, se debere. Imo rarò tenetur adulter credere adulteræ, quæ tempore adulterij commissi simul cum marito versabatur; neque enim fœminæ semper constat, an ex hoc, an ex illo conceperit. Bonac. *de matr. quæſ.* 4. *pun.* 15. *num.* 8. & 9. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 21. *num.* 2. & 3. Laym. *lib.* 5. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 14.

17 *Si duo rem habeam cum coniugata absente marito, & illa concipiat, tenetur vterque ad alimenta prolis.*

Cum eandē fœminā duo adulteri cognouêre & cōcepit eo tēpore, quo maritus absens erat, tenetur vterque ad aliméta prolis, & dāna pro sua parte restituere: altero autē nolēte, alter in integrum tenebitur: & idem dixerim, quando duo rem habēure cum soluta, ex qua proles est genita, sed cuiusnam sit dubitatur. Quia sicut in dubio vtrum res sit huius, an alterius, antequam vllus eorum illam possideat, est inter eos æqualiter diuidenda: haud aliter dicendum de debito illo, cum dubium adest, ad quemnam illorum pertineat. Moli. *to.* 4. *de iust. tr.* 3. *d.* 103. Vasq. 1. 2. *d.* 66. *cap.* 8. *nu.* 48. & *de restit. c.* 5. § 1. *dub.* 10. *n.* 23. Rebel. *l.* 3. *q.* 10.

18 *Præcisè ratione adulterij, non tenetur adulter ad vllam restitutionem marito gerendā.*

Non tenetur adulter ad aliquam restitutionem marito adulteræ gerendam præcisè adulterij ratione, si partus non sit sequutus. Quia iniuriæ ab omni damno separatę non debetur ex iustitia nisi satisfactio per signa doloris, seu veniæ petitionem: non verò pecuniaria. Vnde si maritus adulterę satisfactionem pecuniariam exigat, non tenetur adulter eam præstare. Quia hęc conuentio, seu transactio pro adulterij iniuria iure est interdicta, *l. Transigere* 18. *Cod. de trāsactionib.* Moli. *to.* 4. *de iust. tr.* 3. *d.* 100. Sylui. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *qu.* 7. *concl.* 1. Filliuc. *tr.* 33. *n.* 222.

Nisi occultè maritus cum adultero trāsigeret.

Attamen si maritus occultè transigeret cum adultero sine scandalo, nec peccaret, nec ad restitutionem teneretur post commissum tamen adulterium. Quia lex illa magis pertinet ad Iudices, ne concedatur actio nimirum in pœnam ob præsumptionem lenocinij, quam ad mores priuatos. Lessi. *lib.* 2. *c.* 10. *dub.* 5. Malder. 2. 2. *tr.* 3. *c.* 4. *dub.* 8. Azor. *p.* 3. *lib.* 5. *c.* 6. *q.* 9. Bonac. *de matr. q.* 3. *pun.* 15. *n.* 15. & 16.

19 *Si adulter nihil promisit adultera pro turpi actu, nihil tenetur restituere.*

Si adulter nihil adulteræ promisit pro turpi actu, nihil tenetur restituere. Quia vsus corporis secluso contractu, ac promissione, non est pretio æstimabilis. At si adulter aliquid adulteræ impertiſt, tunc ea illud debet marito adiudicare. Quia quæ adultera acquirit, marito acquirit; non enim illa habet sui corporis potestatem, sicut soluta. Id tamen, intelligo, si non adsit periculum, vt ex huiusmodi traditione, eius piaculum detegatur. Caspens. *tra.* 18. *d.* 4. *sect.* 2. *num.* 17.

20 *Adultera infamia non tenetur cum vita, vel fama periculo manifestare, filium esse spurium.*

Adultera, quæ communiter censetur honesta, quādo partus secutus est, non tenetur cum vitæ periculo manifestare, prolem spuriam esse. Quia vita nullo pretio est æstimabilis: Ergo propter rei pecuniarię restitutionē, nō tenetur quis vitam prodigere, aut periculo exponere, etiamsi amplissima ad spurium deuolui deberet hæreditas. Imò nec tenetur cū periculo famæ. Quià hæc superioris est ordinis nunquam pro rebus ordinis inferioris exponēda. Et quia fama apud homines haud solet pecunia æstimari *Prou.* 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.* Sayr. *in Claui, l.* 8. *c.* 3. *n.* 8. & 9. Tolet. *l.* 5. *c.* 11. Diana *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 30. Valen. 1. 2. *d.* 1. *q.* 6. *pun.* 5. Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 6. *q.* 2. & 3. Moli. *tom.* 4. *de iust. tr.* 3. *d.* 102. Sylui. 2. 2. *q.* 62. *a.* 6. *quæſtiunc.* 7. Nauar. *sum cap.* 16. *num.* 44. & alij.

21 *Quid tamen debeat facere is, cui spurij mater.*

Tenetur tamen, quantum fieri potest sine vitæ periculo, vel famæ dispendo procurare, nè legitimi hæredes ratione illegitimæ huiusce prolis aliquid detrimenti capiant. Vnde si habeat paraphernalia, debet ea legitimis in compensationem relinquere: & si quid ex labore, & propria industria lucri capiat. Si his modis non potest satisfacere, tenetur spurium ad in eundam Religionem inducere, si ad eam idoneus videatur. Denique si nullo modo possit mater compensare damnum, non tenetur prodere marito crimen, aut proli: nisi moraliter certa sit damni auertendi: neque in hoc casu cū periculo famæ, teneretur, nisi fortè damna, quę marito proueniunt, vel hæredibus, iudicio prudentis præponderent, vel sint æqualia famæ ipsius adulteræ. Cum periculo autem vitæ nullo in casu tenebitur. Lege Doctores *numer.* 20. citatos.

22 *Quando filius non tenetur, & quando tenetur matri affirmanti, ipsum esse spurium, credere.*

Porro filius minimè tenebitur credere matri asserenti, ipsū esse spurium, quantūvis iuramentum adiiciat, aut id articulo mortis id manifestet, si mater tempore conceptionis cum marito habitabat. Quia alleganti suam turpitudinem cum alterius præiudicio nulla debetur fides. Et quia cum natus & educatus fuerit in domo legitimè coniugatorum, fauor matrimonij præualet, vt ex matrimonio natus iudicetur, si tamen filius omnino conuincatur, vel quia mater testibus fide dignis sufficienter probat, maritum toto conceptionis tempore abfuisse: vel quia eiusmodi conceptus adulterini talia sint argumenta, quæ omnino conuincunt, tenetur filius credere, se illegitimum, & non adire hæreditatem, nisi tempore ad præscriptionem requisito bona fide illam possedisset. Henriq. *lib* 11. *c.* 21. *num.* 2. *lit. K.* Couar. *ad reg. peccatum part.* 1. *nu.* 8. Suar. *de censur. d.* 50. *sect.* 4. Bannes 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 30. Sayr. *de censur. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 37. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 8.

23 *Quonammodo licitum sit prolem spuriam exponere.*

Nullum est peccatum, prolem spuriam exponere, ad adulterium occultandum, quando infamia, & alia mala aliter commodè non possunt impediri: modo debita adhibeatur cautela, nè proles frigore &c. depereat: deberet tamen prius baptizari, nè fortè sine Baptismo moreretur: significandumque scripto cum prole posito, an diluta esset, vel non. Porrò si parentes sint diuites, tenentur hospitali

tali sumptus, quos in ea alenda prole gesserit, restituere. Quia hospitalium bona in vsus sunt inopum: & præsumpta voluntas fundatorum est, vt quando ex aliqua iusta causa bona hospitalis eo modo insumerentur cum filio diuitis, teneatur hic ea in aliorum vsus pauperum cõpensare. Ad hanc autem restitutionem solus pater tenetur, ad quem solum ex iuris dispositione spectat eiusmodi filiis alimenta tribuere, exceptis alimentis lactis, quando mater lactare commodè potest eum filium. In nostro autem casu gerere id non potest sine suo dedecore, & interdum sine aliis etiam incommodis. Quare pater tenetur hæc etiam soluere. Si tamen pater propter paupertatem aut alia de causa id gerere non potest, & mater diues esset: tunc mater teneretur in patris defectum integra hospitali alimenta restituere. Caiet. *v. Adulterium.* Nauar. *sum. c.* 14. *n.* 17. Tolet. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 11. Bonac. *de matr. q.* 4. *pun.* 15. *n.* 11. *&* 12. Lessi. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 69. Moli. *de iust. to.* 2. *tr.* 3. *d.* 103. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *n.* 4. Caspens. *tr.* 8 *d.* 4. *sect.* 2. *n.* 16.

24 *Abusus vxoris extrà vas legitimum adulterium est.*

Abusus vxoris extra vas legitimũ vltra peccatũ contra naturã, est adulteriũ tã ex parte viri, quã ex parte vxoris cõsentiẽtis: vndè vterque tenetur vtrãque circũstãtiã cõfiteri. Quia neuter coniux seruat alteri suũ corpus castè, quod ac bonũ fidei pertinet: non enim est coniux ad illũ actũ, sed ad naturalẽ. & consequenter talis actus perinde est, ac si cũ alieno coniuge gereretur. Imo non satis esset fateri adulteriũ cũ cõiugata in genere; sed explicandũ, cũ propria cõiuge fuisse admissũ. Quia si explicetur cũ cõiuge in genere, manifestatur iniustitia aduersus illius coniugẽ, cũ tamen nulla talis existat. Caiet. 2. 2. *q.* 154. *a.* 1. *ad* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 31. *q. vni. a.* 4. Sanch. *de matr. l.* 9. *d.* 18. Petr. de Ledes. *de matr. q.* 19. *a.* 6. *dub.* 2. *post* 1. *conel.*

25 *Cum de adulterio ad pœnam sanguinis agitur, solus Iudex secularis est competens.*

Quoties de adulterio ad pœnam sanguinis imponendã agitur, solus Iudex sæcularis est cõpetens. Quia Ecclesiastico interdicitur ea pœna punire. *c. sententiam sanguinis.* Quoad alias verò pœnas est mixti fori: vnde datur locus præuentioni. Cũ enim sit quædã Sacramenti iniuria, non minus pertinet ad Ecclesiasticũ Iudicẽ, quam ad sæcularem illam vindicare. Si autem quæstio de alimentis præstandis adulteræ à viro separatæ coram Iudice sæculari moueatur: & vir excipiat de sufficienti causa diuortij, nempè de adulterio: debet sæcularis Iudex lite supersedere, donec Ecclesiasticus diuortij dirimat quæstionem. Barbosa *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 84. Miranda *de ordi. iudic. q.* 2. *art.* 5. Couar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 7. §. 7. *n.* 12. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 53. *q.* 2.

CAPVT IV.

De Incestu.

26 *Quid Incestus? & ad quasnam personas, & gradus extendatur.*

INcestus est *congressus cum consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos*, seu in quibus nõ potes matrimonium celebrari, quales sunt omnes gradus consanguinitatis & affinitatis ex matrimonio contracti vsque ad quartũ gradũ. Vndè si quis rem habeat cũ persona descendẽte ab eodẽ stipite à quo ipse descẽdit vsque ad quartum gradũ, perpetrat incestũ propter consanguinitatem. Si verò congrediatur cum consanguinea vxoris suæ etiam vsque ad quartum gradum, incestum committit propter affinitatem ex matrimonio consummato ortam. At si copulam gerat cum Berta contrahit affinitatem cum consanguineis Bertæ vsque ad primum, & secundum gradum, & patrat incestum. Quia ex copula illicita inducitur affinitas impediens & dirimens matrimonium vsque ad secundum gradum post Tridentinum. Hinc sub nomine incestus continentur coitus fornicarij sequentes: si quis coeat cum matre aliena, & postea cum filia eius: cum duabus sororibus, aut cum duabus consobrinis fœminis. Aut cum auia, & postea cum eius nepte: aut cum amita, & matertera: & postea cum nepte filia ex patre, vel sorore. Item si quis fornicarie coeat cum ea, quam frater suus, aut pater, aut auus, aut consobrinus anteà polluerat per fornicationem. Lessi. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 11. *nn.* 75. Filliuc. *tr.* 30. *c.* 5. *q.* 1. Sylui. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. & ex *c. Non debet, de consang.*

27 *Est lethale admodum peccatum.*

Incestus est graue admodum lethale piaculum. *1. Corinth.* 5. Quia est contra reuerentiam, & honorem debitum in hoc genere actuum consanguinitati, & affinitati. Eo autem est grauius, quo persona, qua cum copula habetur, est magis coniuncta. Vnde grauius est peccatum cæteris paribus incestus cum consanguinea, quam cum affine: & grauius si committitur in primo, quam si secundo perpetretur in gradu. D. Tho. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. & omnes.

Gradus incestus exprimendus est in confessione. Quia licet circumstantia aggrauans non sit necessario explicanda: qualitas tamen personæ cum qua quis rem habuit, non est circumstantia actus seu peccati, sed potius illud obiectum est quid pertinens ad substantiam actus indiuiduo considerati. Sayr. *in Claui, l.* 8. *c.* 4. *numer. tertio.* Manu. *to.* 1. *sum. c.* 208. *num.* 3. Coninch. *de pœnit. d.* 7. *dub.* 3. *n.* 13. & 21. Sylui. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9.

28 *Copula inita cum confessionis filia non est proprie incestus, Est autem si eam quis baptisauerit.*

Copula inita cum confessionis filia non est nisi metaphoricè incestus, nec circumstantia in Confessione explicanda necessariò. Quia incestus committitur inter cognatos, Sacramentum autem confessionis non inducit proprie spiritualem cognationem, cum in nullo iure expressa reperiatur. Tamen si Confessarius Sacramento vtitur tanquam medio ad sollicitandam pœnitentem, eámque solicitauerit, in confessione, vel propè confessionis actum, antè vel post: non committit quidem incestum, sed sacrilegium necessariò in confessione explicandum, ob grauissimam irreuerentiam, quam tanto irrogat Sacramento, crimen equidem ad Sacrum Inquisitionis tribunal pertinens, de quo in tr. de Fide Spe & Charitate latè discutiam. Filliuc. *tract.* 30. *numer.* 105. Sa *verb. Confessio, numer.* 25. Diana *part.* 2. *tr.* 3. *resolut.* 11. Azor. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 9. *quæstion.* 5. & 6. Si autem illam baptisauerit, committit incestum ratione cognationis spiritualis consurgentis ex Baptismi collatione.

29 *Duplicem habet effectum incestus cum consanguinea vxoris in primo, & secundo gradu.*

Incestus cum consanguinea vxoris in primo, & secundo gradu duplicem peculiarem habet effectum. Prior est petitionem debiti impedire. Quia cognoscendo consanguineam vxoris factus est vxoris affinis eo gradu, quo ipsa vxori erat sanguine iuncta. Attamen ignorantia affinitatis excusat ab hac

pœna incestui constituta. Si quis verò rem habuit cum fœmina in tertio, & quarto gradu cũ sua vxore coniuncta, sibique eodẽ gradu affine, nõ impeditur à debiti petitione. Quia nullũ ius Ecclesiasticum statuit, incestum in tali casu à debiti petitione impedire. Porrò ad affinitatem contrahendam, in copula requiritur, vtriusque seminatio. Vndè si quis copulam gereret cum consanguinea, vel affine vxoris, & illa non seminaret, nullum impedimentum contrahitur: ideoque potest vir sine dispensatione debitum ab vxore petere. Alter effectus est, mortua vxore, non posse illam ducere, quã superstite vxore cognouit. Si autẽ eam ducat, non potest debitũ ab ea petere absque dispensatione, quam quidem Episcopus concedere potest. Debet tamen prius peccatum esse consummatum, hoc est, vt seminis emissio intra vas fuerit secuta. Portel. *in addit. ad dub. Regin. v. Ignorantia, n.* 29. Diana, *p.* 3. *tr.* 15. *resol.* 12. Sanch. *de matr. l.* 9. *d.* 32. *n.* 10. Ponti. *de matr. l.* 7. *c.* 33. *n.* 6. Præpos. *p.* 3. *de matr. dub.* 9. *n.* 81. Nauar. *ad c. Transmissæ* 1. & 2.

CAPVT V.

De Stupro.

30 *Quid stuprũ*

STuprum generatim significat omnẽ cõcubitũ legibus vetitũ: strictè verò capitur pro *virginis violatione*. Non datur species stupri sine raptu: vnde violatio virginis spõtè consentientis non differt à simplici fornicatione: nec species stupri adest, nisi quãdo irrogatur iniustitia, eo quod virgo inuita violetur, siuè sit sub cura parẽtũ, siuè non. Quia non reperitur in stupro specialis malitia, nisi adsit specialis iniuria: nulla autẽ specialis injuria adest, quãdo puella cõsentit. Lessi. *l.* 2. *c.* 10. *dub.* 1. Sãch. *de matr. l.* 7. *d.* 14. *n.* 5. Coninch. *d.* 7. 19. Sotus *in* 4. *dist* 18. *q.* 2. *a.* 4. Diana *p.* 2. *tr.* 3. *resol.* 12. sect. 2. sermo recurret.

31 *Tenetur in vxorem ducere eam, quã quis per vim, aut fraudem violauit.*

Qui per vim, aut fraudem, aut metũ, aut mẽdacia copulã à virgine extorsit, etiã absque matrimonij promissione: tenetur illã in vxorem ducere, aut cõmodè dotare, vel curare, vt æquè dignè nubat, ac si virgo esset. Quia contrà iustitiam dãnũ fœminæ intulit. Ergò ex iustitia debet dãnum illatũ reparare. Lessi. *l.* 2. *c.* 10. *dub.* 2. Nauar. *su. c.* 16. *n.* 16. Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 11. *q.* 5. Filliuc. *tr.* 32. *n.* 220. Nauarra *de restit. l.* 2. *c.* 3. *nu.* 434. Sylui. 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *quæsito* 5.

32 *Si liberè virgo consensit ad nullam tenetur quis restitutionem.*

Attamen si puella liberè consensit, stuprator ad nullã tenetur restitutionẽ, modò copulã occultã non manifestauerit, nàm si deuenit iniustè, ad restitutionẽ famæ, & dãnorũ incrementi dotis & cuiusuis alterius dãni tenetur. Similiter ad nullam tenetur restitutionem, quando puella cõdonauit stuprum, aut si obiit antè quã nuberet. Sotus *de iust. l.* 4. *q.* 7. *art.* 2. *ad* 2. Sayr. *in Claui. l.* 11. *c.* 2. Vasq. *de rest. c.* 3. §. 2. *dub.* 1. *nu.* 10.

33 *Nec aliquid tenetur parẽtibus reddere.*

Qui puellã defloratam, consentientẽ, non tenetur, aliquid restituere parẽti, sub cuius est cura. Quia sicut ipsa puella non tenetur ad restitutionẽ gerendã patri, aut fratribus: nec qui eã cõsentientẽ cognouit, tenebitur, qui quidẽ non videtur maiorẽ iniuriã patri intulisse, quã intulerit puella. Sa *v. Restitutio, n.* 4. Vasq. *de rest. c.* 3. §. 2. *nu.* 13. Molina *de iust. to.* 4. *d.* 106. *concl.* 2. Sylui. 2. 2. *q.* 66. *a.* 2. *quæsito* 5. *concl.* 1.

34 *Delectationes morosæ virginis circa virginem nõ habent specialẽ malitiam in confessione aperiendam.*

Delectationes morosæ in puella virgine circa adolescẽtẽ non habent specialẽ malitiã mortalẽ supra alias delectationes ex virginitatis circũstantia: nec delectationes adolescentis circa virginẽ, modo non habeat voluntatẽ inferendi vim virgini. Vndè satisfaciunt si in confessione dicitient, se delectationẽ circà solutã, vel circà solutũ (haud facta de statu virginali mentione) concepisse. Debent proinde Confessarij minimè interrogare de virginitate, nè ex curiositate interrogationes huiusmodi non necessarias oriri ipsis pœnitentibus videantur. Marchant. *in resol. Pastor. circa* 6. *Decal. præc. c.* 6. & alij communiter.

35 *Potest alia inesse specialis malitia in stupro de consensu puellæ commisso.*

Non dubito, in stupro de consensu puellæ commisso aliam posse inesse specialẽ malitiam mortalem, nempè contra proximi charitatem, ac pietatem parentũ. Quia sæpè ex stupro grauissima obueniunt incommoda, vt inimicitiæ, cædes, &c. Et tunc teneretur pœnitens hasce exprimere in confessione circumstantias, si illarum præuidit euentum, cum facinus patrauit. Caramu. *ad Reg. d. Bened. d.* 66. *n.* 1004. Diana *p.* 2. *tr.* 3. *resol.* 12. Lessi. *l.* 2. *c.* 10. *dub.* 1. *n.* 8.

36 *Quonamodo non peccat fœmina à vitio violetur.*

Puella à viro violenter cognita non peccat, si habeat voluntatem minimè consentiendi, & impediat, quantũ in se est, violentum affectum clamore, conatu, &c. At si hæc non sint prosequtura potest virgo, seu fœmina quæuis ad vitandam mortem, infamiam, vel alium grauissimum incommodum, pati externam corruptionem, non tamen, vt dixi, consentiendo, sed mere passiuè se habendo, Diana *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 31. citans Nauar. Rodrig. Sylui. Bonac. Salas, Tanner. & alij apud Santium *in select. d.* 10. *numero* 17.

CAPVT VI.

De Raptu.

37 *Quotuplex raptus.*

RAPTVS est *peccatum Luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad actum turpem cum ea exercendum.* Ex qua definitione primò colligo, raptum esse *peccatum Luxuriæ* specie distinctum ab aliis carnis peccatis. Deinde ex illa particula, *Quo persona aliqua* ostendi, raptum esse, siue sit masculus, siue fœmina, sine nupta, siue innupta. Tertio ex illa *Cum violentia* colligi, non esse raptum, si persona illa sponte discedat parentibus nescientibus cum raptore, seu raptrice, sed voluntariam fugam. At si parentes sint inuiti, ipsiusque vis inferatur, raptus erit. Quartò ex illa, *Ad turpem actum* inferri raptum non esse, si ad eum finem non abducatur, sed vt redigatur (v. gr.) in seruitutem, dicetur autem *plagium*, & erit furtum hominis. Non requiritur verò, vt concubitus re ipsa sit secutus, satis est, personam eo fine raptam esse, & abductã. Hinc in raptu duplex est malitia: altera contrà iustitiam; quia per raptum fit iniuria personæ, quæ per vim abducitur, vel illis, quorum commissa est custodiæ, qui sunt rationabiliter inuiti. Alia contra castitatem. Lessi. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 9. *num.* 66. Sylui. 2. 2. *q.* 154. *a.* 7. Filliuc. *tr.* 30. *numer.* 108. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 13. *nu.* 1. Moli. *to.* 4. *de iust. d.* 105. Iuli. Clar. *l.* 5. *sententi. §. Raptus.*

38 Itaque ad raptum duo requiruntur. Primum violentia

Duo requiruntur ad raptũ violentia & abductio causa libidinis.

violentia ipsi personæ raptæ illata, vel iis, sub quorũ est cura, vt parẽtibus, marito, curatori. Ad violentiã etiã refero dolũ, vel preces adeò importunas, vt violẽtiæ possint æquiparari. Secũdũ abductio causa libidinis, vel matrimonij. Vndè raptũ nõ patrabit, qui virginẽ repertã in domo patris, vel alibi, de ea domo non educit, sed illã inibi opprimit: aut de vno in aliud cubiculũ trahit, vt ibi illã cõmodius violet. Idẽ dixerim, si virginẽ in agro repertã, indè trahat per aliquot passus, vt abutatur: secus si indè in aliquã domũ deducat extra agrũ illũ, aut in aliũ locũ, Sanch. *l. 7. de matr. d.* 11. *n.* 3. Filliuc. *tr.* 30. *n.* 110. Manu. *p.* 1. *sum. c.* 231. *n.* 2. Gutier. *de matr. c.* 86. *n.* 9. Molina *to.* 4. *d.* 105. *n.* 3.

39 *Abductio sponsæ per verba de futuro cõsentientis aliquando raptus aliquando non.*

Sponsæ per verba de futuro consentientis abductio iura ciuili est raptus, si parentes saltem sint inuiti. At iure canonico raptus non est, si abducatur ad consummandum cum ea matrimonium. Si verò abducatur ad turpẽ actũ exercendum, vt fornicationis, vel aterius libidinis extra matrimonium erit raptus etiam iure Canonico. Attamen si puella non consentiens abducatur ad finem consummandi matrimoniũ iure Canonico raptus non erit. Idẽ dixerim de traductione sponsæ per verba de præsenti: quãuis abducatur contra eius voluntatem, quæ spatio duorum mensium à iure concesso gaudere volebat, antè quam matrimonium consummaret, crediderim esse raptum. Quia cum sponsa iure suo vtatur, maritus illi violentiam infert. *l.* 1. *C. de raptu virg. l. Raptores, de Episc. & Cler.* Azor. *p.* 1. *l.* 3. *c.* 11. Filliuc. *tr.* 30. *n.* 114. *&* 115.

40 *Contra raptorem pœna ciuilis iuris.*

Si autem libeat scire in huius horrorem delicti, quæ sint contra raptores pœnæ. Iure Ciuili communi raptor mulieris honestæ (seu quæ impũdicè non viuit) siue virginis, siue viduæ, siue coniugatæ, siue solutæ pœna mortis punitur. Eidem pœnæ subiacent, qui raptorem comitãtur, & qui eum in ipso delicto raptus adiuuant: & permittitur raptarum parentibus, consanguineis tutoribus, ac curatoribus raptores, comites, & adiutores eorum impunè interimere in ipso delicto comprehensos, modo eis sufficienter de flagitio constet. Quod si mulier rapta sit ingenua, tam raptor, quam comites eius omnibus suis bonis spoliantur, applicandis ipsi mulieri, (& si Monialis sit, Monasterio:) dummodo rapta non consentiat in matrimonium cum raptore. Nam si consentiat, raptæ parentibus applicantur: qui si consentiant, Fisco tradũntur. Quando verò raptus est mulieris, quæ non est honestè, tunc iure non est constituta pœna, sed raptor arbitraria punitur. *l. Raptores, C. de raptu virg.* Authent. *de raptu mulier. collat.* 9. *l. Raptores, de Episc. & Cleric.* Iul. Clar. *l.* 5. *sent. §. Raptus.* Filliuc. *tr.* 30. *n.* 116. Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 15. *&* alij.

41 *Pœna iuris Canonici.*

Iure verò Canonico tres pœnæ raptoribus mulierum constituuntur. Prima est, vt raptor alienæ sponsæ publica pœnitentia mulctetur. Secunda, vt maneat sine spe coniugij; non est tamen impedimentum dirimens, sed solùm impediens. Tertia, vt pœna seruitutis afficiatur; efficitur enim seruus fœminæ raptæ, cum facultate tamen seipsum redimendi pretio scilicet competenti. Quod si consenserit mulier in abductione à domo paterna, fit seruus parentis mulieris cum facultate similiter se redimendi. *c. Raptor, c. statutum* 27. *q.* 2. *c. de raptoribus* 16. *q.* 1.

42 *Pœna iuris noui Tridentini.*

Verum iure nouo Tridentini tria pœnarum genera contra raptorem præscribuntur. Prima est, vt raptor, & omnes consilium, auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, perpetuo infames, & omnium dignitatum incapaces. Ad quam pœnam Iudicis sententia non requiritur iuxta Bonacinam *de matr. q.* 4. *pun.* 18. *n.* 16. Sed ex receptiori sententia est necessaria. Si autem raptor raptæ nubat in tuto loco constitutæ & liberè consentienti ab infamia raptor liberatur. Secunda est, vt raptor siuè matrimonium contrahat, siue non cum rapta, teneatur ad eam decenter dotandam Iudicis arbitrio: quoad alia verò damna, iure naturæ etiã antè Iudicis sententiam tenetur. Tertia est, declarari irritum matrimonium inter raptorem & raptam, quandiũ rapta manet in raptoris potestate, etiamsi ipsa liberè consentiat. Idem dicitur de sponsalibus. Vbi tamen fuerit separata, & tuto in loco posita, poterit nubere raptori, si velit. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. Bonac. *de matr. q.* 4 *pun.* 18. *n.* 10. Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 13. Moli. *to.* 1. *de iust. d.* 96. Less. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 9. *num.* 69. Filliuc. *tr.* 30. *n.* 118. Henriq. *l.* 11. *de matr. c. vlt.* Coninch. *de matrim. d.* 31. *dub.* 4. *n.* 48.

43 *Decretũ Tridentini solùm comprehendit raptum, qui fit causa matrimonij ineundi.*

Monuerim decretum Tridentini *sess.* 24. *c.* 6. solum comprehendere raptum, qui fit causa contrahendi matrimonij, non item eum, qui fit causa libidinis: & in eo decreto solummodo illam speciem raptus puniri, per quam vis infertur puellæ, non autem parentibus: vndè si illa consentiat, etiam si rapiatur, vim parentibus inferendo, valida erit matrimonium Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 13. *n.* 4. Diana *de sacram. resol.* 261.

CAPVT VII.

De vitio contra naturam.

44 *Prima species est compressus inordinatus.*

COntrà naturam dicuntur eæ, in quibus fit seminatio modis repugnantibus naturæ institutioni: & iuxta tales modos variantur species. Vndè prima Luxuriæ consummatæ contra naturam species est congressus inordinatus, seu innaturalis, siue inhabitus incumbendi modus: cum scilicet seruatu identitas speciei, diuersitas sexus, & debita naturæ organa: sed inordinato solùmmodo acceditur: v. gr. cum vir succumbit, vel auersè accedit, pecudum more, vel à latere, vel stando, aut sedendo, aliàve ratione insolita. Quod quidem est contrà naturam mortale, quando adest inde periculum generationis impediẽdæ, vt profundendi seminis. Alias si hoc periculum caueatur, aut non sit, eo quod matrix fœminæ satis attrahat semẽ, ac retineat, vt plerumque accidit: non erit actio contrà, sed præter naturam: & veniale graue. Imò nullum erit peccatum, si grauis adsit occasio: v. gr. si mulier est prægnans, vel si corporis dispositio seu vtriusq; seu alterutrius aliter nõ patitur. Filliuc. *tr.* 30. *c.* 8. *q.* 8. *n.* 137. & omnes cõmuniter.

45 *Secunda species est Molities.*

Secunda species est Molities, siue pollutio, cum absque copula voluntariè procuratur fluxus seminis siue id foras effundatur, vti in matribus; siue intus influat in matricem, vt in fœminis. Hoc peccatum præter propriam malitiam sæpè aliam habet adiunctam v. gr. fornicationis, adulterij, incestus, Sacrilegij, &c. cum quis scilicet simul imaginatur, ac desiderat congressus alicuius personæ liberæ, con-

iugatæ, cognatæ, vel affinis, vel voto castitatis adstrictæ. Quod si fiat, in confessione est aperiendum omnes circà.

46 *Nunquam est licitum intendere, aut procurare directè pollutionem.*

Nullo casu licitum est intendere, aut procurare directè pollutionem, ne quidem causa sanitatis, aut vitandæ aliàs certæ mortis. Quia natura administrationem seminis extra matrimonium in omni euentu homini denegauit: eo quod adeò vehemens sit in ea re sensus voluptatis, vt homines passione excœcati passim sibi facilè persuaderēt, habere se iustam causam seminis irritandi: vndè plurima, grauissimáque vitia contrà bonum commune, & in impeditionem generationis emergerent. Sanch. *lib. 9. de matr. d. 17.* Nauar. *sum. cap. 16.* & omnes.

47 *Quid de distillatione, quæ non est vera pollutio.*

Distillatio verò, quæ est fluxus humoris quasi medij inter vrinam ac semen (quorum coloris & viscositatis, gerit similitudinem) sine ingenti illa delectatione, non est vera pollutio: etsi proueniat siue omni sensus venerei commotione, vt quandóque fit: de ea non est magis laborandum, quam de sudore, (loquor cum Caietano) si verò fiat cum sensu carnis, & spirituum generationi seruientium commotione: tum ei cooperari, vel causam exhibere non est, vel est peccatum, idque veniale, vel mortale ad eundem modum, quo de pollutione dicetur. Sanch. *lib. 9. de matrimon. d. 45. num. 32.* Layman. *lib. 3. sect. 4. num. 18.*

48 *Quid si semen in materiam venosam transiuit?*

Si semen Medicorum iudicio in materiam venosam transiuit, licet eam medicamentis expellere, etsi præter intentionem aliqua veri seminis sequatur emissio. Quia tunc rei licitæ opera impenditur directè, non autem veri seminis profusioni. Trull. *lib. 6. Decal. c. 1. d. 8. §. 1.* Filliuc. *tr. 30. n. 150.* Sanch. *l. 9. de matr. d. 17. n. 16.*

49 *Non tenetur quis impedire pollutionem sua sponte venientem.*

Minimè quis tenetur impedire pollutionē sua sponte euenientem, aut iam cœptam v.g. in somno reprimere, sed potest sanitatis causa sinere, vt natura se exoneret: dummodo absit periculum consensus in voluptatem, nec voluntariè eum fluxū promoueat. Quia id nō est procurare, sed pati, vt effluat semē, quod aliàs corruptum læderet sanitatem. Vndè id admiserim, etiamsi orta esset prius ex culpa, modo de ea doleas, & vlteriorem consensum abstrahas. Sanch. *lib. 9. de matr. d. 17. §. 17.* addens, plerúmque expedire, munire te quice, & sine actu attactu, quietis manibus, Deū rogare, nè lapsū in delectationē permittat. Trul. *l. 6. Decal. c. 1. d. 10.*

50 *Licet optare ob bonum finem naturalem pollutionem.*

Ob finē honestū, v.g. minuendæ tētationis, sanitatis, tranquillitatis animi optare simplici affectu spontaneā, & naturalem naturæ exonerationem; modo desiderium illud non sit causa efficax pollutionis. Similiter licet etiam de ea gaudere via naturali, & sine peccato facta. Quia illius desiderij, & gaudij obiectum non est malum. Attamen desideria huiusmodi simplicia nutilia sunt, nec periculo aliquando carent: ideò ab eis abstinendum. Lessi. *lib. 4. d. 14. num. 15.* & alij.

51 *Non tenetur quis rem necessariam licitam, & honestam impedire, licet præuideat, indè obuenturam pollutionem.*

Si acturus rem aliquam necessariam, vel licitam, & honestā, præuides, inde naturaliter sequuturā pollutionē, quā tamen nullatenus vellis nec intēdis, tunc modo absit consensus in delectationem periculú, nó teneris à tali actione abstinere. Quia prosequenti suum ius non imputatur effectus per accidens, & præter intētionem secutus. Hinc non obstante pollutionis periculo licet fœminarum cōfessiones audire, casibus conscientiæ huiusmodi studere, tāgere se ex necessitate, fœminas cautè, & cū necessitate alloqui, osculari, & amplecti iuxta patriæ morē, si alioqui in ciuilis esses habēdus. At si periculū esset consentiēdi in delectationē, (quod indè colliges, si sępius ex simili occasione mortaliter sis lapsus) à causa illa quantumvis licita debes abstinere. Proindè tali in casu confessarius officiū relinquere tenetur. Filliuc. *tr. 30. n. 150.* Sanch. *l. 9. de matr. d. 45.* Nauar. *sum. cap. 16.* Laym. *l. 3. sect. 4. n. 16.* Qui quidē monet, eū, qui actionibus honestis, & vtilibus talē miseriam experitur, facilius liberari contemnendo, quam æstimando. Quia imaginatione, & timore assolet augeri.

52 *Mortale est non abstinere à re illicita, otiosa, vel minus necessaria, si quis præuideat inde secuturam pollutionem.*

Si ex re illicita, otiosa, vel minus necessaria, pollutio secutura præuideatur, & hæc sit causa propinqua ex natura sua ad venerē ordinata, vt sūt tactus luxuriosi, aspectus, lectio, auditio, locutio turpis: mortale est, ab illa nō abstinere. Quia in eā cōsentiens moraliter in effectū cōsentire cēsetur. Porrò si res illa sit causa tātùm remota, per accidēs tantùm ad pollutionē concurrens: v.g. esus, aut potus calidorū, equitatio, confabulatio inutilis, ebrietas etiam mortalis (modo quis pollutionem non intendat, & venerei consensus absit periculū) secuta pollutio non est mortale. Quia tali rei consentiēs, non ideò vellē effectū cēsetur. Sanch. *l. 9. de matr. d. 45.* Lessi. *l. 4. cap. 3. dub. 14.* Filliuc. *tr. 30. n. 181.* Diana *p. 5. tr. 13. resol. 4.* Hanc ex Doctoribus regulam cape: Pollutio in causa volita tantū est peccatū, quantū est ipsa. Vndè si causa est peccatū mortale; etiam ipsa mortalis erit: si sit veniale, erit venialis: si verò causa nullū sit peccatum, nec ipsa peccatū erit, dummodo semper periculum consensus excludatur. Vndè venialis erit, v.g. pollutio, quæ prouenit ex lectione curiosa, vel aspectu per se non mortali. Bonac. *de matr. q. 4. pun. 10.* Trull. *l. 6. Decal. c. 1. dub. 9.* ex Lopez, Henriq. & Vasq. Diana *p. 1. tr. 2. resol. 56.*

53 *Quando nam pollutio in somnis sit mortalis.*

Facta in somno pollutio erit mortalis, si anteà directè, vel formaliter est procurata, & causa retractata non est. Vel si post somnum placuit, & approbata est propter venerēā delectationem, aliàs non. Trull. *l. 6. Decal. c. 1. dub. 9. n. 9.* Filliuc. *tract. 30. num. 148.*

54 *De mutua pollutione inter mares, vel fœminas.*

Mutua pollutio inter mares, vel fœminas procurata, si fiat ex solo affectū ad venerēam libidinem absque concubitu, tantùm erit mollities. Si verò fiat ex affectu ad personam illam indebiti sexus (præsertim si adsit aliqua coniunctio, & commixtio corporis, est quoad malitiam sodomia. Filliuc. *tract. 30. cap. 8.*

55 *De Sodomia imperfecta.*

Tertia luxuriæ consummatæ contra naturā est sodomia, imperfecta scilicet, & perfecta. Sodomia imperfecta est cōgressus cū debito quidē sexu, maris nempè cū fœmina, sed extra vas naturale. Potest hæc simul alias malitias inuoluere, nempè adulterij, si cum cōiugata fiat: incestus, si cum consanguinea geratur, &c. Bonac. *de matr. qu. 4. punct. 11. num. 1.* Filliuc. *tract. 30. num. 158.*

56 *De Sodomia perfecta.*

Sodomia perfecta est congressus duorū eiusdem sexus, vt maris cum mare, fœminæ cū fœmina. Et potest habere etiam alias malitias adiunctas, v.g. incestus. Quo in casu nō est necessarium cognationis gradum in confessione explicare; sed satis erit dicere: Coiui cū cōsanguineo, vel affini. Quia nec miscetur caro, nec cōtrahitur affinitas, nec linea variat speciem. Me citato, noster Busembaum *l. 3. tr. 4. c. 2. dub. 3.*

Quarta

57 *De Bestialitate.*

Quarta species est Bestialitas grauissimum quidem peccatum: estque congressus in quo non seruatur identitas speciei: v. gr. si homo coëat cum bestia, siue eiusdem sexus sit, siue non. Neque opus est explicare in confessione, qualis, seu cuius speciei fuerit. Quia est differentia tantum materialis, & in genere entis; non autem formalis, & in genere moris. Sic, me etiam citato, Busembaum *l. 3. tr. 4. c. 2. dub. 3.* Filliuc. *tr. 30. n. 131.*

58 *De Luxuria cum dæmone incubo, vel succubo.*

Huc reuocatur peccatum cum dæmone succubo, vel incubo. Cui quidem superadditur malitia contra Religionem, & præterea etiam sodomiæ, adulterij, vel incestus, si affectu viri vel mulieris, sodomitico, adulterino, vel incestuoso, cum dæmone quis coëat. Bonac. *de matr. q. 4. pun. 11.* Filliuc. *to. 30. n. 162.*

CAPVT VIII.

De Sacrilegio.

59 *Quid Sacrilegium in materia Luxuriæ & quot modis fiat.*

SACRILEGIVM *peccatum est Luxuriæ, quo persona Deo dicata, vel locus sacer, vel alia res sacra per venereum actum fœdatur.* Potest fieri quinque modis. Primò, si persona sacra in turpe opus extrenũ, vel etiam in delectationem internam consentiat. Quia violat suæ sanctitatem personæ, quæ in eo sita est, quod Deo per castitatis votum sit consecrata. Secundò, si persona non sacra in turpe opus circà personam sacram consentiat. Tertiò, si vtraque sit sacra. Hũc autem duplex est sacrilegium. Quartò, cum fit actus venereus circa aliam rẽ sacram, vel eius interuentu: vt olim quidam hæretici gesserũt sperma calice, horribili prorsus Sacrilegio, excipientes. Quinto, si venereus actus fiat in loco sacro illicitè, vel licitè, vt in coniugatis, sed absque necessitate. D. Tho. 2. 2. *q. 154. a. 10.* Azor. *p. 3. c. 27. q. 8.* Lessi. *l. 4. c. 3. dub. 12. n. 84.* Filliuc. *tr. 30. n. 121.*

60 *Quid nomine loci Sacri hac in materia intelligatur.*

Nomine loci sacri hac in materia intelligitur Ecclesia consecrata, vel benedicta, cœmeteria, & Oratoria authoritate Episcopi cõstituta, & ad diuinum cultum deputata. Secus dixerim de oratoriis priuatis non constitutis Episcopi authoritate, Monasteriis, dormitoriis, Religiosorum cubiculis. Quia quamuis sint sacra loca, ita vt gaudeant Ecclesiæ immunitate: nõ tamen ita sunt Sacra, vt copula, vel pollutio in illis habita specialem præ se ferat malitiam. Illud autem spatium Ecclesiæ dicitur locus sacer, quod ad interius eius corpus spectat à tecto interiori vsque ad pauimentum. Vndè nec Sacrilegium esset, nec locus Sacer violaretur, si copula supra tectum, vel extra parietes Ecclesiæ, vel in loco aliquo subterraneo haberetur, modò non sit sepultura; vel in turri, quod vulgò campanele dictitatur; vel in Sacristia, aut cameris Ecclesiæ adhærentibus; vel in porta, Templi extrà limen, id est extrà lineam, quam valuæ attingunt, modò limen ad cœmeterium non spectet; vel in Ecclesia diruta. Nauarr. *sum. c. 16. n. 32.* Sa *v. Ecclesia.* Sanch. *l. 4. de matri. d. 15. n. 24.* Graf. *p. 1. d. 2. c. 48.* Reginal. *l. 29. n. 182.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 5.* Filliuc. *tr. 30. nu. 135.* Sylui. *2. 2. q. 154. a. 10.* Fagund. *de præc. Eccl. l. 4. num. 32.*

61 *Sacrilegium hoc ex suo genere est lethale.*

Ex suo genere Sacrilegium peccatum est lethale. Quia per illud fieri solet grauis Numini cœlesti iniuria, aut rebus sacris. Vndè mortale est Sacrilegium, quandò ex contemptu rei sacræ vel cultus ad quem refertur procedit: vt cum hæretici vasa sacra, Sacramenta, altaria, Templa, imagines Sanctorum, reliquias, & similia violant: cum Sacerdotes, Religiosos, vel alios viros Ecclesiasticos, qua tales sunt, male tractant, contumeliis afficiunt. Item mortale sacrilegium est, quandò fit aliquid in materia graui, quod peculiarem repugnantiam habet cum rei sanctitate: vt si habens votum castitatis, fornicetur: si actus matrimonij fiat in loco sacro extra casum necessitatis. Necnon quandò ex ignorantia vel negligentia crassa fit aliqua rei sacræ grauis iniuria: v. gr. si quis malè baptizet, consecret, absoluat: si in irregularitate, vel censura ordinetur, vel ordinet: si in peccato mortali vel excommunicatione Sacramenta cõficiat, aut recipiat: & alia huiusmodi. Ratione autem inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ, sacrilegium potest esse veniale, vt si quis leuiter percutiat Clericum, vel rem paruam in Ecclesia furetur. Notarim verò, quandò sacrilegium est mortale, pœnitentem non satis facere dicendo, se toties Sacrilegium commisisse: sed teneri materiam, circà quam Sacrilegium gessit, manifestare. Quia non omnia Sacrilegia sunt eiusdem speciei; aliter enim Sacramenta sunt sacra, quam calices, aut vestes. Equidem Sacrilegium potest cum aliis Luxuriei peccatis colligari: potest enim Incestus esse Sacrilegium, si in loco sacro fiat: vel cum persona voto castitatis illigato. Bonac. *to. 2. d. 3. q. 6. pun vni.* Nauar. *sum. c. 16. n. 11* Sanch. *l. 4. de matr. d. 15.* Lessi. *l. 2. c. 45. dub. 4.* Reginal. *l. 19. n. 58.*

62 *Per libidinosum desiderium non fit Sacrilegium ex loco Sacri Religionis.*

Porrò per libidinosum desiderium, vel turpem contactum absque pollutione, non committitur sacrilegiũ ex loci sacri Religione, nisi quãdo desiderium tenderet ad copulam in loco sacro gerendam, quòd rarò contingit: vel contactus turpis esset cũ pollutionis periculo. Quando verò absolutè cõsideratur fœmina in Templo, nec distinguitur, an copula desideretur gerenda in Templo, vel extra, non est Sacrilegiũ. Quia desiderium illud iudicandum est secundum communem, & ordinatum concupiscentiæ modum, qui quidem est, vt extra Templũ fiat: secùs si habuit intentionem habendi copulam in Ecclesia; hæc enim intentio est eiusdem rationis cum actu externo, qui imbibit specialem Sacrilegij malitiam in confessione exprimendam, cum sit sufficiens ad polluendam Ecclesiam, si actui addiceretur. Ratio autem, cur per contactum turpem absque pollutione non patratur Sacrilegium, est, quia Ecclesiæ violatio non est de iure naturæ, nam si de iure naturæ esset quocumque lethali crimine violaretur: sed de iure positiuo. Ergo solùm violabitur in casibus à iure expressis; verùm in iure solum exprimitur sanguinis, ac seminis effusio: Igitur Ecclesia iis solum, & non aliis actionibus violatur. Atqui tactus impudicus, nisi sequatur pollutio, non est effusio seminis: Ergò Ecclesiam non violat. Nauarr. *sum. c. 16. n. 3.* Fagund. *prac. 2. l. 4. c. 4. n. 31.* Sylui. *2. 2. q. 154. a. 10.* Diana *p. 2.*

*tract.3.resol.23.*Coninch. *de pœnit. d.7. dub.4. num.22.*Valent.2.2.*d.6.qu.15. punct.1.* Filliuc. *toact.30.num.133.*Sanch.*lib.9.de matrim. d.15. num.10.& 11.*

CAPVT IX.

De osculis, amplexibus, tactibus, verbis obscenis.

63 *Distinguenda est intentio, & venerea delectatio.*

VT dignoscas, an, & quanta peccata sint præfatæ actiones, distinguenda est in primis intentio, & venerea delectatio, & effectus venereorum ab intentione, & delectatione sensitiua, & sensitiuorum aliorum, quæ quidem delectatio consistit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cum organo tactus. Deindè sciendum, intentionem, ac sensum venereorum esse mortalem, & à Regno cœlorum excludere iuxtà Paulum *Gal.5.*

64 *Oscula, amplexus, &c. mortalia sunt si fiant ex actus luxuriosi intentione, vel ob delectationem venereum.*

Vndè oscula, amplexus, aspectus, tactus, & similia si extra matrimonium fiant, ex actus luxuriosi intentione, vel ob delectationem veneream, etiamsi non perfectam illam, quæ est in consummatione: sunt semper peccata mortalia. Quia eo animo, extra matrimonium, sunt impudica, & natura sua talis delectatio tendit ad perfectam. Sanch. *libr. 9. de matrimon. d. 46.* Filliuc. *tract. at. 30. numer. 174.* Lessi. *libr. 4. cap. 3. dub. 8.*

65 *Sunt eiusdem naturæ cum consummatis, vndè in confessione species distinguenda.*

Huiusmodi actus sunt eiusdem naturæ cum perfectis seu consummatis: ideóque in confessione explicandum, vtrum sint habiti cum simili sexo, an cum diuerso: cum libera, an coniugata, cognata, persona sacra, &c. Lessi. *lib. 4. cap. 3. dub. 15.* Sanch. *sum. lib. 1. cap. 2.*

66 *Si fiant offitij, vel moris patrij gratia, peccata non sunt.*

Oscula, amplexus, compressiones manuum, & similia non obscœna, si fiant tantùm officij aut moris patrij, amoris honesti, vel beneuolentiæ augendæ causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur, modo in eam quis non consentiat: non sunt peccata. Filliuc. *tract. 30. nu. 171.* Lessi. *lib. 4. cap. 3. dub. 15.*

67 *Si fiant ex veniali vanitate, ioco, &c. venialem culpam non excedunt.*

At si ista fiant ex aliqua veniali vanitate, ioco, curiositate, leuitate, petulantia, imò etiam sensu alitate, siue sensuali affectu (dummodo non cum delectatione venerea, nec eius causa, etsi præter intentionem oriatur, ea repulsa, ac tunc abstinendo) venialem culpam non excedunt. Filliuc. *tract. 30. num. 174.* Sanch. *libr. 1. sum. cap. 2.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 136.* Ego autem existimo, valdè periculosas esse huiusmodi actiones, difficiléque posse de earum malitia graui, aut leui ferri iudicium.

68 *Quandonam tactus, seu aspectus inhonestarum proprij corporis partium, veniale tantum sit?*

Venialia peccata sunt tactus, & aspectus inhonestarum corporis proprij partium, aut commixtionis animalium non cum animo venereo, sed ex curiositate tantùm, aut leuitate, seclusò tamen scandalo, & venerei consensus periculo. Imò si huiusmodi tactus, aut aspectus proprij corporis naturali aliquo, ac non malo fine fiat, nec veniale quidem erit: verbi gratiâ, si fricatione extinguere velis pruritum non venereum: dummodò tamen absit pollutionis periculum, aut ipsum consensus si improuiso præter intentionem fortè obueniret. Lessi. *l. 4. cap. 3. num. 63.* Filliuc. *tract. 30. num. 215.* Sanch. *lib. 9. de matrimon. d. 41.*

69 *Tactus nudi, & aspectus minus pudici diuersi sexus, mortales esse iudicio, licet ex curiositate fiant.*

Tactus nudi, & aspectus partium inhonestarum alterius corporis, maximè diuersi sexus, aut concubitus humani ex curiositate (nam de necessitate aliud iudicium ferendum) etiam secluso affectu venereo, existimo à mortali secludi non posse ob grauem indecentiam, ac periculum actus venerei proximum: nisi tamen aspectus ex tam remoto loco fiat, & ita obiter, vt hæc absint. Sanch. *lib. 1. sum. capit. 2. numer. 23.& 29.* Filliuc. *tract. 30. num. 218.*

70 *Non sic si ità sit sexus.*

Aspectus verò, & subinde etiam (rarius tamen propter periculum adiunctum) tactus ex petulantia, vel curiositate partium inhonestarum alterius corporis eiusdem sexus citrà affectum, & periculum venerei consensus, excusari potest à mortali: vt verbi gratiâ, quam simul aliqui notant, aut lauant. Layman. *lib. 3. sect. 4.* Sanch. *lib. 5. sum. cap. 6. num. 12. 13. & 28.* Trull. *lib. 6. Decalog. capite 1. dub. 12. numero 15.*

71 *De turpibus verbis comœdiis, cantionibus, gestis, & amatoriis.*

Turpia verba, obscœnorum lectio, comœdiarum turpium spectatio, inhonestæ cantiones, gestus literæ ac dona amatoria, si tantum fiãt ex curiositate, vel vano solatio: mortalia non sunt; secus tamen si gerantur animo inhonesto, aut venereo, vel cum ruinæ spiritualis propriæ vel alienæ periculo. Sanch. *lib. 9. de matrim. d. 46. n. 3.* Filliuc. *tr. 30. cap. 10. q. 2.*

72 *De choreis.*

Choreæ nisi malo fine gerantur, aut cum peticulo alios, aut seipsum incitandi ad libidinem, vel cum alia iniqua circumstantia secundum se non sunt illicitæ, nec libidinis actus, sed lætitiæ. Quando autem sancti Patres eas interdum valdè reprehendunt, de turpium, & de earum abusu loquuntur. Caiet. *v. Chorea.* Filliuc. *tr. 30. n. 223.*

73 *De scriptoribus comœdiarum, & librorum.*

Scribentes & proferentes comœdias turpes seu libros, aut picturas ad libidinem incitantes mortaliter delinquunt. Quia proximi sunt ruina, cum moraliter certum sit, multos indè ad peccatum excitandos. Similiter Magistratus, qui permittunt turpes comœdias recitari mortaliter delinquunt. Posse tamen aliquando excusari crediderim, si ad maius malum impediendum non puniant, & solummodo tolerent. Sed dubito an maius adsit incommodum quod tanto valeat animorum exitum excusare. Filliuc. *tr. 30. num. 211.* Diana *p. 5. tr. 13. resol. 82.*

74 *De persona soluta permittente se tangi.*

Cum persona soluta permittit se ab alia tangi, eo quidem attactu, qui vulgò censetur pudicus, vt prehensio, contrectatio manuum, amplexus, & oscula iuxtà motem patriæ: non peccat, nisi ei constet prauo fieri affectu; cui minimè cooperari licet. Scio docere Filliucium, etiam sic admitti posse, nè tangens infametur. Porrò admittens tactus impudicos (vt obscenarum partium, & mamillarum) vel oscula furtiua, ac morosa, vel indecentia, peccat lethaliter. Quia prauus præsumitur affectus. Filliuc. *tract. 30. num. 196.* & alij.

75 *De tactibus inter coniuges.*

Coniugibus tactus, oscula, aspectus, amplexus licent, si ad copulam coniugalem referantur. Quia ad hanc licitum est eis se excitare. Alio autem fine, verbi gratiâ, voluptatis causa si fiant, venialia sunt piacula solùm. Quia matrimonium huiusmodi cohonestat actiones:

ac

ac defectus debiti finis mortalis non est, nisi cum periculo gerantur, quæ cum iis sit illicita, eo casu erunt lethales regulariter. Sanchez *lib. 9. de matrimon. d. 46. num. 7.* Filliuc. *tract. 30. num. 357.*

76 *De tactibus inter sponsos.* Sponsis denique tactus impudici non licent: pudici verò in partibus honestis liciti sunt, si ex iis tantùm sensitiuam intendant delectationem, secus si veneream: nec adsit praui consensus, aut pollutionis periculum Sanch. *lib. 9. de matrimon. d. 46. num. 50.* Busemba. *lib. 3. tr. 4. cap. 2. dub. 2.* citans Bonacinam.

CAPVT X.

De Concubinatu.

77 *Quid Concubinatus?* CONCVBINATVS *est frequens, & consueta fornicatio cum eadem persona.* Vndè ad concubinatum non sufficit vnus, vel alter fornicationis actus, sed requiritur consuetudo, quo aliqui quodammodo ita cohabitant, ac si essent simul coniugati: Ideò fornicarius propriè est, qui soluta abutitur: concubina verò, quæ abutitur quocúmque modo vxorio, id est, quoad vsum veneris illegitimæ habetur. Vndè de mente iuris non dicitur concubina nisi habeatur per modum vxoris. Tolet *libr. 5. cap. 10. num. 12.* Filliuc. *tract. 30. nu. 55.* Sylueſt. *verb. Concubinarius, num. 1* Azor. *tom. 3. libr. 3. cap. 5.*

78 *Est graue admodum peccatum, & quid gerendum cum concubinariis in confessione.* Concubinatus est graue peccatum, admodum periculosum. Quia homo non solùm peccat, sed manet in statu peccati, & in continuo proposito saltem virtuali delinquendi. Vndè huiusmodi concubinarij pœnitentes regulariter non sunt absoluendi priusquam concubinam dimittant, cum proposito non relabendi, etiamsi vrgeat mortis periculum. Quandiù enim persistunt in proxima peccandi occasione non censentur sufficientem dolorem, propositúmque vitandi peccatum in futurum, habere. Attamen quando sine graui infamia, vel scandalo, vel alio graui incommodo concubina nō potest dimitti, tunc difficultas hæc efficiet occasionem non voluntariam, & potest exhiberi absolutio. Verùm magna prudentia in Confessario opus erit circà cautelam procurandam, & vim difficultatis agnoscendam, nè absolutio indigno impendatur Nauar *sum. cap. 16. num. 20.* Sayr. *in Claui, libr. 8. cap. 2. n. 9.* Tolet. *libr. 5. cap. 10. num. 12.* Bonacin. *de matr. qu. 4. punct. 14. num. 12.* Sylui. *2. 2. qu. 154 art. 2.* Reginald. *lib. 5. num. 63.* Diana *part. 5. tract. 14. resol. 107. & 108.*

79 *Quid si concubinarius non sit, sed à populo esse credatur.* Atsi concubinarius non sit, & à populo esse credatur, non debet absolui, donec scandalum tollatur, & enulgetur, ipsum huius reum non esse delicti. Imò hoc in casu esset fœmina domo pellenda, quamvis scandalum solùm sit vnius, vel alterius personæ, cum vnicuique Deus mandauerit de proximo. Id autem intelligo, si absque incommodo eiici possit. Sylueſt. *verb. Concubinarius, qu. 2.* Santi. *in select. d. 10. num. 15.* Lopez *part. 1. Instruct. cap. 78.*

80 Tridentinum grauiter concubinatus vitium in laicis reprehendit, & acriter præcipit puniri *sess. 24. cap. 8.* Non autem tollit Concilium pœnas à iure communi, vel Synodalibus statutis contra concubinarios inflictas, nec aliùm modum procedendi contrà eos, nisi, si velit Ordinarius eos excommunicare, quia tunc Concilij seruanda est forma. Vndè Episcopus potest in prima admonitione pecuniaria pœna concubinarium punire; quia tunc trina monitio necessaria est inter concubinarios, quando contra eos vult excommunicationis ferri sententiam: non autem si pœnis pecuniarijs, vel aliis puniri intendat: in quo casu solemnitas, de qua Concilium loquitur, non requiritur. Barbosa *in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 35. cap. 1. n. 3. & 4.*

Quomodo Tridentinum carpens concubinatus sacularium crimen sit intelligendum?

81 *Ad solos Ecclesiasticos Iudices pertinet, concubinarum laicorum punire delictum.* Concubinatus laicorum crimen ad solos Iudices Ecclesiasticos pertinet puniendum. Quia concubinatus legibus ciuilibus non vindicatur iuxtà receptiorem sententiam, & ità fert consuetudo optima planè legum interpres. Iudices enim sæculares regulariter hoc crimen non puniunt, nisi quatenus requisiti ab Ecclesiasticis suum brachium impertiunt. Scio non deesse, qui arbitrentur, hoc delictum mixti esse fori. Iuſi. Clar. *in pract. crim. qu. 37. num. 2.* Diana *part. 1. tract. 2. resol. 87. & part. 5. tract. 1. resol. 10.*

82 *Clerici concubinary non sunt iam ipso facto suspensi, sed suspendendi.* Clerici concubinarij erant antiquo iure ipso facto suspensi; sed hoc ius per Tridentinum est abrogatum: vndè non sunt iam suspensi, sed ab Ordinariis suspendendi. Lege Concilium *sess. 25. cap. 14.* Nauar. *lib. 3. consil. de cohabit. Cleric. & mulier. cons.* Sayr. *in Claui, lib. 7. cap. 2. n. 11.* Petr. Ledes. *sum. tract. 27. c. 8.*

83 *Concubina in rigore loquendo, potest cum confessario concubinario confiteri.* Concubina, secluso periculo noui consensus carnalis, aut defectus doloris, in rigore loquendo potest cum Cōfessario concubinario confiteri. Quia aliquandò poterit esse expediens, nè fœmina apud aliùm Confessarium infamaretur, aut quia vult citiùs à piaculo liberari, vel quia hic aptius poterit illius scrutari conscientiam. Textus enim *cap. Non debet Episcopus 10. qu. 1.* solùm præcipit, confessarium non debere commiscerì cum fœmina, cuius confessionem audierat: non verò è conuerso, vt non eius confessionem exaudiat, Santius *in select. d. 11. num. 16.* Suar. *de pœnit. d. 27. sect. 4. num. 19.* Filliuc. *tract. 7. num. 246.* Scio meum Fagundez *part. 2. lib. 4. cap. 3. numer. 35.* asseruisse esse mortale, si confessarius audiat suæ concubinæ, aut alterius fœminæ, qua cum aliquando rem habuerit, confessionem. Sed tanti viri venia alius est sensus præfati textus, qui quidem à Bonifacio VIII. est reuocatus, teste Santio *citato*, & Vgolino *de offic. ac potest. Episc. p. 1. cap. 15. §. 8. num. 9.*

CAPVT XI.

De Virginitate.

84 *Vnde dicta Virginitas, & quæ requirantur ad illam, & denotat castitatis statum.* VT tractatio circa stuprum (de quo superius) planior fiat, nonnulla de Virginitate attexam. *Virginitas* à *virore* dicta putatur; quia à concupiscentiæ adustione immunitatem denotat. Dupliciter accipitur. Primò, pro signaculi,

signaculi Virginei integritate libidinosæ contagionis experte; & sic non est virtus, sed quid naturale, quo cum quæ exoritur. Secundò, pro voluntate, ac proposito eius integritatis seruandæ, vel perpetuo, vel saltem vsque ad coniugij tempus: & hoc modo est virtus. Quia posse inquinari, & non esse inquinatum, honestum quiddam est, commendatione dignum. Hinc ad Virginitatem, vt statum castitatis denotat, duo requiruntur: ex parte scilicèt corporis non esse voluntariè pollutum, ex parte verò animi propositum ità se seruandi nisi matrimonio colligetur. At virtus Virginitatis tale propositum prorsus excludit. Quia neque in re, neque in affectu cum violatione stare potest. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 152. Sylvest. *verb. Virginitas.* Fill. *tract.* 30. *cap.* 1. *quæst.* 6. Lessi. *libr.* 4. *cap.* 2. *dub.* 14. *num.* 96. Azor. *tom.* 3. *libr.* 3. *cap.* 2. Laym. *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 8.

85 *De fide est, statum Virginitatis coniugali præferri.*

Fide tenendum contrà hæreticos statum Virginitatis coniugali statui esse præferendum non solùm huiusce vitæ commoditate, sed etiam propter spiritualem fructum, & verius apud Deum meritum. Quia per Virginitatem melius homo à voluptatibus carnis auocatur, & facilior ad orandum redditur, maximè si se Numini consecret. Trident. *sess.* 24. *can.* 10. Lessi. *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 15.

86 *Virginitas quatuor modis amittitur.*

Virginitas prout dicit statum fœminæ quatuor modis amittitur. Primò, per voluntariam admissionem viri habentis cum ea copulam, siuè sit in matrimonio, siuè extrà. Secundò, per inuoluntariam copulam, vt cum fœmina vi opprimitur; verè enim fractum est claustri Virginalis signaculum, quod nihil aliud est, attestantibus peritissimis Medicis, quam quædam complicatio partium ipsius orificij vasis fœminei, quæ per viri accessum dilatatur. Tertiò, per voluntariam, siue inuoluntariam admissionem instrumenti virilis turpitudinem aliquam exercentis, etiamsi seminatio non sequatur, modò talis sit, vt pollutionem in natura sana posset excitare, quamvis per accidens non excitet ob debilitatem, aut morbum. Quartò, tam per sodomiam in fœmina, quam in viro, siue facta, vel admissa sit absque seminatione amittitur irrecuperabiliter Virginitas: quamvis Caietanus *citandus*, per sodomiam passiuam censeat non amitti, multóque minus per alias turpitudines in aliis corporis partibus exercitas. Quia verè claustrum Virginale integrum manet: & hoc receptius. Porrò in viro non est huiusmodi Virginitas secundum statum; quia non est in eo Virginale claustrum. Caiet. 2. 2. *quæst.* 152. *artic.* 1. Lessi. *libr.* 4. *capite* 2. *dub.* 16. Filliuc. *tractat.* 30. *numero* 21.

87 *Quonammodo recuperabiliter amittatur?*

Virtus Virginitatis recuperabiliter amittitur omnibus illis modis, quibus amittitur castitas. Quia re ipsa ab hac non distinguitur. Vndè etiam desideriis turpibus, & morosa delectatione perditur. Item nubendi voluntate. Et per quemlibet actum turpem actiuè, vel passiuè exercitum citra seminationem, modò sit voluntarius; nam si inuoluntarius sit, etiamsi claustrum Virginale violetur, non amittitur Virginitas, vt virtus est; licèt enim corrupta naturaliter virgo non sit, moraliter tamen, seu in genere moris virgo censetur. Hinc si mulier somno consopita, aut vino obruta à quopiam viro cognoscatur, Virginitatem, vt virtus est, non amittit, si eo consilio cubitum non discessit, aut vino sibi mentem eripuit. Si quis prius ad quietem tendat alicuius obscœni flagitij cupiditate animum maculauit, atque in somno pollutus est, non desinere Virginem esse Abulensis *ad cap.* 2. *Mat. qu.* 74. multis rationibus ostendit. Idémque docet, si quis vigilans nocturnam exoptat pollutionem, quam dormiens patitur. *qu.* 75. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 152. *artic.* 1. Valent. *ibi. d.* 9. *qu.* 1. *punct.* 2. Lessi. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 112.

88 *Quonammodo irrecuperabiliter.*

Virginitatis virtus irrecuperabiliter à fœmina amittitur quoties voluntariè copulam cum viro habet, aut polluitur: si autem haberet copulam cum puero impubere, & ipsa quoque impubes esset, nec malitia præueniret ætatem, non violaretur Virginitas, sed esset solummodo contactus turpis grauior aliis, qui corporis non tollit integritatem. In viro autem nisi adsit voluntatie pollutio quomodocúmque procurata, non tollitur irrecuperabiliter Virginitas. Graf. *libr.* 2. *cap.* 88. *numer.* 7. Filliuc. *tractat.* 30. *numer.* 24. Lessi. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 117. & 119.

CAPVT XII.

De Desideriis, ac morosis Delectationibus.

89 *Quid per desiderium intelligatur.*

PER Desiderium intelligitur voluntas, intentio, vel efficax rei malæ propositum; per delectationem verò simplex amor, & complacentia obiecti cogitati fruendo eius dulcedine absque executionis desiderio: solétque dici *morosa*, non à mora temporis, cum momento perfici valeat; sed quod voluntas post plenam rationis aduertentiam ei immoretur. Omnes sic.

90 *Desiderium absolutum habet eandem speciem, ac malitiam, quam habet actus exterior.*

Desiderium absolutum siue cogitatio cum voluntate consentiente absolutè in peccatum aliquando perpetrandum, aut in perpetrato complacente, habet eandem speciem, ac malitiam peccati mortalem, vel venialem, quam habet actus exterior, in quem fertur. Quia actus interior fert suam bonitatem, vel malitiam ab actu externo tanquam obiecto. Est communis.

91 *Desiderium cum consensu conditionato.*

Desiderium cum consensu conditionato, quo quis aliquid concupiscit sub tali conditione, quæ omnem malitiam obiecti auferat, non est peccatum, saltem mortale: verbi gratiâ, vellem hac vel illa fœmina frui, si à Deo mihi permitteretur, vel si peccatum non esset. Valent. 2. 2. *d.* 6. *qu.* 4 *punct.* 4. Salas 1. 2. *tract.* 15. *d.* 16. *sect.* 27. Si autem conditio malitiam non auferat, est peccatum: verbi gratiâ, si cogitem: si non esset infernus, mœcharer: si non essem Religiosus, illicitis me implicarem voluptatibus. Bonac. *de matrim qu.* 4. *punct.* 8. *num.* 9. Ratio est, quia etsi consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte obiecti voliti: in voluntate tamen ponit affectum illud perpetrandi delictum, præcisa conditione non

auferente

auferente malitiam: vndè talis erit culpa, qualis esset, illud amare absque conditione. Sanch. *l. 1. sum. c. 2.* Laym. *l. 1. tract. 3. c. 6. n. 10.* Id autem, quod de illo desiderio conditionali, *Illa fœmina fruerer, si à Deo mihi permitteretur, vel si peccatum non esset*, dixi, intelligendum esse, si desiderium efficaciter ad id obiectum non feratur, sed tantùm sit significatio propensionis naturalis in illum obiectum. Sanch. *l. 1. sum. cap. 2. n. 25.* Laym. *l. 1. cap. 6. n. 11.* Cardin. de Lugo *d. 16. num. 376.*

92 *Delectari de opere malo sub conditione, si liceret.*

Gaudere, ac delectari de opere malo sub conditione, *si liceret* in desiderio efficaci illiciti, quando conditio est possibilis: etsi, possit excusari à peccato iuxtà quorundam Doctorum placitum, si fiat tantùm secundum appetitum rationalem, seu voluntatem (secluso omni alio consensus illiciti periculo, ac turpis motus, qui tamen quia communiter, & connaturaliter sequitur, vix tutum videtur in praxi,) non potest tamen excusari, si sit delectatio voluntaria appetitus sensitiui, quæ propriè delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua corporis delectatione. Ratio discriminis est, quia voluntas potest ferri in obiectum abstractum à malitia, cum sequatur intellectum, cuius est abstrahere: appetitus verò, quia sequitur imaginationem, non fertur in obiectum sub aliqua certa conditione status, vel temporis apprehensum; sed vt est in se: ideóque talis delectatio est de obiecto absolutè malo. Bonac. *de matrim. qu. 4. pun. 8.* Layman. *l. 1. cap. 2. numer. 25.*

93 *Delectatio morosa terminata ad cogitatum opus malum secundum se, &c.*

Porrò delectatio morosa, si terminetur ad cogitatum opus malum secundum se, est peccatum mortale, vel veniale, provt ipsum opus mortale, vel veniale est. D. Tho. *1. 2. q. 78. art. 8.* & omnes communiter. Dixi *secundum se*, quia si delectatio sit tantùm de ipsa cogitatione, non autem de opere, non est peccatum. Quia sicut cogitatio verbi gratiâ, de rebus obscœnis in ordine ad doctionem, vel concionem, &c. bona est: cogitatio autem de iisdem rebus ex curiositate, est mala venialiter: ita consequenter cogitatio de tali delectatione, tanquam obiecto, non est mala, sed quandóque bona, quandóque venialiter mala. Similiter nec peccatum erit, si delectatio versetur circà modum male operandi, non circà ipsum opus malum: quomodo sine peccato nos delectant fabulæ, comœdiæ turpium amorum, non secundum se, sed secundum artificiosum, ac industrium modum. Layman. *lib. 1. tom. 3. cap. 6. num. 2.* & alij.

94 *Licitum est gaudere de effectu bono secuto ex opere malo.*

Vndè licitum est gaudere, ac delectari morosè de effectu bono, secuto ex opere malo. Quia tunc delectatio non est de obiecto malo. Si talis effectus secutus sit ex opere secundum se quidem malo, hic tamen, & nunc culpa vacante, vt verbi gratiâ, quia factum est in somno, amentia, ebrietate, inculpabili ignorantia: tunc etiam de ipso actu licet aliquando delectari, non quidem secundum se, sed vt est causa tali boni effectus: verbi gratiâ, de solutione naturæ in somno facta. Quia obiectum huiusmodi delectationis non est malum. Bonac. *de matr. d. 4 pun. 8. n. 8.* Lessi. *l. 4. c. 3. n. 105. & 106.* Vasq. *1. 2. d. 105. c. 2.* Sanch. *l. 2. sum. c. 2. num. 18.* Card. de Lugo *de pœnit. d. 16. num. 389.* Imò adiiciunt, licere aliquando desiderare (affectu simplici, & inefficaci desiderio) vt tale quid fiat sine culpa: verbi gratiâ, vt in somno naturæ solutio eueniat ob finem bonum: dummodo desiderium tam intensum non sit, vt tale quid probabiliter causet: nec sit periculum consentiendi in huiusmodi voluptatem. Quia obiectum desiderij huius, aut gaudij malum non est. Lessi. *vbi sup.* Bonacin. *inibi.*

95 *An liceat cõiugibus delectari appetitu tantùm rationali de actu coniugij præterito, aut futuro?*

Peccatum mortale non est, si coniuges delectentur appetitu tantùm rationali de actu coniugij præterito, futuro, vel possibili, respectu compartis præsentis, vel absentis. Item si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea delectetur: vel vidua de præterita. Quia hi actus habent obiectum licitum. Dixi *appetitu rationali*. Quia si sponsus, aut vidua voluntariè consentiat in delectationem sensitiuam, & carnalem, (quæ recordatione copulæ futuræ, aut præteritæ naturaliter oritur) mortaliter delinquit. Lessi. Bonac. Palaus, Tanner. Diana citati à Busemb. *l. 5. c. 1. art. 2. n. 3.* Quia verò ad supradictam voluntatis oblectationem sensitiua, & carnalis, vt plurimùm, imò etiam consensus in fornicationem periculum consequitur: oblectatio illa voluntatis in praxi vix locum habet saltem in sponsis, & vidua: inter coniuges verò, modo periculum pollutionis absit, etiam sensitiua, ac venerea delectatio mortale non est. Quia status matrimonij excusat hæc, vti etiam tactus impudicos solius voluptatis causa institutos. Et quia hæc tendunt per se ad opus coniugale, licet per accidens opus non exerceatur. Bonacin. *de matrim. qu. 4.* Sanch. Lessi. Diana, quos Busemb. *lib. 5. cap. 1. art. 2. num. 3.* sequitur.

96 *Circumstantia desideriorum, aut delectationum mortalium aperienda in confessione.*

Qui delectationem morosam, aut desiderium mortale confitetur, debet operis addere circumstantias: an de coniugata, moniali, consanguinea. Quod limitarim, si delectatio feratur in obiectum apprehensum secundum totam suam malitiam, non autem si tantùm secundum partem: verbi gratiâ, si in fœminam apprehensam, vt non suam, non tamen vt alteri nuptam, vel vt monialem. Tunc enim probabile est, delectationes tales ad simplicis fornicationis speciem reduci. Sa *v. Luxuria.* Salas *1. 2. to. 2. tr. 13. d. 16. sect. 6. nu. 59.* Lege Card. de Lugo *de pœn. d. 16. num. 363.* Aliud est de ipso opere externo, quod semper fertur in obiectum secundum totam suam malitiam: aut etiam de desiderio efficaci, quod fertur in opus externum secundum se, & vt est à parte rei: ac proinde est eiusdem cum illo speciei, ideóque semper eius circumstantiæ sunt aperiendæ.

97 *Qui legit, aut audit turpia sine directa intentione, &c. venialiter peccat.*

Si quis sine causa, ac necessitate excæcet actionem ex qua intelligit, delectationem carnalem naturaliter orituram (verbi gratiâ, ex curiositate legit, vel audit turpia) tamen sine directa intentione, & sine consensus periculo, venialiter peccat; si verò iustam causam habeat, nec venialiter delinquit. Busemb. ex Lessi. & aliis.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto Sexto, ac Nono, Problemata.

CAPVT XIII.

Circà simplicem Fornicationem. Vbi de Concubinatu.

PROBL. I.

Fornicatio simplex, secluſa Dei prohibitione, ex natura ſua eſt, & non eſt peccatum mortiferum.

98 *Non eſt mortale.*

NON eſt. Quia non impedit bonam prolis educationem, extrà matrimonium enim poteſt conueniens educatio prolis haberi, conducto optimo pedagogo. Et quia non eſt contrà dilectionem Dei, neque contrà proximi amorem. Sic Martinus à Magiſtris, teſte Caietano 2.2.*qu.* 154.*art.* 2.

99 *Peccatum mortale eſt.*

Eſt profectò peccatum mortiferum naturali iure, & diuino, & humano prohibitum: & non ſolùm malum quia prohibitum; ſed prohibitum quia malum. Quia fornicatio opponitur Temperantiæ virtuti per grauem exceſſum, qui exceſſus cum ſit grauis deuiatio à rectæ rationis regula, neceſſariò erit mortiferum peccatum. Grauitas autem, & malitia huius criminis in eo ſita eſt, quod fornicatio directè deſtruit, & opponitur fini, ob quem Deus humanum coitum conceſſit; conceſſit autem non ſolùm ob filiorum multiplicationem, ſed etiam ob eorum rectam inſtructionem, & educationem, quæ fieri ex rei natura non poteſt, niſi certum, ac determinatum patrem habeant, ſicut & matrem, quod per ſolùm matrimonium fit. Eſt doctrina de fide, Clement. Ad noſtram de hæretic. 1. Cor. 6. *Neque fornicarij Regnum Dei poſſidebunt.* Ità omnes Patres D. Tho. 2.2.*qu.* 153. & 154. Caiet. *ibi.* Valent. *d.* 9. *qu.* 3. *punct.* 3. Leſſi. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 5. & 7. Azor. *tom.* 3. *lib.* 3.

100 *De fide eſt, eſſe mortale. Vnde reiicienda ſunquam erronea prima ſententia*

Problema diſſoluitur, quia pars prima nullatenus defendi poteſt. Porrò licèt de fide non eſſet noſtra aſſertio, auſus Martini à Magiſtris multis abſurdis implicatur. Nam per accidens eſt, poſſe bonum pueri pedagogum ſtipendio quæri, ſemper enim ex natura ſua non benè conſuleretur prolis educationi, cùm id ſolummodo locum habere poſſet in diuitibus, non verò in pauperibus: vndè ſi hoc verùm eſſet, in ſolis diuitibus non eſſet mortifera ſimplex fornicatio: & quo quis eſſet ditior, eo cum pluribus licitè fornicari poſſet, ſecluſa Dei prohibitione. Addo, id non tollere inordinationem illam, quam actus fornicationis per ſe, & ex natura ſua habet, quatenus in eo prætermittitur conditio matrimonij, quam natura requirit ad perfectam, & connaturalem prolis educationem; quæ prætermiſſio cum ſit rei grauis, ac mortalis, peccatū lethale neceſſariò inducit. Deindè falſum eſt, huiuſmodi fornicationem non eſſe contrà Dei charitatem, ac proximi amorem; eſt enim directè contrà proximi charitatem, cùm ſit contra bonum prolis naſcituræ: & indirectè, ac mediatè contra charitatem Dei, vt adnotat D. Thom. 2.2.*qu.* 154. *ar.* 4. & 5.

PROBL. II.

Simplex Fornicatio eſt, & non eſt grauius peccatum furto.

SVppono, fornicationem non eſſe grauius peccatum iis, quæ ſunt contrà Deum, aut contra honorem, ac cultum eius immediatè. Quia grauitas peccati deſumitur ex magnitudine boni, cui opponitur: māius autem eſt bonum diuinum, quam humanum; vndè grauiora ſunt peccata, quæ Deo, vel honori Dei immediatè opponuntur, & quæ committuntur contra virtutes Theologicas Fidei, Spei, ac Charitatis. Nec eſt grauius peccatum ex genere ſuo, quam omnia: quæ fiunt contra homines. Quia grauiora ſunt ea, quæ contrà hominem vitam perpetrantur. Hinc homicidium grauius peccatum eſt fornicatione ſimplici. Quia meliori bono, nempè vitæ hominis iam nati opponitur: fornicatio autem opponitur bonæ hominis iam nati educationi. Quæſierim autem, num grauius ſit furto peccatum? 101 *Nonnulla ſuppono.*

Eſt quidem. Quia quo maius eſt bonum, cui vitium opponitur, maior eſt ipſius vitij grauitas; fornicatio verò opponitur bonæ educationi hominis, furtum autem bonis ipſius hominis externis: minus verò ex genere ſuo eſt bonum habere fortunæ bona, quam perfecta carere educatione. Sic D. Thom. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 3. 101 *Eſt grauius peccatum furto.*

Non eſt grauius furto peccatum. Quia furtum eſt contra iuſtitiam, fornicatio verò ſimplex in ordine ad damnum prolis naſciturę eſt contra charitatem: præſtantior verò eſt virtus iuſtitiæ, quàm charitatis. Ità Martin. de Magiſtr. apud Caiet. 2. 2. *quæſtion.* 154. *articul.* 3. 103 *Non eſt.*

Probabilem reor partem ſecundam, primam autem probabiliorem præfero. Quia abſolutè loquendo fornicatio ſimplex eſt contra bonum vitæ: eſt enim contra bonum vitæ futuræ: maius verò eſt, abſolutè loquendo, bonum 104 *Probabilior pars primam partem reor.*

num vitæ, quam fortunarum bonum. Potrò simplex fornicatio etiam est suo modo contrà iustitiam, quatenus absolutè perfectæ hominis vitæ nocet.

PROBL. III.

Publici, ac notorij concubinarij sunt, & non sunt hodiè ipso facto de iure suspensi: & fiunt, & non fiunt irregulares si actum Sacri Ordinis exerceant.

105 *Suspensi sunt & fiunt irregulares.*

SVspensi hodiè ipso facto de iure sunt, & fiunt irregulares si celebrent, aut alium Sacri Ordinis sic actum exerceant. Quia *c.Vestra, de cohabit. Cleric.& mulier.* & *c.Quæsitum, eodem tit.* dicitur huiusmodi concubinarios publicos esse suspensos & quoad se, & quoad alios. Viget declaratio Cardinal. Tridentini *ad c.14.sess.25.* quæ sic se habet: *Clerici concubinarij sunt etiam hodie, si notorij sint, ipso iure suspensi à diuinis, prout etiam in veteri iure sunt.* sic Tolet.*li. c.47.n.1.* Sylvest.*v concubinarius.§.1.* Navar.*sum.c.25.n.76.* Ludou.Lop *p.2. Instruct. c.23.n.15.* Vega *sum.p.2.c.108.casu.3.* Azor.*l.6.c.7.q.5.* Rebuf.*in concordat.tit.de public.concub.in 1.3.& 9.pœn.* Farinac.*to 4.q.138.de delict.carnis, num.55.* & alij.

106 *Nec sunt ipso iure suspensi nec irregulares fiunt.*

Notorij concubinarij non sunt hodie ipso iure suspensi: nec fiunt irregulares si in peccato publici concubinatus existentes celebrent, aut sacros Ordines publicè exerceant, ac solèniter; possunt tamen suspendi ab Episcopo, vel Iudice, si postquàter admoniti fuerint, vt à concubinatu recedant, non paruerint. Quia suspensio, irregularitas, & excommunicatio sunt quædam pœnæ, quę ipso facto non incurruntur, nisi in iure sint euidenter, & indubitanter expressæ, vt omnes fatétur: At nullibi in ure expressum est publicos concubinarios esse ipso facto suspensos: Ergo minimè sunt. Maior est certa; minorem probo: Quia *c.Clerici, de cohabit. Clericor.& mulier.* non imponitur suspensio ipso facto publicis concubinariis, sed præcipitur imponenda ab Episcopis, si ipsis videbitur: ibi; *Verum ipsos per suspensionis, & interdicti pœnas debes arctius cogere, vt mulieres ipsas à se ita remoueant, quod de illis sinistra suspicio non possit haberi.* Neque *c.Quæsitũ*, id dicitue expressè: ibi; *Quæsitũ est de Clericis in fornicatione prolapsis, an eorum officia sint audienda? Verum etsi quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsũ constet esse suspensum, non debet tamen in officiis diuinis euitari, nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, vel confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei quæ tergiuersatione aliqua celari non possit.* Quibus in verbis non imponitur expressè ipso facto suspensio publicis cõcubinariis. Æquiparatur enim ibi publicus concubinarius peccatori occulto: & sicut occultus peccator impropriè est ipso facto suspensus, quatenus nõ potest licitè, dum in peccato est, diuina officia exercere; ita neque etiã publicus cõcubinarius potest quoad alios diuina exercere officia, neque illi possunt licite illa ab eo petere, nõ quia ipso iure est suspensus; sed nè illi præbeat occasionẽ publicè peccãdi cũ publico populi scãdalo. Neque *c.Vestra* fauent primæ sententię verba illa: *sine dubitatione teneatis, quod à Clericis, & Præsbyteris quanquam fornicariis, quandiu tolerantur, nec habent operis euidentiam, licitè diuina Mysteria audiantur, & recipiantur Sacramẽta.* Certè verba hęc eandem, ac caput præcedẽs interpretationem admittunt. Ideò enim hìc dicitur, non esse licitum, diuina officia audire ac Sacramẽta recipere ab huiusmodi publicis cõcubinariis, quia scãdalo daretur occasio: & quia petitione & receptione Sacramentorum Sacerdotes illi ad permanendum in misero statu cõfirmarentur. Ita Suar.*to.5.decens.d.31.sect.4.à n.4* & præcipuè 10.Auila *p.3.d.5.dub.2.* Garcia *de ben.f.p.7.c.14. num.32.* Sotus *in 4.dist.1.q.5.a.6.* Rodrig.*to.2. sum.c.67.n.1.* Henriq.*l.9.c.25.p.13.lit.P.* Vgoli.*de irregul.c.43.§.3.* Fagund. *in Decal.6.c.2.n.10.* & alij plures ex Neotericis.

107 *Præsertim sententiam.*

Primam sententiam satis probabilem, secundãve probabiliorẽ esse existimo, qua validè ex Tridentino *sess.25.c.14.* roboro. Locutum enim Concilium de Clericis concubinariis notoriè: præcipit, vt præmissa trina admonitione suspẽdãtur, nisi resipuerint: Ergo non erãt ipso facto suspensi, alioquin enim frustrà suspẽdi iuberentur. Accipe Cõcilij sententiã. *Quoad Ordinarius etiam vi sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur suspendantur: & si ita suspensi eam non expellant, quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, portionibus, pensionibus, ac officiis priuentur.* Nec reor obstare eminent. Cardinal. declarationem, qua maximè prima sententia nititur. Quia eos puto fuisse locutos de iure, in quo fundabatur ea opinio: noluisse autem tollere consuetudinẽ, qua secũda stabilitur, dũ asserit, illã suspẽsionẽ, si qua in iure fundata erat, propter non vsum in desuetudinem omninò abiisse: quod supponit Concilium, asserens posse huiusmodi suspẽsionem ab Episcopis publico concubinario imponi, si ipsis visum fuerit.

PROBL. IV.

Pœna suspensionis habet, & non habet locum in publicis concubinariis Clericis solum in minoribus constitutis.

108 *Status quæstionis.*

SI retineatur prima probabilis quidem opinio Problemate proximo expetita, requiro: an pœna suspensionis ipso facto, locum habeat dumtaxat in Sacerdotibus, Diaconis, & subdiaconis: an etiam in aliis Clericis in minoribus ordinibus constitutis, ita vt maneant ipso facto suspensi ab vsu suorum ordinum si publici concubinarij, aut fornicarij sint, & fiant irregulares si in eis ministrent?

109 *Habet in eo locum.*

Habet in eis locum. Quià *in cap.Vestra, de cohabit. cler.& mulier.* & in aliis capitibus, quibus de huiusmodi suspensione agitur de Clericis generatim agitur: & Cardinalis declaratio *ad c.14.sess.25. Concilij Tridentini* profatur: *Clerici concubinarij sunt etiam hodie, si notorij sint ipso iure suspensi à diuinis, prout etiam in veteri iure sunt.* At in minoribus ordinibus constituti sub Clericorum nomine continentur. Sic Farinac. *to.4.q.138. num.71.* Bernardd. Diaz, quem ibi allegat *in pract. crimin. cap.79. v. Concubinarij, num.2.* D. Antonin. *part.3.c.3. tit.17.* Viuius *opin.123.num.1.*

110 *Non habet in eis locum.* In eis locum non habet. Quia quoad Clericos in minoribus constitutos nullibi inuenitur in iure huiusmodi suspensionis fundamentum. Et quia irregularitas non incurritur, nisi suspensi exerceant solemniter actum Ordinis, in quo suspensi sunt. In minoribus autem Ordinibus non inuenitur in iure in quo solemnitas consistat. Ità Ludou. Lopez *part. 2. Instruct. cap. 23. & 31.* Fagund. *Decalog. lib. 6. cap. 2. n. 16.* & alij.

111 *Hoc præferendum reor.* Hoc asserendum reor, adiiciens, posse illos à suis Episcopis, si in habitu, ac tonsura existant, & foro Ecclesiastico gaudeant, carceris pœna, vel aliter puniri, vt ipsis videbitur, si post trinam monitionem, se corrigere renuerint. Trident *sess. 25. cap. 14. Clerici verò Beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatem ab Episcopis carceris pœnis, suspensione ab Ordine, & inhabilitate ad Beneficia obtinenda iuxta Sacros Canones puniantur.* Vbi illa verba, *Clerici carceris pœnis, & inhabilitate ad Beneficia obtinenda*, comprehendere etiam Clericos in minoribus videntur.

PROBL. V.

Clerici publici concubinarij sunt, & non sunt de iure ipso facto excommunicati.

112 *Sunt quidem.* SVnt planè. Quia *cap. Clericus, de cohabit. cleric. & mulier. & cap. 1. de consanguinit. & affinitate*, id asseritur. Sic Farinac. *tom. 4. quæs. 138. num. 42.* Bermon. *de publ. concubinar. verb. Alios non publicos, num. 3.* Decian. *tract. crim. l. 6. c. 21. num. 8.*

113 *Non sunt.* Minimè sunt. Quia in præfatis capitibus nulla prorsus mentio fit de excommunicatione. Nisi fortè primæ sententiæ Auctores ipsam suspensionem cum censura sit, excommunicationem vocitent: cum tamen suspensio, & excommunicatio inter se differant, & diuersos sortiantur effectus. Ità Fagund. *Decal. l. 6. cap. 2. num. 17.*

114 *Hoc timeo.* Meo hæreo Doctori, cum ostenderim publicos concubinarios haud esse in iure ipso facto suspensos. Poterunt tamen ipsi excommunicari ab Episcopis, si admoniti, non emendentur. Quia pœnæ quibus ad emendationem puniri possunt huiusmodi Clerici penès arbitrium Episcoporum sunt, modo sint iuxtà Sacros Canones, vt patet ex Trident. *sess. 24. cap. 8. de refor.* & *sess. 25. cap. 14.* Et miror equidem primæ sententiæ Auctores tam propensos esse ad augendas, ac extendendas pœnas, cum tamen sint restringendæ.

PROBL. VI.

Concubinatus crimen est, & non est merè Ecclesiasticum. Iudices sæculares ex officio illud possunt, & non possunt punire.

115 *Est merè Ecclesiasticum.* CRimen hoc est merè Ecclesiasticum, atq; ideò iudicio tantùm Ecclesiastico vindicari potest. Quia concubinatus peccatum nulla legè ciuili prohibetur, nulla punitur, quinimò modo aliquo si non approbari, at saltem dissimulari videtur, *l. Item lege, 47. §. 1. vers. parui ff. de legat. 3.* Authent. *Licet Cod. de natural.* Alexand. *l. ex facto, §. si quis negatur, num. 13 ff. Ad Trebellian.* Ergò merè Ecclesiasticum est, nam crimina, quæ sola lege Canonica, non ciuili, prohibentur, merè Ecclesiastica censenda sunt, iuxta communem Doctorum sententiam, quam approbat Nauar. *ad c. Nouit, de iud. notab. 6.* Sic Iuli. Clar. *in pract. crimin. qu. 37. num. 9.* Portius *consil. 21. num. 26. l. 1.* Tuschus *deuisitat. l. 2. c. 21. num. 26.* Abbas *ad c. Cum sit, de foro compet. num. 25.* Anchar *ibi, num. 9.* Areti. *nu. 15.* Soc. *num. 24.*

116 *Non est mere Ecclesiasticum.* Crimen hoc non est merè Ecclesiasticum, sed & ciuile. Quia cum à sæcularibus committitur, nulla ratione merè Ecclesiasticum dici potest, si aganus de punitione, ac mera illius vindicta, provt Doctores primæ partis existimant. Nec illorum fundamentum valet. Quia licet nullibi in iure ciuili expressè sæcularium concubinatus puniatur, de iure communi loquēdo: punitur tamen, ac prohibetur sub adulterio, quod constat, crimen esse merè sæcular, non Ecclesiasticum. Vndè non approbatur tam nefarium crimen iure ciuili, sed leuere, vt par est, vindicatur. Porrò receptū est apud omnes, laicos in foro sæculari, Clericos verò in foro Ecclesiastico iudicari, ac puniri debere pro culpa præterita publici cōcubinatus, vt cōstat experimēto, & cū cōmuni docet Nauar. *c. Nouit. de iudic. notab. 42.* Couar. *l. 3. variar. cap. 3. nu. 1.*

117 *Vtor distinctione.* Distinguendum existimo, Si de hoc crimine agatur principaliter ad pœnam, seu punitionē præteritæ culpæ, solus Iudex sæcularis competens est, & sæculares punire potest, si autem de correctione, & futura emēdatione agatur, præuiis admonitionibus, poterunt huiusmodi sæculares ab Ecclesiasticis Prælatis compelli, vt à peccato recedant, & concubinas cum effecto eiiciant. Probo ex Trident. *sess. 24. c. 8. & sess. 25. c. 14.* Nā primo loco expressè loquitur de concubinariis sæcularibus solutis, & vxoratis; ibi, *Tam solutos, quam vxoratos cuiuscumque status*, & ad illorū emendationem præcipit, vt ter admoneātur; quod si ter moniti, concubinas non eiecerint, séq; ab earū consuetudine pō seiūxerint, præcipit, vt excommunicatione feriantur; & si cēsuris neglectis per annūin concubinatu permāserint: imperat, vt seuerè puniantur, noīā propter cōcubinatus crimen, sed ob censurarum neglectionem. Constat igitur ius Ecclesiasticum, cum sermo instituitur de concubinatu sæcularīū personarū, solū agere ad futuram emendationē: cū verò agitur de personarū Ecclesiasticarū cōcubinatu, non solùm de futura emēdatione sermonē institui, sed etiā de culpę punitione. Quāvis autē crimē hoc sit merè sęculare, quoad præteritā culpā: nō posūt tamen Iudices sæculares ex officio, & absque speciali Principis rescripto illud punire: & hoc quidē nō quia crimē merè Ecclesiasticū sit, sed quia in foro sæculari nullibi per leges punitur expressè, nec vllā certā, & determinatā pœnā habet in iure ciuili expressā. Quādóq; tamē per speciale rescriptū Principis sæcularis de hoc crimine sæculares Magistratus inquirūt, & criminis puniūt. Et apud Hispaniā vulgare iam est,

sæcu

sæcularium concubinatus à sæculari Iudice sine speciali rescripto puniri.

PROBL. VII.

Clericorum Concubinæ possunt, & non possunt à Iudice sæculari puniri.

118 *Non possunt iudicari.* COncubinæ Clericorum in foro, ac iudicio sæculari iudicari non possũt, nec pro præterito crimine castigari: nec valent sæcularia statuta, quæ in ipsas pœnam decernunt. Quia earum infamia videtur in Clericos recidi, quorum delicta non sine graui nota publicantur: & apud sæculare tribunal non bene audit Ecclesiastici status puritas. Sic Abbas *ad cap. cum sit generale, num. 25. de foro compet.* Iason. *ad l. penult. num. 17. ff. de iurisd. omn. iudic.* Palati. *repet. rubr. §. 39. num. 7.*

119 *Iudicari possunt.* Clericorum concubinæ possunt à Iudice sæculari puniri, & pro crimine prælapso castigari: & valent statuta sæcularia quæ in ipsas pœnam decernunt. Quia præterquam quod legibus Romanorum, totius Hispaniæ *l. 21. part. 4.* Galliæ, &c. in concubinas pœnæ decretæ sunt; omni iuris fundamento caret, denegare sæcularibus Iudicibus potestatem puniendi temporale crimen à sæculari persona commissum. Fagund. *Decal. l. 6. cap. 2. num. 23.*

120 *Certum hoc mihi.* Hoc mihi certum. Nam infamia illa Clerici complicis sui socij criminis, per accidens sequitur, & non intenditur in iudicio, vbi concubina merè sæcularis accusatur; & velint, nolint Clerici in illa consensêre virtualiter, quando crimen voluntariè patrarunt, vndè voluntariè se huic periculo exposuerunt.

PROBL. VIII.

Possunt, & non possunt occultæ Clericorum Concubinæ apud tribunal sæculare accusari, & puniri.

121 *Possunt quidem.* POssunt à Iudicibus sæcularibus puniri occultæ Clericorum Concubinæ. Quia cum delictum occultum sit, Clerici ex infamia non videntur quodammodo puniri. Cum autem publicæ concubinæ accusantur, & puniuntur, in Clericorum dedecus supplicium illud refundi videtur, & sic quodammodò, & ipsi puniuntur. Hoc supponere videntur Anani. *ad rubric. de adult. num. 4.* Felin. *in cap. Cum sit generale, numer. 24. de foro compet.* Boërius *decis. 72.* Perez *ad leges Castellæ lib. 1. titul. 2. lib. 21.* Iuli. Clar. *in pract. crimin. quæstion. 27. numer. 4.*

122 *Minimè possunt.* Minimè possunt occultæ Clericorum concubinæ à sæcularibus Iudicibus puniri. Quia hoc à iure non probatur, imò contrarium probatur in iure ex generali regula *c. Qualiter. 2. de accusatorib.* quæ prohibet aduersus non infamatos inquisitionem fieri. Fagund. *Decal. l. 6. cap. 2. num. 24.* & omnes communiter.

123 *Hoc omninò certum.* Hoc omninò certum. Quia omnes leges tàm Canonicæ, quã ciuiles pœnas sãas in publicos tantũ concubinario, & cõcubinas decernũt, vt constat ex *tit. de cohabit. Clericor. & mulier.* Certè crimina occulta Deo soli reseruantur, nec publica pœna delictum secretum potest respicere, aut cum illo habere proportionem.

CAPVT XIV.

Circà Stuprum.

PROBL. IX.

Virgo consentit in defloratione sub cura parentum existens: Tunc datur, & non datur Stuprum.

124 *Tunc datur stuprum.* IVnc defloratio virginis continet specialem deformitatem distinctam à simplici fornicatione, quando virgo adest sub potestate parentum, vel tutorum, vel eorum qui loco parentum sunt: secus si extra hanc potestatem sit, suive iuris. Quià si sub parentum custodia existit, etiam si ipsa sponte consentiat, specialis iniuria parentibus irrogatur: læduntur enim tunc nõ solũ in honore vehementer; sed etiam in facultatibus, nam cogentur vel dotem augere, si eas velint coniugio aptare vel totius vitæ cursu alere innuptas. Neque enim illæ possunt cedere iuri suo, dum sub parentum adsunt potestate cum tanto illorum præiudicio, cum sui iuris adhuc non sint: vnde haud satis erit earum consensus. Sic D. Tho. *2. 1. quæst. 64. art. 6.* D. Antonin. *part. 2. tit. 5. c. 2. initio.* Angel. *v. Stuprum*, Sylvest. *v. Luxuria quæs. 1.* Tabie. *v. stuprum. num. vni.* Tolet. *lib. 3. cap. 18. num. 2.* Henriq. *lib. 2. cap. 8. n. 2.* Filliuc. *tract. 3. cap. 3. nu. 66.* & alij.

125 *Tunc non datur stuprum.* Peccatum illud, quod patratur in virginis defloratione, ea volente, ac libere consentiente, stuprum non est, nec à simplici fornicatione specie distinguitur, quamvis virgo sub cura parentum, vel aliorum qui locõ parentum sunt, sit constituta. Quia hîc in parentes non datur iniuria, neque in sponsos futuros; aut damnum vllum irrogatur. Nam virgo est sui corporis domina, non parentes, neque illius futurus sponsus, quisquis ille erit; & violator Virginis non lædit parentis honorem, aut spõsi futuri immediatè, ac directè, sed immediatè, & indirectè: volente scilicet, ac consentiẽte virgine. Neque parẽtes, vel futuri sponsi in facultatibus suis damnum accipiunt, quia si stuprum est occultum, non tenentur illud manifestare, & possunt filiam tradere viro, ac si virginitatis flore potiretur, quia sufficit publicè talis reputetur. Nec filiæ se nubiles seruare, & habiles ad coniugium; alioquin enim non possent licitè vouere castitatem, aut innuptæ manere. Deniq; nulla ratio probat, parẽtes habere maius dominiũ in filiã virginem, quã in solutã. Cum ergo non sit speciale peccatum abuti soluta sub paterna potestate constituta, ita nec Virgine, si sponte consentiat. Ita Sanc. *l. 7. de mat. d. 14. n. 5.* Suar *de pœn. to. 4. d. 22.*

*sect.4.num.4.5.& 6.*Petr.Nauar.*lib.1.de restit. c. 3.num.4.& 9.*Vasq.1.2.q.74.*art.3.d.112.num.1. & 3.*Lessi*us.*tom.1.lib.2.cap.10.dub.1.num.5.* Fagund. *Decal.lib.6.cap.4.num.7.* Sotus *in 4. dist. 18.qu.2.art.4.*

126 *Communiorem hodie hanc partem existimo.*

Communiorem hodie proximam sententiam esse putarim. Nam si læduntur parentis facultates, quando est publica defloratio, id quidem fit volente, ac consentiente filia, quæ tanquam sui corporis dominaius habet, vt absque iniuria patris tale damnum per accidens inferat, suo corpore illicitè vtendo. Haud aliter qui suo in agro puteum fodit, non tenetur damnum reficere vicino, cuius putei venas suum in puteum decurrentes incidit. Quia vius est iure suo, & per accidens indè vicino damnum illud aduenit. Quemadmodum qui iniustè custoditur in carcere, potest cum damno carcerarij aufugere, quia suo iure vtitur.

127 *Hinc quinque corollario elicio.*

Hinc quinque corollaria elicio. 1. virgo consentit, non tenetur defloratoi in confessione circumstantiam Virginitatis aperire. Solùm tenetur ille explicare, quandò vel copulam habuit, vel desiderauit habere cum Virgine inuita. Tenetur defloratoi aperire Virginitatis circumstantiam, si dolo, ac fraude Virginem decepit. Fraus enim & dolus violentiæ æquipollent, & iniuriam continent. Non est stuprum proprie loquendo, sed simplex fornicatio respectu puellæ, quando illa lubens e patris domo rapitur. Quamvis enim sit raptus respectu parentum, quibus vis infertur, vt videbimus; non tamen est stuprum respectu illius; & ideò illa circumstantia raptus respectu parentum erit necessariò fatenda, non hęc respectu filiæ. Qui defloraut Virginem (pontè consentientem, si nihil ei promisit, ad nihilum pro Virginitate ablata tenetur.

PROBL. X.

Stuprum committitur, & non committitur etiam in Viduam honestam.

128 *Committitur planè.*

STuprum committitur non solùm in Virginem, siuè (pontè consentiat, siuè non consentiat: sed etiam in Viduam honestam. Quia id non obscurè asseritur, §. *Item l. Iulia de adulter.* Nam viduitas honesta Virginitati quodammodo æquiparatur. Sic Farinac. *tom.4. qu.* 147. §. *Stuprum, num.*10. Innocent. & Hostiens. *ad c.2. num.1. vers. lex tantùm dicit, de adulter.* Ioan. Andr. *ibi, num.*1. Butrius *numer.4.* Abbas *num.5.* Zabarella *numero secundo*, Salicet. *ad l. eum qui duos, numer. 2. Codic. ad leg. Iuli. de adulter.*

129 *Minimè perpetratur.*

In viduam honestam stuprum minimè perpetratur. Quia illi textus loquuntur de stupro latissimè, non de stupro propriissimè. Solùm enim datur propriissimè stuprum, quandò virgo defloratur, ipsa renitente, ac dissentiente. Ita Fagund. *Decalog. lib.6 cap.4. num.*14. & alij communiter.

130 *Propriè stuprum nō committi in Viri cum fœmina Virgine, quo eius integritas per dijam existimo.*

Profectò strictissimè, & in verissima acceptione sic stuprum definio: *Est concubitus viri cum fœmina Virgine, quo eius integritas per vim, & iniuriam illius violatur.* Itaque violari debet carnis integritas ad verum stuprum, vt asserit Sanch. *lib.7. de matrimon. d.*14. Vasq. *1.2. d.112. cap.2.* Lessi *lib.2. ca.*10. *dub.*1. Sotus *in 4. dist.*18. *qu.*1. *art.*4. Nauarra *lib.2. de restit. cap.*3. *num.*433. & omnes ferè Doctores cum D. Tho. *2.2. qu.*194. *art.*7. Vndè non erit propriè stuprum illud quo fœmina vidua honestæ famæ corrumpitur.

PROBL. XI.

De Iure Canonico cogendus, & non cogendus defloratoi, Virginem dotare, si velit verberum pœnam sustinere.

DE iure Canonico cogendus stuprator primò Virginem defloratam dotare, & insuper eam sibi in vxorem ducere: si autem non vult ducere, post constitutionem dotis virgis cæditur. Quia *cap. 1. de adult.* id præcipitur. Sic Nauar. *sum. cap.*16 *num.*16. Socinus *ibi, nu.*6. Conrad. *in pract. rubr. de stupro, num.*17. Anton. Gomez *ad l. Tauri* 80. *num.*6 iul. Clar. *in §. stuprum, numer.3. vers. laicus autem.* Thesaur. *decis. Pedem. dec.3. num.2.& 3.* Tusch. *concl.* 709. *numer.*6. 131 *Cogendus est, Virginem defloratam dotare.*

De iure Canonico cogendus non est stuprator Virginem defloratam dotare, si vult verberum sustinere pœnam. Quia verberum vilis pœna tanta est, vt non iam æquiualere iniuriæ, verum & superare videatur. Ità Innocent. *ad cap Peruenit, de adulter. ad finem.* Hostiens. *ibi, num.4. ad verb. corporaliter, & num.5.* Ioan. Andr. *num.5. ad verb. Retrudatur.* Butri. *num.*2. Henric. Bohic. *num.4.* 132 *Non cogitur genitiu.*

Ego quidem primam sententiam veriorem, ac communiorem esse puto, quæ communiter in praxi asseruatur. Nam si defloratoi non vult defloratam puellam ducere in vxorem vltrà dotem; vel pœna verberum, iuxtà primæ sententiæ Auctores afficitur: vel aut pecuniaria, aut alia simili Iudicis punitur arbitrio. Et certè defloratoni dotis assignatio debetur: nequitia verò eam nolendi ducere in vxorem verberum pœna vindicatur. 133 *Primam sententiam veriorem esse reor.*

PROBL. XII.

Defloratoi Virginis (pontè consentientis tenetur, & non tenetur in conscientia restituere illius parentibus damnum inde eis resultans, supplendo augmentum dotis, quo fœmina defloratа indiget.

TEnetur quidem. Quia re vera parentes in eo sunt damnificati à defloratore: At qui alteri iniusta est damni causa, tenetur illud restituere. Sic D. Thom. 2.2. *qu.*154. *artic.6.* & *ibi* Caietan. Abul. *ad cap.5. Mat. quæs.*191. Guilelm. quem refert, ac sequitur D. Anton. *p. 2. tit.5. cap.6. §.1.* Bernar. Diaz *in pract. cap.* 83. *num.6.* & *ibi* Salzed. *in addit. v. Non debeat.* Corduba *l.1. qq.q.*13. Valent. *2.2. d.9. qu.3. punct.3.* Gutier. *lib. qq. canon. cap.*37. *num.*24. Ludou. Lop. *part.1. Inst. cap.*77. Manu. *tom.1. sum. cap.*108. *concl.3. num.3.* 134 *Tenetur (pontè.*

Minimè

135 *Non tenetur.* Minimè tenetur, aut defloratæ fœminæ liberè consentienti, aut eius parentibus. Quia neque illi, neque parentibus gessit iniuriam. Non illi, quia illa est domina suæ famæ, ac signaculi Virginalis: & volenti ac consentienti nulla irrogatur iniuria; non parentibus, quia si hi aliquod ius habebant in signaculo Virginali, aut fama filiæ, est ab ipsius voluntate dependenter: ac proindè defloratorper accidens honorem, ac ius parentum læsit. Ex læsione autem facta per accidens nulla resultat obligatio iustitiæ in conscientia. Ità Lessi. *lib. 2. cap. 10. dub. 2. num. 9.* Vasq. *2. 2. qu. 74. art. 8. d. 112. nu. 3.* Suar. *de pœnit. d. 22. sect. 4. num. 6.* Nauar. *sum. cap. 16. num. 16.* Sotus *lib. 4. de iust. qu. 7. art. 1. ad 3.* Sanch. *lib. 7. de matrim. d. 14. num. 11.* Sayr. *in Clani, lib. 11. cap. 1 num. 16.* alios citans Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. num. 423. dub. 2.* Veracr. *part. 3. spec. art. 19.*

136 *Hanc sententiam veriorem esse affirmo.* Hanc sententiam veriorem esse credo. Quia præter quam quod id fert vsus, filia volens potuit hoc damnum pati, nil de honore parentis curans absque iniuria illius: sicut potest quilibet absque iniustitia in parentem aliud quodcúmque scelus perpetrare, quamvis indè toti familiæ dedecus sequatur. Addiderim, ipsam filiam voluisse sponte illam nuptiarum pati iacturam; quare non tenetur pater ei dotem augere, vt competenter nubat: & ipsa potest, inuito patre, inferiori nubere, quin nec ipsa nec inferior ille patri sponsæ aliquid restituere teneatur ratione iniuriæ à damno præcisè. Certè si ipsa defloratione suæ consentiens pecunias haberet, queis posset patri iniuriã compensare, non teneretur ex illis satisfacere, cum tamen sit causa principalis iniuriæ; minus igitur tenebitur defloratorfiliæ illius liberè consentientis.

PROBL. XIII.

Qui Virginem vi, vel importunis precibus corrupit, satisfactione ei præstita, adhuc tenetur, & adhuc non tenetur illius parentibus aliquid pro iniuria illata restituere.

137 *Nonnulla suppono.* SVpposo, quamvis corruptor nihil promiserit puellæ, si tamen dolo, aut vi aut importunis precibus eam defloravit, teneri vel illam ducere vel damnum reparare. Sufficit tamen, si ei restituat maioris dotis tantùm, quanto indiget, vt talem maritum inueniat, qualem virgo inueniret iuxtà prudentis arbitrium. Quod etiam restituendum erit quamvis puella sui iuris sit, & parentes non habeat, auctore Nauarro *sum. cap. 16. numer. 17.* addente, non obligari ad eam omninò dotandam; quia id pœna est, quæ in foro conscientiæ debetur, donec à Iudice post latam sententiam infligatur. Sanch. *libr. 4. de matrimon. d. 7. num. 5. & 6.* Adiicit adhuc Nauar. teneri ei restituere aliquid amplius pro verecundia, in qua totius viræ cursu est mansura, & pro contumeliis, quas ob id à marito accipiet. Sed huiusmodi restitutionem tunc habere locum putarim, quandò stuprum fuit manifestum. Quæsierim verò, nũ parentibus fœminæ defloratæ teneatur corruptor aliquid pro iniuria illata restituere?

138 Tenetur quidem Quia si ipsi puellæ aliquid debetur adiici pro rubore, ac contumeliis, rubore, ac contumelia parentes ob filiæ publicam defloration em proculdubio afficiuntur, quæ debet compensari. Sic Petr. Ledes. *de matrimon. q. 45. art. 4. dub. 1.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 17.* Carbo. *de restit. qu. 16. conclus. 9.* & alij. *Tenetur aliquid parentibus restituere.*

Minimè tenetur. Quia qua satisfactione defloratorVirgini corruptæ compensat iniuriam, parentibus simul fecit satis; quare eo dotis supplemento restituto, nihil parentibus vltrà debetur. Ità Sanch. *lib. 7. de matrimon. d. 14. num 12.* Fagund. *Decalog. libr. 6. cap. 5. numer. 5.* & alij. 139 *Non tenetur.*

Idem assero. Nam parentum rubor, vel dedecus accidentale est. Attamen si ex ingressu defloratoris ad Virginem rupta est domus parentum, vel aliud damnum illius rebus illatum, non dubito, teneri stupratorem illud eis in conscientia restituere. 140 *Idem assero.*

PROBL. XIV.

Puella vi defloratatenetur, & non tenetur defloratorem æqualis qualitatis paratum; acceptare in maritum; sed potest, & non potest dotem postulare.

QVi dolo, vi, aut importunis precibus Virginem defloravit, paratus sit eam ducere, & nec ipsa, nec parentes eius velint, sed postulent dotis augmentum; aut illati damni valorem: tenetur puella illum acceptare in maritum, ei in conditione, seu qualitate respondentem: alioquin corruptor liber à restitutionis obligatione manebit. Quia inito coniugio perfectius iniuria, quam dote addito compensatur. Sic. Couar. *p. 2. de sponsal. cap. 6. §. 8. num. 19.* & alij valdè probabiliter. 141 *Tenetur acceptare.*

Non tenetur defloratavi, aut dolo puella defloratorem paratum eam ducere acceptare in maritũ, siue ille æqualis, siue superioris sit qualitatis: sed poterit postulare dotem. Quia ratione ob illo puellæ, aut parentibus illatæ, optio apud illam, & parentes eius manet. Ità Lessi. *to. 1. l. 2. de iniur. per stupr. cap. 10. dub. 2. num. 12.* Fagund. *Decal. l. 6. cap. 5. num. 6.* 142 *Non tenetur.*

Verius hoc existimo. Adiicit Lessius, si è cõtrà stupratorvelit compensare pecuniis, & illa nolit pecuniarum, sed coniugij compensationẽ: non teneri eam ducere in foro conscientiæ antè sententiam latam; sed sufficere damnum vere, reparare. At probabilius crediderim cum Fagundez in vtroque casu optionem penès defloratam manere ob iniuriam illi illatam. 143 *Verius hoc mihi.*

PROBL. XV.

Puella vi, dolo, aut importunis precibus defloratæ, polea commodas nuptias sortita est, ita vt defloratio nullius ei damni causa exiterit: Certè defloratortenetur adhuc, & non tenetur pretio defloration em compensare.

TEnetur planè. Quia damnum illud illatum ei fuit per iniuriam, & iniustitiam, quod 144 *Tenetur omninò.*

erat de sorpretio æstimabile : & per accidens fuit, quòd æquè commodas nuptias sortiretur, & maritus non deprehenderit defloratio-nem. Sic Sayr. *in Clavi, lib.* 11. *c.* 1. *n.* 29. Cordu. *lib.* 1. *qu.* 13. Salon. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. *controu.* 5. Valent. *tom.* 3. *d.* 9. *qu.* 3. *punct.* 3. Victor. & alij apud Sayrum. Adiiciunt tamen, non teneri defloratorem antè Iudicis sententiam dotem ei integram addicere, sed aliquid prudentis arbitrio. Quia dare totam dotem est pœna à lege imposita, quæ non nisi post sententiam latam debetur.

145 *Minimè tenetur.* Non tenetur ei aliquid restituere. Quia restitutio fit tantummodo pro damno secuto, ac dato, & non pro ipsa Virginitatis ablatione, aut amissione famæ; fama enim, & Virginitatis ablatio æstimationem non recipiunt. Hìc verò nullum damnum fuit secutum, aut datum : nam æquè fœmina illa nuptias inuenit: & quamvis defloror in periculo patiendi damnum constituit, parum refert; quia constituere aliquem in periculo amissionis bonorum ad restitutionem non obligat, nisi re vera damnum sequatur. Ità Lessi. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 17. Nauar. *sum. cap.* 16. *nu.* 15. & alij.

146 *Hanc probabiliorem iudico esse sententiam.* Opinionem hanc probabili satis primæ præferendam duxi. Quod si obiicias : Ergò puella, quæ iam aliquid accepit prò satisfactione defloratìonis, si æquè nubat, tenebitur illud restituere : Negatiuè respondeo; quia poterat antecedenter expresè cum illo pacisci de damno, quod probabiliter timebatur: & ratione huius pacti si fuisset expresè celebratum, potuisset illud pretium, quamvis nullum damnum fuisset secutum, retinere : iam enim sese periculo exposuit, quod est pretio æstimabile. Ac quamvis hìc nullum pactum antecesserit expressum, attamen vbi illi post commissum stuprum aliquid is in satisfactionem dedit, aut illa antè eius patrationem aliquid accepit, ea intentione datum, vt illa consentiret, aut vt pro compensatione maneret: pactum iudicatur impliçitum, vel donatio quædam remuneratoria; quare in neutro casu illa restituere tenebitur.

PROBL. XVI.

Si quis sine dolo, fraude, aut precibus importunis accedat ad eam, quæ non est ab alio deturpata, pro Virgine tamen putata communiter : tenetur, & non tenetur ei aliquid restituere si res euulgatur.

147 *Tenetur.* TEnetur profectò. Si res euulgatur, & ob id ea nota afficitur. Quia licet ad nihilum ei pro Virginitate erepta teneatur, debet tamen ei pro fama erepta damnum restituere. Sic Maior *in* 4. *dist.* 37. *qu.* 33. Nauar. *sum. cap.* 16. *num.* 19.

148 *Non tenetur.* Si ipsa voluntariè consensit, vel se obtulit, non tenetur vir ex iustitia ei aliquid restituere, etiamsi res: (sine culpa tamen viri) diuulgetur. Quia nec famam, ne coniugium futurum ei per vim abstulit: si volenti enim, & consentienti nulla fit vis, nulla iniuria. Si verò culpa viri ad eam accedentis eam fœmina subeat infamiam, verbi gratiâ, quia ea in loco tuto consensit, aliter minimè consensura: ille verò publicè se iactans, vel alia via manifestans, illam infamauit : tunc quidem iniustus est dammificator : quare tenetur eam dotare, vel via alia ei satisfacere. Sayr. *in Clavi, lib.* 11. *cap.* 1. *num.* 66. Nauarra *de restit. cap.* 3. *num.* 449. & alij communiter.

149 *Hoc longè probabilius.* Longè probabilius hoc existimo adiiciens, si illa voluntariè non consensit, sed per vim, fraudem, aut preces importunas ad illam quis accessit, quam Virginem esse putabat, & ab alio corruptam inuenit; sed communiter illa pro Virgine existimabatur, suâque causa infamata fuit: teneri eam dotare, vel aliter damnum illatum ei restituere. Quia illa iustè, & sinè iniuria huius bonæ famæ erat in possessione, à qua per iniuriam, & violentiam fuit ab ipso priuata. Mecum Nauarrus *vbi suprà*.

PROBL. XVII.

Preces importunæ, quæ æquipollent violentiæ, sunt & non sunt illæ, quæ fiunt per crebras, ac repetitas rogationes, deambulationes, munuscula crebrò emissa.

150 *Sunt illæ quæ fiunt per importunas rogationes.* QVæsieris, quænam sint importunæ preces, quæ violentiæ æquipollent, & per quas consensus fœminæ per vim extortus censeatur? Certè preces importunæ sunt illæ, quæ fiunt per crebras, ac repetitas rogationes, deambulationes, replicata munuscula. Quia hæc respectu leuium puellarum vim habent coactionis. Sic Nauar. *sum. c.* 16. *n.* 16. Corduba *l.* 1. *qq. q.* 13. *dict.* 4. & 7. Caiet. 2. 1. *q.* 154. Syluest. *v. Luxuria, q.* 5. Gloss. *ad c. scienti de reg. iuris in* 6.

151 *Non sunt, sed requiritur aliquis metus.* Non sunt preces importunæ, quæ violentiæ æquipollere valeant, illæ quæ fiunt per crebras ac repetitas rogationes, deambulationes, munuscula: sed requiritur etiam metus aliquis saltem reuerentialis, vel leues minæ, vel promissiones aliquæ dolosæ: verbi gratiâ, si fingeret vir, se esse nobilissimum, ditissimúmve: vel si esset superior, dominus, aut vir magnæ authoritatis, cui fœmina ob reuerentiam contradicere non audeat. Quia secluso hoc dolo, &c. preces crebræ, ac repetita munuscula voluntatem potius augent, quam auferunt. Quare opus est, vt ad hasce preces accedat metus aliquis reuerentialis, vel timor, vel dolus. Ità Nauarra *de restit. l.* 2. *c.* 3. *n.* 45. Ledesm. 1. *p. qu.* 18. *art.* 2. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 2. *num.* 17. Fagund. *Decal. l.* 6 *cap.* 5. *num.* 11. Et existimo D. Thomam 1. 2. *qu.* 6. *a.* 7. mentis eiusdem esse.

151 *Hanc sententiam puto.* Hoc magis probo, adnotans tamen, fieri posse, vt importunitas tanta sit, vt ratione illius secluso omni metu, ac fictione, preces importunæ violentiæ æquipollentes censeantur: v. g. si adeò importunè quis fœminam sollicitet, vt malit ipsa detrimentum pati Virginitatis, quam iis precibus angi. At hoc rarissimè continget. Quia molestiam illam plerúmque fœminæ poterunt, ira concepta, excutere: & quia quamvis initio repugnare videantur, (vt à Lessio didici) postmodùm liberè consentiunt. Vndè iuxtà Menoch. *de arbitr. l.* 2. *casu* 288. *n.* 10. &

& casu 420.*n.*110.& Tusc.*concl.*710.*nu.*1. *vol.* 7.& Santium *l.*4.*de matr.d.*7.*a nu.*8.illas dixerim preces importunas, ob quas aliquis magis vult in re petita consentire, quam tam vehementibus suasionibus affligi, ac molestari:hoc enim in casu videtur consensus eligi tanquam minus malum. Sed quia fœminæ sollicitatæ facilè,concepta ira, eas preces possunt declinare,& quia aliquandò solent eam afflictionem,ac molestiam dissimulare,cùm tamen liberè consentiant:quando dentur,vel non dẽtur præfatæ præces,prudens Iudex adiudicabit; totum enim hoc negotium ex illius pendet arbitrio.Denique si primo minæ præcedant, & postea tempore aliquo elapso preces blandæ sequantur:huiusmodi preces importunas esse iudicarim.Quia præsumerem,tunc adhuc præcedentem metum durare.

PROBL. XVIII.

Quando quis fictè promittit nuptias fœminæ,quam scit esse corruptam (modò non sit honestæ famæ vidua) vt illius copulam assequatur: ea secuta, tenetur, & non tenetur eam ducere, si aliunde non sint dispares conditione.

153 *Tenetur sanè.* TEnetur sanè.Quia fuit contractus ex vtraque parte onerosus,nec est inter contrahentes disparitas, nec fraus aliqua ex parte fœminæ interfuit: & illa non aliter consentiret.Copula ergò secuta,ius ad nuptias acquisiuit, fuit enim pactum corporis pro corpore. Quare cum contractus impletus sit ex parte fœminæ, tenetur vir ex sua illum implere. Sic Manuel *to.*1.*sum.c.*208.falsò allegans Sotum,& Nauarrum.Paludan. *in* 4.*dist.*28.*q.*1.*a.*2. *concl.* 4. *numer.*14.Cordu. *sum.q.*45.Ludou.Lop.*p.*1. *Instr.*76.

154 *Non tenetur.* Non tenetur.Quià ducere corruptam non est quid æquale valori copulæ habitæ cum non virgine,sed longè minus. Quare non tenebitur eam ducere, licet fortè id aliter compensare teneatur. Ità Sanch. *l.* 1.*de matr.d.*10.*n.*223. Sylvest.*v. Matrimonium* 4.*q.*8. Henriq. *l.*11.*c.* 11.*numero secundo.* Ludou. Lop. *p.* 1. *Instr.* 4. 97.§.*Hinc emergit.* Veracr. *p.* 3.*spec.a.*19.*concl.* 6.& alij.

155 *Hoc mihi est probabilius.* Hæc sententia mihi est probabilior.Attamen primam omninò esse tenendam puto, quando esset vidua bonæ famæ infamiæque labem ex ea copula contraheret,ob quam inepta matrimonio redderetur. Quia non video tale damnum aliter posse decenter compensari. Mecum Ledesm. *de matr.q.*45.*a.*4.*dub.*1.& Nauar. *l.* 4. *consil.tit.de sponsal.cons.*48. Vndè minimè audierim Veracruz *p.*3.*spec.a.*19.*concl.*6. asserentem, fictum promissorem non teneri corruptam cuiuscumque conditionis sit, ducere; tenetur enim si vidua sit famæ honestæ,etiam iuxta secundæ sententiæ Doctores.

* *
*

PROBL. XIX.

Quando quis fictè fœminæ æquali nuptias promisit serio promittenti, haud copula secuta: tenetur, & non tenetur fictus promissor in foro conscientiæ cum illa coniugium inire.

156 *Tenetur plànè.* COntrahentes sunt æquales, vel quasi æquales, (parum enim pro nihilo reputatur,) & non fuit copula secuta, nec vllum damnum præter violatam fidem sequitur: vnus autem fictè promisit, & sine intentione se obligandi: alter verò seriò; tenetur fictus promissor in conscientiæ foro contrahere; quia ille ex iustitia tenebatur verum consensum adhibere:quare iustitiam ficto consensu violauit:Ergò vt iniustitiam auferat,tenetur verum habere consensum, & sic tenetur ex iustitia contrahere: nec sufficiet dotare, aut pecuniis compensare,non enim in specie promissa satisfacit.Sic pauci Doctores inter quos est Petrus de Ledesm *de matr. q.*43.*a.*1.*dub.*4.

157 *Non tenetur.* Non tenetur. Quià re vera & coram Deo non se obligauit: & aliundè nullum damnum est ex ficta promissione secutum. Solùm ergo peccatum illud iniustitiæ in intentione coram Deo, & quoad Deum mansit. Ità Sanch. *l.* 1. *de matr.d.*10.*num.*26.Molina *to.*2.*de iust.tr.*2.*d.* 352.Veracr.*p.*3.*spec.a.*19.*concl.*9. Cordu.*qq.l.*1. *q.*13.Henriq. *l.*11.*c.*11.*num.*2.Fagund. *Decal. l.*6.*c.*5.*n.*22.

158 *Idem asserò.* Idem asserò,remque oppositò exemplo confirmo. Si Antonius Petro centum fictè aureos promitteret,si Vallisoletum peteret,Petrusque illam promissionem acceptasset, & antequam Petrus ab Antonio peteret,hic dissolueret cõtractum:nihil Antonius Petro debet, nec ergà eum iniustitiam committit. Nam ratione promissionis nihil debet, cum ficta fuerit:ratione autem iniuriæ nihil etiam ei debet; Petrus enim nihil dedit Antonio, nec amisit. Vndè si Antonius contra iustitiam delinquit,fuit quo ad intentionem ficto consensu:nullum namque effectum habuit, cum nullum damnum Petro inde fuerit secutum.

CAPVT XV.

Circa Incestum.

PROBL. XX.

Commixtio cum consanguinea vxoris in matrimonio tantummodò rato, & non consummato: est, & non est Incestus necessariò in confessione explicandus.

159 *Est quidem incestus.* EST quidem. Quia ex matrimonio rato non consummato affinitas oritur. Sic D.Tho.*in* 4.*dist.*41.Sotus *ibi*,*q.*1. *a.*2.Sylvest.*v. Matrimonium* 8.*q.*1.

160 *Incestus non est.* Non est incestus. Quia affinitas in foro conscientiæ non oritur nisi ex matrimonio vera copula consummato, id est, semine nante viro intra vas fœminæ: nec enim sufficit extra seminare. Ita Sanch. *lib.7. de matr. d. 60. num.10.* Henriq. *lib.12.cap.16.num.1.* Conrad. *q.151.* Fagund. *Decal.l.6.c.6.n.28.* Ledesm. *de matr. c.55. a.4.* Tolet. *lib.7.c.11. n.7.* & alij.

161 *Nec vnicè verum mihi.* Hoc mihi vnicè verum. Dixi autem *in foro conscientiæ*, quia in externo foro sufficit probare copulam, vt ortam fuisse affinitatem præsumatur; ex copula enim satis præsumitur effusio seminis intra fœminæ vas. Vndè cum incestus affinitatis non detur, nisi vbi datur vera affinitas, & affinitas verè, ac propriè non contrahatur, per matrimunium non verè consummatum: sequitur euidenter non esse incestuosam commixtionem illam, in qua semen virile intra fœmineum vas naturale non excidit: nec teneri, qui cognoscit sororem vxoris suæ, matrimonio rato, non consummato, confiteri circumstantiam incestus ex hoc capite. Tenetur tamen aliunde; quia est speciale quoddam peccatum ob impedimentum publicæ honestatis vsque ad quartum gradum dirimens, quod impropriè reducitur ad incestum, vt annotat Filliucius, quem citat & sequitur Fagund. *Decal. lib.6.cap.6.num.28.* Lege Santium *lib.7. de matrim. d.15.num.6.*

PROBL. XXI.

Incestus commissus cum propria consanguinea inducit, & non inducit impedimentum non petendi debitum, & carendi omni spe coniugij.

162 *Status quæstionis.* VIdimus Sectione 1. affinitatis incestum binos habere effectus: vnum, impedire debiti petitionem, eo quod quis rem gerendo cum consanguinea vxoris factus sit vxoris affinis eo gradu, quo ipsa erat vxoris consanguinea; secundum, quod vxore mortua, non possit aliam vxorem ducere; & si duxerit, non poterit ab ea debitum sine dispensatione exigere, licet possit reddere. Quæsierim autem, vtrum simile impedimentum non petendi, & carendi spe coniugij, mortua coniuge, inducat incestus cum propria consanguinea patratus?

163 *Inducit impedimentum.* Inducit equidem. Quia *cap. si quis viduam 32.q.7. & cap. si duo 36.* videtur statui, nè incestuosi cum propriis consanguineis possint mortua vxore, amplius contrahere, & sic spe contrahendi priuati remaneant. Et quia Curiæ Romanæ stylo, quando dispensatur cum consanguineis, vt possint contrahere, si inter eos copula præcessit, additur clausula: vt mortuo coniuge, alter maneat cœlebs, & omni spe amplius contrahendi in futurum priuatus. Sic Nauarr. *sum. cap.29. nu.74.* & alij Canonistæ cum Panormit. *ad cap.1. & 2. de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ.* Sotus *in 4. dist.37. q.vnic.a.1.* & multi alij, quos citat Sanch. *lib.7. matrim. d.17. num.15.*

164 *Impedimentū non inducit.* Minimè inducit impedimentum. Quia hoc impedimentum est grauissima pœna, quæ non incurritur, nisi sit in iure manifestè expressa. At in iure manifestè expressa non est. Nam *cap. si quis viduam*, loquitur de solo coniugio incestuoso inter sponsos cognoscentes vtriusque consanguineas: ac proinde nihil ad quæstionem; & *cap. si duo* contrahere permittit: ibi enim sic: *Qui iuuenes sunt, alias matrimonia contrahere non prohibeantur.* Vbi non disponitur, vt si non sint iuuenes, prohibeantur, vt annotant Caiet. & Lessi. *citandi*, sed assignatur causa, ob quam illi in futurum non sint prohibendi contrahere. Ita D. Thom. *in 4. dist.34. q.vnic. num.5.* Sanch. *lib.7. de matr d.17. nu.15. & 16.* Caiet. *2.2.q.154. ad 1.* Henriq. *lib.12. cap.12. num.4.* Tolet. *li.7.c.12.n.4.* Sylvest. *v. Matrimonium 7.num.6.* Lessi. *lib.4. de iust. cap.3. dub.11. num.81.* Turrecrem. *ad cap. Quidam 36. q.7.* Couarruu. *epitom. ad Decretal. part.2. cap.16. num.3.*

Fateor, incestum commissum cum propriis consanguineis grauius esse peccatum, quam incestus qui cum consanguineis propriæ vxoris perpetratur, seu cum affinibus. Attamen hoc delicto non ita offenditur matrimonium; quia non violatur affinitas: at incestu patrato cum consanguineis propriæ vxoris affinitas violatur: ac proinde magis hoc, quam illo matrimonium offenditur. Scio Curiæ Romanæ stylo clausulam illam apponi. Quæ quidem, quia res est grauis, forte lethale piaculum importabit: si tamen contra illam contrahant, & petere, ac reddere poterunt, nisi aliunde aliud adsit impedimentum. Et forsasse nec etiam ad lethale obligabit; quia est clausula generalis de more apposita, per quam Pontifices volunt indicare temperantiam, quam in hominibus tanquam patres spirituales expetunt: nec tamen volunt præceptum imponere, aut impedimentum impediens præscribere, vt optimè Lessi. *lib.4.cap.3.dub.11.n.82.* & Sancius *l.7. de matr. d.15.d.15. n.17.* annotarunt. 165 *Sententia auctorum.*

PROBL. XXII.

In excommunicatione, quam ipso facto incurrunt incestuosas nuptias contrahentes, scienter non comprehenduntur, & non comprehenduntur, qui contraxêre credentes se esse cognatos, vel affines intra gradus prohibitos, cum re vera non sint.

166 *Nonnulla traduntur.* SCio iure Canonico præter pœnam impedimentorum, de qua egimus *vol.4.* contrahentes scienter incestuosas nuptias in gradibus prohibitis ipso facto excommunicari. *Clement. 1. de consang. & affin.* teste Iulio Claro *lib.5. sentent. §. incestus, num.5.* & Nauar. *sum. c.22.n.43.* Ab hac autem excommunicatione cum sit per modum statuti, absoluere posse Mendicantes, imò Parochos Ordinarios, quia non reseruatur, & quando excommunicationes reseruatæ non sunt, Parochi ab illis absoluere valent. In ea item non comprehendi illos, qui in gradibus prohibitis sponsalia de futuro contrahunt; quia sponsalia non sunt nuptiæ propriè loquendo, & pœnæ restringendæ sunt, non ampliandæ. Nec comprehendi contrahentes nuptias antè legitimam ætatem; quia in effectu non contrahunt nuptias, sed tantum sponsalia de futuro, *cap.1. §.1. de sponsal. lib. 6.* Nec comprehendi illos,

illos, qui contraxere illas per ignorantiam, haud scientes scilicet, se esse consanguineos. Communia hæc. Quæsierim autem, num comprehendantur, qui contraxêre credentes, se esse consanguineos, aut affines intra gradus prohibitos, cum re vera non sint?

167 *Comprehenduntur.* Comprehenduntur planè, Quia formaliter, voluntariè incestuosè contraxerunt. Sic Nauar. *sum. c. 27. num. 141.* Sylvest. *v. Matrimonium 7. q. 13. dicto 5.*

168 *Non comprehenduntur.* Non comprehenduntur. Quia re vera nullum à parte rei incestum commisêre. Ita Fagund. *Decal. lib. 6. cap. 6. num. 37.* & alij communiter.

169 *His hæreo.* His hæreo. Quia cum hæc excommunicationis pœna non imponatur in iure nisi iis, qui in rei veritate incestum committunt; minimè excommunicatione innodabitur, qui nullum re vera patrauit incestum.

CAPVT XVI.

Circà Adulterium.

PROBL. XXIII.

Coniux adulter potest, & non potest de iustitia debitum ab innocente coniuge exigere.

170 *De iustitia petere non potest.* MInimè potest de iustitia petere, potest tamen licitè ex amicitia, siue publicum sit adulterium, siue occultum: & siue coniux innocens illud sciat, siue ignoret. Quia licèt coniux adulterans ipso iure amittat ius exigendi, non tamen perdit ius rogandi, vt sibi concedat alter si voluerit. Vnde sequitur, posse coniugem innocentem negare debitum adulteranti absque vlla iudicis authoritate: nam adulterans ipso facto perdit ius de iustitia exigendi; fidem namque frangenti fides potest frangi, *l. Cum proponas, C. de pactis. cap. Peruenit, de iure iur.* Sic Nauar. *sum. c. 22. n. 23.* Caiet. *tr. 17. responsion. respons. 14. tom. 1.* & alij.

171 *Potest de iustitia petere.* Potest coniux adulter de iustitia debitum exigere ab innocente coniuge. Quia neque ab hoc priuatus est eo iure, nec à Iudice. Ita Sotus *in 4. dist. 36. q. vnic. num. 3.* Sanch. *de matr. lib. 10. d. 2. n. 8. & l. 1. d. 68. n. 4.* Matien. *lib. 5. recopil. tit. 1. rubricæ, gloss. 2. n. 101.* Palati. *in 4. dist. 35. d. 1.* Henriq. *lib. 11. c. 15. n. 16.* Petr. de Soto *de matr. lect. 16. § penult.* & alij plurimi, quos Sanch. citat.

172 *Quid dicendū sit expono.* Existimo, coniugem adulterium patrantem, ante Sententiam Iudicis posse de iustitia exigere debitum. At si priuetur vel à Iudice, vel à coniuge, poterit quidem deinceps amicè petere, & rogare, non verò de iure obligare coniugem. Censebitur autem illum à coniuge priuari innocente, si cum petit, ei neget, sciens, eum adulterium commisisse. Ratio meæ resolutionis est, quia matrimonium est quædam societas & contractus, cui tacitè apponitur pœna debitum non exigendi. In aliis autem contractibus reus non est ipso iure priuatus; sed priuandus, vt filius, qui occultum crimen in patrem commisit exhæredatione dignum. Certè hæc est veluti pœna conuentionalis iure diuino, ac naturali imposita inter omnes contrahentes, vt frangenti fidem fides non seruetur: Pœna autem conuentionalis non debetur in conscientia, ante sententiam Iudicis, vel saltem antequam pars ipsa illam petat.

PROBL. XXIV.

Qui filium suscepit ex adulterio, illúmque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ, præter alimenta, tenetur etiam & non tenetur occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur: & damno dotis, quam pater putatiuus puellæ spuriæ tradidit, credens eam esse propriam filiam.

173 *Non tenetur.* ETiamsi adulter agnoscat suam esse prolem, non tenetur ad resarciendum damnum filiis legitimis, si ipse non fuit superstitionis author. Quia huius damni sola adultera est causa: ipsa enim filium supponit tanquam legitimum, adultero solum tacendo permittente. Certè si adultera procuraret abortum, non diceretur adulter homicidij causa, eo quod ipse suppeditasset prolem, nisi suasisset, vel adiuterium præstasset. Ergo pari ratione non censebitur suppositionis causa, ac proinde nec damni ex suppositione secuti. Sic Sotus *lib. 4. de iustit. quæst. 7. art. 2.* citat Pennam, Barthol. à S. Fausto *in specul. d. 23. quæst. 8. num. 8.* Et Pitigian. *in 4. part. 2. dist. 15. quæst. 2. art. 5.* Diana *part. 2. tract. 17. resol. 55.* aliique recentiores teste Lessio *l. b. 2. cap. 10. dub. 6. num. 43.* asserunt satis esse probabile.

174 *Tenetur ottinèo.* Adulter, ex quo spurius susceptus est fœtus, tenetur sicut adultera ad damna illa resarcienda, licet author suppositionis non fuerit. Quia adulter non minus quam adultera est huiusmodi damni causa. Ita Azor. *part. 3. lib. 5. cap. 6. & 7.* Manu. *sum. con. 1. cap 188. num. 1.* Nauarr. *summ. cap. 16. num. 40.* Reginald. *tom. 1. lib. 10. num. 188.* Lessi. *citat. num. 46.* Turrian. *2. 2. tom. 2. disp. 30. dub. 2.* Vasq. *opusc. de testament. cap. 5. §. 1.* Rebel. *de iust. part. 1. lib. 3. quæst. 10. numer. 11.* & alij communiter.

175 *In primam sententiam valde inclinor.* Porrò hanc sententiam probabiliorem, & in praxi reor esse tutiorem. Attamen valde in primam inclinor. Nec enim adulter proxima est illius damni causa, sed remota, cum ipse non intenderit generare, sed solùm suam explere libidinem: adultera verò est causa proxima, quæ partum spurium tanquam legitimum marito supposuit.

PROBLEMA

PROL. XXV.

Adultera coniux tenetur, & non tenetur marito pecunias ex adulterio acquisitas restituere.

176 *Tenetur quidem.* TEnetur equidem. Quia maritus est dominus corporis vxoris suæ quoad actus coniugales, & saltem propter adulterij iniuria gerenda est coniugi restitutio. Sic Molina *tom.1. de iust. tr.2.d.94.* Reginald. *l.10.n.193.* Nauarra *de restit.l.3.c.1. n.136.* Bannes *2.2. q.62.a.5. dub.5.* & alij.

177 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia non pro omni iniuria restitutio pecuniaria debetur, sed pro iniuria cum damno pecuniæ æstimabili. Ita Bonac. *de contract. d.1 q. punct.3. n.12.* Graf. *tom.1. consil.lib.5.de furtis, consil.2.* Megala *p.2.lib.2. cap. 32.num 24.* Diana *part.2.tract.17.reso!.7.* Valq. *opusc.de restit.cap.7.dub.2.* Sylvest. *v. Restitutio, §.2.* Lessi. *lib.2.cap.14.dub.8. n.60.* Azor. *p.3. lib.4.c.21. q.2.*

178 *Hanc sententiam reor esse probabiliorē.* Valde probabilem primam sententiam esse puto, sciens iuxta Canonistarum mentem, acceptum pro opere, quod leges puniunt, esse restituendum: cum autem adulterium à lege puniatur, quod ex illo accipitur restituendum erit, si non marito, saltem vel pauperibus, vt multi apud Couarruu. *ad reg. peccatum part. 2. §.2.* vel ei, qui dedit, vt vult Sotus, quem Couar. citat, & sequitur. Attamen probabiliorem secundam; Quia *l. idem si ob stuprum, ff. de condict. ob turpem causam, & l. Generaliter, de verbor. oblig.* quas aduersarij citant, licèt pacta turpia rescindant, & tollant obligationem ciuilem, ob quam in iudicio possit peti promissum: non tamen reddunt irritam acquisitionem pecuniarum ex tali causa: nec faciunt inhabilem accipientem, ad comparandum earum dominium. Igitur possunt fœminæ coniuges sibi lucrum ex adulterio acceptum retinere: nec obnoxiæ sunt restituendi, aut marito, aut aliis restitutioni: nisi tale pretium ab iis acceperint, qui potestatem alienandi non habent, vt Religiosi, filij familias, &c.

CAPVT XVII.

Circà Sacrilegium.

PROBL. XXVI.

Sacerdos simul ac Religiosus professus delinquens contrà sextum Præceptum, committit, & non committit duplex Sacrilegium alterum contra Ordinem sacrum, alterum contra votum solemne castitatis.

179 *Duplex sacrilegium est.* DVplex Sacrilegium committit. Quia sunt duæ circumstantiæ specie diuersæ, altera ratione Ordinis sacri, siue sit sacerdotalis, siue Diaconatus, siue Subdiaconatus: altera ratione voti solemnis: prior quidem ex præcepto Ecclesiæ sacris Ordinibus annexo, quæ ob honorem & sanctitatem Ordinis sacri prohibet venereos actus iis, qui sacris Ordinibus initiantur; posterior ex obligatione voti solemnis, quæ est specie diuersa à priori: sicut obligatio audiendi sacrum ex voto, & ex præcepto Ecclesiæ specie inter se distinguuntur, & duplex piaculum est illarum violatio. Sic Petr. à Ledesm. *de pœnit. cap.10. num.1. & 2.* Sotus *lib.8. de iust. q.1.a.5.* Paludan. *in 4. dist.36. q.4. a.1. num.14.* Paleot. *de spuriis, cap.16.* Et hanc sententiam debent necessariò tenere, qui asserunt, obligationem castitatis in sacris Ordinibus oriri ex præcepto, non ex voto. Hi sunt Valent. *part.4. tract. de Sacram. Ordin. d.6. q.5. pun.5.* Turrecr. *c. Vacuit, a.1. num.16.* & alij apud Sanch. *lib.7. de matr. d.27. num.9.*

180 *Non esse duplex sacrilegium.* Non duplex, sed vnicum perpetrat Sacrilegium. Quia huiusmodi obligationes eiusdem speciei sunt: obligatio enim castitatis in sacris Ordinibus ex voto implicito castitatis oritur, & non ex præcepto: votum autem solemne castitatis in sacris Ordinibus, & professionis votum sunt eiusdem speciei; nam Ecclesia imponit præceptum castitatis iis, qui sacris initiantur, mediatè, id est, mediante voto castitatis implicito, & sic intendit eos ex voto obligare; quod si fortè expressè noluerint castitatem implicitè vouere, & se ad illam ex voto obligare: ne euadant tunc quidem mediante voto, imponit illis præceptum seruandi illam. Ita Sanch. *citat. num.28.* Lessi. *lib.4. cap.5. dub. 12. num.87.* Corduba *sum. q.3.* Caiet. *2.2. q.186. a.9 dub.1.* Ludou. Lop. *part.1. Instr.c.29.* Quand. *in 4. dist.25. q. vnic. post 9. concl. corol.2.* Manuel. *tom.1. cap.53. num.5.* Medi. *sum. lib.1. cap.14. §.18.*

181 *Secunda hæreo sententiæ.* Probabilis valde est prima sententia, hæreo tamen secundæ probabiliori mihi. Ex qua colligo, si Religiosus sacris Ordinibus initiatus sit professus, satisfacere confessioni dicendo, se esse professum, & tacendo, se esse Sacerdotem. Sacerdotem non professum satisfacere dicendo, se sacros habere ordines, vel castitatis votum, tacendo se esse Sacerdotem. Episcopum satisfacere, dicendo, se esse sacris initiatum, vel votum habere castitatis. Professum satisfacere, dicendo, se votum castitatis violasse, haud explicando, se esse Religiosum. Hasce omnes sequelas deducit, ac approbat Filliuc. *tract.30. num.125.* & Sanch. *à num.27. vsque ad 98.*

PROBL. XXVII.

Professus violans castitatem satisfacit, & non satisfacit confessioni dicendo, se habere castitatis votum, haud declarando esse solemne.

182 *Non satisfacit.* NOn satisfacit. Quia circumstantia Religiosi status, & voti solemnis est notabiliter aggrauans: vnde saltem huius circumstantiæ ratione tenetur Religiosus professus statum exponere. Quemadmodum qui mille aureos furatur, non satisfacit in confessione dicendo:

E. SCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. E. L. V.

do : Furatus sum grauem quantitatem lethali peccato obnoxiam. Sic Fagund. *Decal. l. 6. c. 7. n. 13.* Azorium citans. Cardin. Palæot. *de spur. c. 16. n. 15.* Medina *l. 6. sum. c. 12. §. 8.* Rodrig. *to. 1. sum. c. 53. n. 5.* & alij.

183 *Satisfacit omninò.* Satisfacit omninò. Quia votum solemne castitatis non distinguitur essentialiter à voto simplici, sed accidentaliter solummodò. Nam essentia voti solemnis in Religione in eo consistit, quod per illud vouens sui corporis vsum Deo tradat, & per eam traditionem ipse ex Ecclesiæ statuto ad contrahendum matrimonium reddatur. Essentia verò voti simplicis in eo etiã sita est, vt vouens quantum est ex parte sua sui corporis Deo tradat vsum : noluit tamen Ecclesia, vt ipse vouens si sæcularis sit, per eam traditionem redderetur ad contrahendum coniugium inhabilis. Vnde votum solemne castitatis Religiosi professi, vel viri sacris initiati non Regularis, differt extrinsecè, & accidentaliter à voto simplici castitatis per solam Ecclesiæ constitutionem decernentis, vt votum professi, vel sacris initiati reddat ad contrahendum matrimonium inhabiles, non simplex votũ sæcularis. Ita Sanch. *l. 7. de ma. d. 27.* Henriq. *l. 2. c. 5. n. 6. lit. G.* Corduba *sum q. 3.*

184 *Cum his opinor.* Cum his opinor, qui Volum. 1. asserui circumstantias aggrauentes haud esse necessario fatendas. Enim vero licet cum iis sentirem, qui circumstantias notabiliter aggrauantes necessario aperiendas esse affirmant; huic insisterem assertioni. Crediderim enim circunstãtiam Religiosi status non esse notabiliter aggrauantem; semper enim relinquit peccatum intra eandem speciem : solummodo enim contra Deum hæc culpa committitur, qui tantum offenditur in voti simplicis violatione, quantum in violatione voti solemnis. Nec est eadem ratio in furto millo aureorum, ac in paruo; nam in furto magno grauius proximus offenditur, quam in paruo & grauius proinde crimen contrà Deum patratur.

PROBL. XXVIII.

Quis voto solemni ac simplici illigatur : Tenetur quidem, & non tenetur, vtrumque in confessione castitatis votum violatum explicare.

185 *Tenetur planè.* TEnetur equidem. Quia votum solemne & simplex specie differunt Sic Sotus *l. 7. de iust. q. 2. a. 5.* Medina *sum. c. 14. §. 18.* Et quia licet specie non differant, votum solemne addit circumstantiam notabiliter aggrauantem : ideóque exprimendam. Sic Petr. Ledes. *de pœn. c. 19.* Azor. *ad 6. prec. c. 29. q. 10.*

186 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia nec mutat speciem, nec aggrauat. Ita Sanch. *l. 7. de matr. d. 27. num. 31.* Fagund. *Decal. l. 6. c. 7. n. 14.* Henriq. *l. 5. c. 5. n. 6. lit. G.* Ludou. Lop. *p. 1. Instr. c. 29. §. Præterea.* Filiuc. *tr. 30. num. 127.*

187 *Probabilior sententia hæc.* Probabilior sententia hæc. Quia votum solemne ac simplex differunt tantùm accidentaliter, & circumstantia solemnitatis (licet demus aliquantulum culpam augere) non multum augeret : sicut nec etiam multum augeret si violator castitatis esset Doctor, aut Sanctior, aut maximis à Deo beneficiis affectus.

CAPVT XVIII.

Circa peccatum Luxuriæ quod est contra naturam.

PROBL. XXIX.

Est, & non est propriè Sodomia, cum vir cum fœmina, etiam propria vxore, rem habet in vase præpostero.

188 *Nonnulla præmitto.* EST quidem peccatum luxuriæ contra naturam illud, *quo peruertitur ordo quem natura cætera animantia docuit, & quo prolis conceptio fieri nequit.* Cuius diximus *sect. 1.* quinque esse species. Primum (eas recolo) peccatum contra naturam est, si quæratur voluptas carnalis per corruptionem absque fœminæ coniunctione : & hoc pollutio, seu mollities vocitatur. Secundum, si quæratur in coniũctione animantis alterius naturæ, verbi gratiã cum bestia : & vocatur bestialitas. Aut cum Dæmone : & congressus cum Dæmone dicitur. Tertium est, si quæratur cum persona indebiti sexus in vase indebito : & est propriè Sodomia. Quartum si quæratur per cõiunctionem cum fœmina, haud ordine naturali seruato : & est innaturalitas. Quintum, si quæratur sine instrumentis & organis à natura ad hunc inditis finem : & erit congressus fœminæ, cũ fœmina, qui ad Sodomiã imperfectam, vel pollutionẽ perfectam reducitur. Omnes hi modi cõtra naturã inter se comparati sunt speciei diuersæ. Quia illorum singuli malitiam, ac turpitudinem peculiarem repugnãtem castitati continent. Less. *l. 4. c. 3. dub. 13. num. 90.* & omnes. Quæsierim autem, num censenda propriè Sodomia, cum vir cum muliere, etiam propria vxore, rem habeat in vase præpostero ?

189 *Est perfecta Sodomia.* Est quidem. Quia Sodomia est diuortij causa siue sit actiua siue passiua : vt grauissimi affantur Doctores, qui quidem minimè distinguunt, an perfecta, an imperfecta sit, vocitantes absolutè Sodomiam huiusmodi congressum. Qui quidem capitali ignis pœna vindicatur. Sic Iuli Clar. *li. 5. sentent. §. Sodomia. numer. 3.* Decius *ad lib. si qua mulier. num. 9. c. de secund. nupt.* Sanchez *lib. 10. de matrim. d. 4. num. 7.* & *num. 5.* asserit, cum propria vxore præpostera coitum esse Sodomiam, nec dicit esse imperfectam, vel perfectam. Contestatur D. Tho. *2. 2. quæs. 154. art. 15.* vti docet, dari veram Sodomiam inter duas faminas, si se tentent modo virili ordine præpostero : & idem dicere à fortiori de Sodomia, quæ inter virum ac fœminam, etiam propriam patratur.

190 *Non est.* Non est propriè Sodomia. Quia solum vera, ac propria Sodomia datur inter duos viros, quando vnus alterum vase præpostero polluit : quamvis omnes huiusmodi actus Sodomitici æqualibus pœnis puniantur, & licet quoad pœnam diuortij sint æquales. Ita Fagund. *Decal. l. 6. cap.*

*lib.6.c.9.num.*8. Sotas *in* 4.*dist.*36.*qu.vni.art.*1. Ludou.Lop.*p.*2.*Instr.de matrim.c.*14.Graf.*p.*1. *decis.lib.*2.*c.*84.*n.*15.D.Anton.*p.*3.*tit.*2.*c.*21. §.5.& alij communiter.

191 *Hoc verum existimo.* Hoc verum existimo.Nec enim firmum est fundamentum, Auctores illos asseruisse sodomiam inter virum, & vxorem esse separationis causam,vt credantur, de perfecta sodomia fuisse locutos. Certè D.Thomas veram sodomiam vocitauit congressum fœminæ cum fœmina, nec tamen distinxit, nùm esset perfecta.

PROBL. XXX.

Patiens in sodomiæ crimine tenetur,& non tenetur in confessione exponere fuisse patientem.

192 *Tenetur sanè.* TEnetur profectò. Quia agens in peccato Sodomiæ seminat, patiens verò non:Ergò tenetur manifestare, vtrum fuerit agens, vel patiens. Et quia si non explicetur,Confessarius intelligere poterit de sodomia actiua. Sic eminentiss. Card. de Lugo, de quo asserit Diana *p.*7.*tr.*10. *resol.* 8. sic contra eum olim argumentatum fuisse.Machad.*tom.*1.*lib.*2.*p.*3. *tr.*19.*docum.*8.*num.*4. hanc sententiam ait esse probabilem.

193 *Non tenetur* Non tenetur. Quia licet peccatum agentis grauius sit, haud eius malitia adeò increscit, vt speciem mutet.Ita Machad.*citat.*Diana *vbi supra* Mazuchel.*de casib.reseru.d.*2. *c.*22. *diffic.* 1.*num.*21.Addo Filliucium probabilemsententiam esse asseruisse, omnia peccata contrà naturam vnius speciei infimæ esse non subalternæ. Quam sententiam admittit Caramu. *ad Reg.D.Benedicti d.*66.*num.*983. Scio contrariam esse probabiliorem.

194 *Hæc sententia probabilior est mihi* Existimarim, hanc sententiam satis esse probabilem. Quia circumstantia illa non seminationis ex parte agentis minuens est:Sed circumstantiæ minuentes, intra eandem speciem non sunt necessariò fatendæ. Attamen probabiliorem assero primam sententiam. Quia valdè est probabilius peccata contrà naturam, quæ proximo Problemate *numero* 187. recensuimus ad diuersas species pertinere.

PROBL. XXXI.

Fœmina cum altera fœmina ita congrediens, vt masculi gerat vices, & effusio seminis intrà vas naturale sequatur, incidit & non incidit in reseruatum Sodomiæ casum.

195 *Incidit in reseruationem.* INcidit. Quia huiusmodi coitus innaturalis est,& cum sexu indebito. Sic Lupus *de casib. reseru. part.* 2. *casu* 10. *num.* 14. & alij.

196 *Non incidit.* Non incidit.Quia licet actus hic ad Sodomiam reducatur, cum inter personas eiusdem sexus geratur: tamen non est propriè sodomia; quamuis enim non seruetur sexus, seruatur vas.Ità Mazuchel.*de casib.reser.d.*2.*c.*22. *num.* 6. Diana *part.* 7. *tract.* 12. *resolut.* 11. & alij, quos ipse presso nomine memorat.

Idem affirmo,monens casum Sodomiæ non in cunctis Diœcesibus reseruari, sed in aliquibus. Vbi igitur reseruatus fuerit,poterit eiusmodi fœmina sine ordinarij licentia, & sine priuilegio absolui. 197 *Varius est.*

PROBL. XXXII.

Sodomiam exercens vir cum fœmina est, & non est reseruationi obnoxius.

ESt quidem.Quia talis verè dicitur Sodomiam exercere.Sic Iuli.Clar. *lib.*5.*sentent.* §.*sodomia,num.*2. Deci. *ad l.si qua mulier, numer.*9.Fagund.*lib.*6.*Decal.cap.*9. *num.* 7. & 8. & alij. 198 *Est obnoxius reseruationi.*

Non est. Quia huiusmodi congressus non est propriè Sodomia, vt ipse Fagundez *n.*8. fatetur. Cur ergò reseruationis pœna ad Sodomiam impropriam est extendenda?Sic Diana *part.*7.*tract.*12.*resol.*11.Mazuchel. *de casib. reser.part.*2.*casu* 10.*num.*1. Dicastil. *de iust. & iure lib.*2.*d.*2.*dub.*10.*num.*323.& alij, quos citat & sequitur Mazuchel. *de casib. reseru.d.*2. *cap.*22.*num.*17. 199 *Non est.*

Huic hæreo sententiæ. Quia in Sodomia propria delinquitur non solùm contrà vas,sed etiam contrà sexum. At masculus præposterè fœminam cognoscens, licet non seruet vas, seruat tamen sexum:Ergò propriè Sodomiam non committit. 200 *Hi hæreo.*

PROBL. XXXIII.

Patiens includitur, & non includitur in casu Sodomia reseruato.

INcluditur. Quia tam agens, quàm patiens propriè dicitur Sodomiæ perpetrare peccatum. Licet enim verbum *committere,*(quo reseruationis decretum vtitur) propriè designet actionem,nõ passionem:tamẽ quia ambo sunt in genere delicti eodem, singuli reseruationis pœna afficiuntur. Equidem in correlatiuis, quod in vno disponitur,in alio dispositum esse censetur. Sic Bordon. *in consil.regular.resol.* 38.*qu.*22.*num.*44.& alij communiter. Vt asserit Diana *p.*7.*tr.*12.*resol.*11. 201 *Includitur planè.*

Non includitur.Quia decretorum verba in sua propria significatione sunt accipienda præcipuè in odiosis. At verbum *Committere* propriè agentem,non patientem designat.Ità Alfonſ.de Leon.*de Censur.recollect.*5.*num.*7.Marchin.*de Ordi.tract.*1.*part.*8. *cap.*4. *num.* 20. & Bordon.*citat.resol.*48. *qu.*5. *num.* 2. putat hanc sententiam haud esse improbabilem. 202 *Non includitur.*

Communi primæ adhæreo sententiæ, monens, procedere, modo agens seminet intra vas.Nam cum actio ipsi potissimum tribuatur, si ea perfecta non sit,crimen reseruationi non subiicitur:neque ex parte patientis, licet semen emittat;complementum enim peccati attendendum est ex parte agentis, vt qui est patiente nobilior. 203 *Primam sententiam teneo.*

PROBL.

PROBL. XXXIV.

Qui in vase præpostero Sodomiam inchoat, sed postmodum semen extra vas profundit, incidit, & non incidit in reseruationem.

204 *Incidit quidē.* INcidit quidem. Quia iàm crimen satis completum in genere Sodomiæ censetur; nec dolus debet delinquenti patrocinari; aut quis ex nequitia reportare commodum. Sic Fagund. *Decal. l. 6. c. 9. n.* 8. citans multos.

205 *Non incidit.* Non incidit. Quia licèt sic delinquens à peccato mollitiei cum aliqua circumstantia Sodomiæ coniuncto non excusetur, non tamen actio illa referenda est ad legem reseruationis: à qua quidem non excusatur sui doli ratione, sed quia non deliquit cum omnibus illis circūstantiis, quibuscum hoc peccatum reseruatur: sed minuit, & sub alia crimen posuit specie Ità Lupus *de casib. reser. p. 2. c. 10. nu.* 13. Bordon. *in consil. regular. resol.* 48. *n.* 17. Leo *de censur. recollect. 6. n.* 873. & alij.

206 *Idem assero.* Crediderim, præfatum actum Sodomiam non esse completam, sed incœptam, vnde in reseruatione non includitur: reseruatio enim delictum perfectum, ac consummatum solummodò respicit. At contrariam sententiam satis probabilem esse iudico. Scio Mazuchellum *de casib. reseru. d. 22. n.* 14. asseruisse, huiusmodi delinquentem licèt in reseruationem non inciderit, remittendum tamen ad superiorem esse, ne ei sua fraus patrocinetur. Hoc quidem minimè admittam. Nam si in casum reseruatum non incidit, vndenam superiorem adire tenebitur?

PROBL. XXXV.

Impuberes incidunt, & non incidunt in Sodomiæ reseruationem.

207 *Incidunt omninò.* INcidunt omninò. Quia Episcopi absolutè loquuntur: Ergo reseruatio absolutè est intelligenda. An non impuberes cæteris legibus obligantur, ac censuris? cur non huic? Num peccare possunt? Ergò & ligari peccati illius reseruatione. Sic Mazuchel. *de casib. reseru. d. 2. c. 22. n.* 12.

208 *Minimè incidunt.* Minimè incidunt. Quia licèt illigentur reseruationibus iis peccatis, quæ carnalia non sunt: v. gr. homicidium, blasphemia, &c. iis autem quæ sunt adnexæ peccatis venereis non illigantur, cum regulatiter loquendo non compleant. Ità Lupus *de casib. reseru. p. 1. dist.* 4. *nu.* 6. Bordon. *consil. regular. resol.* 38. *n.* 18. Diana *p.* 7. *tr.* 12. *resol.* 11.

209 *Eiusdem sum mentis.* Idem opinor. Nam huiusmodi crimina non tribuuntur impuberibus ex *c.* 1. *de delict. pueror.* Quia nequeunt seminare. Quid si quandoque semen emittant? Non ideo incidunt. Nam reseruatio, instar aliarum legum, ad ea, quæ rarò accidunt non aptatur, *l. Nam ad ea, ff. de leg.* Et hoc procedit, etiam quando impubes patitur, pubere agente. Pubes in hoc casu reseruationi est obnoxius, non tamen impubes. Ex eo enim quod puberi admiscetur, non amittit impubertatis exemptionem: non obstante, quod agens & patiens pari pœna debeant puniri. Quia id procedit, quando lex intendit vtrumque punire, quod in casu præsenti non accidit.

PROBL. XXXVI.

Qui cum virgine copulam Sodomiticam gesserit, tenetur, & non tenetur, virginitatis circumstantiam in confessione aperire.

210 *Tenetur.* TEnetur planè. Quia virginis parentibus aliquam proculdubio infert iniuriam. Sic nonnulli, quorum sententiam Trullench probabilem esse testatur *Decal. to. 2. l. 6. c. 1. dub.* 8. §. 2. *n.* 3. citans Bonacinam.

211 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia huiusmodi copula non habet specialem stupri malitiam, cum integritas virginalis minimè violetur. Vnde sufficit, vt pœnitens dicat, se cum fœmina copulam Sodomiticam gessisse. Ità Dicastil. *de iust. l. 1. d. 3. dub. 9. numer.* 28. Trull. *citat.* Caram. *in reg. D. Bened. d. 66. concl. 12. numer.* 1013. Diana *p. 7. tr. 12. resol.* 14.

212 *Hoc mihi probabilius.* Hoc probabilius esse reor. Nam licet aliqualem iniuriam parētibus gerat, non tamen claustrum virginale violat, nec eam minus ad matrimonium habilem reddit. Scio, Caramuelem addidisse, non teneri pœnitentem exponere, se Sodomiam cum fœmina virgine, vel non virgine habuisse: sed sufficere, si dicat, se Sodomiæ peccatum gessisse. Quia Sodomia cum fœmina vel cum viro solum differunt in genere entis non in genere moris. Quemadmodum ac furari aurum, vel argentum, aut ieiunium pane, aut piscibus violare: Quod non displicet.

PROBL. XXXVII.

Qui Sodomiticè delinquit cum baptizato à se, vel cum eo quem sacro leuauit è fonte, vel cum adoptato in filium: tenetur, & non tenetur, in confessione hanc exprimere circumstantiam.

213 *Non tenetur.* NOn tenetur. Quia nulla extat specialis lex, quæ huiusmodi coitus prohibeat, præter legem naturalem in genere prohibentem Sodomiticum crimen. Vnde si quis coeat cum eo, quem diluit, aut è sacro fonte leuauit, vel quem adoptauit in filium: vel rem habeat cum aliquo, & postea cum fratre eius, non tenetur huiusmodi circumstantiam in confessione exprimere. Sic Azor. *to. 3. l. 3. c. 18. q.* 4. Mazuch. *de cas. res. d. 2. c. 22. n.* 25.

214 *Tenetur.* Tenetur quidem. Quia eo ipso, quod lex humana positiua hanc cognationem spiritualem, vel legalem cōstituat: indè quasi naturaliter resultat, vt cōtra rectā rationē sit, non seruare erga præfatas personas debitā reuerentiā, ac pietatē. Et quidē si quis accedat ad illā, quā baptizauit, naturali copula, peccat cōtra reuerētiā illi debitam

debitã tanquã ſpiritualiter cognatæ, vt omnes fatentur: Cur ergo non peccet, ſi ad baptizatum à ſe Sodomitice accedat? Ità Dicaſtil. *de iuſt. lib. 1. d. 3. dub. 18. num. 300.*

215 *Huic hæreo ſententiæ.* Porrò P. Dicaſtillo ſententia admodum eſt probabilis, cui vt ſecuriori adhæreo. Nam quod P. Azorius dicit de lege poſitiua inducente talem cognationem, quę ſolum ſeſe extẽdit ad matrimonij impedimenta: potius noſtram ſententiam probat. Tale enim impedimentum inductum ſupponit quaſi prioritate naturæ ſpiritualem cognationem, vel legalem. Quia non ſunt tales cognationes, quod ſint talia impedimenta: ſed potius talia impedimenta ſunt, quòd ſint tales cognationes. Itaque poſita illa cognatione, iure naturę exigitur reuerentia, ac pietas, contra quam fiet luxurioſo congreſſu, & non minus in Sodomitico, quam in naturali. Attamen Azorij mei ſententiam ſatis probabilem eſſe exiſtimo.

PROBL. XXXVIII.

Circumſtantia inceſtus in copula Sodomitica eſt, & non eſt diſtinctione graduum explicanda in confeſsione: ſed ſufficit, & non ſufficit dicere: Sodomiticè cum affine, vel conſanguineo deliqui.

216 *Sufficit quidem.* SVfficit quidem. Quia licet in proximiori gradu, v. gr. in primo, & ſecundo, aggrauatur inceſtus, ſed non mutat ſpeciem. Certè ea perſonarum coniunctio, quæ in copula naturali conſtituit inceſtum, conſtituit etiam in innaturali: ſed inceſtus in copula naturali etiam in primo, ac ſecundo gradu, ſpecie non differunt. Ergò neque in copula Sodomitica. Sic Auerſa *de pœnit. q. 10. ſect. 9.* Machad. *to. 1. l. 2. p. 3. tr. 1. docum. 8. num. 3.* hoc putat eſſe probabile. Diana *p. 7. tr. 12. reſol. 16.* Trul. *Decal. tom. 2. l. 6. cap. 1. dub. 7. num. 5.*

217 *Non ſufficit.* Minimè ſufficit. Quia ille innaturalis concubitus mutat ſpeciẽ (ſicut naturalis) in gradibus quidem prohibitis omnibus conſanguinitatis vel affinitatis, ob ſpecialem deformitatem, & malitiam, quæ adiicit reuerentia propinquioribus debita. Ità Caietan. à Machado citatus, cuius ſententiam ipſe probabiliorem putat. Cardinal. de Lugo *de pœnit. d. 6. ſect. 6. §. 2.* Fagund. *Decal. l. 6. c. 6. n. 21.*

218 *Sententia Auctoris.* Ego ſanè exiſtimo ſententiam ſatis eſſe probabilem, ſecundam autem communiorem, & probabiliorem. Quia autem primam ſectari voluerit, (quam fuſius Diana *part. 1. tr. de circumſt. reſol. 31.* exprimit, & Mazuchel. *tr. de caſib. reſer. d. 2. cap. 4. num. 28. & cap. 22. num. 23.* confirmat) obligationi confeſſionis ſatisfaciet dicendo, ſe cum affine, aut conſanguineo Sodomiticè concubuiſſe. Hoc equidem de Sodomia in primo & ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis (qui explicari debent in confeſſione) aſſerui. Circa tertium autem vel quartum gradum hęc accipe. Si agimus de affinitate inter Sodomiticos orta ex copula licita, hoc eſt, quæ cauſata fuit propter matrimonium contractum, & conſummatum ex parte vnius Sodomitæ, vel vtriuſque cum conſanguinea alterius intra tertium vel quartum gradum: crediderim, illam eſſe Sodomiam inceſtuoſam; quia illi duo ſunt verè affines, inducta affinitate iure poſitiuo: qua inducta reſultat pietas & reuerentia ſeruanda erga affinẽ. At ſi illa affinitas ſolùm conſideretur reſpectu copulę illicitę, non erit Sodomia inceſtuoſa; quia poſt Tridentinum affinitas ex copula illicita vltra ſecundum gradum non progreditur: vnde ceſſat ſpecialis illa ratio pietatis ac reuerentiæ debitæ illi tanquam affini: ſolum ergo erit culpa Sodomitica. Verum tamen ſi loquamur de gradibus conſanguinitatis, putarim vſque ad quartum gradum eſſe Sodomiam inceſtuoſam. Quia vſque ad quartum gradum agnoſcitur in iure poſitiuo conſanguinitas, & vſque ad illum communi æſtimatione coniunctio ſanguinis peruenire cenſetur. Qua conſanguinitate ſic æſtimata, iure naturæ reſultat, ratione illius deberi reuerentiam, ac pietatem, atque adeò à quouis congreſſu luxurioſo abſtinendum. Non tamen diſtinguentur inceſtus ſpecies propter tertij ac quarti diuerſitatem: quæ diuerſitas neque in copulis naturalibus ad generationem deſeruientibus cauſat ſpecificam inceſtus diuerſitatem.

PROBL. XXXIX.

Clericus rem habens cum fœmina in vaſe præpoſtero incurrit, & non incurrit pœnas Bullæ Pij V. contra Clericos Sodomitas.

SVppono huiuſmodi Bullam tantum pertinere ad forum externum, imò non eſſe vſu receptam circa conſcientiæ forum. Graſ. *p. 1. deciſ. l. 2. c. 90. num. 4. & 5.* Belloch *de caſib. reſer. p. 2. q. 1. n. 221.* Auila *de cenſur. part. 7. dub. 7. concl. 7.* Henriq. *ſum. l. 14. c. 5. n. 1.* Quaranta *v. Sodomia.* Filliuc. *de caſib. reſeru p. 2. c. 7. §. 1. n. 8.* Attamen quia poteſt accidere, vt præfata Bulla ſit alicubi vſu recepta, & quia Nauarrus *ſum. c. 17. n. 249.* opinatur, vbique in conſcientia obligare: nonnullas elucidabo quæſtiones. Rogarim itaque, an Clericus habẽs rẽ Sodomiticè cũ fœmina huiuſce Bullę pœnas incurrat? 219 *Nonnihil ſuppono.*

Incurrit plane. Quia concubitus cum fœmina in vaſe præpoſtero eſt verè Sodomia, contra quam Bullæ gladius exeritur. Sic Sayr. *de cenſur. l. 7. c. 12. n. 23.* Garcia *de Benef. 10. 2. p. 1. c. 10. nu. 207.* Quaranta *v. Sodomia.* Riccius *in praxi p. 3. reſol. 60. n. 4.* & alij. Vndè Gambacurta *de ceſib. reſer. caſu 2. num. 3.* & Homobon. *ibi, p. 2. caſu 5. ſect. 5.* affirmant, concubitum cum fœmina contra naturam in caſu reſeruato Sodomiæ eſſe includendum. 220 *Incurrit pœnas Bullæ.*

Non incurrit. Quia Sodomia eſt peccatum contra ſexum, & debitum inſtrumentum: ſed cum fœmina concubitus ille ſi non ſeruat debitum vas, ſeruat tamen ſexum. Ergo non committit propriè Sodomiam in Extrauagante illa contentam. Ità Azor *part. 3. lib. 3. cap. 19. & 3.* Floron. *de caſib. reſer. part. 2. caſu 7. §. 1. num. 9.* Bellochi. *de caſib. reſer. part. 2. quæſt. 1. numer. 219.* D. Tho. *2. 2. quæſt. 154. art. 11.* Tanner. *ibi. d. 3. q. 3. pun. 6. num. 149.* Valent. *tom. 3. d. 9. quæſt. 3. pun. 3.* Et Barboſa *Collect. tom. 2. lib. 5. tit. 31. c. 4. n. 10.* probabile eſſe fatetur. 221 *Non incurrit.*

Exiſtimo

222 *Hanc sententiam primæ prepono.* Existimo hanc sententiam non solum esse probabilem, sed præponendam primæ. Nam cum odia sint restringenda, Bullæ verba de vera ac propria Sodomia intelligenda esse iudicarim.

PROBL. XL.

Sodomiticè patiens Clericus incidit, & non incidit in Bullæ huiusce pœnas.

223 *Non incidit.* NOn incidit. Quia patiens non potest propriè dici Sodomita, sed mollis, iuxta illud Pauli 1. *Cor. 6. Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebūt.* Sic Glossa exponit. Et quia ex diuersitate votabuli, & ex diuersitate pœnæ, & ex sceleris grauitate magna adest inter agentem ac patientem differentia. Maius enim est agentis, quam patientis crimen, & in foro contentioso maior agenti, quam patienti multis in Regnis pœna imponitur. Sic D. Antonin. *p. 3. tit. 17. c. 17. §. 4.* Graf. *in praxi casu. reseru. l. 1. c. 11. nu. 7. 8. & 26.* asseruit, Sodomiæ reseruationem solùm ad agẽtem extendi, minimè ad patientem. Citari pro hac parte assolet D. Tho. 2. 2. *q. 138. a. 1. ad 1.* & Caiet. *in sum. v. Mollities*, docet, molles dupliciter dici, vel quia patientes sunt cum aliis, vel quia in se pollutionem voluntariam peragunt.

224 *Incidit equidem.* Incidit equidem. Quia tam patiens, quàm agens dicitur Sodomiam perpetrare. Vndè iura pœnas contrà Sodomitas infligentia tam patientem quàm agentem complectuntur, *l. cum vir, C. de adulter. §. 1. Authen. Vt non luxurientur contrà naturã.* Ità Ricci. *in praxi, to. 3. resol. 57. n. 7.* Coriol. *de cas. reser. p. 2. casu 9. §. 10. n. 30.* Floron. *de cas. reser. p. 2. c. 7. §. 1. n. 6.* Bonac. *tr. de matr. q. 4. pun. 11. n. 2.* Finelli. *de cas. reser. casu 9. n. 5.* & alij.

225 *Hoc verum puto.* Hanc sententiam crediderim esse veram. Nam in correlatiuis dispositum in vno in altero disposirum esse censetur. Vndè vix auderem primam partem probabilem esse affirmare, nisi eam tot Doctoribus fulciri aspectarem.

PROBL. XLI.

Clericus crimen Sodomiticum semel, bis, aut ter perpetrans, incurrit, & non incurrit præfatæ Bullæ pœnas.

226 *Incurrit.* INcurrit profectò. Quia vt laici iuris pœnis sint obnoxij huius criminis frequentia maior non requiritur: cur ergo in Clericis idem non erit iudicandum. Porrò licèt Pontifex in hac Bulla illo verbo *Exercentes* vtatur: tamen in Canonicis decretis Pontifices tam exactam verborum proprietatem obseruare non assolent: & Pius V. in Extrauagante hac, confirmat iam sui Pontificatus anno primo editam, in qua non verbo *exercentes Sodomiam*, sed *perpetrantes* est vsus. Sic Azeued. *l. 8. recopil. l. 1. tit. 21. n. 22. & 23.* Vela *de pœn. delict. c. 33.* Cenallos *tr. de cognit. per viam violent. p. 2. q. 87. nu. 4.* Salzed. *in addit. ad pract. crim.* Bernard. Diaz *c. 8. lit. C. Flani.* Cherub. *in compend. Bullar. const.* Escob. & Mend. *Theol. Moral. Tom. IV. 71. Pij V. Schol. 2.* Aldrete *in discipl. relig. l. 2. c. 15. §. 5. n. 8.* & probabilem hanc partem esse ait Ledes. *sum. 2. tr. 27. c. 15. concl. 4.*

227 *Non incurrit.* Non incurrit. Quia in Bulla ita Pontifex pœnas infligit Clericis Sodomiam exercentibus: At in iure intelliguntur hi, qui aliquid frequenti vsu efficiunt: alias non dicetur propriè exercere. Quemadmodum non dicitur artifex, aut mercator, qui semel, vel iterum artificij, vel mercaturæ exercet actionem: sed qui toties exercet, vt vulgi opinione pro artifice, aut mercatore habeatur. Ità Azor. *p. 1. l. 3. c. 19. n. 2.* Nauar. *sum. c. 27. n. 250.* Auila *de censur. p. 7. d. 4. concl. 7.* Filliuc. *tr. 17. nu. 127.* Graf. *decis. p. 1. l. 2. c. 90. numero duodecimo.* Manuel. *sum. p. 1. c. 208. n. 2.* & alij.

228 *Partem secundam eligit.* Nimis rigidam esse primam partem reor, ideo teneo secundam. Vndè putarim non sufficere vnicum lapsum, nec si bis, aut ter quis tale crimen commiserit, vt Bullæ pœnis subiiciatur. Nec valet, minimè in laicis huiusce criminis frequentiam desiderari, vt capitali pœnæ sint obnoxij. Laicus enim Princeps voluit subiici pœnæ huius criminis patratorem, Pontifex verò exercitatorem suæ pœnæ Clericum subiici decreuit, minimè patratorem.

PROBL. XLII.

Clerici incurrunt, & non incurrunt Bullæ Pij V. pœnas in conscientia, antè sententiam Iudicis.

229 *Incurrunt statim.* INcurrunt antè Iudicis sententiam. Quia Pontifex in Bullæ textu dicit, *Priuamus*, quod verbum, cum sit præsentis temporis, sententiam latam continet. Nauarrus *sum. c. 27. numer. 250.* inclinat in hanc mentem, dubius tamen hæresci.

230 *Non incurrunt.* Non incurrunt. Quià lex pœnalis, quæ executioni dari non potest absque hominis actione, etiam si ipso iure, vel ipso facto feratur, antè Iudicis sententiam, non obligat; vsu enim, & consuetudine, quæ optima est legum interpres, receptum est, vt nullus sese priuet re anteà obtenta, nisi declaratoria criminis sententia à Iudice feratur. Ità Sanch. *de matr. l. 7. d. 46. nu. 28.* citans Graffium, Veggam, & Manuelem. Henriq. *l. 14. c. 5. n. 1. lit. F.* Auila *de cens. p. 7. d. 4. dub. 7. concl. 7.* Bonac. *de matr. q. 4. pun. 11. n. 2.* Azor. *p. 3. l. 3. c. 19. q. 5.* Suar. *de cens. d. 31. sect. 4. nu. 22.* Filliuc. *tr. 17. n. 127.* Vasq. *1. 2. to. 2. d. 68. nu. 14.* Moli. *to. 1. de iust. tr. 2. d. 95. num. 14.* & meus sapientissimus Magister Salas *de legib. d. 15. sect. 2. nu. 38.*

231 *Hoc verum esse reor.* Hanc sententiam veram esse iudico. Quia si talis lex obligaret ante Iudicis sententiam esset nimis acerba, cogeret enim homines ad se prodendum, exequendumque in se durissimam pœnam, ad quod nulla lex obligat: leges enim humanæ faciles, ac tolerabiles esse debent, humanæque imbecillitati accommodatæ.

PROBL. XLIII.

Clericus Sodomita occultus, est, & non est suspensus ipso iure: & si celebret, incurrit, & non incurrit irregularitatem.

232 *Est quidem ipso iure suspensus.*

ESt quidem ipso iure suspensus, & si postea, etiam post peractam pœnitẽtiam celebret, fit irregularis, in qua irregularitate solus Papa dispeniat. Quia licèt nec Canones, nec vlla iura sint, quæ huiusmodi pœnam indicant: tamen propter criminis enormitatem id est asserendũ. Sic Salzed. *in addit. ad practic. crimin. Bernar. Diaz. c.* 28 & multi alij citati à P. Henriq. *l.* 3. *c.* 36. *n.* 1. *lit. M.* & à Petro Gened. *in collect. ad ius canon. p.* 2. *collect.* 130. *n.* 1. Couar. *in Clement. si furiosus p.* 2. *§.* 1. *n.* 6. Iul. Clar. *ad §. Sodomia, n.* 5. & alij.

233 *Non est suspensus ipso iure.*

Minimè est iure ipso suspensus, nec si celebret, incurrit irregularitatem. Quia nullum quantumuis enorme crimen irregularitatem inducit, si notorium non sit, præter homicidiũ. *c. Ex tenore, de temp. ordinat.* dicitur, ex nullo crimine occulto quantumcumque graui, etiam degradatione digno, induci suspensionem, vel irregularitatem in susceptis, vel suscipiendis ordinibus. Et *c. fin. eod. tit.* deciditur, nullum propter grauissima crimina, homicidio excepto, debere post pœnitentiam ab vsu vel susceptione ordinum impediri, nisi in iudicio fuerint comprobata, vel alias notoria. Ità Henriq. *vbi s. & l.* 14. *c.* 4. *num.* 1. *lit. F.* Auila *de cens. p.* 7. *d.* 4. *dub.* 7. *concl.* 7. Floron *de cas. reser. p.* 2. *casu* 7. *§.* 1. *nu.* 7. Sayr. *de cens. l.* 1. *c.* 12. *n.* 22. Final. *de cas. reser. casu* 9. *n.* 6. & alij, quos citat, ac sequitur Barbo. *in collect. to.* 2. *l.* 5. *tit.* 31. *c.* 4. *n.* 5. Garc. *de Benef. to.* 2. *p.* 11. *n.* 15. Fagund. *Decal. l.* 6. *c.* 9. *n.* 17.

234 *Verior mihi hæc sententia.*

Prima sententia merito ab omnibus ferè Doctoribus reiicitur. Quia neque suspensio, neque irregularitas aliqua incurritur, nisi in iure sit expressa, vt optimè probat Suar. *to.* 5. *de cens. d.* 4. *sect.* 5. *n.* 4. & patet ex *c. is, qui, de irregularit.* Declarauit enim Gregorius IX. *in c. fin. de tempor. ordinand.* nulla crimina occulta, etiam enormia, præter homicidium, efficere aliquem irregularem. Lege Bartolum *in addit. glos. præfati c. fin. dist.* 25.

PROBL. XLIV.

Clericus vitium Bestialitatis perpetrans, incurrit, & non incurrit Bullæ Pij V. pœnas.

235 *Incurrit.*

INcurrit quidem. Quia lex pœnalis de casu ad casum extenditur, quando eadem ratio militat, vt annotat Glos. *ad c.* 1. *de temp. ordin. v. Italia.* Sic Ricci. *praxis to.* 3. *resol.* 59. Ledes. *sum. to.* 2. *tr.* 27. *c.* 11. *concl.* 4. Homob. *exam. p.* 2. *tr.* 11. *c.* 12. *n.* 26. Vega *sum. to.* 1. *c.* 102. *casu* 2. Manu. *sum. to.* 1. *c.* 208. *numer.* 2. Quaranta *v. Sodomia.* Belloch. *de cas. reser. p.* 2. *q.* 2. *numero trigesimo nono.*

236 *Non incurrit.*

Non incurrit. Quia bestialitas non est prior Sodomia, contra quam hæc Bulla edita fuit: & lex pœnalis non est extendenda ad casum non expressum, etiam si in illo eadem ratio inueniatur, maximè in conscientiæ foro. Ità Sanch. *to.* 3. *de matr. l.* 10. *d.* 4. *numero tertio.* Henriq. *l.* 7. *c.* 30. *numer.* 4. *lit. C.* Garcia *to.* 2. *p.* 11. *c.* 10. *§.* 2. *numer.* 205. Castro *de legib. l.* 6. *c.* 3. *numero quinto, & c.* 4. *numero primo.* Diana *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 66. Barbo. *in collect. to.* 1. *l.* 5. *tit.* 1. *c.* 4. *nu.* 11.

237 *Hoc admodũ verius.*

Veriorem admodum hanc puto esse sententiam. Nam legem pœnalem minimè extendendam ad casum non expressum, mille patet exẽplis. In *Clem. vni. de consang. & affin.* excommunicantur Moniales professæ cuicumque nubentes, & accipientes illas in vxores: & etiam professi matrimonium ineuntes; & tamen si aliqua fœmina sæcularis coniugium cum professo iniret, præfatam excommunicationem non incurreret, vti vir ducens monialem: & tamen eadem ratio militat. At quia textus loquitur de masculis nubentibus cum monialibus, & non de fœminis nubentibus cum professis, mulieres sæculares nubentes cum professis non incurrerent censuram; lex enim pœnalis restringenda, & non amplianda etiam ex rationis identitate. Concil. Tridentinum excommunicatione vulnerat omnes, qui cogunt mulieres ad monasterium ineundum; & Sanch. *sum. to.* 1. *l.* 4. *c.* 4. *numer. tertio*, cum Suario, Bannes, asserunt, sub mulierum nomine non esse includendos viros: & tamen etsi Concil. de solis cogentibus fœminas loquatur, eius ratio finalis, quæ est ingressus libertati consulere æquè in viris coactis procedit, &c.

PROBL. XLV.

Si pollutio accidat alicui in plena vigilia, in qua effusionem potest reprimere: tenetur, & non tenetur, id præstare.

238 *Status quæstionis.*

ALiquando pollutio partim est in somno, partim in vigilia: v. g. si commodo carnis, & decisio seminis calescentibus spiritibus in somno contingat: effusio verò in vigilia accidat; id autẽ vel in vigilia plena, in qua homo plenam habet cohibendi libertatem: aut semiplena, in qua imperfectè euigilat, & non habet plenam libertatem cohibendi. Certè si commodo carnis, & decisio seminis contingat in somno, effusio verò illius in vigilia semiplena accidat, in qua quis perfecta non fruitur libertate ad se cohibendum, nullum puto esse peccatum, nec veniale quidem (quamuis Tolet. doceat esse veniale sed nullum video fundamentum.) Quæstio igitur est, num si pollutio huiusmodi accidat in plena vigilia, in qua effusionem potest quis reprimere, id præstare teneatur?

239 *Tenetur sub mortali.*

Tenetur planè sub mortali. Quia si non reprimitur, datur consentiendi periculum, & qui periculum amat, in illo deperibit. Sic Tolet. *l.* 5. *c.* 13. *initio.* & alij.

240 *Nec sub veniali tenetur.*

Non tenetur nec sub veniali effusionem reprimere, sed sufficit, non complacere. Quia iudicanda est pollutio magis secundùm eius principiũ, quàm secundùm finem, principiũ autẽ illius in somno accidit, sinè hominis libertate: postmodum verò cũ semen iã è lũbis decidit in somno, est in via naturali ad foras erumpendũ: vndè

vndè difficillimum est illud in vigilia cohibere, cum illa effusio sit velut naturalis. Quemadmodum si quis vulnus alicui somno pressus, & citrà libertatem infligeret, ex quo magna sanguinis copia in vigilia posteà profunderetur, nullum daretur peccatum in ipsa effusione, cum naturalis sit, & naturaliter è vulnere profluat; daretur tamen in percussione si extra somnum in libertate fieret. Ità Nauar. *sum.c.* 16.*n.*7. Sa *v. Luxuria, n.* 11. Filliuc. *tr.* 30. *n.*147. Graf. *l.* 2. *Decis.c.* 81. *num.* 14. Azor. *tom.* 3. *c.* 24. Corduba *lib.* 2. *quæs.* 23. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *a.* 2. Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 17. *nn.* 19. Fagund. *Decal. l.* 6. *cap.* 9. *num.* 28. & alij.

241 *Secundam sententiam amplectitur.*

Certè de illo periculo, quod Toletus memorat, non loquimur, quia extrinsecum est, seclusо ergo illo periculo, secundam teneo sententiam Quia non sufficit, posse plenè euigilatem reprimere illam naturalem seminis profusionem, vt id gerere debeat, nisi aliundè id faciendi adsit obligatio: At nulla talis obligatio datur, sicut nec in Confessore datur, neque in doctore, qui dum docet, aut confessiones turpes audit citra consensum, pollutionem patitur. Et si inuito alicui seminis fluxum patienti ea effusio contingeret, nullum esset peccatum, nec illam reprimere teneretur, vti Nauarrus vbi supra docet. Attamen te puritatis amatorè ostendes, si interno deuotionis actu, vel externa pœnali actione curaueris huiusmodi voluptatem consopire.

PROBL. XLVI.

Mortale est, & mortale non est deliberatè desiderare in vigilia, vt tibi, vel alteri pollutio eueniat in somno ob aliquem finem bonum. v. gr. ob corporis sanitatem, seu ob libidinis mitigationem.

242 *Mortale est.*

MOrtale est. Quia pollutio intrinsecè mala, sicut fornicatio, adulterium, &c. quæ propter nullũ finẽ possũt in somnio desiderari. Certè pollutio procurari nõ potest, ergò nec desiderari. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *a.* 7.

243 *Mortale non est.*

Mortale non est. Quia desiderare simplici affectu causã aliquã, & effectũ indifferentẽ, non est peccatum: nec enim desideratur effectus peccaminosus, nec peccatum: sed quid indifferens; pollutio autem facta via & modo naturali per causas à natura constitutas sinè omni libera cooperatione, est indifferens ad bonũ, & malum: & finis ob quem desideratur, est bonus, & per se optabilis, ac appetibilis: Ergo in tali pollutionis desiderio ob talem finem nullum erit peccatum. Ità Nauar. *sum.c.* 16. *n.* 7. Angel. *v. Pollutio, n.* 1. Sa *v. Luxuria n.* 12. Sylues. *v. Pollutio, n.* 2. Tolet. *l.* 5. *c.* 10. *n.* 2. D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 6 *c.* 5. Fagund. *Decal. l.* 6. *c.* 9. *n.* 31. Vasq. 1. 2. *d.* 115. *c.* 3. Sanch. *sum. l.* 1. *c.* 2. *n.* 18. Filliuc. *tr.* 30. *n.* 144.

244 *Hoc verum esse iudicatum.*

Nullum peccatum esse iudico desiderare aliquem, vt sibi vel alteri sine culpa pollutio in somno eueniat ad eiusmodi bonũ finem: vndè reiicio soti sententiam: Nec enim valet argumentũ: Pollutio procurari non potest: ergo nec desiderari; nã benè possum desiderare mortem cuique Rempublicam cũ multorũ ruina administranti, vel de ea euenìente gaudere: & tamẽ non possum eam licitè procurare. Non tamen abnegarim, securius esse castitatis amatori, ad maiorémque eius perfectionem, nam nec ob honestum finem desiderare.

PROBL. XLVII.

Quandò causa pollutionis euenturæ in somnio, est mortalis in genere luxuriæ: est, & non est mortalis pollutio eiusmodi.

VErba impudica, turpes cogitationes, & tactus licèt sint crimina lethalia, & causæ per se ad pollutionẽ ordinatę: pollutio tamẽ præuisa ex tali delectatione in sõniis euentura peccatũ lethale non est. Quia causa illa in genere luxuriei lethalis non influit efficacitèr in pollutionẽ. Nam si quãdo cogitatio turpis, aut impudica verba præsẽtia sunt, nõ influũt, quomodò credi potest influxurã, quãdo absentia, vt potè in sõniis? Pollutionem igitur ex tali delectatione euenturã qui præuidet, nec tamẽ vult, lethaliter non delinquet. Sic Sancius *in select. d.* 21. *n.* 15. & *d.* 23. *n.* 29.

245 *Non est mortalis.*

Opus illicitũ mortale in genere luxurię qui perpetrat, præuidens euẽturam in somnis pollutionem lethaliter delinquit non solũ in specie peccati illius quod gerit, sed in specie molliciei. Quia huiusmodi opus per se grauiter in illam concurrit pollutionem. Ità Sanch. *l.* 9. *de matr. d.* 45. *n.* 30 Bonac. *de matr. q.* 4. *pun.* 10. *n.* 9. & communiter plures alij.

246 *Mortalis est.*

Equidem pollutio præuisa, sed non intenta in ebrietate, nimia comestione, &c. peccatum lethale non est; quia res huiusmodi ex propria ratione ad pollutionem non ordinantur, & ideo non grauiter, sed leuiter ad illam concurrunt: pollutio autẽ nõ est culpa mortalis prout præcisè volita in causa illam leuiter efficienet. At quãdo causa est mortalis in genere luxurię, vt verba turpia, tactus impudici, &c. tũc pollutio præuisa est lethale peccatũ; nã causa illa ex propria ratione ad pollutionẽ ordinatur. Vndè minimè audebo Sancij sẽtẽtiã approbare, Addixerim, pollutionẽ præuisam, sed non intentã ex actionibus peccaminosis tantũ venialiter in genere luxuriei, peccatũ mortale nõ esse: v. gr. si ex tactu leui manus, visu, lectione aliquantulũ libidinosa &c. Tanne. 1. 2. *d.* 4. *q.* 8. *dub.* 6. *n.* 123. pro sententia hac citat Suarium, Sanchez, Villalob. Lessi. & alios, quorum sententiam probabilem esse affirmat.

247 *Auctoris iudicium.*

PROBL. XLVIII.

Vir coniugatus semine intra vas vxoris emisso, ab illa recedit, valde quidem affectus libidine: Potest hac, & non potest tactibus se ad pollutionem excitare.

NOn potest. Quià actus ille iam omninò est ex parte finis consummatus: ad generationem enim fœmineum semen non est necessarium. Sic Manuel *sum. p.* 3. *c.* 88. *n.* 4. Diana *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 38.

248 *Non potest.*

249 *Potest quidē* Potest quidem. Quia alias euidentissimo lethalis peccati periculo fœminæ exponerentur, cum frequenter viri priusseminent, in fœminisque recedente viro valde irrita remanet libido. At tunc illa prouocatio non est illicita; quia est actus coniugalis perfectio, ac consummatio. Nam licet muliebre semen non sit ad generationem necessarium, valde tamen confert. Ità Sanch. *de matr. l. 9. d. 17. n. 12.* Bonac. *de matr. q. 4. pun. 6. n. 15.* Probabilis sententia hæc à Filliucio *tr. 10. n. 230.* vocatur, & illam Lessius *l. 4. c. 3. dub. 14. num. 94. in edit. Parisiensi anno 1618.* amplectitur. Zanard. *in direct. p. 1. de matr. c. 41. §. vndecimo dico.* Homobon. *de exami. Eccles. p. 1. tr. 7. c. 28. q. 126.*

250 *Prima sententia adhæreo.* Ex authoritate existimo probabilem esse satis secundam sententiam. Ast hærendo rationi minimè adpiserim ob primæ sententiæ fundamentum. Certè nimia illa fœminæ irritatio nō debet honestare actionem, quæ est ex se intrinsecè mala, cum necessaria non sit ad generationem. Crediderim tamen maritum non posse si ab vxore moneatur, recedere licitè, donec ipsa perficiat, nè huiusmodi periculo exponatur.

CAPVT XIX.

Circà Raptum.

PROBL. XLIX.

Vt incurrantur pœnæ iuris Canonici, & Tridentini contrà raptores fœminarum, necesse est, & necesse non est vt fiat raptus causa matrimonij: sufficit, & non sufficit fieri causa libidinis.

251 *Intelligenda sunt de vtroque raptu.* Pœnæ Concilij de vtroque raptu intelligendæ sunt: vndè siuè quis fœminam causa coniugij rapiat, siue causa libidinis explendæ, pœnas Concilij *sess. 24. c. 6.* expressas planè incurrit. Quia Tridentinum innouat pœnas per antiquos Canones raptoribus impositas, quæ vtrumque raptum comprehēdunt. Et quia vbi textus est dubius, rubrica, ac titulus, sub quo comprehenditur, illius declarat intellectum. Cū ergo textus concilij contineatur sub titulo *de raptoribus*, & comprehendat omnes raptores, etiam Clericos & Sacerdotes, qui causa matrimonij fœminas rapere non valent, cum ratione ordinis sacri sint ad contrahendum inhabiles: perspicuum est, voluisse Concilium omnes raptores comprehendere, siuè causa libidinis tantum, siue causa matrimonij ineundi tumtaxat, siue causa vtriusque rei simul fœminas abripiant. Sic plures relati à Sanch. *l. 7. de matr. d. 13.* Sa *v. Matrim. n. 9.* dicens, ita declarasse sacram Cardinal. Congregationem. Vela *de pœn. delictor. c. 29.* Veracr. *in append. ad specul. fol. 81.* & vide probabile esse Santius affirmat *n. 3.*

252 *Non sunt de vtroque raptu intelligenda.* Concilij pœnæ solum intelliguntur de raptu causa ineundi matrimonij facto non causa libidinis. Quia pœnæ sunt restringendæ, & non ampliandæ. Quare cum Concilium velit tātùm libertati matrimonij fauere, perspicuum est voluisse suis pœnis raptum solummodò causa cōiugij factum comprehendere, non causa libidinis, Deinde Concilium intendit corrigere *Caput finale de raptoribus* permittens matrimoniū inter raptorem & raptam, & vt illud corrigat, irritat tale matrimonium, dum rapta sub raptoris inest potestate, siue liberè & sponte consentiat, siue non. Quare cum de hoc raptu, qui causa matrimonij fit, loquatur, immeritò ad raptum causa etiam libidinis factum extenditur. Ità Sanch. *l. 7. de matr. d. 13. n. 4.* Fagund. *Decal. l. 6. c. 10. n. 4.* Farinac. *to. 4. prax. q. 145. nu. 2.* Salze. *ad pract. Bernardi Diaz, c. 78. fine.* Manu. *to. 1. sum. c. 113. n. 7.* Vega *to. 1. sum c. 34. casu 157.* notab. 1.

253 *Hæc verum.* Hanc sententiam reor esse veriorem. Nam decretum hoc pœnale Concilij ponitur in rubrica, & sub titulo *De reformatione matrimonij*: Solum ergò loquitur de raptu causa illius ineundi facto, non causa libidinis. Porrò vbi textus est dubius, rubrica probat, qualiter sit intelligendus, vnde cum dubium sit, an textus Concilij raptum causa libidinis actum comprehendat, rubrica probat non intelligi, cum de raptu tantùm matrimonij causa facto loquatur.

PROBL. L.

Mulier rapiens aliam mulierem libidinis causa, est, non est pœna ordinaria Iuris punienda.

254 *Est punienda ordinaria pœna, non arbitraria.* Est quidem punienda pœna ordinaria iuris, nempe pœna mortis, quæ est iure ciuili raptoribus constituta; non arbitraria Iudicis. Quia leges, quæ de viris raptoribus loquuntur, de illis loquuntur ratione frequentioris vsus: sed non impediunt, quominus verba legis ad casus minus frequentes etiam extendantur: sicut textus omnes interdicentes debiti petitionem incestuosis, de solis viris loquuntur, & tamen de fœminis etiam sunt intelligendi. Sic Cynus *ad l. 1. n. 8. C. de raptu virg.* Salicet. *ibi, n. 7.* Ioan. de Platea *§. sin autem, col. 2.* Practica conradi *rubr. de raptor. n. 10.*

255 *Punienda ob arbitraria pœna, non videntur.* Non est punienda pœna ordinaria iuris, sed Iudicis arbitraria. Quia leges non fuere loquutæ de viris ratione frequentioris vsus; sed loquutæ fuere de viris, non de fœminis; quia rarissimè contingere poterat, vt fœmina virum raperet; & vnus casus rarissimè contingens nō comprehenditur in legibus, licet comprehēdātur aliqui, quia aliquādo sunt frequentes, & aliquando contingunt, quamuis non ità frequenter. Ità Decian. *l. 8. c. 7. n. 28.* Menoch. *de arbitr. qq. l. 1. casu 291. in addit. nu. 30. & 31.* Fagund. *Decal. l. 6. c. 10. n. 8.* Sanch. *l. 7. de matr. d. 12. n. 14.*

256 *Hæc sententia verior est.* Verior mihi hæc sententia est. Nam quamuis apponerentur legis illa verba gratia frequentioris vsus: adhuc iudico non comprehendi fœminas viros rapientes; quia non est eadem ratio de illis, ac de viris, cum fœminæ leniores sint, & facti detestationem non considerent. Excipio tamen, nisi rapiens esset hermaphroditus, & intenderet libidinem sexu virili explere.

PROBL. LI.

Masculus causa libidinis masculum rapiens, est, & non est ordinariæ legis pœnæ obnoxius.

257 *Est obnoxius.* CVm casus hic aliquando contingere soleat, licet non ita frequenter: raptori huiusmodi ordinaria pœna mortis aptanda est iure ciuili imposita. Quia multò turpius est hoc crimen, quam raptus mulieris, cum ad actum contrà naturæ ordinetur. Sic Cynus *ad l. 1. num. 8. C. de rap. virg.* Salicet *ibi, num. 6.* Hostiens. *sum. de pœn raptor. num. 2.* Vital. *rubr. de raptor. num. 4.* Iacobus Nouel. *regu. 178. num. 3. ampliat. 3.* Carrera *in pract. crimin. tract. de homic. num. 30.* Conrad. *pract. de raptor. num. 10.* Iul. Clar. *§. Raptus, nu. 32.* Farinac. *tom. 4. qu. 145. num. 45.*

258 *Obnoxius non est.* Obnoxius non est raptor masculi capitali legis pœnæ. Quia *l. 1. initio. Cod. de raptu virg. verb. Fœminarum*, contrarium videtur suaderi, aliter enim cesset de masculis, quã de fœminis. Nam cum simus in materia pœnarum, quæ sunt restringendæ, & non ampliandæ, minimè debemus ad masculos pœnam illam producere. Ità Ghirland. *l. de pœn. omnifar. coitus, qu. 10. num. 23.* Iodocus *in pract. crimin. cap. 95. rubr. de raptu, num. 17.* Decian. *lib. 8. cap. 7.* Fagund. *Decalog. lib. 6. cap. 10. num. 9.*

259 *Mihi hæc sententia placet.* Certè Imperator loquitur expressè de fœminarum, non virorum raptu: & si voluisset in ea masculorum raptum comprehendere, eos equidem nominasset, sicut fœminas expressit. Vndè magis, mihi sententia hæc placet. Exprimit enim lex fœminarum raptus, qui sæpius contingunt, & videtur excludere raptus puerorum, qui rarissimè solent accidere; quare pœna arbitraria raptor masculi puniendus à Iudice, non ordinaria iuris.

PROBL. LII.

Parochus assistens matrimonio raptoris cum rapta nondum extrà potestatem illius in loco tuto, ac libero posita incurrit, & non incurrit pœnas Concilij, & Cap. fin. nempè suspensionem per triennium.

260 *Nonnulla suppono.* PRæmitto Tridentini *sess. 24. ca. 6.* decretum, *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat: & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant, &c.* Et *cap. fin. de clandest. desponsat.* Clericis auxilium præstantibus, vel fauorem per triennium suspensio indicitur. Quæsierim iam, num Parochus assistens matrimonio raptoris cum rapta nondum extrà potestatem illius in loco tuto constituta, incurrat Concilij, & præfati capitis pœnas?

261 *Incurrit Concilij pœnas.* Incurrit quidem. Quia si huiusmodi pœna fautori indicitur, fautor est hoc in casu Parochus prohibitis nuptiis assistens. Sic Maiolus *l. 5. de irregul. cap. 5. num. 17.*

262 *Non incurrit.* Minimè incurrit. Quia si hæ pœnæ impununtur aduersus fautores, vel raptores, Parochus matrimonio assistens post raptum perfectum, non illi fauet, cum iam transactus fuerit. Ità Sanch. *lib. 7. de matrim. d. 13. num. 1. fine, & l. 3. tota disput. 48.* Fagund. *Decal. lib. 6. cap. 10. num. 20.*

263 *Falli Maiolum puto.* Falli proculdubio Maiolum existimo. Vndè secundam teneo sententiam adiiciens, Parochũ sine dubio incursurum illas Cõcilij, ac *Cap. fin.* pœnas, si à parte antè eam assistentiam promitteret; quia animosior fieret illa promissione raptor ad patrandum delictum, & fautor raptoris esset.

PROBL. LIII.

Est & non est raptus pœnis Concilij, & iuris communis obnoxius, si fœmina sui iuris consentiat, quamvis raptor impedientibus vim inferat.

264 *Raptus est hisce pœnis obnoxius.* ESt raptus hisce pœnis obnoxius. Quia huiusmodi fœmina non habet sui corporis dominium, vt membra sua raptui illicito exponat. Sic Abbas *ad c. penultim. de raptoribus. n. 4.* Angel. *l. vni. de rap. virgi. num. 5.*

265 *Non est.* Non est raptus hisce obnoxius pœnis. Quia volenti, ac consentienti nulla fit iniuria: vndè cum illa sui iuris sit, & velis, ac consentiat, nemini fit propriè iniuria: ac proindè talis raptus verè, & propriè non dicetur raptus; sed impropriè, ac lato modo. Ità D. Thom. *2. 2. qu. 154. art. 7.* Nauar. *lib. 5. consil. tit. de raptor. cons. 1. nu. vni.* Sanch. *lib. 7. de matrim. d. 12. num. 4. & 6.* & alij apud ipsum.

266 *Hoc verum puto.* Hoc verum puto. Nam fœmina rapta verum habet sui corporis dominium, vt licitè raptui, & copulæ illud exponat. Vndè si illicitè libens & volens exponit, contrà sextum præceptum delinquet, eritque simplicis fornicationis, non raptus peccatum: nec contrà iustitiam, quia nemini raptor facit iniuriam. Quamvis autem raptor armis vtatur, nè aliquis impedimento sit, dum raptum exercet, non est verè, ac propriè raptus, nec pœnis ordinariis punietur, sed aliis mitioribus ad Iudicis arbitrium: nec in Confessione aliqua circumstantia explicanda est, ex raptus veri specie, quamvis impedientibus vis inferatur.

PROBL. LIV.

Raptus ille, in quo fœmina rapta consentit, parentibus illius raptum omnino ignorantibus, est, & non est puniendus rigorosis Concilij pœnis.

267 *Minimè puniendus Concilij pœnis.* MInimè puniendus Concilij pœnis, sed aliis mitioribus, & arbitrariis. Quia Con-

cilium intendit matrimonij libertati : Vndè cum fœmina rapta consentit, illius pœnæ cessant. Quare ad incurrendas pœnas Concilij, sola voluntatis fœminæ contradictio est considerandа: nec enim raptus huiusmodi propriè est raptus. Sic Veracr. *in append. ad specul. vbi de raptu, fol.* 81 Anton. Cucus *lib.* 5. *institut. maior. titul.* 12. *num.* 120. Henriqu. *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 5.

268 *Puniendus planè.* Puniendus planè Concilij pœnis. Quia committitur verus, ac proprius raptus; mulier enim non est domina corporis sui, nec se potest raptui tradere, nec membra sua exponere, *l. Liber homo, ff. ad leg. Aquiliam.* Ità Abbas *ad cap. Cum causa, num.* 4. *de raptor.* Bossius *ad titul. de raptu mulier. num.* 16. Ludouic. Peguer. *decis. crim.* 43. *num.* 3. *&* 6.

269 *Hoc retracto, illud teneo.* Existimarim, hanc sententiã nullo fundamine firmo niti. Nam mulier verè est domina corporis sui, & si illud tradit, & raptui consentit, solùm sequitur illicitè consentire, & cum peccato ad simplicem fornicationem pertinente. Vndè primæ opinioni adhæreo cum meo Sancio *lib.* 7. *de matrimon. d.* 13. *num.* 13. & Fagund. *Decal. l.* 6. *cap.* 11. *num.* 5.

PROBL. LV.

Si parentibus inuitis, & resistentibus, fœmina raptui consentiat, raptor subest, & non subest Tridentini pœnis.

270 *Subest equidem.* Subest equidem. Quia Concilium non solùm libertatem, sed honestatem matrimonij proculdubio intendit. Sic Nauar. *libr.* 4. *consil. tit. de sponsal. consil.* 32. *num. vni.* Ouand. *in* 4. *dist.* 42. *d. vni. propos.* 12. Salzedo *in pract. cap.* 78. §. *vltim.* Henriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *numer.* 4. Sa *verb. Matrimonium, num.* 9. Vega *tom.* 2. *sum. cap.* 34. *casu* 157. *notab.* 1. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 232. *num.* 1. & videtur sentire Tolet. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2. dum exponens hoc Concilij decretum, asserit, pœnas hasce habere locum, cum fœmina è domo parentum, vel eorum, sub quorum cura adest, ipsis abducitur inuitis.

271 *Non subest.* Minimè subest. Quia Concilium solùm intendit fauere matrimonij libertati, & cauere, nè fœminæ contrà suam voluntatem ipsum inire cogantur: ad quam libertatem nihil confert parentum voluntas. Neque enim Tridentinum honestatem matrimonij considerat: quod indè patet, quia ad valorem matrimonij inter raptorem, & raptam, solùm petit, raptam ad pristinam restitui libertatem, ac in loco tutò, ac libero reponi. Ità Sanch. *lib.* 7. *de matrimon. d.* 13. *numero* 13. Et ait valdè esse probabile Fagundez *Decalog. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 6.

272 *Probabile hoc sed primæ parti adhæreo.* Ego quidem hanc sententiam probabilem admodum etiam esse puto, sed fateor, me valdè in primam inclinare. Existimo enim, Concilium voluisse primariò, & per se libertati matrimonij honesti fauere : ad honestatem autem illius multum confert voluntas, seu placitum parentum, vel eorum, sub quorum potestate rapta fœmina commoratur. Illud certum, si fœmina rapta inuita abducatur, volentibus, ac consentientibus parentibus, raptorem, & illum iuuantes, auxilium, consiliúmque præbentes pœnas Concilij incurrere. Quia in Concilio solùm voluntas fœminæ, & illius contradictio attenditur, cum ei præcipuè fiat iniuria: Vndè tota ratio veri raptus ab illius voluntate pendet.

PROBL. LVI.

Pœna Concilij, comprehendit, & non comprehendit raptum, in quo fœmina virum abripit renitentem, vt secum ineat matrimonium.

273 *Non comprehendit.* NOn comprehendit. Quia decretum Concilij de solo raptore expressè loquitur *sess.* 24. *cap.* 6. ibi: *Quandiu ipsa in potestate raptoris manserit;* & postmodum pœnas decernens, ait: *Nihilominus ipse raptor, &c.* Vndè cum huiusmodi decretum sit correctorium, & pœnale, & loquatur solùm de viro fœminæ raptore, ad fœminam viri raptricem non est extendendum : datur enim diuersa ratio. Sic Sanch. *de matrim. lib.* 7. *d.* 14. *num.* 6. Veracr. *in append. ad spec. vbi de raptu, fol. mihi* 84. §. *Respondetur.* Fagund. *Decal. l.* 6. *c.* 11. *num.* 18.

274 *Comprehendit planè.* Comprehendit planè. Quia textus prohibentes incestuoso debiti petitionem, de solo viro loquuntur, & tamen de fœminis etiam incestuosis intelliguntur ob rationis identitatem. Et quia *lex vnica* §. *et si quidam, ver. Pœnas autem*, clarè loquitur de masculis, & fœminis. Ità Henriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. Manu. *sum. tom.* 1. *cap.* 232. *num.* 4. Vega *tom.* 2. *cap.* 34. *casu* 157. *notab.* 5. Vela *tract. de pœn. delict. ca.* 29. Azeued. & alij, apud Santium *citatum.*

275 *Prima sententia adhæreo.* Vtrámque sententiam valdè probabilem esse profiteor. Primæ adhæreo. Quia incestus solet contingere tam in viris, quam in fœminis, imò fortè frequentius in fœminis: & ideò pœnæ illius vtrísque æqualiter aptantur. At rarissimè contingit, vt fœminæ viros rapiant, & ideò illis haud possunt accomodari pœnæ ordinariæ legis, cum lex non soleat casus rarissimè contingenter comprehendere. Verum lex vni adducta pro sententia secunda à nobis est; nam ibi imponitur pœna siue viris siue fœminis auxiliantibus viro, qui mulierem rapit, ex quo non sequitur mulieri quoque raptrici imponi. Profecto maior honestas desideratur in fœminis, quam in viris, vt patet ex *l. si furtum, C. de nuptiis*, vndè grauius delictum est raptus fœminæ patratus à viro, quam raptus viri perpetratus à fœmina; quia nec masculus in raptu, nec eius parentes, & propinqui æqualem iniuriam patiuntur, ac quando fœmina rapta est. Quamobrem cum pœna delicto respondere, ac commensurari debeat, iustum non est, vt pœna raptori fœminarum iure imposita mulieri virum rapienti accommodetur.

CAPVT

CAPVT XX.

Circa morosam Delectationem.

PROBL. LVII.

Vt Delectatio morosa sit peccatum mortale, sufficit, & non sufficit, quod quis animaduertat, rem esse prohibitam ac moraliter illicitam, licet non animaduertat in speciali illicitam esse mortaliter.

276 *Sufficit quidem.*

SVFFICIT profectò. Quia vbi quis specialiter non iudicat, rem esse venialiter tantum malam, mortaliter peccabit, si in ea re illicita delectetur. Est enim periculum, nè sit mortaliter illicita: & qui sciens ac volens se peccādi mortaliter periculo exponit, mortaliter delinquit. Sic Zumel 1. 2. *q.* 74. *a.* 8. *d.* 1. Sanch. *to.* 1. *Decal. c.* 1. *n.* 9. Vasq. 1. 2. *d.* 107. *c.* 3. Fagund. *Decal. l.* 9. *c.* 1. *n.* 11.

277 *Non sufficit.*

Minimè sufficit. Quia tunc datur peccatum mortale, cum ratio aduertit, delectationem esse mortalem: & antè quam ratio aduertat prædictum motum delectationis mortalem esse, licet aduertat esse illicitum, non censetur aduertentia illa perfectè libera, nec plenè esse in nostra potestate, cum voluntas non feratur in cognitum: Ergò non censetur consensus esse plenè, ac perfectè liber, & mortalis. Ità Victoria *in relect. de eo, ad quod tenetur veniens ad vsum ratio. p.* 2. *num.* 11. Corduba *l.* 1. *q.* 23. *dub.* 9. Ang. *cap.* 6. *moral.* §. *vsque adeò dub.* 1. *potest* 3. *concl.*

278 *Primæ parti subscribo.*

Hæc sententia probabilis est, ast primæ subscribo veriori ac communiori. Nec enim tunc solùm in delectatione morosa datur lethale peccatum, cum ratio perfectè animaduertit, talem delectationem esse mortaliter illicitam, eo quod sit diuina, vel humana lege prohibita; sed etiam quando plenè animaduertit illicitam esse, licet expressè, & in particulari esse mortaliter illitam non aduertat; quia cum nullum præcedit sufficiens examen, quo quis animaduertenter iudicet eam esse venialem: & nihilominus ei vult consentire, & in ea immorari, ità est affectus, vt in ea delectetur, etiamsi mortalem mali m contineat.

PROBL. LVIII.

Delectatio morosa & consensus deliberatus voluntatis habitus de cogitatione, seu de speculatione operis mali, est, & non est lethale peccatum.

279 *Est peccatum lethale.*

ESt peccatum lethale, secluso etiam omni consensu formali ipsius actus & operis mali. Quia delectatio cogitationis speculatiuæ alicuius operis, & peccati mortalis necessariò inuoluit delectationem, & consensus ipsius mali operis: ergo necessario & interpretatiuè erit mortale peccatum nam moraliter videtur impossibile, quod aliquis delectetur in cogitatione speculatiua operis mali, & peccati alicuius mortalis, quin simul delectetur in opere malo, aut saltem sit affectus ad illud; quare in huiusmodi delectatione peccatum lethale dabitur: illa enim delectatio nihil aliud est, quam tacita quædam approbatio, & complacentia ipsius mali operis. Sic D. Tho. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 9. & 2. 2. *quæst.* 154. *art* 4. Caiet. *ibi*, Bonauent. *in* 2. *dist.* 24. Scot. *in* 2. *dist.* 42. Adria. *in* 4. *quæst.* 6.

280 *Peccatum lethale non est.*

Peccatum lethale non est. Quia delectatio sumit totam suam malitiam, deformitatem, ac peccatum ab obiecto, sed obiectum delectationis huiusce cogitationis est speculatio, seu, potius cogitatio quædam subtilis & ingeniosa, in qua subtilitate nullum est peccatum: Ergo nullum potest esse peccatum, nec veniale quidem. Ità Sylvest. *v. Delectatio, num.* 2. Caiet. *sum. v. Delectatio morosa.* Sanch. *tom.* 1. *Decal. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. & 5. Valent. 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *pun.* 3. Azor. *tom.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 1. Vasq. 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 1. *d.* 15. *cap.* 5. *num.* 26. Corduba *l.* 1. *quæst.* 23. *dub.* 11. Fagund. *Decal. lib.* 9. *cap.* 1. *numer.* 19.

281 *Primam sententiam communiorem, secundam probabiliorem esse vtor.*

Prima sententia communior est, secunda probabilior. Nam talis delectatio, & consensus non est contra aliquod præceptum: non contra illud, *Non mœchaberis* neque contra illud, *Non concupiscees.* Quia talis non vult mœchari, nec alienam cōcupiscere, imò id ei omninò displicet: Igitur talis delectatio nullum peccatum est. Verum illæ speculationes, & cogitationes nouæ, & subtiles de rebus mortalibus non sunt de se, nec ex genere suo malæ mortaliter, ac moraliter, secluso omni periculo consentiendi in ipsis rebus; si enim essent mortaliter, & moraliter malæ, nulla possent causa cohonestari; igitur delectatio illarum non est mala lethaliter.

PROBL. LIX.

Est, & non est lethale peccatum, negatiuè se habere circa delectationem morosam, & non positiuè resistere.

282 *Peccatum lethale est.*

PEccatum lethale est. Quia tam liberum, & voluntarium videtur respectu peccati non reprimere illos apperitus sensitiui motus, quos ratio plenè ac perfectè aduertit: ac perfectè in illis consentire: Ergo idem est tunc illos non reprimere, aut causam illorum antecedenter non reiicere, ac in illis consentire. Verùm qui non repellit libidinis causam, in qua periculū consentiendi inest, cum possit, tacitè, ac implicite videtur exhibere consensum: Atqui hoc periculum semper in tali causa inest, quamvis homo habeat propositum formale non consentiēdi, sæpe enim ea turpis commotio cogitatioque de se attrahit appetitum, & animū ad cōsentiendum: Ergo qui hanc causā & periculum expressè non reiicit, implicitè illud vult, ac proinde lethaliter peccat; nā qui amat periculū,

in

illo peribit. Sic Valent. 1. 2. *d.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 3. Sayr. *in Clavi, lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 3. Zumel. 1. 2. *qu.* 74. *art.* 8. *d.* 2. Vasq. 1. 2. *tom.* 1. *d.* 108. *capit.* 2. & alij recentiores, queis contraria opinio improbabilis videtur.

283 *Non est lethale peccatum.*

Peccatum lethale non est. Quia quando homo fortis, & qui experimentum sui habet, firmum propositum concipit non consentiendi, si merè negatiuè se habet, cessat omne consentiendi periculum: cessante verò hoc periculo, patitur potiùs, ac meretur, quàm delectatur, ac demeretur. Certè si tota culpæ mortalis ratio in hoc casu in periculo consentiendi consistit, cessante huiusmodi periculo, nulla lethalis culpa aderit. Ità D. Thom. *de verit. qu.* 14. *art.* 4. *ad* 10. Bonau. *in* 2. *dist.* 24. *numer.* 50. Nauar. *sum. cap.* 11. *num.* 12. & 13. Caiet. *verb. Delectatio.* Rosel. *ibi, num.* 1. Armil. *num.* 2. Sylvest. *verb. Delectatio morosa, qu.* 1. Corduba *lib.* 1. *qu.* 23. *dub.* 10. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 14. *num. penultim.* Soto *in* 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *art.* 7. *concl.* 1. Fagund. *Decal. libr.* 9. *cap.* 2. *num* 18. Sanchez *Decalog. tom.* 1. *libr.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 212. *num.* 1. & 3. & alij.

284 *Prima sententia semper practicè certa, secunda speculativè probabilior.*

Ego quidem existimo, primam sententiam practicè loquendo semper esse veram: secundam autem speculativè loquendo, & in rigore metaphisico esse probabiliorem. Quia etsi voluntas appetitum sensitivum, gubernare teneatur, suæ obligationi satisfacit; negativè se habendo, & procurando, nè consentiat. Si tamen voluntas negativè se gerat, & habeat displicentiam actus, & propositum formale non consentiendi, & sic non resistat actu, & positivè, & detur aliquod præviſum periculum pollutionis: tunc quidem culpa lethalis esset, negativè se habere, ac positivè non resistere, quo in casu vera vnè erit prima sententia. Quia quamvis probabilissimum sit, non esse peccatum mortale, cessante periculo consensus, voluntatem negativè se habere; at si periculum pollutionis adsit, periculum est mortale, cui homo sese exponit: quare sub lethali tenetur causas proximas notabiliter ad pollutionem concurrentes auferre: ideóque mortale est, se tunc negativè habere, imò tepidè, & non viriliter resistere, eo periculo prævio.

PROBL. LX.

Est, & non est peccatum mortale desiderium, & consensus conditionalis intensus, quo quis vult adulterium, verbi gratiâ, committere, si ei esset licitum.

285 *Status quæstionis.*

Videt quis, verbi gratiâ, hanc vel illam fœminam, & intensum elicit desiderium: Ego illius copia potirer, si mea esset vxor: quæsierim: an hoc desiderium sit mortale?

Mortale non est.

Mortale non est, modo sine commotione appetitus sensitivi habeatur. Quia quamvis conditio illa nihil ponat in natura obiecti voliti, & semper illud relinquat malum; ponit tamen in voluntate affectum non admittendi peccatum, posita illa conditione, non auferente malitiam obiecti. Vndè cum ea conditio sumatur ex parte voluntatis, ea adiecta, tota peccandi voluntas excludetur. Sic Caiet. *sum. verb. Cogitatio.* Fumus *ibi, num.* 1. Sa *verb. Peccatum, num.* 2. Alcoz. *sum. cap.* 6. *doctr.* 2. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 12. *num.* 2. Vasqu. 1. 2. *qu.* 74. *art.* 8. *d.* 16. *cap.* 2. *num.* 4. Vbi docet, non esse mortale propositum intensum vindictæ sumendæ, si liceret. Sayr. *in Clavi, libro* 8. *cap.* 7. *num.* 28. & 29.

Mortale est. Quia turpis illa actio est intrinsecè mala vnde absque sua malitia cognosci nequit: Ergò nec amari, ac desiderari; nihil enim volitum, quin præcognitum. Quare conditio illa negans eis hanc malitiam, contradictionem involuit. Neque obstat, quod illa conditio habeatur ex parte voluntatis: quia voluntas non potest efficaci desiderio velle rem illam, nisi vt ab intellectu valet cognosci: nunquam autem dignosci potest ab intellectu absque sua mala intrinseca natura: Ergò etiamsi habeat se ex parte voluntatis non excludet ab ea peccatum in efficaci volitione. Ità Sanch. *Decalog tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 23. Adrian. *quodlib.* 10. *art.* 2. *concl.* 1. Fagund. *Decalog. libr.* 9. *cap.* 3. *num.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *qu.* 10. 286 *Mortale est.*

Probabilius existimo, primam sententiam veram esse in iis obiectis, quæ solo iure Ecclesiastico, vel positiuo prohibentur: non verò in iis, quæ solo iure naturali sunt prohibitæ. Exempli gratiâ, vera est in his casibus: Comederem carnes in Quadragesima, in diebus Festis sacrum non audirem: Secus de illis, quæ iure naturæ sunt interdicta, vt occiderem, furarer, adulterium committerem, nisi esset peccatum. Quia cum res prioris generis, quæ solo iure positiuo sunt interdictæ, non sint intrinsecè malæ, potest ab eis per conditionem adiectam malitia auferri, nec conditio contradictionem implicat: & potest quis optare, eas res non esse malas; id enim aliud non est, quam optare, quòd Ecclesia eas non prohibuisset. At res posterioris generis sunt intrinsecè malæ, vnde absque sua malitia dignosci non possunt. 287 *Auctoris resolutio.*

PROBL. LXI.

Licet, & non licet sponsis de futuro delectatio sensualis de copula habenda tempore coniugij, etiamsi fiat sine pollutionis periculo.

288 *Non peccant mortaliter.*

Non peccant mortaliter, sed tantùm venialiter sponsi de futuro, qui ex cogitatione copulæ habendæ tempore matrimonij in appetitu sensitiuo delectantur, dummodò absit pollutionis periculum, & consensus in aliquod mortale peractum. Quia ea delectatio est de obiecto licito, nempe de matrimonio futuro: talis autem est delectatio, quale obiectum. Sic Victoria, quem refert, ac sequitur Medi. 1. 2. *qu.* 74. *art.* 8. *dub.* 3. Zumel. *ibid. d.* 4. *dub.* 3. Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 14. *dub.* 2. & *in sum. verb. Delectatio morosa* §. *Secundum an delectatio.*

289 *Mortaliter peccant.*

Peccatum mortale est ex obiecto, captare sponsos de futuro delectationem sensualem appetitus sensitiui ex copulâ futura tempore coniugij cogitata. Quia ille appetitus sensitiui actus semper ferrur ex natura in copulam præsentem, vt præsentem cum præsenti prurigine,

gine, & spirituum corporalium commotione generationi inseruientium: ad illámque natura ex sua ordinatur: imò nihil aliud est, quam quædam ipsius copulæ inchoatio: Sed copula præsens solis coniugatis est licita: Ergò illicita de futuro sponsis. Ità Sanch. *lib. 9. de matrimon. d. vltim. num. 4.* Nauar. *sum. cap. 16. num. 9.* Vasq. *1. 2. qu. 74. art. 8.* Corduba *lib. 1. qu. 23. dub. 13.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 212. num. 3.* Ludou. Lopez *part. 1. Instr. cap. 75.* Graf. *part. 1. decis. l. 2. cap. 78. num. 9.* & alij.

290 *Hoc mihi probabilius.*

Hoc mihi probabilius. Quia sicut externa delectatio copulæ, quam contractum matrimonium non cohonestat, est mortalis: ità & interna, quæ eiusdem est planè rationis. Neque enim eius malitia, aut bonitas æstimanda est ex copula præterita, aut futura; sed ex præsenti, ad quam natura sua tendit.

PROBL. LXII.

Coniuges absentes possunt, & non possunt licitè de copula cogitata delectari secluso pollutionis periculo.

291 *Non est lethale.*

ID non est lethale peccatum, sed solummodò veniale. Quia consensus delectationis in copulam talis est, qualis est copula, ex qua talis capitur delectatio: At copula inter coniuges est licita: Ergò & consensus, ac delectatio illius habita in appetitu sensitiuo cum alteratione spirituum, ac carnis pruriginisque commotione. Sic Rosel. *verb. Delectatio, numer. 3.* Armil. *num. 3.* Angel. *verb. Cogitatio, num. 3.* Tabie. *ibi, qu. 7. num. 8.* Palud. *in 4. dist. 9. qu. 3.* Vasq. *c. 2. d. 113. num. 4.* Valent. *1. 2. d. 6. quæs. 4. punct. 4.* Pedraza *prac. 9.* Margar. Consel. *tract. de luxuria, fol. 110.*

292 *Lethale est.*

Est lethale peccatum de se, & ex natura sua & obiecto, secluso etiam pollutionis periculo. Quia delectatio sensitiua in appetitu sensitiuo, cum spirituum vitalium commotione, & carnis prurigine, quandò non intenditur ad bonum finem, semper est mortalis; ac omnibus interdicitur sub mortali, quando est extrà actualem coniugalem copulam: Ergò peccatum lethale est. Ità Sanch. *de matrim. lib. 9. d. 47. num. 5.* Corduba *lib. 1. qu. 23.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. lib. 4. art. 2. cap. 18.* Graf. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 78. num. 9.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 212. num. 3.* Sa *verb. Luxuria, vers. Delectatio de peccato.* Ludou. Lop. *part. 1. Instr. cap. 75.* Nauar. *sum. capite 16. numero 10.* Fagund. *Decalog. libro 9. capite 1. numero 5.* Azor. *tom. 1. l. 4. cap. 6. qu. 8.*

293 *Probabilius hoc mihi.*

Probabilior mihi hæc sententia. Quia consensus, ac delectatio sensitiua, & in appetitu sensitiuo, talis est, qualis est copula, cum sit inchoatio copulæ, & via, ac medium ad illam: At copula solùm est licita in coniugibus, quandò est præsens, & in loco, ac in tempore accommodato haberi potest: & aliàs est illis mortaliter illicita, coniuges autem absentes copulari non possunt. Nec sufficit cogitare eam copulam tanquam præsentem, quia cogitatio nihil ponit in re: & sic re vera cum præsentialiter illam exercere nequeant, consentiunt, & delectantur in copula futura cum præsenti quidem periculo pollutionis, imò cum ipsa pollutione inchoata.

PROBL. LXIII.

Vidua potest, & non potest, sine lethali piaculo ex cogitatione copulæ licitæ prælapsæ delectari.

294 *Non potest sine mortali.*

NOn potest sine mortali. Quia eam capit delectationem non ex maritali copula, quæ actu habeatur, ac subsistat; sed ex ea, quæ animo cogitatur, ac memoria fingitur: vndè delectatur de copula extrà matrimonium, quod semper est lethale. Sic Sanch. *lib. 9. de matrim. d. 47. num. 7.* Nauar. *sum. cap. 16. numer. 1.* Cordu. *lib. 1. qu. 23. dub. 12.* Vasqu. *1. 2. qu. 34. ar. 8. d. 114. num. 2.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. l. 4. cap. 18.* Vega. *tom. 1. sum. cap. 81. casu 2.* Fagund. *Decalog. libro 9. capite 4. numero 9.* Graf. *part. 1. decis. lib. 2. cap. 78. num. 9.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 212. num. 3.*

295 *Sine mortali potest.*

Sine mortali potest. Quia obiectum est licitum, nempè copula tempore coniugij habita, quæ licita fuit; illa enim delectatio appetitus sensitiui sumit suam bonitatem, vel malitiam ab obiecto fine, seu copula, ad quam tendit: Ergò si obiectum hoc licitum fuit, licitum erit de eo delectari. Ità Caiet. *opusc. tom. 1. tr. 14. dub. 2. & in sum. verb. Delectatio, §. secundum an delectatio.* Paludan. *in 4. dist. 9. qu. 3. concl. 1.* Angel. *verb. Cogitatio, num. 2.* Armil. *verb. Delectatio, num. 3.* Rosel. *num. 3.* Tabie. *ibid. qu. 7. num. 8.* Valent. *1. 2. d. 6. qu. 4. punct. 4.* Zumel. *ibi, qu. 74. art. 8. d. 4. dub. 3.* Sa *verb. Luxuria, §. Delectatio de peccato.* Limitat, nisi viduus coniux cogitet alterum coniugem quasi præsentem, & sub ratione præsentis; quia tunc illud est delectari de copula præsenti, quæ viduis est illicita.

296 *Primam teneo sententiam.*

Primæ sententiæ adhæreo. Nam licèt illa delectatio si de obiecto, quod fuit licitum aliquandò; non tamen sit de obiecto actu licito. Fuit enim obiectum illud, siue copula inter coniuges licita tempore matrimonij, at nunc non est licita: & præsens delectatio appetitus sensitiui fertur in copulam præsentem, non in præteritam; quia nihil aliud est, quam præsentis copulæ inchoatio, & suaptè natura ad illam tendit, non ad præteritam, nec futuram.

PROBL. LXIV.

Mortaliter delinquit, & non delinquit mortaliter, qui delectatur in actibus ex se mortalibus, accidentibus quidem in ebrietate, in dementia, aut in somno, aut ignorantia.

297 *Non delinquit mortaliter.*

NOn delinquit mortaliter, sed huiusmodi delectatio licita est ad bonum finem, propter vtilitatem ex fornicatione verbi gratiâ, secutam. Quia delectatio sumit suam bonitatem, vel malitiam ab obiecto, ac fine, de quo talis delectatio habetur. Vndè cum, & finis, & obiectum sint bona, bona quoque erit talis

talis delectatio. Sic Lessi. *l.4.c.4. dub.14.n.106.* Vasq. *1.2.q.74. art.8.d.115.cap.2. & c.3. num.7.* Adrian. *in 4. tract. de Euchar. 90.*

298 *Delinquit mortaliter.* Delinquit mortaliter, si delectatio capiatur de rebus iure naturæ vetitis, verbi gratiâ, de fornicatione, de adulterio. Quia mala ex se sunt. Et quià non est in humana potestate, actus hosce non esse de iure naturali prohibitos. Profectò licet hæc mala in somno, amentia, ebrietate, vel ignorantia non fuerint voluntaria, & culpa caruerint: tamen qui postea eorum recordatur, dum vigilat, & ad suam mentem redit, vel dum ignorantia amplius non laborat, & sponte sua in illis delectatur: tunc incipit ea mala scienter velle, & approbare, ac proindè incipit delinquere. Ità Azor. *tom.1.l.4.c.6.q.9.* Sotus *in 4. dist.12. q.1. art. 8.* Sanch. *Decal. tom.1.l.1.c.2.n.17.* Medi. *1.2.q.74. art.6.* Zumel. *1.2.q.9. art.8.d.4. dub.4.* Fagund. *Decal. l.9.c.4.n.16.* Manu. *tom.1. sum. c.211. n.3.* Adrian. *quodl.16. art.2.* Palud. *in 4. dist.9.qu.3. art.1.*

299 *Cum his opinor.* Ego his hærescens affirmo, lethale esse peccatum in his actibus ex se mortalibus delectari. Nam sicut mortaliter delinquit, qui in vigilia, & perfecto intellectu desiderat fornicari, alium in ebrietate occidere, aut in somno se polluere, & id procurat lautius bibendo, & epulando: ità etiam mortaliter peccat, qui peracta ebrietate, & excussis somno, aut ignorantia, in malo delectatur, illud approbat, & sibi in eo complacet.

PROBL. LXV.

Peccat, & non peccat lethaliter, qui ob bonum finem in actibus malis prælapsis delectatur.

300 *Non peccat lethaliter.* NOn peccat, qui ob bonum finem in actibus ex natura sua malis à se per ignorantiam, ebrietatem, somnium, aut dementiam factis, post vigiliam, plenúmve iudicium delectatur. Quia licitum est complacere, verbi gratiâ, in pollutione habita in somnio propter corporis sanitatem, ac naturę exonerationem, in homicidio perpetrato in ebrietate propter hæreditatis successionem. Finis enim dat specificationem actibus, & ex bono, vel malo fine boni, vel mali redduntur. Sic Sotus *in 4. dist. 12.q.1.art.7.* Tolet. *l.5.c.13.n.4.* Nauar *sum.c.16. n.7.8.9.* Vasq. *1.2.q.74.art.8.d.115.c.3.n.7.* Sayr. *in Claui, l.8.c.5.n.15.* Lessi. *l.4.c.3.n.104. & 105.* Sanch. *tom.1. Decal.l.2.c.2.n.8.* Sylvest. *v. Pollutio n.vni.* Zumel. *1.2.q.74.art.8.d.4. dub.4.* & alij.

Mortaliter peccat, qui post pollutionem in somniis fornicationémve vigilans delectatur, etiamsi ad bonum finem delectetur. Quia defectus libertatis excusans pollutionem, fornicationem, aut quodvis alium actum in somniis, ebrietate, vel ignorantia accidenti, non concurrit in desiderio, ac delectatione illorum extrà somnium, & in pleno iudicio. Vndè cum hæc non liceat anteà, vel posteà procurare, non licebit illa desiderare, aut de illis gaudere etiam ob bonum finem. Ità Corduba *l.2.q.q.q. vlt. dub.2.* Manu. *tom.1. sum.c.211. num.3.* Ledes. *q.21.a.7. dub.6.* Medina *1.2.q.74.a.6.* Zumel. *ibi, art.8.d.4.* Adrian. *quodlib.10. art.2. propos.2.* 301 *Lethaliter peccat.*

Primam sententiam probabiliorem esse iudico. Concedo enim, defectum libertatis, quæ datur in somnio, ebrietate, dementia, violentia aut ignorantia, quique excusat à crimine, non dari in desiderio, & delectatione illorum extrà somnium, ebrietatem, amentiam, violentiam, ignorantiam: sed tamen non simpliciter dico licitum esse de hisce rebus nempè de pollutione, fornicationéve absque bono fine delectari: id enim peccatum esse iam suprà probaui. Sed assero, licitum esse posteà ob bonum finem affici delectatione. Quia hoc non est delectari in his malis, sed in bono ex illis promanante. Vndè licitum est posteà complacere in pollutione in somnio habita propter corporis sanitatem. Quod intelligo, modò in complacentia huiusmodi non detur futuræ pollutionis periculum, aut commotio spirituum vitalium, ac prurigo corporis in appetitu sensitiuo: tunc enim delectatio ob quamcúmque etiam bonum finem, sua ex natura lethalis planè esset. 302 *Primam amplector sententiam.*

LIBER

LIBER XXXIV.

SEPTIMVM, ET DECIMVM DECALOGI PRÆCEPTVM.

HABETVR hoc Præceptum Exo. 20. Non furtum facies. *Ad cuius expositionem ostendam, quid furtum, quale peccatum, quænam quantitas ad lethale sufficiat, queis modis committatur. Subiiciam de furto filiifamiliàs, vxoris, famulorum, ac Regularium tractationem. Nomine autem furti in præsenti solùm intelligo iniustam rei acceptionem: iniustam autem retentionem, quæ restitutioni obnoxia est, materiam de vsuris, reliquæ, quæ ab aliquibus Doctoribus hic elucidantur, in sextum Volumen de Iustitia & Iure proximum seiungo.*

SECTIO PRIMA.

De Præcepto Septimo, ac Decimo Decalogi receptiores sinè lite Sententiæ.

CAPVT I.

Quid sit Furtum?

1 *Furti diffinitio.*

FVRTVM est *occulta rei alienæ acceptio, domino rationabiliter inuito.* Dicitur *occulta*, vt à rapina, & aliis iniustis acceptionibus per iniquos contractus, quæ fiunt domino sciente, ac vidente, distinguatur. Dicitur *rei alienæ*, quia acceptio rei tuæ, quæ apud alium est, non est furtum, saltem quà *tuæ*; quamvis possit esse furtum, quatenus res illa sit alteri commodata, vel oppignorata. Dicitur *domino inuito*, quia si crederes, dominum ratum habere, & non dissentire, furtum non esset. Additur *rationabiliter*, vt innuatur, non commiti furtum ab eo, qui aliquid aufert, quandò dominus est rationabiliter inuitus: verbi gratiâ, quandò aliquid per modum iustæ compensationis, vel in extrema necessitate accipitur. D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 66. *articulo tertio*, Sylui. *ibi*, Reginald. *libro vigesimo tertio numero decimo*, Lessi. *libro secundo*, *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. IV. *capite* 12. *dubio primo.* Nauar. *sum. capite* 17. *numero* 1.

2 *Furtum, & rapina differunt specie, & in ratione iniuriæ.*

Furtum, & rapina differunt specie in ratione iniuriæ, quia rapina incurrit violentiam, quæ fit domino scienti, quam furtum excludit. Ab iniuria verò, quæ fit per iniquos contractus, furtum, & rapina differunt; quia furto, & rapina patitur dominus damnum omninò inuoluntariè, nempè per ignorantiam, vel per vim: in contractibus autem patitur damnum inuoluntariè mixtim, si sciat contractus iniquitatem. Medina *Codic. de reb. restituen. qn.* 4. Sylui. 2. 2. *qu.* 66. *art.* 4. Sayr. *in Claui*, *l.* 9. *cap.* 13. *num.* 9. & 10. ex D. Tho. 2. 2. *qu.* 66. *art.* 4.

CAPVT II.

Furtum quale peccatum, Vbi de furtis minutis.

3 *Suo ex ge-*

FVrtum ex genere suo est peccatū mortale Quia infert proximo nocumentum, quod

Furtum mortale est furtum, & quomodò possit fieri veniale.

est contrà charitatem. Attamen fieri potest, vt sit tantùm veniale, scilicèt ex indeliberatione, & paruitate materiæ, & quandò dominus non est inuitus quoad substantiam rei acceptæ, sed secùm quoad modum. Vndè fit, vt filius clam accipiens aliquid à patre, vel auo, vxor à marito, nepos à patruo, vel amicus ab amico liberali, ac benigno sæpius à mortali excusetur, quandò verosimiliter ob iustam causam creditur dominus concessurus, si peteretur. D. Tho. 2.2.*q.* 66. *a.* 6. Sylui. *ibi.* Bonac. *de contr. d.* 2. *q.* 8. *pun.* 1. *n.* 6. Sayr. *in Claui, l.* 9. *cap.* 14. & alij communiter.

4 *Potest furtum veniale fieri mortale ratione notabilis damn.*

Furtum, quod est veniale ex paruitate materię, potest fieri mortale ratione notabilis dãni, vel alterius causæ concurrentis: v.g. si quis sutori setas surripiat, vel sartori acus, nec possint alium dè habere. Vndè si cuipiam auferas rem parui momenti, quam tamẽ ille magni facit, te cognoscente, & propter quam valdè ille perturbabitur: non erit peccatũ lethale in specie furti, sed in specie damnificationis iniustæ. Si autem fur sciat, talẽ solere peierare, imprecari, blasphemare, erit peccatum scandali pertinens ad eam peccati speciem, cuius sciebat suo furto, etsi exiguo, se fore causam. Valent. *tom.* 3. *d.* 5. *qu.* 10. *punct.* 5. Sotus *de iust. l.* 5. *qu.* 3. *art.* 3. Sayr. *in Claui, lib.* 9. *c.* 15. *n.* 15. Ludou. Lop. *part.* 1. *Instruct. cap.* 93.

5 *Maior requiritur quantitas ad peccatum mortale furti, quandò quis eidem magnis temporis interuallis subtrahit.*

Certè maior requiritur quantitas ad peccatum mortale furti, quandò quis eidem magnis temporis interuallis subtrahit paruis furtis, & non ex industria, sed per occasionem; quam dum breui tempore, & ex industria, vel simul accipit. Quia homines minus ægrè ferunt, sibi auferri longo interuallo, & casu quædam minima etiam ad notabilem quantitatem, quam eandem quantitatem simul, vel partes de industria. Vndè qui auferendo decem, verbi gratiâ, ab eodem simul vel per partes de industria lethaliter delinquit: requirentur 15. vel 16. aut etiam 20. vt quis sub peccato mortali teneatur restituere per minuta furta fortuita acquisitum, præsertim si longis interuallis sint facta. Lessi. *libro* 2. *capite* 12. *dub.* 8. *numero* 46. Megala 2. 2. *libro* 2. *capite* 1. *quæst.* 3. *numero* 36. Diana *part.* 1. *tractat.* 6. *resol.* 34. Nauar. *sum. capite* 17. *numero* 139. Bonacin. *de contr. d.* 2. *quæstion.* 8. *punct.* 1. *numero nono.*

6 *Furans minima à pluribus cum intentione capiendi notabilem quantitatem, peccat lethaliter.*

Capiens minima à pluribus cum intentione coaceruandi notabilem quantitatem, peccat mortaliter illa intentione, & quouis externo furto minuto ex eius vi procedente. Si autem ex hisce minutis furtis notabilem acquisiuit quantitatem sub mortali tenetur ad restitutionem, modò inuitis dominis id fecerit. Quia ablatio rei notabilis est peccatum mortale, & sub mortali restituendum à quo ablatum, etiamsi non inferat ei, à quo fuerit sublatum. Valent. 2. 2. *d.* 5. *quæstion.* 10. *puncto tertio*, Salon. *ibi. quæstione sexagesima sexta, articulo sexto*, Lessi. *libro* 2. *capite* 12. *dub.* 7. Sylui. 2. 2. *qu.* 66. *art.* 6. *quæst.* 3. *concl.* 1. Sayr. *in Claui, libr.* 9. *cap.* 15. *numer.* 27.

7 *Scius qui per furta minima non intendit eam notabilem acquirere.*

Porrò qui per furta minuta non intendit notabilem acquirere quantitatem, sed ex occasione ea committit: non peccat lethaliter priusquam ad tantam quantitatem perueniat quæ continuata cum præcedente sit notabilis. Requiritur verò, vt furta paulatim facta moraliter continuentur, quòd fiant aut intentione furandi quantitatem notabilem, aut in eodem genere negotij, & non per magna temporis interualla, aut respectu alicuius communitatis: & tunc iuxta communem Doctorum sententiam vltimum furtum implens quantitatem notabilem, fit lethale peccatum, quod sub eodem lethale restitutioni est obnoxium. Vasq. 1. 2. *to.* 1. *d.* 146. *c.* 2. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *c.* 13. *q.* 4. Nauarra *de restit. l.* 3. *c.* 1. *d.* 6. *n.* 51. Diana *p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 34. Scio Nauarrum *sum. c.* 17. *n.* 139. & Lessium *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 8. *n.* 41. docere, furtum illud vltimum per se esse veniale solummodo; sed detentionem volũtariam rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, esse lethalem. Vnde colligo, posse dari furta solum venialia, quæ sub mortali ad restitutionẽ obligent: quod improbabile non reputarim.

8 *Qui vni per minuta furta graue damnum inferunt ex communi consilio, in solidum tenentur ad restitutionem.*

Cum plures vni per minuta furta graue inferunt damnum, & id fit ex communi consilio, omnes peccant lethaliter, & ad restitutionem in solidum tenentur. Quia cum singuli ad damnum notabile cooperentur, sequitur singulos peccare mortaliter, & teneri sub mortali ad restitutionem. Et quia singuli simul cum aliis notabilem quantitatem retinent cum damno domini: cum autem hoc damnum notabile sit indiuiduum, nec adsit maior ratio, cur vnus magis teneatur ad damnum notabile, quam alius: sequitur, singulos teneri. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 13. *q.* 5. Nauar. 17. *num.* 130. Sanch. *Decal. l.* 7. *c.* 21. *num.* 19. Turrian *d.* 35. *dub.* 2. & alij communiter.

9 *Quid si alter alterius non sit conscius?*

At si id casu fiat, ita vt alter alterius non sit conscius, nemo lethaliter peccat, neque ad restitutionem tenetur. Quia nemo illorum est notabilis damni causa; & quia quandiu conscius nullus fuit, nequit *libere*, ac moraliter, damnum, quod vnus intulit, cum præcedẽtibus, aut subsequentibus continuari. Quando tamen aduertunt, notabile damnum inferendum ex illis minutis furtis, nunc singuli mortifere delinquant, si suam partem non restituant, *sect.* 13. discutiemus. Est communis sententia.

10 *An nouum peccatum committat qui post quantitatem notabilem per minima furta sublatam, addit alia parua furta? sub distinctione respondeo.*

An verò nouum peccatum committat, qui post quantitatem notabilem per minima furta sublatam, addit alia parua furta? sub distinctione respondeo, si fur dum noua furta committit, doluerit iam de furtis prælapsis, & habeat restituendi propositum prima opportunitate: peccabit solum venialiter, & quando illa noua furta rursus ad quantitatem notabilem ascendent, nouum peccatum lethale perpetrabitur. Quia cum pœnitentia interrumpat quantitatum præcedentium continuationem, materia subsequens non integrabit vnam quantitatem cum præcedẽte, & consequenter materia subsequens vt leuis non sufficiet ad lethale peccatum, donec de nouo ad notabilem quantitatem perueniatur, modo surripiẽdi maiorem quantitatem non adsit intentio. Ast si fur actum voluntatis retinendi alienum in notabili quantitate, non interrumpit, & cum aduertentia præteritorum noua furta leuia committat, mortaliter delinquet. Quia illa quantitas moraliter continuatur, & fur implicitè renouat actum voluntatis

voluntatis retinendi notabilem rem alienam: sed quoties innouatur huiusmodi actus voluntatis toties peccatum nouum committitur: Ergò. Lessi. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 44, Sanch. *Decal. l.* 7. *c.* 21. *num.* 7. Diana *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 43.

11 *Qui aufert leuem quantitatem ab eo à quo alij notabilem abstulerant, non delinquit lethaliter.*

Qui aufert leuem quantitatem ab vno, à quo alij notabilem abstulerant, non delinquit lethaliter. Quia non est causa notabilis damni, quod iam ab alio fuerat illatum: vndè furtum ex parte sua in parua est quantitate. Nec enim illa quantitas leuis non videtur cum magna quantitate, quam alij abstulerant, continuari & sic damno notabili minimè cooperatur. Sanch. *l.* 7. *Decal. c.* 21. *n.* 23. Vasq. 1. 2. *d.* 146. *cap.* 2.

12 *Continuè actu peccat, qui furto rem alienam detinet.*

Qui furtò, vel iniustè rem alienam, aut alteri debitam detinet, continuè actu peccat totò eo tempore, quo cum posset, non restituit. Quia non restituendo, lædit continenter proximum ipsum à possessione, & vsu rei suæ, vel debitæ impediens: quæ læsio quò diutius durat, eò maior censetur; moraliter tamen loquendò per illam voluntariam detentionem non fit nouum peccatum, sed continuatur antiquum, quod antè per acceptionem fuerat inchoatũ. Sotus *de iust. l.* 4. *q.* 7. *a.* 4. Lessi. *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 3. *num.* 11.

13 *Tripliciter potest interrumpi illud detentionis iniquæ peccatum, itaut formaliter non continuetur.*

Tripliciter autè potest interrũpi illud actuale detẽtionis iniquæ peccatũ, itavt formaliter nõ cõtinuetur. Primò ratione ipsius propositi: dum quis scilicet propositũ detinendi mutat, constituẽs, prima opportunitate restituere. Secundò ratione detẽtionis externæ, quãdò illa in se incipit non esse amplius iniuriosa, quia facta est, v. g. impossibilis ob penuriã, &c. Tertiò ratione somnij, vel alterius distractionis. Suar. *tom.* 4. *d.* 22. *sect.* 5. *n.* 30. Henriq. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 5. Vasq. 1. 2. *d.* 75. *c.* 3. Bonac. *de restit. d.* 1. *q.* 6. *pun.* 1. *num* 12. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *resol.* 28.

14 *Quisquam potest in extrema necessitate constitutus capere rem alienam vt suam subleuet egestatem.*

Quisquã in extrema necessitate constitutus, potest capere rẽ alienã ad suã egestatẽ subleuandam. Quia necessitas extrema facit omnia communia. Modò dominus rei in necessitate æqualis non existat. Quia in pari causa melior est conditio possidentis. Vndè talis acceptio non est furtum, aut rapina; non enim fit domino iure inuito: qui tenetur consentire, cũ egẽs ille iure suo vtatur. Imò si dominus velit prohibere, potest in extrema necessitate constitutus aduersus illum se tueri, tanquam qui iniustè ab altero inuaderetur: etsi necesse sit, seruato iustæ defensionis moderamine, impedientem occidere. D. Tho. 2. 2. *q.* 66. *a.* 7. Tolet. *l.* 5. *c.* 15. *n.* 5. Lessi. *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 12. Nauar. *sum. c.* 17. *n.* 5. Sayr. *in Clau. l.* 9. *c.* 14. *n.* 18. Sylui. 2. 2. *q.* 66. *a.* 7.

CAPVT III.

De quantitate ad lethale peccatum sufficiente.

15 *Illa est grauis quantitas ad lethale, quæ graue infert domino nocumentum.*

PRofectò illa quãtitas est sufficiens ad mortale peccatum furti, quæ omnibus consideratis, graue infert domino nocumentum, vel notabili priuat vtilitate. Vndè non potest in genere taxari, quæ quantitas sit notabilis, sed hæc pro varia personarum, ac locorum conditione, prudentum arbitrio erit statuenda. Quia quod respectu vnius notabile censetur, respectu alterius modicũ reputatur. Vasq. *Opusc. de rest. cap.* 5. §. 1. *dub.* 5. & alij communiter.

16 *Regula hæc singulis aptatur.*

Vndè respectu omnium personarum illustrium, quæ splendide alunt familiam nummus aureus est materia notabilis sufficiens ad lethale. Quia tale furtum licet non noceat huiusmodi personis quoad victum, videtur tamen notabiliter nocere, quatenus nummus aureus ad alendam familiam inseruit, & potest esse menstruum vnius famuli inferioris Salarium. Respectu Regum aliquid potest adiici materiæ, vt grauis existat. Respectu mediocriter diuitum, qui ex suis redditibus victitant, quatuor vel quinque Regales quid notabile censetur. Quia illis fere ad vnius diei victum sufficit. Respectu personarum, quæ suo artificio, & opera se sustentãt, & dicuntur mechanici tres Regales ad peccatum mortale sufficiũt. Quia inde cõmodè victitant, & hæc sũma ferè mercedem diurnam exæquat. Respectu verò pauperis, qui mendicando sibi consulit, vnus Regalis, imò dimidius est sufficiens peccati lethalis materia. Denique respectu omnium illam dixerim grauis furti sufficientem esse materiã, quæ ad honestum vnius diei iuxtà statum cuiúsque victum sufficiens videatur. Medina *C. de restit. q.* 10. Nauarra *de restit. l.* 3. *c.* 1 *n.* 35. Lessi. *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 1. *n.* 29. & 30. Sayr. *in Clau. lib.* 9. *c.* 15. *n.* 9. Bonac. *de contr. d.* 2. *q.* 8. *pun.* 1. *n.* 7. Regin. *l.* 23. *n.* 19. Diana *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 57. Sylui. 2. 2. *q.* 66. *art.* 6. *concluſ.* 4. Adnotarim autem ex Nauarro *sum. c.* 17. *n.* 4. censeri etiam peccare mortaliter illũ, qui saltem vno vel altero asse non abest à quantitate exposita. Quia quæ parum distant, nihil distare videntur: & quantitas hæc non mathematicè, sed moraliter est statuenda.

17 *Res hæc non potest quantitate pecuniæ diffiniri.*

Dixi autẽ grauem ad lethale peccatum esse materiã illã, quæ ad honestũ vnius diei victum cuíque sufficiunt. Quia res hæc non potest ex quantitate pecuniæ diffiniri, valor enim pecuniæ non est idem omnium respectu gentium: non ergò qualitas furti potest ab ipsa pecunia censeri. Esto mortale sit quatuor, aut quinque Regales in Hispania furripere, apud Indos hęc deficit regula, quibus ob auri, argentíque abũdantiam vnus Regalis est monetarum infima, vti P. Molina *to.* 3. *de iust. d.* 685. aduertit.

CAPVT IV.

De Filiorum furtis.

LEthaliter delinquit filius, qui notabilẽ sũmam subripit ex bonis, quorũ possessionẽ, & vsumfructũ parẽs habet, ipso meritò inuito. At si filius bona castrensia, vel quasi, accipiat, mortaliter nõ peccat. Quia illorũ proprietas, & vsusfructus ad ipsũ pertinent. Omnes cõmuniter.

18 *Mortaliter delinquit filius notabilem summam surripiens.*

Profectò non idẽ censetur notabile in furtis filiorum, quod tale in externorum furtis censetur: sed maior quantitas requiritur, quæ quidem non est eadem respectu omnium: Sed varia pro status, ætatis, personarũ, locorum, aliarúmq; circumstãtiarũ cõditione, prudẽtis iudicio. Quia pater nõ ità est inuitus circà filiorum furta sicut circà furtũ aliorũ. Consequẽter pro varietate circũstantiarum, vt amoris, indulgẽtiæ, &c. fieri potest, vt maior quantitas requiratur,

19 *Maior quantitas requiritur ad filiorum graue furtum.*

ratur, vbi pater inuitus sit circà furti substantiam, quàm quoad modum. Vndè potest contingere, vt filius surripiens duos aureos non peccet lethaliter, & qui sex argenteos furatur, mortaliter delinquat. V. gr. si pater sit valdè diues non est censendus lethaliter delinquere filius qui ab eo duos, vel tres nummos abripiat aureos, vt licitè cum suis amicis iuxtà reliquos suæ qualitatis, etiam inuito parente colludat. Quia non est rationabiliter inuitus, præcipuè si filius supremam attingat iam adolescentiam. At si pater sit mediocriter diues, non est censendus filius lethaliter peccare, septem vel octo argenteorum clàm valorem accipiens. Verùm si pater arti sit mechanicæ addictus quidam existimant quatuor argenteorum valorem esse ad lethale sufficientem. Bonac. *de restit. d.2.q.10.pun.1.n.5.* Regin. *l.10. n.27.* Caspens. *tr.18.d.5.sect.7.n.53.* Sylui. *2.1.q.66.art.6. concl.3.* Vasq. *de rest. cap.4.§.2. dub.6. num.45.*

20 Sayr. *lib.9.cap.16.num.11.*

De restitutione gerenda à filiis.

Filius, qui bona, quorum pater habet dominium, vel vsumfructum, accepit, tenetur restituere de re ablata, si existat: si verò non existat, de alis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, si habet: si non habet, tenebitur in partitione hæreditatis cum fratribus computare, quod surripuit, in suam partem: nisi constet, alios fratres tantumdem expendisse, vel patrē condonasse: aut verò similiter credatur patrem condonaturum. Quia tunc pater non videtur inuitus circà substantiam acceptionis, sed solummodo circà modum. Molina *tom.1. de iust. d.242.* Lessi. *lib.2.cap.12.dub.13.num.77.* Sayr. *in Claui, lib.9.cap.16.num.19.*

21 *Non peccat mortaliter filius furti delicto expendens aliquid in eleemosynas, ludos, &c.*

Nō peccat mortaliter furti delicto filius expendens aliquid in eleemosynas, vel honestam recreationem iuxtà statum. Quia pater inuitus rationabiliter non censetur. Item si in extrema, vel graui necessitate proximi subripiat, vt ei subueniat. Vel si accipiat ex bonis suis castrensibus, vel quasi castrēsibus, nempè ex partis occasione militiæ, vel officij publici, vel beneficij, &c. Vel si parens sit hæreticus, bona aduentitia filij, in quibus ille habebat vsumfructū, redeūt ad filiū, & vsusfructus cū proprietate cōsolidatur. Porrò si filius gerit patris negotia, potest deductis expensis, quas pater agit in eo alēdo, pro labore, & industria tātumdem accipere; quantū extraneo daretur, nisi facere id gratis intēdat. Ad hoc tamen necessū est, vt filius ostendat expresè, vel tacitè, se velle lucrari: & constet, parentem nō facturum per se, neq; inuenturū aliū, qui gratis, vel minoris efficiat. Deniq; nō potest filius vsumfructū istiusmodi lucri sibi vendicare antè patris mortem, vel suā emancipationem. Quia lucrū hoc inter bona aduentitia, quæ pertinēt ad patrem, connumeratur. Nauar. *sum.c.17.n.145.& 157.* Lessi. *l.2.c.12.dub.13.n.79.80.& 81.* Ludou Lop. *p.2. c.23.* Regin. *l.c.20.n.27.& 28.* Diana *p.4.tr.4. resol.66.* Angel. *v. Peculium, n.11.* Layman. *lib.3. sect.5.tract.4.cap.8. num.6.* Bonac. *de rest. dec. q.10. pun.1.num....à num.6.*

CAPVT V.

De furtis Vxorū.

22 *Non peccat*

SI Vxor auferat marito pecunias, ne ludis, aut comessationibus prodigat: aut vinum, nè inebrietur: aut librum hæreticum, nè legat, &c. non furatur. Quia id ob illius commodum accipit. Lessi. *l.2. c.12.* quem sequitur Hermanus Busembaum *sum. lib.3. tract.5. cap.1. num.2.*

Vxor, auferens à marito nummos, ne indat. &c.

Licet verè sit furtum, si vxor, inuito marito, quid auferat, plerúmque tamen maior quantitas requiritur, vt sit mortale. Quia ille, aut non rationabiliter inuitus, aut saltem minus inuitus est, vt ab vxore, quā ab alijs auferatur. Vel si valdè inuitus sit, sæpè tamen id sit non tam ratione rei acceptæ, quàm modi accipiendi clàm, aut ratione finis, ob quem accipitur: verbi gratiā, ad ludendum, &c. Caiet. *verb. furtum.* Lessi. *lib.2.cap.12.num.76.*

23 *Maior quantitas requiritur ad graue furtum vxoris.*

Vxor grauiter delinquit, si notabilem summam inuito marito, accipiat etiam ex dote, vel bonis communibus. Quia licèt media pars ad eam spectet, maritus tamen habet illius partis vsumfructum: ideóque ad restitutionem tenetur. Trul. *lib.7. Decalog. cap.6. dub.8. num.7.* & alij.

24 *Grauiter peccat, si notabilem summam abripiat inuito coniuge.*

Similiter delinquit grauiter maritus contrà iustitiam cum obligatione restituendi, si aliquid notabile vxori surripiat absque eius consensu ex bonis illius paraphernalibus, vel aliis propriis. Quia libera eorum administratio ipsimet vxori competit: par est enim ratio mariti, & vxoris quoad bona propria. Trul. *l.6. Decal. cap.1. dub.9.* Villalob. *tom.2. sum. tract.13.*

25 *Et maritus si ex bonis propriis vxoris inuita capiat.*

Vxor potest dare eleemosynam, ac munera largiri iuxtà aliarum mulierum loci, ac conditionis consuetudinem, etiamsi maritus ei prohibeat. Quia consuetudo hoc ei ius tribuit, quo maritus eam priuare non potest. Diana *part.1. tract.3. resol.23. & part.5. tract.8. resol.14.* Vbi cum Molina, ac decem aliis Doctoribus edōcet, posse eam, inscio marito, largiri vigesimam partem annui census, vel lucri. Quia id pertinet ad status decentiam, & maritus irrationabiliter est inuitus.

26 *Potest dare eleemosynam iuxtà loci, & conditionis consuetudinem, inuito marito.*

Potest bona expendere, marito absente, vel fatuo. Quia tunc ad eam domus administratio spectat. Item quæ propria acquirit industria. Etiam paraphernalia, hoc est, bona quæ præter dotem marito allatam, sibi reseruauit. Trul. *l.6. Decal. cap.1. dub.9.* & alij communiter.

27 *Maritus absente, vel fatuo potest bona expendere.*

Non delinquit vxor, subducendo aliqua, compensationis causa, si vir sit prodigus. Quia is tunc facit vxori iniuriam partem ipsius profundendo: vel pro victu, vestibus, ceteris que li, vel familiæ necessariis, quæ mariti sæpè non intelligunt, & frustrà ab illis peterentur. Bonac. & Trull. quos affert, ac sequitur Busembaum *lib.3. tract.5. cap.1. dub.4. num.4.*

28 *Potest aliqua subducere, si maritus sit prodigus, ad compensatiōnem.*

Si pater, mater, vel proles ex alio marito sit pauper, itavt miserè secundum statum victitent, & maritus eis nolit succurrere: potest vxor ex bonis suis propriis, vel etiam ex communibus (dummodò post mortem viri omnia in sua parte computet) eis subuenire. Quia iure naturæ tenetur eos alere, & maritus in id consentire. Lessi. *lib.2.cap.12.dub.14.* Diana *p.5. tract.8. resol.34.* Qui quidem eam potestatem ad Fratres, & Sorores extendunt, Trullench. *lib.6.cap.1.dub.9.* approbante.

29 *Et inuito marito succurrere parentibus, vel filijs ex alio marito indigentibus.*

CAPVT

CAPVT VI.

De Famulorum furtis.

30 *Quando delinquit grauiter famulus, & quando potest à lethali excusari circà furtum.*

PEccat famulus furti delicto auferēs aliquid in notabili quātitate à domino suo. At potest à lethali excusari, quandò minimam quantitatem victualium succēssiuè furatur, quæ progressu temporis sit notabilis, modo illam proprium conuertat in vsum. Si verò accipiat notabilem quantitatem victualium, ad ludendum, diuendendum, vel consumendum cum externis, furti vitio delinquet. Quia dominus censetur inuitus non solùm quoad modum accipiendi, sed etiam quoad rei substantiam. Nauar. *sum. c. 17. n. 138.* Nauarra *de restit. l. 3. c. 1. p. 3. d. 6. n. 220.* Lessi. *lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 48.*

31 *Si pœnus non sit custos non tenetur ex iusti ia, dominum de alienum famulorum furtū admonere.*

Quando duo eiusdem familiæ sunt famuli, quorum vni curam pœnus custodiendæ demandata est, alteri non est: etsi vterque charitatis lege furta debeat impedire, si facile, & sine proprio valeat incommodo, ex iustitia tamen fermè is solùm, qui curam pœnus gerit ad restitutionem obligatur, si domino non manifestet alios famulos sæpius sua ex officina furari. Nauar. *sum. c. 17. n. 136.* Lessi. *l. 2. c. 13. n. 75.* Laym. *l. 3. sect. 5. tract. 2. cap. 5. num. 6.* Diana *part. 3. tract. 6. resol. 58.*

CAPVT VII.

De furtis Religiosorum.

32 *Quando Religiosus ex bonis monasterij accipiens lethaliter delinquat.*

RElIGIOSVS ex bonis Monasterij in notabili capiens quantitate, peccat lethaliter, si res ablatæ necessariæ non sint; aut si sint, superior tamen concederet, si peterentur. Quia contrà votum paupertatis agit, dominij actum exercens. Azor. *tom. 1. l. 12. cap. 12. q. 6.* Petr. Nauar. *de rest. lib. 3. c. 9. 1. num. 195.* Molina *de contr. d. 276.* Manu. *tom. 2. sum. cap. 21.*

33 *Et quando non.*

Certè si res ablata talis esset, quæ necessaria ad vsum Religiosorum priuatorum censeretur, verbi gratiâ, cibaria, vestes, medicinæ, &c. & sua necessitate proposita, adhuc superior concedere nollet, accipiendo non delinqueret, nec ad restitutionem teneretur. Quia tunc superior est irrationabiliter inuitus, & Religiosus habet ius sibi succurrendi, id iure naturæ dictante. Quandò autem superior iustè necessitati illius non consulit ex monasterij bonis, eo quod inopia, eo oppresso, nequeat: & ideò taxantur vnicuique subdito iuxtà monasterij facultates exhibenda: tunc nequit Religiosus aliqua ex conuentu vsurpare, vt sibi prouideat, absque proprietatis peccato, & restituendi obligatione. Quia tunc tradita ratio non militat; eo quod licentia non sit debita. Sed iustè denegetur, aliisque Religiosis indigentibus iniustè derrahatur. Sanch. *l. 7. Decal. c. 19. num. 54.* post Baldum & alios.

34 *Ea quantitas est necessaria ad furtum lethale Religiosi, quæ sufficit in sæcularia materiam grauem furti constituendam.*

Ea autem quantitas necessaria est, & sufficit ad delinquendum lethaliter Regularis, sine superioris licentia detrahens, seu vsurpans: quæ necessaria est, & sufficit in sæcularibus, ad materiam furti grauem constituendam. Sic Doctores communiter. Sed placet Miranda *in manuali Prælat. tom. 1. qu. 28. art. 17. concl. 2.* docens quantitatem notabilem in Regularium furtis esse in particulari pro temporum, locorum, Religionum, personarum, & aliarum circumstantiarum differentia, arbitrióque prudentis determinandam. Consule Dianam *p. 1. de pauper. Relig. resol. 36.*

35 *Non delinquit grauiter in comestibilium furtu.*

Religiosus accipiens ad proprium vsum comestibilia, etsi ad quantitatem notabilem deueniat, mortaliter non delinquit. Quia furta eiusmodi minima in tali materia non continuantur, & in eo modo sic paulatim hæc accipiendi, non est superior inuitus. Attamen si ille expressè prohiberet sub pœna furti, aut proprietatis talium rerum acceptionem, posset esse peccatum lethale in monasteriis Ordinum, in quibus viget altissimæ paupertatis vsus. Bonac. *de larg. muner. d. 1. pun. 5. n. 6.* Fernand. *p. 1. c. 6. §. 2. n. 12.* Diana *p. 1. tr. de pauper. relig. resol. 35.* Barth. de S. Fausto *thesau. lib. 8. qu. 110.*

36 *Quid si aliquis extrà monasterium det.*

Religiosus, qui rem in ea quantitate accepit, quæ ad peccatum lethale furti sufficit contrà septimum præceptum, siuè sit vsu consumptibilis, siuè non, & dedit alicui extrà monasterium, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur tam ipse, quàm recipiens, si res extat. Si autem res consumpta sit, tenetur qui accepit restituere quantum ex illa ditior est factus, seu quantum aliàs expendisset, si res illa consumpta non esset. Profectò Religiosus, qui rem alienauit, aut ipsemet sinè licentia, vel necessitate consumpsit, non tenetur propriè restituere: sed debet admonere recipientem, vt ipse restituat: & si aliquos ex debita licentia redditus habeat, ex iis debet restituere. Corduba *sum. q. 109.* Bonac. *de larg. muner. d. 1. pun. 3. num. 6. & 7.* Sayr. *in Clani, lib. 9. cap. 16. num. 21.*

37 *Computandus est Religiosus circà hæc cum filiis familiàs mediocriter diuitis parentū.*

Religiosus voto paupertatis adstrictus non computandus est cum filiisfamiliàs ditissimorum parentum, sed cum iis, qui mediocriter diuites sunt, vt inde colligas, quænam quantitas respectu illorum circà danda, accipienda, vel approprianda sibi de rebus monasterij ad furtum mortale sufficiat. Vndè sicut vidimus, non peccare lethaliter filium, si à parentibus clàm quantitatem quinque vel sex argenteorum suffuretur, ità sentiendum de Religioso: nisi alia minor sit à superioribus assignata. Caspens. *tractat. 18. d. 5. section. 7. numero 56.*

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto Septimo, ac decimo Decalogi Problemata.

CAPVT VIII.

Circà grauem in Furto quantitatem.

PROBL. I.

Grauis in furto quantitas potest, & non potest generatim definiri.

38 *Definiri generatim potest.*

DIFFINIRI generatim potest v.gr. quatuor regalium quantitas. Quia hæc respectu omnium grauis reputatur, & minor leuis. Quatuor enim regales sufficiunt cuilibet pierumque ad vnius diei sustentationem vbique terrarum: quod minori quantitate vix assequi quis poterit. Sic Marchant. *resol. pastor. ad Decalog. c. 7. q. 2.* Vega *citand.*

39 *Generatim non potest definiri.*

Minimè potest generatim grauis quantitas definiri. Quia quod vni sufficit ad victum vnius diei, non sufficit alteri: & vt pauper quisque victitet vna die, necessaria non erit quantitas assignata. Ergò quamuis demus, sufficere ad graue furtum quantitatem illam, quæ victui vnius diei sufficiat, minimè poterit generatim sufficiens quantitas assignari; quatuor namque regales diuiti non sufficient, pauperis verò victui superfluent. Distinguendæ igitur personæ, à quibus quis furatur, & in particulari res definienda. Bonac. *citandus.*

40 *Idem teneo, & confirmo.*

Equidem grauis furti materia generatim definiri non potest. Quia circà eam tot sententiæ, quot capita, Nauar. *sum. c. 17. numer. 4.* ait, dimidium regalem esse materiam ad mortale furtum constituendum. Salon. *2. 2. to. 1. q. 66. art. 6. comr. 1.* vnum regalem. Medina *1. 2. q. 88. a. 8.* duos argenteos. Valent. *to. 3. d. 5. q. 10. pun. 16.* tres. Vega *sum. to. 1. c. 129. num. 11.* quatuor, vel quinque. Molina *to. 3. de iust. d. 685.* edocet materiam graue esse ad furtum, id quod satis est ad conducendam operam fossoris terræ, vnius diei circà ordinarios. Manuel. *sum. to. 5. c. 118. n. 17. & 19.* duor aureos. Bannes *2. 2. q. 66. a. 6.* maiorem requirit quantitatem. Vides plures Doctores nimis rigidè, plures nimis laxe opinari, nec quidquam posse generatim colligi. Probabilior planè mihi est Bonacinæ *de contr. d. 2. q. 8. pun. 1. n. 7.* sententia distinguentis quatuor personarũ genera. Primũ illustriũ, ac splendide viue ntiũ secundũ viuentiũ ex redditibus. Tertiũ mechanicorũ labore victitãtiũ. Quartũ eorum, qui mendicando viuunt. Respectu personarum primi generis quantitas notabilis nummus aureus erit. Respectu secundi generis, quatuor, vel quinque nummi argentei. Respectu tertij duos, Respectu denique quarti vnum, imo dimidium crediderim grauem constituere quantitatem.

PROBL. II.

Peccat, & non peccat mortaliter qui rem paruam furatur, quam scit magni à domino pendi, ob idque magno animi angore afficiendum.

41 *Status quæstionis.*

CErtum est, ex aliqua circumstantia rem paruam posse esse mortalem in furto: & rem magnam venialem. Rogo itaque num mortaliter delinquat, qui rem paruam ab alio furto accipit, quam scit magni ab eo æstimari, ob idque magno animi angore afficiendum, non tamen prorupturum in blasphemias aut alia mortalia? Exemplum exhibeo in eo, qui furatur malum sydonium à domino ex arbore, quam ipse suis manibus plantauit, vel inseruit.

41 *Mortaliter peccat.*

Mortaliter delinquit. Quia scienter huiusmodi occasionem angoris proximo exhibere, graue quoddam est malum. Sic Nauar. *sum. c. 17. n. 2.* Rebel. *p. 1. l. 3. q. 15. sect. 2. n. 8.* Nauarra *de rest. l. 3. c. 1. n. 48.* Sotus *l. 5. de iust. q. 3. a. 3.* Sylueſt. *v. Furtum. q. 2.* Adiiciunt autem non peccare tunc lethaliter contra præceptum non furandi, sed solùm contra charitatem: nam ex furto solummodò potest esse veniale ob materiæ leuitatem.

43 *Non peccat mortaliter.*

Non peccat mortaliter. Quia irrationabilis est dominus rem tam lenem tam acriter ferendo. Ità D. Tho. *2. 2. q. 66. a. 3. ad 3.* Caiet. *ibi*, & Nauar. *sum. Lati. c. 17. num. 2.* sententiam reformat.

44 *Mihi hoc verius.*

Crediderim hoc esse verius; quia fur huiusmodi rationabiliter potest præsumere, id non tam molestè ab eo esse ferendum, cum de minimis prudentes homines non multum curent. Quod si sciret graui molestia afficiendum dominum, probabilem satis primâ esse sententiam reor, furemque fieri charitatis planè læsorẽ.

PROBL. III.

Si dominus rei leuis furatæ alium occidat, credens illum fuisse latronem: fur malitiose hoc gerens, tenetur tunc, & non tenetur ad homicidy restitutionem.

45 *Nonnulla sustinet.*

SI is, qui furatur rem minimam, cognoscit probabiliter, dominum illius ob iracundiam in blasphemias prorupturum, in periuria, aut alia

alia lethalia piacula, quamuis solo ioco (v.gr.) calamum furetur lethaliter peccat, non contrà iustitiam, sed contra charitatem. Quia tenemur ex charitate peccata lethalia in proximis vitare, quando id commodè & sine graui detrimẽto nostro possumus: imò erit etiam peccatum scandali; quia sinè causa alij ad delinquendum ponimus offendiculum. Si autem ignorabat, eum in talia peccata prorupturum, solum venialiter in materia furti delinquit, licèt postea dominus rei in peccata prorumpat. Lessi. *l. 2. c. 12. dub. 6. n. 33.* Tolet. *l. 5. c. 16. n. 2.* Filliuc. *tr. 31. n. 24.* Sotus *l. 5. de iust. q. 3.* Hinc quæsierim, num si dominus rei leuis huiusce ob iracundiam aliũ interimat, credens illum fuisse latronem, fur ad restitutionem homicidij teneatur, si ea intẽtione furatus fuit, vt ille sequeretur effectus?

46 *Tenetur planè.* Tenetur planè. Quia actus malo animo factus includit aliquando restitutionis obligationem, quam non includeret, si sincera fieret intentione: vt cernitur ex D. Thomæ mente in eo, qui malitiosè impedit alium à consecutione beneficij: Ergo actus furti malo animo facti, vt dominus rei ob iracundiam conceptam ex re furata alium interimat, putans illum ipsum rem furto abstulisse, secuta occisione, ad restitutionem homicidij tenebitur: licèt alioqui ad illam minimè teneretur, si absque tali animo furatus fuisset. Sic Conrad. *p. 1. q. 128. in addit. Lazar* Et omnes, qui affirmant, eum qui Antonium occidit, quando scit, homicidium tribuendum esse Ioanni, teneri Ioanni de damno secuto, qui casus est omninò similis. Hi sunt. Sotus *l. 4. de iust. q. 6. a. 3. ad 4.* Caiet. *1. 2. q. 62. a. 2.* Corduba *l. 1. q. 31. a. 3.* & alij.

47 *Non tenetur.* Non tenetur ad restitutionem, licet eo animo, & intentione rem modicam, imò magnam furto accipiat. Quia est hîc duplex peccatum, alterum furti respectu domini rei furatæ contra iustitiã, mortale, vel veniale pro rei furatæ quantitate: alterum odij, ac peruersæ intentionis contra charitatem respectu occisi; nam furandi actio ex sua natura non est illatiua damni mortis alicuius tertij, & aliunde prauus animus & intentio homicidij penes furatorem illum mansit, & fuit tantum interna: nec enim eam domino rei furatæ manifestauit, nec tale homicidium patrari iussit; vnde ad restitutionem non tenebitur. Ità Lessi. *l. 2. c. 9. dub. 16. n. 113.* Nauar. *sum. c. 17. n. 71.* Fagund. *Decal. l. 7. c. 2. n. 6.* Et qui asserunt, ex peccato contrà charitatem commisso non resultare aliquam restitutionis obligationem. Hi sunt Tolet. *l. 5. c. 19.* Nauar. *sum. c. 17. n. 71. & in apolog. q. 2. monit. 4.* Adrian. *in 4. de restit. q. 10.* & alij apud Tolet.

48 *Cum his ofitior.* Profectò quotiescumque exterior actio ex sua natura non est talis, vt ex illa ordinariè sequatur alteri damnum: parum refert, vt illam quis gerat animo & intentione, vti malum ei obueniat. Vndè cum actio illa furandi ex sua natura talis non est, vt ex illa sequatur damnum alteri, non incurret restitutionis ex homicidio obligationẽ. Denique prauus animus, & damnata intentio licet faciat actionem illicitam, non tamen facit eam iniustam in ordine ad talem occisionem.

PROBL. IV.

In furto Reliquiarum datur, & non datur materiæ paruitas.

Minimè datur. Quia vendere vel paruulam Reliquiam est peccatum lethale simoniæ: ergo & furari quantumuis parnulam Reliquiam graue peccatum erit. Et quia in Reliquiis non est quantitas, sed æstimatio spectãda: At cuilibe Reliquiæ magna debetur æstimatio: Ergo: Sic innuit Palaus *to. 2. tr. 8. d. 1. un. 6. num. 9.* Addo, accipientem Reliquias ab Ecclesia etiam de licentia Episcopi, vel Præpositi, à furto sacrilego non excusari: nam hi illarum non habent dominium; vt Sanchez *to. 1. sum. l. 2. c. 43. n. 23.* edocet: nec distinguit inter Reliquiam magnam aut paruam. 49 *Minimè datur.*

Datur equidem. Quia habenti Reliquiam in paruæ materiæ furto leuis iniuria irrogatur. Erit tamen hæc paruitas materiæ in Reliquia arbitranda in multo minori quantitate quam in materia parua communium mercium ad prudentis arbitrium, & Reliquiæ æstimationem. Ità Portel. *in dub. regul. v. Reliquiæ sanctorum, numero quinto.* Eligius Basæus *v. Furtum 1. nu. 5.* 50 *Datur equidem.*

Probabiliter satis dixerim huiusmodi furtum à lethali excusari ob materiæ paruitatem, quamuis diuendere talem Reliquiam paruulam sit simoniæ graue peccatum. Ratio differentiæ est, nam vendere Reliquiam paruulam semper est iniuria notabilis facta Reliquiæ, cuius valor pro re caduca temporali æstimatur, cum res sacra quantumcumque parua, sit omni re temporaria pretiosior. Ast in furto non fit iniuria Reliquiæ sed Reliquiam habenti. Imò aliquandò ex furto Reliquiæ maior resultat veneratio, quandò scilicet à loco ignobili, vel à persona infideli auferatur, vt decentius valeat collocari. 51 *Hoc mihi probabile satis.*

CAPVT IX.

Circa minuta Furta.

PROBL. V.

Quando quis ab initio proposuit animo furari ab vno multa minima vsque ad notabilem quantitatem, singulæ actiones illorum minimorum sunt, & non sunt lethalia peccata.

Peccat quidem mortaliter in ea animi deliberatione, & postea committendo singula furtiola, mortaliter etiam delinquit. Quia illa prana intentio est mortalis, & cum singula furtiola ex ea procedat, & ea intentione fiant, vt ex illis quis diteſcat: absque dubio actu illo externo furtioli priorem renouat diteſcendi deliberationem; & ideo in furto cu- 52 *Peccat lethaliter.*

iuscumque illorum mortaliter delinquetur; sunt enim executiones partiales illius intentionis mortiferæ, & consequenter in illis est mortiferum peccatum; quidquid enim ex peccandi intentione mortiferè fit mortale est peccatum. Sic Sanch. *to.2. Decal.l.7.c.21.n.2.* Lessi. *l.2. c.12.dub.7.numer.36.* Rebel. *p.1.l.3.q.15.sect.4.n.30.* Nauarra *de rest.l.3.c.1.num.50.* Sotus *l.5.de iust.q.3.ad 3.* Nedina *de rest.q.10.* Ludou. Lop. *p.1.Instr.c.93.*

53 *Non peccat lethaliter.* In singulis furtiolis non committitur nouum peccatum lethale, sed continuatur iam cœptum. Quia omnes illæ acceptiones, & acceptorum retentiones censentur vna continuata illius prauæ voluntatis executio: committitur tamen nouum peccatum veniale in singulis, & simul executio mortiferæ intentionis continuatur, ità vt vnaquæque voluntaria acceptio sit intrinsecè peccatum veniale: extrinsecè autem, & denominatiuè peccatum mortale. Ità Lessi. *l.2.c.12.n.4.*

54 *Prima sententia adhæreo probabiliori quidem.* Probabilem planè Lessij sententiam esse iudico. Attamen asseruerim, probabilius esse, in vnoquoque furtiolo nouum numero peccatum lethale committi. Quia toties nouè voluntas mortalis renouatur, & non continuatur solum sicut meretrix, quæ est continuò exposita, si potest meminisse peccatorum numerum, & eorū, qui ad eam accessum habuere, tenetur illorum numerum in confessione explicare, & non sufficit, quod in singulis peccatis eadem voluntas mortaliter peccandi continuetur. Quia non tam dicitur continuari, quam renouari; & parum refert, quod ad executionem mortalis, vel venialis renouetur, cum eadem voluntas, quæ renouatur, de se sit mortalis.

PROBL. VI.

Quando quis animo proposuit furari à pluribus multa minima vsque ad notabilem quantitatem, minimorum delinquit, & non delinquit mortaliter.

55 *Non delinquit, lethaliter.* NOn delinquit. Quia qui intendit hæc minima accipere à diuersis, nemini facit notabilem iniuriam, nemini notabiliter damnificat. Ergo non videtur peccare lethaliter. Sic Hierony. ab Angesto *c.9.pag. mihi 130.*

56 *Lethaliter delinquit.* Delinquit planè mortaliter. Quia perinde est multis velle damnum notabile inferre, ac si vni inferas damnum: omnia enim illa parua furtiola simul iuncta respectu totius communitatis vnum magnum efficiunt. Ita Lessi. *l.2. c.12.dub.7.n.36.* Sanch. *l.7.Decal.c.21.nu.2.* & omnes communiter.

57 *Primam sententiā improbabilem esse iudico.* Existimo primam sententiam omninò esse vt improbabilem expungendam. Quia si admittenda esset, non peccarent mortiferè qui in Republica mensuris, ac ponderibus decurtatis vtuntur. Et exhiberetur hominibus ansa ex alieno ditescendi, ac studendi furtis. Nec refert, quod singuli vix aliquid incommodi patiantur. Quia si aliquis in particulari illud non subeat, patitur tamen illud Respublica; vnde hæc furandi ratio in omni Republica benè instituta semper fuit exosa.

PROBL. VII.

Est, & non est mortale peccatum furari minima à pluribus intentione perueniendi ad summam grauem, si quis id efficiat quia non habet, vndè alàs ipse, ac familia viuat.

NOn est peccatum mortale. Quia id non efficit in fraudem præcepti de non furando, sed vt sibi ac familiæ victum eo haud difficili modo prouideat. Sic Medina *c. de restit. q.10. fine.* 58 *Peccatum mortale non est.*

Peccatum mortale est. Quia non desunt alij viuendi modi. Et quia non est admittenda iniquitas, vt pietas in familiam exerceatur: nec facienda mala, vt bona eueniant. Ita Fagund. *De.al.lib.7.cap.13.n.7.* 59 *Est peccatum mortale.*

Hoc verum puto, si de communi necessitate loquamur, cuius subuentioni haud difficilis alia via proculdubio patebit. At si conditio hominis talis esset, vt in extrema, haut graui adsit necessitate in qua alij ei succurrere teneantur, & nolint: tunc ad tempus huiusmodi necessitatis primam sententiam admitto. Quia sicut tūc poterat clam ab illis accipere absque peccato, ita & eo modo vti ad accipiendum, si aliò vitam alere non posset. At rarò id continget. Sanch. *Decal.tom.2.lib.7.cap.11.num.12.* Tolet. *lib.5.cap.16.num.penul.* Lessi. *lib.2.cap.11.dub.7.num.37.* Fumus *v. Furtum.num.10.* Angel. *ibi, num. 37.* 60 *Auctoris sententia.*

PROBL. VIII.

Omnia rerum minimarum furta, etiamsi notabilem constituant quantitatem, sunt, & non sunt mortalia: obligant & non obligant ad restitutionem sub mortali.

NOn sunt mortalia, nec ad restitutionem obligant sub mortali. Quia quodlibet furtum illud minutum veniale solùm fuit, imò vltimum, quod grauem constituit quantitatem propter leuitatem materiæ culpam venialem non excessit. At venialia furta non sunt sub mortali restitutioni obnoxia: Ergo. Sic Nauar. *l.3.Consil.tit.de Regular.cons.75.* Cuius sententiam, & aliorum idem asserentium probabilem esse Sa *verb.Furtum, num.8.* docet. 61 *Non sunt mortalia, nec sub mortali restitutioni obnoxia.*

Licet huiusmodi furta mortalia non sint antèquā quis ad notabilem deueniat quātitatem: quia dum ad quantitatem mortalem non peruenitur, non datur peccati mortalis materia: at vbi ad eam pertingitur, delinquit lethaliter, & ad restitutionem sub mortali tenetur. Quia cum peruenit ad notabilem quantitatem, iam incipit voluntarie rem alienam notabilis quantitatis acquirere, & detinere. Ergo peccat mortaliter acquirendo. Ità Lessi. *lib.2 cap. 12.dub. 8.num.42.* Sanch. *tom.2.Decal. lib.7.c.21.n.3.* Sa *citatus.* Fagund. *l.7. Decal.c.13.* & alij ab ipso citati *num.3.* 62 *Sunt planè.*

Hanc

63 *Hoc vnicè verum esse puterim.*

Hanc sententiam vnicè veram esse reor, Nauarri que opinionem esse penitus improbandam. Potest tamen accidere, vt in vltimo furtiolo mortalem quantitatem attingente non peccet quis lethaliter; nempè si per inaduertentiam excusetur, & aliorum immemor illud committat. Quia tunc videtur se habere ad sua furtiola præterita, ac illi, qui furantur minima ex vinea aliena, singuli quidem aliorum furtorum ignari. At conscius se ad grauem quantitatem deuenisse, tenetur procul dubio sub mortali illam restituere.

PROBL. IX.

Quando vnus memor præteritorum furtorum rerum minimarum quæ vel ab vno, vel à diuersis abstulit, furatur rem quoque minimam, quæ nouit quantitatem mortalem complere: peccat, & non peccat lethaliter in illius ablatione, quamvis in hoc, nec in aliis furtiolis animum habuerit non amplius furandi.

64 *Nim peccat mortaliter, in acceptione, in retentione peccat.*

NOn peccat mortaliter in illa vltima rei minutæ acceptione, in retentione autem peccat. Quia posito eo furtiolo, completur notabilis quantitas, quæ iniustè retinetur. Non autem, sic in ablatione. Quia vltimum illud furtiolum est totum illius acceptionis furtiuæ obiectum, & non continet summam ad culpam lethalem requisitam: reliqua verò furtiola iam præterière. Cum igitur illa summa præ-lapsorum furtorum per se ad mortale non sufficiat, vltimum lethale non erit. An ex multis venialibus peccatis vnum lethale consurgit? Minimè. Cum ergò alia furta venialia sint, ex illorum multiplicatione lethalis culpa non consurget. Sic Nauar. *sum. cap. 17. num. 139.* Vega. *lib. 14. in Trident. cap. 11.* Graf. *part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 51.* Carbo. *de restit. qu. 2.* Lessi. *lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 43.* Iason. *l. si idem cum eodem, num. 3. & 4. ff. de iurisd. omni. iudic.* Decius *ibi, num. 1. & 16.* Claudi. *num. 1. & 2.* Farin. *consil. 78. num. 3. volum. 1.*

65 *Peccat mortaliter in acceptione.*

Mortaliter peccat in vltimo illo furto rei minimæ cum aduertentia ad præterita, si in illo mortalis quantitas impleatur. Quia eo vltimo furto posito, resultat notabile proximi damnum, & eo sublato tollitur: Sed quicúmque sciens, ex actu suo leui subsequi notabile proximi damnum mortaliter paccat eum actum præstando: Ergò eo vltimo furtiolo lethaliter delinquit. Ità Sanch. *tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 21. num. 6.* Manu. *tom. 1. sum. cap. 150. num. 8. concl. 8.* Valent. *2. 2. d. 5. punct. 5.* Rebel. *par. 1. lib. 3. q. 15. sect. 4. num. 30.* Maior. Sayr. Couar. Sotus, Mercado Corduba & alij, quos citat, & sequitur Fagund. *l. 7. Decal. cap. 13. num. 13.*

66 *Hoc probabilius esse iudico.*

Hoc probabilius puto. Quia etsi vltimum furtiolum sit totum vltimæ acceptionis obiectum, & in se paruum, & veniale: attamen coniunctum cum præcedentibus lædit notabiliter, ac mortaliter proximum. Vndè cum notabile damnum proximo inferat, sine dubio illius acceptio mortalis existet. Et quamvis ex multis venialibus peccatis nunquam posse vnum peccatum mortale coalescere certum sit: attamen dixerim, in hoc vltimo furtiolo veniali exse, lethalem culpam committi; quia hærens aliis præcedentibus damnum notabile proximo infertur.

PROBL. X.

Si post vltimum furtiolum complens quantitatem mortalem, aliud minimum furtum geratur: committitur, & non committitur in illius acceptione nouum crimen lethale.

67 *Committitur quidem nouum lethale crimen.*

PEr quodlibet nouum furtiolum nouum peccatum lethale patratur. Quia nouam illam quantitatem qui sic arripit præcedentem vult facere maiorem, & damnum illud notabile vult facere maius; nec enim propter prius peccatum mortale commissum fur melioris conditionis effici debet. Et quia per illud nouum furtum, & aduertentiam præteritorum sine vlla restituendi voluntate implicitè renouat actum voluntatis retinendi notabilem rei alienam. At quoties actus peccati renouatur, toties nouum peccatum committitur: Ergò. Sic Sanch. *tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 21. numer. 7.* Rebel. *part. 1. de oblig. iust. lib. 3. qu. 15. section. 4. numer. 38.* Bonac. *de contr. d. 2. question. 8. puncto 3. num. 4.*

68 *Non committitur.*

Non patratur nouum lethale peccatum ob quodlibet nouum furtiolum. Quia hoc non consummat notabilem quantitatem, sed consummatam auget. Ità Salas meus sapientissimus Magister *1. 2. tom. 2. qu. 88. tractat. 13. d. 16. sect. 27. num. 90.* Lessi. *lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 44.* Filliuc. *tract. 31. num. 246.* Diana probabile existimat, & tutum in praxi *part. 2. tractat. 17. resolut. 43.*

69 *Me eam sententiam profero.*

Existimo esse peccatum lethale vnicam illam voluntatem retinendi ea noua minuta furta etiam cum aliis: quod quidem voluntatis & externa retentionis piaculum sensim crescet provt plus retinebitur. Si verò illa noua furta nouum peccatum mortale inchoënt, & ad notabilem aliam quantitatem ascendant, erunt tunc lethalia peccata.

PROBL. XI.

Qui leuem quantitatem aufert ab eo, à quo alij notabilem iam abstulerant, peccat, & non peccat lethaliter.

70 *Peccat quidem lethaliter.*

PEccat quidem. Quia sicut furtum leue ab vno commissum integrare potest materiam sufficientem ad mortale, cum leui furto ab alio commisso; ità potest continuari cum maiore, quo maius damnum inferatur, & ad peccatum lethale imputetur. Sic Bonac. *de contr. d. 2. qu. 8. punct. 2. num. 5.*

71 *Lethaliter non peccat.*

Minimè lethaliter delinquit. Quia ille non est damni notabilis causa, quod quidem iam ab alio fuerat illatum: & eius furtum in parua est quãtitate ad mortale insufficiens. Ità Vasq.

1.2.to.2.q.88.a.4.d.146.c.2.n.6. Sanch.to.2. Decal.l.7.c.21.numer.vigesimo tertio. Diana p. 2.tr. 17.resol.41.

72 *Hoc mihi probabilius.* Mihi hoc probabilius. Nam inter hosce casus dispar est ratio. In priori enim cum non sit maior ratio, cur vni potius, quam alteri notabile damnum imputetur, singulis debet imputari. Hic autem non item, quia cum aliqui determinatè fuerint per se notabilis damni causa, alius, qui cum illis paruam quantitatem vsurpauit, non debet consors notabilis damni censeri: vnde mortaliter non delinquet.

PROBL. XII.

Qui nullatenus causa fuit, vt alij minuta furta ex prædio cuiusdam (v. gr.) agricolæ gesserint, si conscius sit furti aliorum peccat, & non peccat lethaliter modicum cum ipsis, vel separatim accipiendo cum omnia illa furtiola simul notabilem implent quantitatem.

73 *Lethaliter peccat.* PEccat lethaliter. Quia licet sit minimum quod ille furatur, coniunctum tamen cum particulis, quas scit ab aliis esse subtractas, quantitatem notabilem constituit, estque notabilis causa damni; nam ratione scientiæ eius damnum cum aliis continuatur: Igitur lethaliter delinquit cum restitutionis obligatione. Sic Vasq.1.2.to.2.d.146.c.2.n.5. Suar.to. 5. in 3. p.d.20.sect.1.n.3. Rebel.de iust.p.1.l.3.q.15.sect. 5.n.41. Filliuc.tr.31.c.10.n.244. Bonac.de contr. d.2.q.8.pun.2.n.6.& 7. Turrian.2.2.to.2.d.35. dub.2.n.2.& 3. Maior, Medi. Martinus, Ledes. Nauarra, Angles, Cordu. Salon. Lopez, Sayr. & alij apud Sanchez *citandum.*

74 *Non peccat lethaliter.* Lethaliter non peccat. Quia omnis ex his, qui ita furatur, infert paruum proximo damnū: Ergo hoc ex capite lethaliter non delinquit. Deinde nemini est causa alias paruas furandi quantitates: Ergo ex eo, quod alij furentur, eius peccatum minimè aggrauatur, non enim cooperatur simpliciter magno damno: sed in parua quantitate: & præter ipsius intentionem est, vt illa parua quantitas cum aliis furtis minimis colligetur. Ità Tanner.2.2.d.4.quæs.6.dub. 9.n.285. Lessi.l.2.c.12.dub.9.numero quinquagesimo secundo. Salas 1.2.p.2.q.88.tr.13.d.16.sect. 27.numer.92. Malder.2.2.tr.4.c.1.dub.5.casu 3. Sanch.sum.to.2.l.7.c.21.nu.22. Diana p.2.tr. 17.resol.42.

75 *His hæreo.* His hæreo. Nam esse causam partialem damni notabilis, non est esse causam eius simpliciter, sed secundum quid. Ergo furtum illud non erit lethale, licèt sit causa illius damni accipiendo, ac retinendo, quia non verè incurrit in illud damnum notabile, cum præter intentionem, & per accidens furtum aliorum euenit.

* *
*

PROBL. XIII.

Quando vltimum furtiolum cùm præcedentibus coniunctum peruenit ad mortalem quantitatem: sufficit, & non sufficit, illud restituere.

NOn sufficit illud furtiolum vltimum restituere, sed necessum est totam reddere quantitatem. Quia tota illa summa est furto acquisita: Ergò iustitia commutatiua postulat, vt tota etiam restituatur, vt iustitiæ seruetur æqualitas. Sic Medina C.de restit.q.10. Corduba sum.q.70.dub.2. 76 *Non sufficit.*

Sufficit quidem. Quià tenetur tantum quilibet sub mortali, notabile proximi damnum auferre: Aufertur autem per vltimi furtioli accepti restitutionem: Ergò non tenetur sub mortali, hoc reddito, aliam summam restituere. Nemo enim negabit, excusari quemquam à mortali ex materiæ paruitate; vndè cum iam materia illa, quæ remanet furtiolo vltimo sublato, sit parua, perspicuum est illum esse excusandum. Ità Nauarra de restit.l.3.c.1.n.60. Alcozer.l.de ludo,c.16. Arag.2.2.q.66.a.6. Sayr. in Claui l.9.c.19.n.15. Rebel.de iust.p.1.q.15.sect. 4.n.38. Fagund. De al.l.7.c.13.n.16. Sanch.to.2. Decal.l.7.c.21.n.9. 77 *Sufficit quod.*

Certe si totum esset sub mortali restituendum, qui ex magna summa ablata vnum teruntium retineret, cæteris restitutis, adhuc teneretur sub mortali eum restituere teruntium: quod mirum, & inauditum esse quis non fateatur? Igitur qui solum peccauit lethaliter vltimum furtiolum accipiendo solùm tenebitur sub mortali illud restituere. Equidem tota illa summa accepta fuit per partes, non simul, ac proinde iustitia commutatiua postulat, vt tota restituatur: non tamen tota simul sub mortali: alioquin (vt innui) restitutis cæteris, & vno remanente, maneret illud restituendi sub mortali obligatio: quod nemo asseruit. 78 *Hæc mihi iterum probabilior.*

PROBL. XIV.

Quandò non communicato consilio, sed tamen aliis scientibus, alios minima ab vno eodemque furtiola accepisse: singuli eorum peccant, & non peccant lethaliter, tam accipiendo, quàm non restituendo minima.

SVppono ex sect. 1. si plures ab vno eodemque vt vna causa, & communicato consilio minima furto auferunt, omnes lethaliter delinquere, & ad restitutionem sui minimi sub mortali teneri. Quia vnusquisque causa totius damni efficax fuit, & per hoc vnusquisque damnificato in solidum tenetur. Si vero seorsim concurrant, ità vt nullus eorum conscius sit de damno notabili per alios dato, solum venialiter peccare tam accipiendo, quam non restituendo. Quia dum nullus aliorum conscius est, nemo est damni notabilis causa: & quisque est tantùm causa sui minimi, & pro suo minimo sub veniali tantum ad restitutionem tenetur. Quid ergò quando non communicato 79 *Nonnulla supp.*

cato consilio, sed tamen scientes alios minima accepisse ab vno eodemque graui damno secuto, minima ab vno eodemque auferunt?

80 Lethaliter peccant omnes & singuli ad restitutionem-que tenentur sub mortali.

Omnes, ac singuli lethaliter peccant, & ad restitutionem sub lethali tenentur sui minimi, & in aliorum defectum ad totum in solidum. Quia quilibet eorum per eam scientiam ad notabile damnum proximo inferendum cooperatur, estque illius partialis causa: nam licet quod quilibet furatur, sit in se minimum; at adhærens particulis ab aliis acceptis, est magnum, & ratione huius scientiæ minimum huius illatum damnum cum damnis ab aliis illatis continuatur. Sic Nauarra *de rest. l. 2. c. 1. num.* 44. Vasq. 1. 2. *q.* 88. *c. 2. num.* 5. Petr. Ledes. *to.* 1. *sum. tr.* 8. *c.* 1. 2. *nu.* 41. Suar. *to.* 5. *in* 3. *p. d.* 20. *sect.* 2. *num.* 3. Emanu. *to.* 1. *sum. c.* 150. *n.* 7. Nauar. *sum. c.* 17. *n.* 131. Corduba *sum. q.* 70. *pun.* 1. Medina *C. de rest. q.* 10. Lud. Lopez *p.* 1. *instr. c.* 93. *q.* 1. *dicto* 2.

81 Nullus peccat lethaliter, nec ad restitutionem sub mortali tenetur.

Nullus horum lethaliter delinquit tam accipiens, quam non restituens. Sed singuli sunt pares venialiter delinquendo in acceptione, & retentione. Quia quilibet eorum minimum damnum infert: ergo ex hoc capite mortaliter non peccat; & quamuis sciat, alios minima etiam furari, tamen nemini illorum est causa, aut occasio furandi per huiusmodi scientiam: Ergò ex eo quod alij furentur, illius peccatum non augetur: præter illius enim est intentionem, vt furtiola eorum cum suo coniungantur, imo & vt alij furentur, nè in magna quantitate proximus lædatur. Ità Sanch. *to.* 2. *Decal. l.* 7. *c.* 21. *numero vigesimo secundo.* Lessi. *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 9. *numero* 52. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. Vbi expressè docet, nullum accipientem peccare mortaliter, quando singuli alios non ignorantes modica acceperunt, ex quibus furtis tota vinea deuastata est: nec teneri postmodum sub mortali, nisi iubeantur post excommunicationem, damnum restituere. Barth. Medina 1. 2. *q.* 88. *a.* 4. *ad* 2. Salon 2. 2. *p.* 2. *art.* 7. *contr.* 2. & alij, quos presso nomine affert Nauarra. *c.* 3. *de rest. p.* 1. *c.* 1. *dub.* 4. *numero quadragesimo nono.* Fagund. *Decal. l.* 7. *c.* 14. *num.* 6.

82 Mihi hoc probabilius.

Hanc sententiam reor esse probabiliorem. Quia alioquin ferè semper omnes viatores vuarum botros colligétes ex aliena vinea damnandi essent tanquam lethalis piaculi rei, cum nullum verosimiliter lateat, alios similiter minima suffurari. Vnde si aliorum furtiola in vnum notabile damnum coalescunt ratione scientiæ, hæc etiam coalescent. At quis hoc dictabit? Equidem nullus doctus confessor fatentem sibi racemulum transeúndo abstulisse, interrogat, an norit alios similiter fuisse furatos.

PROBL. XV.

Excommunicatio lata contrà furantes minima, ex quibus graue damnum proximo coalescit, ligat, & non ligat eos, qui arripiendo minima lethaliter non peccarunt.

83 Nonulla supponens.

SVppono excommunicationem, quæ fertur in vastantes vineas, pomaria, hortos, &c. eos comprehendere, qui communicato consilio damnum per minima dedere. Quia vnusquisque illorum delinquat lethaliter in accipiendo & in non restituendo. Idem dixerim in sententia illorum, qui asserunt, singulos peccare mortaliter accipiendo minima, & ad restitutionem teneri, quando alij aliorum furti minimi non erant ignari: de quo *num.* 79. Quæsierim igitur, an comprehendantur in excommunicatione illa, quando à principio nullus aliorum conscius erat de damno illato: & in nostra sententia, quam *num.* 81. vt probabiliorem elegimus, nullum scilicet peccare mortaliter etiam si conscij aliorum furtioli fuerint, nec ad restitutionem sub mortali teneri? Pressius requiro, num excommunicatio illa eos comprehendat, qui furando minima lethale peccatum non patrarunt?

84 Eos non ligat.

Eos non comprehendit. Quia excommunicatio lata contrà furantes, eos solos comprehendit, ac ligat, qui antè eam tenentur sub mortali restituere. Excommunicatio enim cogit restitui quod debetur: non efficit, vt debeatur, Sic Nauar. *in c. Inter verba, concl.* 6. *corol.* 20. *num.* 54. & *sum. c.* 17. *num.* 4. Nauarra *de restit. l.* 3. *c.* 1. *p.* 1. *dub.* 7. *numer.* 64. & 65. Sanch. *to.* 2. *Decal. c.* 21. *n.* 28.

85 Ligat planè eos.

Comprehendit procul dubio. Quia vt excommunicatio illiget, sufficit, quòd pro iusta causa, & notabili damno in se considerato feratur, licet persona, quæ illud intulit, ignoretur. At hìc datur iusta causa ferendi hanc censuram ratione damni notabilis ex furtis minimis consurgentis. Ita Lessi. *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 9. *numer.* 54. Fagund. *Decal. l.* 7. *c.* 14. *num.* 12. Sayr. *l.* 1. *de censur. c.* 9. *num.* 10. Nisi tam paruulum (limitans) esset furtulum alicuius, vt pro minimo reputetur. Sotus *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. Medina 1. 2. *q.* 88. *art.* 4. Salon. 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. *controu.* 1.

86 In hanc mentem inclinor.

In hanc mentem inclinor. Quia talis excommunicatio fuit lata pro tota illa notabili damnificatione, nè grauiter læsus quis maneat: & sufficit, quod spiritualis potestas, seu Prælatus hoc damnum consideret iniustè ab aliis illatum, vt illud iubeat per censuram resarciri. Imò primæ partis Doctores affirmant, posse Ecclesiam decernere talem excommunicationem, qua ligentur ij, qui nec in accipiendo, nec in retinendo lethaliter deliquerint minima furantes, dummodo peculiare obedientiæ præceptum adiiciat, cum sine illo materia non sit excommunicationis capax. Ad huiusmodi vero obedientiam iustè imponendam requiritur, vt interueniat aliqua spiritualis causa, quam Prælatus respiciat, eaque adeò grauis, vt satis sit ad mortalem obligationem inducendam: vt si iudicet expedire ad vitanda Reipublicæ peccata, vel ad spirituale bonum illius, aduersus quem excommunicatio fertur. Lege Suarium *to.* 5. *de censur. d.* 20. *sect.* 6.

* *
*

CAPVT

E. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E. IV.
5

CAPVT X.

Circa Filiorum Furta.

PROBL. XVI.

Filius familias seruiens patri potest, & non potest clam accipere tantum, quantum pro eo seruitio extraneo cuidam esset impendendum.

87 *Non potest clam accipere.*

MINIME potest filius, qui gerit alibi negotia patris, vel perpetuo domi assistit ad vendenda ipsius negotiatoris bona, de paterna substantia pro labore ac industria sua accipere quantum pater extraneo famulo pro eodem labore impertiret. Quia filij iure naturali tenentur parentibus inseruire. Et quidquid filius acquirit, patri acquirit. Vnde non valet inter filiumfamilias ac patrem donatio; perindè enim esset, ac si pater sibi ipsi donaret: ideo cõmuniter edocent Doctores, donationes mere gratuitas factas à patre filiisfamilias esse inualidas; nam cum regulariter loquendo, quidquid filiusfamilias acquirit, patri acquirat, impossibile est (iuris impossibilitate) posse patrem aliquid donare filiofamilias, ità vt dominium in filium transferatur, cui. nec momento temporis possit ipsum dominium apud filium remanere, quin statim à patre acquiratur, & ad illum transferatur. Sic Iul. Clar. *l. 4. sent. §. Donatio, q. 8. num. 1.* Parisius *cons. 16. num. 19. l. 2.* Nauarr. *sum. c. 17. nu. 146. iuncto num. 149.* Anton. Gomez *to. 2. variar, c. 4.* & patet ex iure communi *l. Donationes, quas parentes, C. de donat. inter virum & vxor.*

88 *Potest quidem.*

Vltra expensas, quas pater gerit in alendo filiumfamilias, potest ipse seruiens patri clam accipere tantum, quantum extraneo pro eodẽ ministerio esset impertiendum. Quia ea bona acquisita à filio sunt suæ industriæ fructus, & non totaliter profectitia; sed profectitia partim, partim aduentitia; profectitia quidem, quia cum bonis seu pecunia patris fuere acquisita: aduentitia verò, quia cum industria, ac labore filij fuerunt patri comparata. At in bonis aduentitiis filius habet dominium directum, quãuis non habeat vsum fructum viuente patre. Ità Less. *l. 2. c. 12. dub. 13. num. 81.* Nauarra *de rest. l. 3. c. 1. num. 6.* Angel. *v. Peculium, nu. 11.* Rosel. *ibid. §. 7. & 8.* Fagund. *Decal. l. 7. c. 5. numero 11.*

89 *Hoc vnicè verum esse puto.*

Hoc vnicè verum esse existimo. Quia filij solum tenentur seruire parentibus, quando ipsi egent, & quando alij fratres similiter gratis inseruiunt: aliter nonnulla enim ratio dictat vt vnus teneatur laborare, & seruire parenti sine stipendio cæteris fratribus otiantibus. Certè ex pacto debent patres filiis familias pro seruitio ab illis sibi impenso tantum, quantum debetur extraneis. Nam quando filiusfamilias patri seruire cœpit, statim id deduxit in pactum. Quod si ob verecundiam parenti id non declarauit, parum refert; quia modestia ei nocere nõ debet. Enim verò ad iustificandam hanc filiorum occultam acceptionem, hæ debent conditiones confluere. Prima, vt filius seruire gratis non intendat: sed protestetur saltem tacite, se eo pacto seruire, vt fructus industriæ reportet, & tantum sibi pro seruitio donetur, quantum donaretur extraneo. Secunda, vt constet, patrem non id facturum per se, nec inuenturum alium, qui gratis, & pro solo cibo faceret. Tertia, vt non sibi vendicet vsum fructum rei, quam ex talibus pecuniis fortasse coëmit; ante obitum enim parentis, hoc lucrum in bonis aduentitiis censetur, quorum vsus fructus ad patrem, dum viuit, spectat.

PROBL. XVII.

Pater amittit, & non amittit vsumfructum bonorum aduentitiorum filij per professionem ipsius in Religione approbatam.

89 *Primo quæ sint bona castrensia, quasi castrensia, profectitia filiorumfamilias: & quando sint furtiua, illa clam accipientis.*

PRæmitto, bona castrensia esse illa, quæ filiusfamilias, seu nondum emancipatus in militia acquirit, vel ipsi à patre, cognatis, amicis, aliisvè personis causa & occasione militiæ primo ac principaliter donantur: & omnia quæ cum his bonis commutatione, emptione, vel quocumque alio modo acquisiuit. Bona vero quasi castrensia illa esse, quæ filiusfamilias acquirit per aliquod officium medici, aduocati, tabellionis, magistri, &c. Et quæ filiusfamilias Clericus ex officio habet Clericali, beneficio, &c. Omniaque bona, quæ cum bonis castrensibus, aut quasi castrensibus acquiruntur, castrensia, aut quasi castrensia dictitari. Porrò de his bonis potest filius ad libitum disponere dando, vendendo, imo clam accipiendo, modo pũbes sit, non tamen quatuordecim minor annorum. Bona verò profectitia dicuntur illa, quæ filiofamilias proueniunt causa & occasione patris. & quæ ab ipso patre habet. & illius pecuniis per negotiationem acquisiuit: & quę causa & intuitu patris illi donata, vel testamento legata fuêre. Hæc tota sunt patris & quo ad vsum fructum. & quo ad proprietatem: vnde furti reus erit filius, si ex illis aliquid, inuito parente accipiat, & tenebitur ad restitutionem vel ipsi parenti faciendam, vel valore in collationem adducto. Bona denique aduentitia illa dici affirmo, quæ non proueniunt filio familias causa patris, cuius intuitu principaliter dantur; sed quæ à matre, vel consanguineis matris ei donantur, successionéve, testamento, aut donatione relinquuntur, diuerso à patre intuitu: & quæ propria industria, ac labore ipse acquirit: & in his bonis habet filius dominium, ac proprietatem, parentes verò vsumfructum solummodò. At de his bonis aduentitiis non potest filius aliquid clam accipere à patre nisi per furtum: & si quantitas, spectata rationabili voluntate ac possibilitate patris, sit grauis, peccat mortaliter contrà iustitiam, & ad restitutionem

nem tenetur,si pater sit superstes; mortuo verò parente,non tenetur ea quæ furto abstulit, in diuisionem adducere nisi pro illa parte vsusfructus,in qua patrem viuentem defraudauit, &damnum intulit aliis fratribus lucri cessantis, ac damni emergentis eos priuando illo lucro, quod pater ea pecunia poterat aliis filiis acquirere.Bona autem materna,& legitima ex parte matris sunt bona aduentitia filio respectu patris &in iis pater habet vsumfructum dum fuerit superstes,de iure communi, etiam si filius patriam egrediatur potestatem per matrimonium.His præmissis,quæsierim, an pater amittat vsum fructum bonorum aduentitiorum filij per eius professionem in Religione approbata?

91 *Amittit vsũfructum.* Amittit quidem.Quia per professionem in Monasterio bonorum acquisitionis capaci desinit filius esse sub patria potestate,vndè ea bona quo ad vsumfructum statim ad Monasterium videntur pertinere.Sic Glos.*ad l.si ex causa*, §. *Papinianus.ff.de minorib.*Manuel Costa *c.si pater p.2.v.Testatore mortuo,n.*11.& alij apud ipsum.

92 *Non amittit.* Non quidem amittit.Quia factum filij licet laudabile sit præindicium patri afferre non debet. Vnde quamuis filius per professionem egrediatur patris potestatem,id tamen non impedit ius,quod pater iam antea in bonis filij cõparatum habebat.Ità Nauar.*ad c. Non dicatis, n.*87.Gregor.Lopez *ad l.5.tit.17.p.4.*Pinel. *l.1. p.1.n* 45.*Cod.de bonis maternis.*Molina *tom.*1.*de iust.d.*140.§.*Verum autem quando.*Fagund.*Dec.l.7.c.4.n.*32.

93 *Hoc mihi verius.* Verius hoc mihi, adiicienti tamen, impedire professionem filij ius acquirendum, seu postea comparandum:circa bona autem aduentitia antea acquisita perseuerat vsusfructus in patre vsque ad illius obitum,etiam si filius præmoriatur.Idem dixerim de bonis,quæ in sæculo filio aduenirent post patris professionem:ea enim ad filium,non ad Monasterium pertinebunt,vt docet Molina *citat.*§.*Hæc tamen.*Plura mitto.

CAPVT XI.

Circà vxoris in maritum,& mariti in vxorem furta.

PROBL. XVIII.

Vxor peccat, & non peccat circà obedientiam,si bona,quæ iure potest, contrà expressam mariti prohibitionem expendat.

94 *Nonnulla præmitto.* VIDIMVS *sect.*1.in multis casibus non delinquere vxorem, si à marito aliquid clam accipiat.Primò,si quantitas non sit notabilis,spectatis opibus,& facultatibus.Deindè si accipiat clam ea, quæ bona fide credit,maritum sibi concessurũ, si ab eo peteret.Tertio, si donet aliquid in extrema aut graui necessitate proximo;quia iniustè maritus censeretur inuitus. Denique si donationes,aut eleemosynas agat,inmito coniuge, quas aliæ suæ qualitatis facere assolent; quia consuetudo tribuit ius non secus ac lex, seu priuilegium;quo iure mariti non possunt suas priuare vxores.Quæsierim vero,num vxor delinquat saltem contra obedientiam, si bona, quæ iure,potest, contra expressam mariti prohibitionem expendat?

95 *Peccat quidem.* Peccat quidem. Quia debet sui capitis monitis,ac iussionibus subiacere vxor, quæ plerũque ob agnatam prudentiæ imperfectionem potest facile errare.Sic nonnulli,queis ex parte fauet P.Molina *to.*1.*de iust.d.*274.docens,posse vxores aliquando circa hæc contrà obedientiã maritis debitam(non tamen dicit de facto)peccare.Vrget autem ipsa ratio.Nam vxor nullam omnino habet administrationem bonorum:ergò nullas eleemosynas, aut donationes facere possunt contra expressam mariti prohibitionem.Et *c.Quod Deo, 33.q.*5.vbi D. Augustin. coniugatam alloquens,hæc adiicit:*Nihil de tua veste,de tuo auro,argento,vel quacumque pecunia,aut rebus illis terrenis tuis sine arbitrio viri tui facere debuisti.*

96 *Non peccat.* Minimè peccat.Quia iniustè præcipit maritus,ne vxor id efficiat,quod iuste queit facere. Si tamen iustam moderationẽ excedat, non solum contra obedientiam,sed etiam contra iustitiam proculdubio delinquet, & restitutioni manebit obnoxia.Ita Nauarra *de restit.l.3.c.1.n.* 83.Nauar.*sũ.c.*17.*n.*154.Fagund. *Dec.l.7.c.*8.*n.*5.

97 *Hoc vnicè teneo.* Hoc vnicè teneo.Quia licèt vxor nullã habeat bonorum administrationem, sed tota sit penès maritum:habet tamen ius ad has moderatas eleemosynas,ac donationes gerendas per consuetudinem acquisitam:vndè rea furti non erit,dum,prohibente marito,tantundem acceperit ad donandum,quantundem aliæ suæ qualitatis donant.Nec obstat *c.Quod Dco,* à D.Augustino ponderatum.Loquitur enim ibi de donationibus inmoderatis,vti Molina,& Nauarra *citati* animaduertunt.Addiderim,posse vxorem,eas eleemosynas, quas minutatim moderate facere possunt,congregare,vt simul parentibus egentibus, vel fratribus, consanguineis pauperibus, aut etiam extraneis largiantur. Quia si licitum est illis,eleemosynas illius modi gerere minutatim, cur cumulatim facere non licebit?

PROBL. XIX.

Vxor,quæ amplissimam detulit dotem,potest,& non potest absque mariti facultate quinquaginta (v.gr.)aut sexaginta aureos matrici ipsius ad dotem filiæ,aut ob licitum alium titulum impertire.

98 *Non potest.* NOn potest,etiam si det per partes; si ab initio intendit,ad eam summam peruenire.Quià vxor non habet administrationem bonorum mobilium,aut immobilium, ac proinde non potest eam summam elargiri sine mariti venia.Sic Nauar. *sum.c.*17. *n.*155.Cabedo *p.*1. *dec.*106.*n.*4.adiiciẽs,hoc etiã procedere,etiã si vir lõgius absit;nã etiã tũc id vxor gerere nõ potest sine licentia viri,vel iudicis authoritate,qui

eam potest in hoc casu illi conferre, sicut potest facultatem dare, ad contractus cum alio celebrandos.

99 *Potest plane.* Potest quidem. Quia est donatio remuneratoria ex parte vxoris, & ratio postulat, vt vxores etiam donationes remuneratorias faciant, modò non sint immoderatæ, attentis mariti facultatibus, & vxoris qualitate. Quarè si maritus, his attentis, potest hasce donationes remuneratorias efficere, cur non poterit vxor: præsertim si matrimonium fuit initum per contractum dimidietatis; imo quamuis fuerit celebratum per contractum dotis & arrharum, quando sunt alia bona lucrata communia vtrique coniugi, de his poterit hæc donatio fieri, cum sit honesta, & maritus non possit iuste priuare vxorem huiusce honestatis decore in ipsum equidem refundendo. Ità Molina *to. 2. de iust. d.* 234. Fagund. *Decal. l. 7. c. 8. nu.* 11. & alij.

100 *Cum his sentio Doctoribus.* Cum his sentio Doctoribus. Nam licèt non sint vxoribus habenæ plus iusto laxandæ, imò restringendæ: tamen si illæ sese ab aliis licitis contineant, vt eam summam filiæ nutricis suæ donent, aut alij personæ ob gratitudinis remunerationem: tam amplam dotem potuit afferre vxor, vel tam copiosas vir potest facultates habere: vt dubitandum non sit posse id vel per partes vel simul elargiri. Certè Nauarrus & Cabedo loquuntur de aliis donationibus, quæ, attentis facultatibus, sunt immoderatæ, & quæ non sunt remuneratoriæ, nec titulo eleemosynæ fiunt.

PROBL. XX.

Vxor tenetur, & non tenetur, post mortem viri in suam referre partem, quæ ipso contradicente egenis parentibus v. gr. fuit impertita.

101 *Nonnulla suppone.* SVppono, vxorem, contradicente marito, posse parentibus egentibus succurrere. Quia de iure naturali est, vt parentes filios, & filij parentes alant, quandò illi de suo, aut aliunde ali non possunt. At licet vxores maritis teneantur obedire, id quidem est, quandò iusta, ac licita præcipiunt: hic autem iniusta ac illicita imperant, ius naturæ contemnendo. Molina *to. 1. de iust. d.* 228. *& to. 2. d.* 274. Lessi. *l. 2. c.* 11. *dub.* 14. *n.* 84. Nauarra *de restit. l. 3. c. 1. nu.* 159. Iam requiro, vtrum vxor, quæ contradicente marito sic succurrit parentibus, post illius obitum in suam partem id referre teneatur?

102 *Tenetur sanè.* Tenetur planè. Quia vxor parentem suum egentem de suo tenetur alere non de bonis communibus: illud autem solummodò vxoris dici potest, quod ad quantum ipsius pertinet; de hoc enim tantùm post mortem liberè, & sine filiorum iniuria disponere valent, præcipuè apud Castellæ Regna. Sic Lessi. & Nauarra *allegati.*

103 *Non tenetur.* Minimè tenetur in suam partem post viri obitum referre id, quod de bonis communibus sic fuerit absumptum, si matrimonium contractu dimidietatis fuit celebratum; si verò contractu arrharum, ac dotis, soluendum est de bonis communibus superlucratis, si quæ sunt ab illis durante matrimonio acquisita. At si non sint, debet vxor id, quod ità cum parente insumpsit, in partem, quæ ei, dissoluto coniugio contingit, assumere. Ità Molina *to. 2. de iust. d.* 274. Fagund. *Decal. l. 7. c. 8. n.* 19.

104 *Hæc placet opinio.* Horum opinio mihi omnino placet. Quia tunc sicut obligatio succurrendi parentibus, ità & onus computandi in partem suam planè recurrit vxori. Addidetim, si fratres vel sorores vxoris similiter egeant, posse, inuito marito, vxorem illos alere, cum de suo ali non possunt. Qua de re nullus addubitat.

PROBL. XXI.

Si maritus bona communia sibi & vxori dissipet, tenetur, & non tenetur, matrimonio soluto, id in suam partem referre, in quo vxorem damnificauit.

105 *Peccat sed non tenetur ad restitutionem.* PEccat quidem lethaliter maritus dissipans bona communia sibi & vxori, sed non tenetur, soluto matrimonio id in suam partem referre ad restitutionem. Quia non censentur lucra nisi illa, quæ tempore mortis, inueniuntur, reliqua verò potuit maritus benè vel malè, iustè vel iniustè administrare absque restitutionis obligatione; ad illum namque, dum viueret, summa rerum spectabat administratio. Sic Nauar. *sum. c. 17. n. 55.* citans Lupum *in rubri. de donat. inter vir. & vxor.*

106 *Ad restitutionem quoque tenetur.* Non solum lethaliter peccat dissipans communia bona, sed ad restitutionem quoque tenetur. Quia si contractu dimidietatis matrimonium celebratum fuit, dimidium bonorum post mortem viri pertinet ad vxorem; bona enim erant vtrique communia: si verò pars contractum dotis, & arrharum initum fuit, dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum ad vxorem spectat: vnde ea rationabiliter inuita, irrationabiliter pro parte sibi attingente profunduntur, in quo maximè damnificatur. Qui autem est alteri causa efficax iniusta damni, tenetur illud ei restituere *c. si ex ipa, de dolo, & damno dato.* Ità Lessi. *l. 2. c. 11. dub. 14. n.* 87. Fagund. *Decal. l. 7. c. 9. n. 1.* Nauarra *de restit. l. 3. c. 1. n.* 114.

107 *Dissentit mihi Nauarri sententia, contraria placet.* Equidem si maritus bona sibi & vxori communia dissipet in vsus meretricios & largas donationes ea profundens sine vxoris consensu expresso vel tacito, iniuria afficit vxorem, illi damnum pro sua parte inferendo: vnde coniugio soluto, tenetur ille id testamento exponens, & illius hæredes ad restitutionem vxori, vel suis hæredibus faciendam. Imò si vxor metuit, se difficilè id posse ea recuperare via, potest licitè clam compensatione vti, accipiendo tantum de mariti bonis, quantum de parte sua, se inuita, ille dissipauit; & ea summa detracta, iurare coram Iudice, ea tantum esse bona mobilia, quæ ex marito vita functo remansere, & nulla alia extare. Nam cum debita computentur in bonis defuncti, verè iurat, & ad formalem iudicis intentionem respondet. Ideò enim Iudex sub iuramento illam interrogat, vt detractis debitis, de reliquo partitiones fiant, & vnicuique ius suum asseruetur. Nauarri ergo mihi opinio displicet.

PROBL.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.
5

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROBL. XXII.

Parentes tenentur, & non tenentur computare in partem, de qua liberè disponere possunt, eas donationes, & moderatas eleemosynas, quas minutatim in vita agessere, ob damnum inde filiis resultans.

108 *Tenentur eas computare.*

TEnetur eas computare de quinta bonorum parte (de qua in Regno Castellæ libere vti possunt) detrahendo. Quia *l.* 28. *Tauri hodie* 12. *tit.* 6. *libr.* 5. *recopil.* præcipitur, nè parentes in vita, vel in morte aliquid disponant nisi de suorum bonorum quinto, de quo libere disponere tantum possunt, iuncta. *l.* 30. *Tauri hodie* 13. *eodem titul.* decidenti, omnes donationes gratiosas de quinto esse extrahendas. Certe parum interst filiorum, si parentes per magnam quoram simul, siue minutatim liberaliter disponant, cum æque vel illa via lædantur: præsertim quia in rebus concernentibus iustitiam minima etiam attenduntur, vt probat Pinel. *in rubr. C. de rescind. vendit. numer. octauo, & vigesimo octauo.* Nam vbi de lesione ac iure alterius agitur, in minimis etiam ratio est habenda. Sic Tello *ad l.* 20. *Tauri. num.* 9.

109 *Non tenetur,*

Minimè tenentur. Quia cum pater verus ac legitimus administrator bonorum sit arcendus non est ab his, quæ recta, ac prudens bonorum administratio postulat: nec mater ab his, quæ vel inscio marito, iustè potest in pia opera distribuere. Ità Sanch. *tomo primo, de matrimon. libr.* 6. *cap. trigesimo octauo. numero vndecimo.* Angel. *de melioram. l.* 12. *glos. prima numer.* 26. Fagundez *libr.* 7. *cap.* 9. *numer.* 13. Molina *tom.* 2. *de iust. d.* 282. vbi appositè animaduertit, plus posse aliquantulum donare parentes minutatim, quam simul probabilem sententiam hanc, Gutier. *part.* 2. *quæst.* 68. appellat.

120 *Hæc sententia mihi probabilior,*

Porrò parentes non tenentur, coniugio soluto, in suam partem computare donationes, & eleemosynas prudenter factas pro modo substantiæ, ac pro qualitate personæ, & quas his attentis, postulat recta ratio & bonorum administratio fieri; sed pertinent ad sumptus communes ordinarios, & bonorum administrationem. Secus si prudentiæ limites excedant. Licèt autem vbi agitur de læsione alterius contra iustitiam data, minima etiam sint attendenda, vt restituantur: id quidem verum est, vbi quis non est verus bonorum dominus, sed verus administrator, vt Prælatus Religionis in illicitis: secus in vero domino qualis est pater.

* *
*

CAPVT XII.

Circà furta vasallorum in Principes, famulorum in dominos.

PROBL. XXIII.

Quantitas minor duobus nummis aureis est, & non est lethale furtum vasalli respectu Regis, vel Principis.

111 *Minor quantitas est furtum lethale,*

MINOR quantitas est furtum lethale. Quia vnum argenteum esse quantitatem mortalem etiam respectu potentissimi Regis graues Doctores sentiunt. Sic Flamma *part.* 3. *metho. cap.* 9. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 18. asserens vnum vel duos regales esse furtum lethale, etiam respectu Principum; sit pro ratione authoritas.

112 *Minor quantitas furtum lethale non est.*

Minor quantitas duplici nummo aureo lethale furtum non constituit. Quia spectata liberalitate Principum, qui vasallos suos, instar filiorum, assolent diligere, non videtur minor hac quantitate posse assignari: nam hoc bonũ est alicuius momenti, ac entitatis: & licet liberalitatis Regis, vel Principis exiguum videatur; tamen minimum non est respectu obligationum Principum: isto enim miles vnus dimidio mense certamini insudat. Ità Sotus *l.* 5. *de iust. q.* 3. *a.* 5. Fagund. *l.* 7. *c.* 10. *n.* 3. & alij ab ipso citati *c.* 1. *n.* 18.

113 *Auctoris iudicium.*

Difficillimum planè est, certam quantitatem definire. Nam cum hoc ex variis pendeat circumstantiis, ac prudenti hominis arbitratu, quisque suum facile poterit sensũ aliorum arbitratui præferre. Existimo igitur, duos ducatos, vel duplicem nummũ mortale esse peccatum in furto vasallorum respectu Regis, vel Principis: furtũ autẽ minoris quãtitatis veniale piaculum non excedere. Scio P. Suarium. *to.* 3. *de Relig. l.* 8. *c.* 6. Nauarram *l.* 3. *de rest. c.* 1. *n.* 35. Angelũ *v. Furtum* 33. & alios quantitatẽ vnius ducati pro mortali peccato in furto vasalli respectu Regis assignare. Sed nostrum iudicium æquum apparet, cum assignata à nobis quantitas nec vt exigua peccet, nec vt laxa exorbitare videatur. Mei autem Toleti, & Hieronymi Flamma venia, primam sententiam, vt minimum scrupulosam parum probabilitatis habere crediderim.

PROBL. XXIV.

Lethalis quantitas in furtiua receptione Reginæ, vel filiorum Regis, potest, & non potest definiri.

114 *Definiri potest.*

DEfiniri quidẽ potest. Quia cũ soleant Reges erga Augustas vxores liberaliores esse, imò liberalissimi lethaliter nõ delinquẽt, si inscio Rege, mille ducatos accipiat, donet: & Regis filius ducentos aureos etsi parentes ostendantur inuiti; nam id erit quoad modum

non quoad substantiam. Sic Fagund. *Decal. l. 7. c. 10. n. 5. & 8.*

115 *Non potest definiri.* Minimè potest definiri. Quis id ex multis pendere circumstantiis, quis dubitet? Nam si Rex aut Princeps sit aliqua necessitate, v. gr. bellorum instantia oppressus, minor quantitas centum aureis peccatum lethale constituet. Ita viri doctissimi, quos consului.

116 *Mea sententia.* Et quidem certum mihi cuncto hæc prudentis arbitrio committenda, qui spectatis omnibus circumstantiis, quod sibi iustum fuerit visum, adiudicabit. Generatim tamen loquendo, modo Rex non sit aliqua graui necessitate oppressus, placet P. Fagundez opinio.

PROBL. XXV.

Quando famulus via iuridica potest à domino exquirere quod sibi debitum denegatur: potest, & non potest id clam accipere sinè furti reatu: incurrit & non incurrit excommunicationem latam contrà occultos furatores.

117 *Non potest.* NOn potest clam accipere sine reatu furti: & si accipiat, excommunicatione innodabitur. Quia iniustè clam arripit, quod via iuridica recuperare poterat. Sic nonnulli, quos presso nomine, memorat Fagund. *Decal. l. 7. c. 11. n. 6.*

118 *Potest profitebe.* Clam potest accipere sinè furti reatu. Quia pro iusta compensatione accipit suum, non alienum, quod plerumque difficile, imò verecundum est famulis via iuridica à dominis recuperare. Quod si feratur excommunicatio in eos, qui occultè aliquid furati sunt, nunquam in ea comprehenduntur, qui pro sua iusta compensatione suum accepere. Ità Lessi. *l. 1. c. 12. dub. 10. numero sexagesimo primo.* Nauar. *sum. c. 17. nu. 114.* Sylvest. *v. Fortuna. q. 15.* & Fagund. *citatus.*

119 *Hoc teneo.* Hoc teneo, nec referre iudico, quod via iuridica possit quis suum recuperare debitum; quia suum recuperat, & non furatur alienum: nec etiam peccat retinendo, cum suum retineat. Peccabit autem contra charitatem, quando facile rem suam aliter recuperare possit. Iudex verò solummodò intendit excommunicare illum, qui contra iustitiam accipit, aut detinet alienum; & quamuis intenderet etiam ligare illum, qui occultè in compensationem modo indebito accepit, excommunicatio non valeret; quia solum pro re aliena potest hæc censura ferri. Quamuis enim deliquerit contrà charitatem lethaliter ille, qui occultè sibi compensauit, cum facilè posset rem suam recuperare: tamen non peccauit contra iustitiam, & illud peccatum situm fuit in indebito modo suum recuperandi, iam est præteritum, & non durat moraliter, cum non duret restituendi obligatio; vndè ob peccatum præteritum non potest quis excommunicari: excommunicatio enim quæ ob præteritum crimen fertur, non est valida, vt docet Suar. *to. 5. d. 4. sect. 5. nu. 8.*

PROBL. XXVI.

Serui, & ancillæ possunt, & non possunt sinè furti reatu habere peculium, seu dominium de rebus à se acquisitis: v. gr. si ancilla nihil dominam defraudando, tempore obi superfluente à debito seruitio aliquid lucretur, vel seruus similiter.

126 *Possunt omnino.* POssunt omninò. Quia quamuis quidquid acquirunt serui, domino acquirant, maximè si in eo acquirendo vites debilitent: tamen id est intelligendum de tempore ad dominorum seruitium deputato; neque enim serui, & ancillæ sic à dominis possidentur, vt prædia, aut iumenta, vti semper domino fructificent. Vnde in foro conscientiæ, id sibi acquirunt, (quidquid sit de foro externo) modo dominos debito seruitio non fraudent, & vires suas nimium debilitent. Et licitè poterunt sic acquisita retinere, ac inuitis dominis expendere: & lethaliter delinquent domini, furumque in seruos perpetrabunt, si ea lucra ab eis auferant, illis renuentibus. Sic Nauarra *de rest. l. 3. c. 1. numer. 219.* Fagund. *Decal. l. 7. c. 11. numer. 10.* & alij.

111 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quia domini habent verum dominium in omnes seruorum suorum operas, & in omnes corporales eorum actiones, & consequenter in omnes res, quas mediantibus his operis ac actionibus acquirunt. Nam ab initio cum serui in bello iusto fuerint capti, iustè illi poterant à victoribus interimi, & sub hoc pacto eis vita relicta fuit, vt in perpetua seruitute manerent: & domini ea conditione censentur eos vita donasse, vt quidquid in posterum suis acquirerent actionibus corporeis, dominorum esset, non ipsorum; & hoc pacto iure gentium seruitus fuit primo in orbem introducta. Reliquæ verò seruitutes, quæ posteà emptionis titulo, vel delicti in pœnam fuere inductæ, ad instar illius primæ inductæ videntur, nisi in harum aliqua iure ciuili facta sit aliqualis exceptio, vt in ea, qua pater filium vendit ob vrgentem necessitatem, quæ mitior reliquis esse debuit. Ità communiter Doctores teste Molina *to. 1. de iust. d. 38.*

122 *In primam sententiam inclino.* Ego quidem à communi hac mente recedo, & cum P. Molina, & Fagundez in primam sententiam inclino. Quia dominium in seruos non tam amplum ius tribuit, quam dominium in pecora, aut fundus. Et quamuis ab initio eo rigore seruitus fuerit inducta, tamen vsus posteà pactum seruitutis declarauit, vt solummodo domini haberent ius in omnes illorum operas, quas recta ratio postulat; postulat autem ratio, vt non possideantur more pecorum, sed rationabili tanquam homine. Quarè possunt, modo explicato, aliquid peculij acquirere, quod iustè furti minimè rei valent retinere: & domini non sine furto illis inuitis poterunt auferre.

* *
*

PROBL.

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol. 5

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

PROBL. XXVII.

Serui captiui possunt, & non possunt licitè se ipsos à suis dominis furari, siue fugere in patriam, aut in alia loca, vbi libertate potiantur.

123 *Nonnulla præmitto.*

PRæmitto, illos, qui se vendiderunt, aut quos eorum parentes in necessitatibus constituti pro pretio iusto tradidere, & qui instar caularum pecorum possidentur, licite aufugere non posse, nec ad fugam iuuari. Idem dixerim de illis, qui ob supplicia digna morte iuxtà leges patrias ob culpas eorum, veras quidem, à suis Principibus fuere pro captiuis habiti & postea aliis venditi. Solùm igitur hîc sermo esse potest de iis, aduersum quos iustum gerimus bellum, siue sint Mauri, siue Turcæ, siue quicúmque alij hostes iniustũ bellum aduersum nos mouentes. Possunt ne hi licitè se se ipsos à suis dominis furari, id est in loca tuta fugere, vt se à seruitute excutiant? possunt ne licitè ad id ab aliis iuuari?

124 *Possunt aufugere ad suos.*

Mancipia bello etiam iusto capta, vt Mauri, & Turcæ iustè ac licitè possunt aufugere, & consilio ac re ad id ipsum iuuari, modo in patriam, vel in alia loca vbi potiantur libertate recedant: non tamen vt per Regna, seu loca, vbi sunt serui, diuagentur. Quia illi licitè possunt fugere, si à dominis occidantur, vel mutilentur: Ergò & ad recuperandam libertatem, quæ æquè est ac vita pretiosa; captiuitas enim est mors ciuilis. Igitur qui ad vitandam mortem possunt fugere, sic etiam ad vitandam captiuitatem. Dixi. *Modo per Regna, aut loca, vbi captiui sunt, non diuagentur.* Quia dum in Regno dominorum suorum morantur, seruire tenentur: vnde consulentes & recipientes, tenentur damnum restituere; peccant enim contra iustitiam, nisi retineant, vt eos liberent ab iniusta dominorum diuexatione. Sic Nauarra *de restit. libr. 3. cap. 1. numer. 200.* Alens. *3. part. quæs. 48. art. 3. numer. 2.* Sotus *l. 4. de iustit. quæst. 2. art. 2. concl. 3.* Gregor. Lopez *lib. 23. tit. 29. part. 3.* Banes *2. 2. quæs. 40. art. 1.* Couarruu. *lib. 1. variar. cap. 2. numer. 10.* Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 34. quæs. 3.* Sa *v. Bellum, numer. 7.* Lessi. *lib. 2. cap. 15. dub. 15. numer. 24.* Faguud. *Decal. lib. 7. cap. 12. num. 21.*

125 *Aufugere ad suos non possunt.*

Mancipia, quæiscúmque iustum bellum gerimus minimè possunt ad suos à nostra potestate aufugere, si in nostram captiuitatem deducantur: & eis dantes consilium, aut operam lethaliter delinquunt, & ad restitutionem tenentur pretij, & damni. Quia domini eorum sunt possessores indubitati, ac legitimi, & ipsi fugiendo, se ipsos à dominis furantur, vt habetur *lib. 1. C. de seruis fugitiuis & lib. 3. c. eodem. tit.* Ibi enim statuitur, vt seruus deprehensus in fuga puniatur pedis mutilatione: at tam grauis pœna iniustè sanè statueretur nisi serui lethaliter fugiendo delinquerent. Certè si iustè serui ad suos fugere possent, bellum ex parte vtraque iustum daretur; illi namque iustè possent aufugere, & domini illos iustè possẽt pedibus mutilare, aut trudere in carcerem, nè fugiant. Ità P. Molina *tom. 1. de iust. d. 37.* concl. 1. Nauar. *sum. cap. 7. num. 63.* Glossa *cap. Ius gentium dist. 1.* Fortunius *ad lib. Manumissio, col. 4.* D. Antonin. *part. 3. tit. 3. c. 6. §. 4.* Turrecrem. *in cap. Ius gentium, dist. 1.* Syluest. *v. seruus, 9. §. 3. dict. 2.* Fauent *cap. 1. & 2. si quis seruum 17. quæs. 9.* vbi dicitur peccare lethaliter, & ad restitutionem teneri iuuãtes, & hortantes seruos ad fugam.

126 *Primam sententiam ego sententiam.*

Primam sententiam fortiori hærentem fundamini teneo. Nam dominos iustos esse eorum seruorum possessores fateor: non tamen absolutè, sed sub certa conditione, & cum quodam additò, nempè, si possunt fugere ad suos, fugiant: sicus vinctus ac damnatus ad triremes post iustam sententiam iustè in carcere detinentur, & in triremibus vinciuntur: & tamen etiam iustè ac licitè aufugiunt, cum carcerarij quidem damno, si possunt. Imò etiamsi serui in bello iusto capti, consensissent pacto persistendi in seruitute, haud tenentur illud seruare: quia metu mortis fuit præstitus ille consensus. Secus dixerim de illo, qui se vendidit, liberè priuilegio libertatis renunciando.

PROBL. XXVIII.

Quando constat dominis huiusmodi seruos ad suos aufugere: possunt, & non possunt licitè ob id ab eis puniri.

127 *Possunt puniri licitè.*

POssunt eos domini punire, non quod serui peccent fugiendo, sed quia hoc priuilegium de fuga videtur illis concessum cum hoc onere in dominorum fauorem. Sicut incarcerati licite possunt fugere, & carcerem comminuere: & tamen si deprehendantur, iustè puniuntur, *libr. 1. ff. de effractorib.* Sic Lessi. *libr. 2. cap. 15. dub. 5. numer. 27.*

128 *Licitè ob id puniri non possunt.*

Minime eos domini licitè punire possunt ob fugam huiusmodi initam. Quia posse eos licitè aufugere ad suos habetur expressè *lib. 23. tit. 14. partita 7. in Regnis Castellæ*, vbi: *Si seruus Maurus fugiat in Mauritaniam, & ibi pedem saluus ponat: manere liberum volumus, etiamsi postea ad Christianos redeat.* Ergo dominus non poterit licitè seruum punire in fuga deprehensum, quam priuilegio legis potest licitè inire. Ità nonnulli, quos presso nomine affert Fagundez *Decalog. libr. 7. cap. 12. numer. 25.* & ipse videtur eorum sententiæ hærescere.

129 *Hæreo primæ sententiæ.*

Crediderim tamen licite posse dominos seruo inferre supplicium iustè fugienti. Quia eis non constat, an seruus ad suos aufugiat, qui potestatem ad diuagandum per loca seruitutis arripere.

* *
*

CAPVT XIII.

Circà Religiosorum furta.

PROBL. XXIX.

In furtis Religiosorum ex Monasterij bonis est, & non est peccatum lethale minor quantitas, quam necessaria est ad lethale peccatum in filiorumfamiliàs furtis.

130 *Minor quantitas necessaria est, quam in filio.*

MINOR quantitas in Religiosorum furtis ad lethale peccatum sufficit, quam ad filiorum lethale furtum. Quia Religiosi non inter filios, sed inter seruos seu famulos computantur: cum quidquid acquirunt, acquirunt Monasterio, sicut serui, qui quicquid acquirunt, dominis acquirunt, non sibi. At minor quantitas sufficit ad lethale seruorum furtum, quam ad lethale furtum filiorum. Addo, Superiores grauius castigare Religiosi furtum, quam parens furtum filij, in quo se plus inuitum ostendit. Sic nonnulli Iurisperiti, quos presso nomine affert. Fagundez *Decalog. lib. 7. capit. 5. numer. 1.*

131 *Non sufficit minor quantitas.*

Non sufficit minor quantitas ad furtum lethale Religiosorum, quam ad lethale filiorum furtum. Quia Religiosi respectu suorum Monasteriorum inter filios, non inter seruos, vel famulos computantur, cum de bonis Monasterij tanquam filij alantur, & vti filij, non vt serui tractari debeant. At ad lethale filiorum furtum maior requiritur quantitas, quam ad furtum lethale seruorum. Ità Sanchez *lib. 7. de Relig. cap. 21. num. 31.* Rebel. *lib. 3. de iust. part. 1. quæstion. 15. section. 3. numero 22.* Graffis *part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. numero 51.* Fagundez *ibidem, numer. 2.*

132 *Hoc mihi certum.*

Hoc mihi certum. Cum igitur de Religiosis sicut de filiis ratiocinandum sit, quantitatem necessariam ad lethale eorum furtum iam indico. Cum Monasteria plerúmque egena sint, & Religiosi paupertatis loco adstringantur, non pro filiis ditissimorum hominum, sed pro filiis eorum, qui mediocri pollent facultate, eos quoad furtum regulare debemus. Vndè vti superiùs de hisce filiis diximus non peccare lethaliter, si à parentibus inuitis clàm furentur quinque, aut sex argenteorum valorem ob rationabile præsumptam eorum voluntatem, ità de Religiosis dixerim, quantitatem maiorem quinque, aut ad summum sex argenteis furtum mortale constituere, nisi alia minor fuerit speciatim à Superioribus assignata. Certè licèt Superiores minora Religiosorum furta grauius quandóque ferant, & seuerius corripiant, quàm parentes, in quo se ostendunt inuitos: ad id quidem est, quoad modum clàm accipiendi, & ob Sacrilegium veniale ob paupertatis votum, ac Regularis vitæ institutum: non verò quoad substantiam; præsumendum est enim eos velle eam concedere facultatem, si ab eis efflagitaretur. At si id egrè ferant quoad substantiam, irrationabiles sunt; grauius autem venialiter Religiosi delinquunt id gerentes, ob vitæ Regularis perfectionem.

PROBL. XXX.

Religiosus minutatim furto accipiens quantitatem quinque vel sex Regalium, quæ furtum graue constituit, peccat, & non peccat lethaliter mox, ac vltimo furtiolo eam quantitatem attingit.

LEthaliter non peccat. Quia obiectum vltimi furti non est tota summa ad culpam lethalem requisita, & reliqua furta iam præterièrè, quorum summa similiter quantitatem mortalem non attingebat, vnde nulla remanet ratio, ob quam mortale esse dicamus cum præterita furta ad mortale non sufficiant, & acceptio vltimi hîc, & nunc mortalis non sit, & sit obiectum huius furtioli modo facti. Deindè quia in pœnalibus, & odiosis non fit pœnarum coaceruatio, nec multi casus modici efficiunt vnũ ad pœnam mortis sufficientem, vt docet Iason. *ad l. si idem cum eodem, num. 3. & 4. ff. de iurisd. omni. Iudic.* & Claudius *num. 1. & 2.* Sic Nauar. *sum. cap. 17. num. 119.* Vega *in Trident. lib. 14.* Graf. *part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. n. 51.* Lessi. *lib. 2. cap. 2. dub. 8. num. 45.* Carbon. *de restit. qu. 3. fine.* 133 *Lethaliter non peccat.*

Peccat lethaliter in illa vltima rei paruulæ acceptione si ad præcedentia animaduertat. Quia vltima acceptione posita, notabile damnum existit: & ea ablata, cessat, & quicúmque animaduertit, ex actu suo leui subsequi alteri notabile damnum, illud gerendo, mortaliter delinquit. Et quià paruæ quantitates in materia furti in vnum coalescunt. Ità Sotus *l. de iust. qu. 3. art. 3.* Sanch. *lib. 7. sum. cap. 21. num. 6.* Medina 1. 2. *q. 88. art. 4.* Vasq. *ibi. d. 146. cap. 2. n. 5.* Rodrig. *tom. 1. sum. cap. 150. num. 8.* Vclent. 2. 2. *qu. 10. d. 5. punct. 5.* Fagund. *Decal. lib. 7. cap. 5. numer. 4.* Nauarra *de restit. lib. 3. cap. 1. part. 1. dub. 5. numero 52.* Tolet. *libro 5. capite 16. numero 5.* Rebel. *de iust. part. 1. libro 3. quæst. 15. sect. 4. num. 30.* 134 *Peccat lethaliter.*

Probabiliorem sententiam hanc esse iudicarim. Nam etsi obiectum vltimæ acceptionis per se acceptum, & ab aliis seiunctum sit veniale: at vt adiungitur cum aliis præcedentibus furtis notabilem efficit quantitatem, & notabilem Monasterio damnum infert. Religiosus igitur minima accipiens ex Monasterij bonis, & sibi approprians, aut conferens externis absque Superiorum facultate, quando in vltimo furtiolo ad notabilem peruenit quantitatem, lethaliter delinquit. 135 *Hoc iudico esse probabilius.*

* *
*

PROBL.

PROBL. XXXI.

Prælati, ac Superiores locales Religionis, verbi gratiâ, Abbates, Priores, Rectores, Abbatissæ, &c. possunt, & non possunt sine furti reatu dare domesticis, & externis singulis mensibus duos, aut tres aureos de Monasterij facultatibus.

136 *Possunt hoc Prælati locales sine furti reatu.* POssunt Superiores in pia opera expendendos dare singulis mensibus sine furti periculo duos, aut tres nummos aureos. Quia credendum est Prouinciales, & Generales tacitè saltem huiusmodi Prælatorum localium facultati annuere, quæ videtur ad rectam administrationem pertinere. Sic aliqui, quos tacitè nomine refert Azor. *tom. 1. libr. 12. cap. 12. quæst. 4.*

137 *Minimè id possunt.* Minimè id Prælati locales possunt pro causa quantumvis pia de facultatibus Monasterij aut Collegij plus quam decem aureos, vel vna vice, vel minutatim impertire subditis, aut externis, (quantitas enim maior donanda ad Prouinciales pertinet, qui habent ampliorem iurisdictionem, & quasi Episcopalem.) Quia si huiusmodi facultas Prælato locali inesset, ea posset cum maximo Monasterij, aut Collegij damno abuti. Ità Corduba *sum. q. 54. dub. vlt. dicto 1.* Ludou. Lopez *part. 1. Instr. cap. 155. & lib. 2. de contract. cap. 40.* Hieron. Flamma *part. 3. metho. cap. 13. §. 15.* Nauarra *de restit. lib. 3. cap. 1. part. 3. dub. 1. fin.*

138 *Hoc existimo prudentis definiendum arbitrio.* Ego quidem existimo, quantitatem quæ ad Prælati localis libitum potest sine furti reatu è facultatibus conuentus expendi, arbitrio prudentis definiendam esse. In ea autem arbitranda hæc debere considerari iudicarim: opes; ac facultates Monasterij, dignitas Prælaturæ, vices occurrentes, ac quantitas quæ in singulis impenditur, qualitas personarum, quibus eleemosyna donanda, abundantia, vel penuria terræ, Religionum, ac Superiorum consuetudo, & alia huiusmodi. Quod à P. Sancio *to. 2. Decalog. lib. 7. cap. 19. num. 42.* Molina *tom. 2. de iustit. d. 276.* ac Suario *tom. 3. de Relig. libr. 8. cap. 15. num. 13.* didici.

PROBL. XXXII.

Religiosus expulsus acquirens sibi non liberatur à furti reatu, quicquid acquirit, acquirit & non acquirit Monasterio.

139 *Nonnulla suppono.* SVppono ex communi Doctorum Religiosum professum expulsum nihil tanquam proprium sibi sine furti reatu acquirere posse, neque habere dominium earum rerum, quas post eiectionem in sæculo acquirit. Quia manet verè Religiosus tribus voti substantialibus adstrictus, licèt in voto paupertatis, & obedientiæ non ità obligetur, ac si in Monasterio maneret. Quæsierim igitur, cuinam acquirit? An Monasterio?

140 *Non acquirit Monasterio.* Non acquirit Monasterio. Quia non est actu Monasterij membrum, nec illi subiectus, nec de illius bonis alitur. Vndè si sit Religiosus exemptus acquirit Pontifici summo: si non sit exemptus, sed subiectus Episcopo, acquirit Episcopo, cuius est subditus. Sic Nauar. *commento 2. de Regular. num. 33.*

141 *Monasterio acquirit.* Monasterio acquirit dominium, si Monasterium sit illius capax, si autem capax dominij non sit, acquirit vsum, & commoditatem post suum obitum. Quia Monasterium propter Religiosi culpas, ob quas expulsus fuit, ius suum non amittit, quod in bona illius ab illo iam acquisita, & acquirenda habebat. Nec est simile de seruo, qui post libertatem, & expulsionem, à domino illi factam, sibi, non domino acquirit; quia seruus per donationem libertatis, & expulsionem, plenè sui iuris efficitur, & dominij est capax; Religiosus autem non efficitur sui iuris plenè per expulsionem, nec ita præcisus est à Religione sua, quin teneatur reuerti, si Religio velit; nam si se correxerit cogi potest à Religione, vt reuertatur, nisi ipse iustam habeat causam excusationis. Ità Lessi. *lib. 2. cap. 41. dub. 15. num. 112.* Molina *tom. 1. de iust. d. 140. & 776.* Sayr. *in Clau. lib. 6. cap 8. num 18.* Manu. *tom. 1. qq. Regul. qu. 30. art. 19.* Azor. *lib. 12. cap. 16. qu. 4.* Fagund. *Decal. l. 7. cap. 6. num. 5.*

142 *Probabilius hoc, ad quod nonnulla adiicio.* Probabilis prima sententia est, sed secundam probabiliorem, tenendámque iudico. Attamen licet Religiosus expulsus non habeat dominium eorum bonorum, quæ in sæculo post eiectionem acquirit, habet vsum, & commoditatem, & administrationem eorum. Quia quoad victum, & vestitum, &c. à Monasterio non pendet. Possum autem licitè & validè, dum viuunt, docare ad licita & honesta quidquid voluerint: verbi gratiâ, ad dotem puellarum, ad capellæ instructionem, ad subueniendum egenis propinquis, ad redemptionem captiuorum, &c. Hæc enim omnia ratione huiusmodi vsus, & administrationis à Religione dū eiiciuntur, eis tacitè concedi censetur. Non tamen possunt testari, quia testandi potestas voto paupertatis repugnat. Lege Sancium *tomo secundo, Decalog. lib. 6. cap. 9. num. 46. & 49.*

PROBL. XXXIII.

Si Religiosus eiectus aliquid in illicita expendat, ille, qui ab eo accepit, tenetur, & non tenetur ea Monasterio restituere.

143 *Tenetur quæ dem.* TEnetur quidem. Quia huiusmodi eiecti non sunt domini, sed administratores ad vsus tantùm pios, licitos, & honestos: nec Superiores Religionis, nec ipsa Religio eis possunt concedere facultatem aliquid ad vsus illicitos expendendi, vt suppono ex Tract. de Religionis statu vltimo Volum. meæ Theologiæ Moralis subiiciendo. Sic nonnulli, quorum sententiam valdè esse probabilem docent. Lessi. *lib. 2. cap. 41. dub. 15. num. 113.* & Sanchez *tom. 2. Decalog. lib. 6. capite 9. numero 46.* Fauet *Clement. 1. de statu Monach.*

144 *Non tenetur.* Non tenetur qui accepit, restituere Monasterio. Quia eiectus validè potest (si non licitè) bona, quorum administratione fungitur, in

illicita expendere; tota enim commoditas, vsus ac dispositio illorum bonorum, ei dum viuit, à Religione relinquitur, ac si Religiosus non esset. Ita Sanch. *citatus, num.* 47. Lessi. *num.* 113. Molin. *tom.* 2. *de iust. d.* 276. & *d* 520.

145 *Hanc partem magis probo.* Certum ferè mihi, hoc probabilius esse, credendi scilicet, huiusmodi eiectos ità se habere, ac si non adsit, cui in ea parte pareant, & cuius ductum sequantur. Vndè quoad acquisitionem, & alienationem illorum bonorum perindè se habent, ac si sui iuris essent, & dominium illorum bonorum haberent. Et quamvis dum in Religione manebant ea facultas tam ampla eis licitè, aut validè eis concedi nequibat: at per expulsionem eo ipso illis vestiti à iure datur, cum iam pro tunc non maneant perfectè voto paupertatis tam strictè illigati. Peccatum verò, quod in illa illicita expensione committunt, non est Sacrilegium contra paupertatis votum, sed est instar peccati, quod sæculares alij perpetrant sic illicitè sua bona expendentes: cum ipsi de huiusmodi bonis possint in vita disponere, ac si merè sæculares essent. Vti docet Sanch. *vbi sup. num.* 48.

PROBL. XXXIV.

Furtiuus est, & non est Religiosus, qui volenti sibi aliquid notabile largiri, orat, vt alteri sui contemplatione donet.

146 *Est furti reus.* ESt furti planè reus. Quia Clemens VIII. prohibuit Religiosis munerum donationes præter leuiora quæque esculenta, & poculenta, seu ad deuotionem, & Religionem pertinentia munuscula; nam in eo *motu proprio*, §. *Id autè, in fine*, dicitur: *Prohibemus Religiosis missiones munerum non solùm per se, verum etiam per alios directè, vel indirectè.* At hæc videtur indirecta donatio: perindè enim videtur esse, ac si Religiosus tacitè acciperet, & mittat amico, aut consanguineo, nam quod mea fit causa, meum quodammodo dicitur *l. Prætor ait, ff. de edendo*; & consequenter etiam paupertatis voto aduersatur, cum Religiosus disponat, & acquirat absque Superioris licentia; per votum enim hoc non solùm non potest Religiosus sibi acquirere, sed nec alteri. Et quidem si hoc non sit *indirectè* dare, non apparet, quid per indirectam donationem intelligamus. Præterea quia *l.* 2. *ff. de calumniat.* ait: Non refert, an *ipse pecuniam acceperit, an alij inferri dari.* Tandem quia donata viro ab vxoris consanguineis censentur in dubio donata vxori, vt docet Sanch. *lib.* 6. *de matrim. d.* 26. *num.* 11. Ergò donata ab externo consanguineis, vel amicis Religiosi, eius intuitu Religioso donata censebuntur. Sic nonnulli, quos presso nomine indicat Fagund. *Decal. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 1. & 2. Igitur est reus furti Monasterium priuans eo, quod externo cuidam eius contemplatione fuit impensum.

147 *Non est furti reus.* Non est reus furti. Quia quando Religiosus offerenti, ac volenti sibi dare munus, dicit: *Acceptare non possum, nec ea re indigeo: sed gratum mihi facies, si consanguineo, vel amico pauperi largiaris*, nihil acceptat, nec *expressè*, nec *tacitè*: imò inhabilitatem suam ad acceptandum profitetur; sed tantùm intercedit, ac rogat, vt ille alij donet. At si Religiosus prius expressè, vel tacitè acceptaret, & postea dari amico peteret, tunc nec à furto, nec à voti paupertatis violatione excusaretur; non à furto, nam per acceptationem res Monasterio acquiritur: quidquid enim Religiosus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit: & sicut furti esset reus donando aliquid ex bonis iam à Religione acquisitis: ità & hoc donando, quod iam per acceptationem illius Religioni acquisitum manet, dum Superior tali acceptationi non contradicit, qua in re nullus prudens Superior contradicere censetur; non à voti paupertatis violatione, quia sine licentia donat. Ità Fagund. *Decal. lib.* 7 *cap.* 7. *numer.* 3. & 4. Sanch. *lib.* 6. *de matrim. d.* 4. *num.* 7. Sosa *libel.* quo motum proprium Clement. VIII. exposuit, *num.* 73.

148 *Idem censeo.* Idem censeo adiiciens, huiusmodi Religiosum, qui rem sibi donatam absque vlla causa acceptare non vult, sed rogat alteri impendi, contrà charitatem delinquere; priuat enim eo munere Monasterium. Causam tamen iustam non acceptandi credierim esse nè Superior cogitet Religiosum nimiam cum externis familiaritatem habere, maximè si ob id aliquid in Religione iucommodi pateretur.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F IV
5

LIBER XXXV.

OCTAVVM DECALOGI PRÆCEPTVM.

PRÆCEPTVM octauum Non falsum testimonium dices *prohibet proximorum iniurias in iudicio, & extra iudicium aduersus proximum & dictis, & factis. In præsenti geram sermonem de verborum iniuriis extra iudicium proximo illatis: vnde de Detractione, ac contumelia; de honore ac dedecore, de infamia & bona fama, de Iudicio temerario, suspitione, Mendacio, & susurratione nonnulla pacificus innuam, plura pugnax expendam. Verùm de peccatis, quæ in iudicio à Iudice, Tabellione, Teste, Reo, aliisque personis, ex quibus iudicium externum constituitur, committuntur, volum. 10. vbi de statu sæculari sermo procedet, Deo auspice tractationem instituam.*

SECTIO PRIMA.

De Præcepto Octauo receptiores absque lite Sententiæ.

CAPVT I.

De Fama, & Infamia: de Honore, ac Dedecore generatim.

1 *Quatuor proximum infamandi species.*

PLVRIMÆ sunt aliquem infamandi species, quæ quidem ad quatuor præcipuas reducuntur, nempè ad Detractionem, contumeliam, Iudicium temerarium, & Insusurrationem. Hi sunt quatuor præcipui infamandi modi. Præmittam, quid sit Fama & honor, vt innotescat, quanta in vnaquaque harum specierum malitia insit; apparent enim magis contraria ex contrariorum oppositione.

2 *Fama, infamiaque definitio.*

Famam igitur sic Theologi describunt: *Est bona multorum æstimatio de aliquo concepta circà eius vitam, & mores.* E contrario Infamia *est mala multorum æstimatio de aliquo concepta circà eius vitam & mores.* Consistunt formaliter fama & infamia in iudicio & æstimatione interna hominum bona vel mala circa aliquem, eiusque vitam, ac mores. Porro infamia non solum vitiis, & male factis publicè gestis, sed etiam frequenter per peccatum Detractionis contrahitur. Tolet. *l. 5. c. 63.* Sotus *l. 5. de iust. q. 9. a. 1.* & alij communiter.

Iam verò Honor *est testificatio quædam bonæ opinionis, & excellentiæ alterius verbis, vel signis externis facta:* magis autem signis, quàm verbis consistit. Verbis quidem, vt cum quis aliquem honorificè effert, vocitando eum prudentem, sapientem, nobilem, virtute præditum; signis verò, vt in genuflationibus, corporis submissione, inclinatione capitis, &c. cum enim homines volunt honorari testimonium excellentiæ suæ publicè cupiunt exhiberi. D. Tho. 2. 2. *q. 103. a. 1. ad 2. & a. 2. ad 2.* Caiet. *ibi.* Thomistæ, & alij communiter. 3 *Quid honor.*

Dedecus autem *est testificatio malæ opinionis, vel pessimæ æstimationis alicuius hominis verbis, vel signis, & magis signis, quàm verbis manifestata.* Vnde si quis virum fuste cædat animo dehonestandi illum, seu honorem auferendi, & similiter verbis iniuriosis eodem animo offendat; 4 *Quid dedecus.*

fendat, magis cum fiste, quàm verbis dehonestat. Omnes sic.

CAPVT II.

De Mendacio.

5 *Quid Mendacium.*

MENDACIVM est *falsa significatio vocis cum intentione fallendi.* Vndè ad mendacium tria requiruntur. Primum, quod falsum proferatur. Secundum, quòd falsum esse credatur. Tertium, quòd audiens fallatur, vel deceptio intendatur. Hinc mendacium formaliter, ac directè veritati opponitur, ac proindè falsum debet esse, vel re ipsa, vel saltem ex dicentis opinione; ideò enim mendacium dicitur, quia contrà mentem dicitur. Formale autem mendacij in hoc consistit, vt qui profert, putet falsum esse, quod asserit: nam qui asserit aliquid falsum, quod putat esse verùm, non formaliter, sed materialiter mendacium profert. D. Thom. 2. 2. *qu.* 110. *artic.* 11. Sayr. *in Clavi, libro* 12. *capite* 2. *numero* 2. Filliuc. *tract.* 40. *cap.* 2. *num.* 33. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 8. *num.* 33.

6 *Mendacij divisiones.*

Dupliciter diuiditur. Primò secundùm propriam rationem ipsius, seu per se, & sic diuide in mendacium, quod transcendit veritatem in maius: quod circà materiam determinatam pertinet ad *iactantiam*; & in mendacium, quod deficit à veritate in minus, quod pertinet ad *ironiam.* Secundò si consideretur ex parte finis, ob quem committi solet, diuiditur in *pernitiosum, officiosum, & iocosum.* Pernitiosum dicitur, quod nocumenti alterius intentione profertur. Officiosum est, dum intenditur bonum vtile alterius, vel alicuius damni fuga. Iocosum appellatur, quod causa voluptatis propriæ, vel alienæ dictitatur. Nauar. *sum. cap.* 18. *num.* 3. Tolet. *de peccat. mortal. cap.* 54. Filliuc. *tract.* 40. *num.* 34. Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 1. Sylvest. *verb. Mendacium, q.* 1.

7 *Omne mendacium est peccatum.*

Omne mendacium est peccatum. Quia cum voces naturaliter sint signa intellectus, seu rerum provt intellectę sunt, innaturale est, aliquem voce significare, quod non habet in mente. Vndè ex genere suo adeò malum est, vt nunquam sit licitum etiam ad vitandum scandalum, aut aliud quodcúmque malum, aut corporale, aut spirituale: imò nec ad saluanda hominis corporalem, aut spiritualem vitam. Non est tamen mendacium, cum quis amphibologia, vel restrictione tacita vtitur. Quia non intendit dicere falsum, nec contrà mentem loqui; sed vel mentem suam aliter quam intelligit alter exprimere: vel non totam exprimere, sed solùm ex parte, altera orationis parte interius retenta. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 6. *num.* 35. & 39. Bonacin. *de mendac. quæst. vni. puncto secundo, numero primo.* Caiet. *verb. Mendacium.*

8 *Offic. iosum & iocosum veniale est.*

Porrò mendacium officiosum, & iocosum absque iuramento prolatum ex actus natura lethale non est, sed veniale tantùm, graui scandalo excluso. Quia huiusmodi mendacium nulli grauem affert iniuriam, & leuis materia censetur. Nauar. *sum. cap.* 18. *num.* 3. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 6. *num.* 40. Sayr. *in Clavi, lib.* 12. *c.* 2. *num.* 18.

9 *Pernitiosum ex suo genere est lethale, si pernitiosa materia existat.*

Pernitiosũ verò cũ deliberatione prolatum ex genere suo lethale est, nisi ex materiæ leuitate excusetur. Quia contrariatur Dei, vel proximi dilectioni. Hinc mentiri in re Fidei, scripturæ, vel morum, pernitiosissimum sua ex natura est. Necnon est lethale in doctrinis naturalibus mentiri, si ad virtutis, vel vitij praxim pertineant, quamvis omne scandalum, aut contemptus secludatur. Vndè Concionator scienter ex sugestu proferens falsa miracula, vel vitam Diuorum aliter quam sit effingens, vel enũcians falsas indulgentias, vel falsas exponens reliquias, grauiter delinquit. Similiter hypocrita, qui vitæ fingit Sanctitudinem, vt facilius seminet errores, vel vt sibi vberiores eleemosinæ erogentur, vel Beneficium, quo est indignus, assequatur: aut morbum, vel vulnera, vel paupertatem simulat, vt sibi maiora subsidia præstentur, quam opus sit ad vitam commodè sustentandam, peccat lethaliter ex pernitioso mendacio, posita materiæ, seu damni grauitate. Nauar. *sum. cap.* 18. *numer.* 4. & 5. Caiet. 2. 2. *qu.* 110. *art.* 4. Sylvest. *ver. Mendacium, quæs.* 4. Filliuc. *tract.* 40. *num.* 38. Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 1. *qu.* 6.

10 *Leuialiter non peccat, qui sine graui damno proximi mentitur etiam in Confessione.*

Lethaliter non peccat, qui sine graui proximi damno mendacium profert, etiamsi in iudicio, vel in Sacramento Confessionis proferat, modò non sit cum iuramento coniunctum: & si in Confessione fiat, non sit circà materiam necessariam, vel circà totam confessionis materiam. Nec qui habitu, sexum mentitur, vt si fœmina habitu virili, vel vir fœmineo vtatur, modo grauis scandali non adsit periculum, vel ab aliqua speciali lege prohibeatur sub piaculo graui. Quia non est mendacium pernitiosum, sicut solummodò venialiter delinquit, qui laruis in Bacchanalibus secluso malo fine vtitur. Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 4. *qu.* 6. Sylvest. *verb. Fœmina, numero secundo.* Tabe. *ibi. num.* 4.

11 *Nec mulier, quæ medijs licitis fingit se Virginem esse.*

Haud rea est mendacij mulier, dum bonis mediis aliàs licitis defectum virginitatis tegit. Quia cum non intentat alterum decipere, sed ius suum tueri, mentiri non dicitur: modò vir ob defectum non manifestatum graue damnum patiatur, (quod non facilè video:) aut si in contractu matrimonij, vel in sponsalibus expresserit, se contrahere cum ea nolle, nisi virgo sit. Quia tunc virum decipere dicitur, eique iniuriam irrogare. Sanch. *de matrim. lib.* 6. *d.* 27. *num.* 8. Nauar. *cap. Inter verba, concl.* 1. *corol.* 6. *num.* 60. Sotus *in* 4. *dist.* 29. *qu.* 2. *art.* 3.

CAPVT III.

De Detractione.

12 *Duo ad detractionem requiruntur, quæ iniusta*

DETRACTIO *est alienæ famæ occulta & iniusta denigratio.* Duo hinc ad detractionem requiruntur. Primò, vt aliquid dicatur, vel eo modo, vt alicuius fama, &

A contumelia differt.

& æstimatio; quam in animo alterius possidet, imminui possit. Secundò vt id fiat occultè saltem iuxta dicentis intentionem. Vnde detractio specie à contumelia differt: per detractionem enim proximus clàm læditur, per contumeliam verò apertè & in præsentia offenditur, propterea detractio directè lædit famam, contumelia autem honorem. Minus autem peccatum est detractio, quàm contumelia; quia minus bonum aufert. D. Tho. 2. 2. *q.* 73. *art.* 1. Sayr. *in Clavi, lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 5. Bonac. *de restit. d.* 2. *quæs.* 4. *pun.* 2. Filliuc. *tract.* 40. *num.* 87.

13 *Octo detractionis modos enumero.*

Octo detractionis modos enumero, eiusdem quidem speciei. Quia in ratione læsionis famæ solummodo secundum magis & minus distinguntur. Horum quatuor directè, & quatuor indirectè fiunt. Directe quidem primò, imponendo alteri crimen falsum scienter. Secundo cum quis peccatum alterius verbis, aut signis exaget. Tertio, reuelando crimen occultum quamvis verum. Quarto, honestum alterius factum in partem siniſtram explicando. At indirectè fit Primo, negando recte facta, vel minuendo eadem facta aut dotes. Tertio, tacendo alterius bona eo loco, ac tempore, quo silentium illud pro tacita vituperatione accipiunt. Quarto, frigidè laudando, si id in opprobrium laudati cedat. Reginal. *lib.* 24. *num.* 49. Sylvest. *v. Detractio, num.* 1. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 2. *num.* 8. Molina *tract.* 4. *d.* 27. *Sylui.* 2. 2. *q.* 73. *art.* 1.

14 *Detractio formalis, & materialis, formalis suo ex genere est mortalis.*

Alia est detractio formalis qua peccatum vel naturalis defectus alterius manifestatur infamandi intentione: alia materialis, qua aliquid natura sua diffamatiuum dicitur sine detrahendi intentione. Detractio formalis suo ex genere peccatum est lethale. Quia sua ex natura notabilè proximo infama damnum infert. At ratione indeliberationis, vel leuitatis materiæ potest esse veniale. Lessi. *l.* 2. *cap.* 11. *dub.* 13. Sylvest. *v. Detractio, num.* 2. Reginal. *lib.* 24. *num.* 71. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 69.

15 *Materialis potest esse veniale & mortale.*

Materialis Detractio etiam est mortale, si id quod narratur, grauiter proximi famam lædat, quamvis id non intendatur, sed ex quadam loquacitate defectus alterius enarrentur. Quia implicitè, etsi non expressè, læsio proximi intenditur. At si quod narratur parum lædat, veniale erit. Porrò quando defectus venniales, attenta personæ conditione, magni momenti censentur: vt si quis de viro graui diceret esse mendacem: mortale erit piaculum, præsertim si hoc in faciem per contumeliam ei obiiceretur. Lessi. *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 3. *n.* 12. Azor. *tom.* 3. *l.* 13. *c.* 7. *q.* 4. Sayr. *in Clavi, l.* 11. *cap.* 6. *n.* 2. Diana *p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 69.

16 *Si narrans grauem alterius culpam, notabiliter non lædit non peccat lethaliter.*

Equidem licet materia sufficiens ad mortalem detractionem sit, famam proximi grauiter lædi: si tamen ex huiusmodi narratione alterius fama notabiliter non lædatur, non erit sufficiés ad mortale materia. Quia dãni parui non excusat. Ex. c. si quis dicitet, militem esse puellæ decepto rẽ, cõmisisse duellũ, habere cõcubinam: vel adolescentem esse prodigum, amoribus addictum: fœminam rixari, sæculare fregisse, ieiuniũ: vel si generalibus nominibus peccatorum mortalium aliquis infametur, vt si dicatur, illum esse superbum, auarum, iracundum, plerumque hæc proferre, lethale non erit, nisi ob personæ, de qua proferuntur, dignitatem pro grauibus vitiis essent accipienda. Frequenter autem pro inclinationibus naturalibus accipiuntur, venialesque defectus denotant. Nauar. *sum. cap.* 18. *num.* 24. Lessi. *l.* 2. *c.* 11 *dub.* 2. *num.* 16. & 17. Sylvest. *v. Detractio, numer.* 2. Sayr. *in Clavi lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 3. Reginal. *lib.* 24. *num.* 76. Diana *part.* 5. *tra.* 5 *resol.* 69.

17 *Non est lethale narrare naturales alterius defectus, si notabile damnum inde non capiat.*

Regulariter loquendo de se peccatum mortale non est, alicuius naturales reuelare defectus: vt esse spurium, ex Iudæis, vel Mahometanis ortum, aut patri infami natum, imprudentem, ignarum, coelem, claudum, &c. si his verè laboret: dummodo ex tali reuelatione notabile damnum non intendatur, aut illi sufficiens causa detur, vel in faciem non obiiciãtur, cum magnæ contristationis alterius periculo. Quando autem bonus, ac iustus mouet finis huiusmodi defectus reuelatorem, à mortali excusabitur, quamvis alter damnum indè patiatur: verbi gratiâ quùm ad informationem interrogatus veritatem aperit. Nauar. *l.* 2. *de restit. cap.* 4. *num.* 307. Reginal. *lib.* 24. *num.* 79. Sayr. *in Clavi lib.* 11. *cap.* 6. *nu.* 4. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 69.

18 *Lethale est, de statu Religioso in communi detrahere.*

Qui de Religionis statu in cõmuni detrahit, vltra peccatũ detractionis lethale, hæresis etiã suspẽsionẽ incurrit, quasi male de statu Regulari sentiẽs. Necnõ lethale est totã aliquã Religionẽ vel Monasterium infamare dicendo: In tali Monasterio obseruatio regularis non est. Etiã qui peccatũ alicuius priuati de Religione, aut Monasterio detegit personam nominãdo mortaliter delinquit. Quia infamia nõ solũ in delinquentem, sed etiam in totam Religionem affolet redundare. Sotus *de iust. l.* 4. *q.* 6. *a.* 3. Sayr. *in Clavi, c.* 11. *c.* 6. *n.* 20. Nauarra *de rest. l.* 2. *num.* 355.

19 *Secus qui, presso nomine personæ dicito. In tali Oppido possunt improbi esse.*

Quis presso personæ nomine, dicit. In tali oppido multi improbi adsunt, & vnus ex eis adulterium commisit: lethaliter nõ peccat. Quia nullus in particulari infamatur, vnde nullus grauiter læditur. Secus dixerim de illo, qui peccatum secretum Religiosi explicato Monasterio, vel Religione, quamvis persona taceatur: peccat enim mortaliter. Et ratio disparitatis est, quia personæ oppidi cuiusuis non tantam perfectionem, ac Religiosi profitentur. Petr. Nauar. *de restit. l.* 2. *num.* 358. Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *c.* 7. Molina *tom.* 4. *d.* 27. Sayr. *in Clavi, lib.* 11. *c.* 6. *num.* 21.

20 *Non est lethale, detegere alia crimina illius, quæ sint valde affinia crimini, de quo est infamia.*

Quando quis de vno vel altero crimine infamis est non erit mortale detegere illius alia crimina quæ sunt valdè affinia, & ordinariè connexa grauiori crimini, quod publicum est. Quia non censetur noua infamia si verò crimina non sint ita connexa non solùm est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam illa referare, præsertim si sint alterius generis. Quia qui infamis est in vno genere vitij, non ideò amisit ius, quod habet in aliis virtutibus, ideòque non potest in aliis vitiis infamari. Reginal. *lib.* 24. *num.* 82. Nauarra *de restit. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 326. Lessi. *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 14. Sylui. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2.

21 *Nec infamare eum qui*

Peccatum detractionis non est, infamare hominem, qui fictis virtutibus per hypocrisim & falsas imposturas famam virtutum moralium

Falsis virtutibus famam in populo adeptus est, graui damno Reipublicæ.

moralium, vel intellectualium est in Republica adeptus, quandò ipsi est noxius: vt si quis se fingeret Medicum, aut Theologum eximium, quem scio esse ignarum, aut falsum edocere. Si verò per talem famam iniquè acquisitam nemini nocet, minimè eum infamare licebit, sicut nec vllum alium occultum peccatorem. Valentia 2.2.d.5.qu.17.punct.2. dub.3. Salon. ibi, qu.73.art.2 Lessi.lib.2.cap.11.dub.10. Sotus de iust.lib.5.qu.10.art.2.

22 *Nec referre alij iniuriam ab alio acceptam solatij accipiendi gratia.*

Qui iniuriam sibi ab altero illatam alteri refert detrahendi intentione, ad propriam vindictam, mortaliter peccat. Quia est formalis detractio. Si autem eam refert, vt consolationem, aut consilium ab amico recipiat, vel vt dolorem mitiget, non peccat. Quia vtitur suo iure, & per accidens est, quòd alterius piaculum detegatur. Intelligo tamen, modò non referat pluribus, quam opus est ad consilium, vel solamen capiendum. Nauarra *de restit. lib. 2.cap.4.num.346.* Lessi.*lib.2.cap.11.dub.12.* Diana *part.3.tract.5.resol.32.* Moli.*tom.4.d.27.n.5.* Sayr.*in Claui, lib.11.cap.3.num.10.*

23 *Nec occulta alterius peccata aliis referre absque asseueratione, modo grauiora non sint &c.*

Referre occulta peccata alterius absque asseueratione, non est graue detractionis peccatum, modò referens non sit tantæ authoritatis, vt sit illi credendum, vel non augeat, & confirmet magis audita, aut non referat coram iis qui, postea rem eandem sint aliis manifestaturi, sine eiusmodi restrictione. At si crimina sint valdè grauia, vt hæresis, proditio, præpostera libido, & verosimile sit, ex narratione auditoribus malam suspitionem narrati criminis suboriturum, esset peccatum lethale cõtrà iustitiam. Quia talis suspitio est magnum respectu honestæ personæ nocumentum. Sayr. *in Claui, lib.11.cap.3.num.14.* Azor.*tom.3.l.13. cap.6.qu.6.* Nauar.*sum.cap.18.num.36.* Reginal. *lib.14.num.77.* Arag.*2.2.qu.62.art.1.dub.6.* Diana *part.3.tract.5.resolut.28.* Sylui. *2.2.qu.62. art.2.quæsito 16.*

24 *Non est contrà iustitiam reuelare crimen alterius publicum, eo loci, vbi ignoratur.*

Cum alterius crimen est publicum, illud reuelare in loco, vbi ignoratur, non est lethale peccatum contrà iustitiam. Quia ex publicitate delinquens ius ad famam amisit, ideóque iniuria non afficitur. Verùm publicum esse peccatum tripliciter accidere potest. Primò si sit notorium iure per iudicam sententiam, vel per confessionem in iudicio, vel per legitimam testium depositionem. Secundò, si sit notorium facto, id est, si in multorum præsentia est perpetratum. Tertiò, si sit famosum, cuius notitia ex sufficientibus indicijs orta ad multos peruenit, itavt maior pars oppidi, vel parochiæ, vel viciniæ, vel congregationis illud norit. Banes *2.2.quæst.73.art.2.dub.3.* Lessi.*lib. 2.cap.11.dub.13.* Sa *v.Infamare, num.5.* Nauar. *sum.cap.18.num.26.*

25 *Potest verò esse contrà charitatem graue delictum.*

Fieri autem potest, vt sit peccatum mortale contrà charitatem referre crimen publicum alterius eo loco, quo fama non nisi post longum tempus esset peruentura, & maximè si alter erat, inibi bonæ famæ. Quia tunc proximo in re magni momenti fit læsio, & qui deliquit graui mœrore afficitur. Bonacin. *de restit. d.2. qu.4.punct.6.num.2.* Sayr.*in Claui, lib.11.cap.6. numer.25.& 26.* Malder.*2.2.tractat.7. capite 1. dub.6.* Nauarra *de restit. libro 2. capite 4. numero 288.* An sit contrà charitatem, *sectione 2.* patebit.

Detractoris auditor non minus mortaliter delinquit quam ipse detractor, si causa sit detractionis iuuando, incitando, interrogando, laudando, approbando, &c. imò magis delinquit. Quia est alteri causa detrahendi; detractor enim solùm est sui piaculi author, ille verò, & sui, & alterius; vndè ad restitutionem tenetur, nisi ipse detractor restituat. Idem dixerim de illo, qui audiendo detractorem lætatur, non tamen inducit, nec excitat ad continuandum. At si delectatio capiatur ex detractionis eloquentia, vel curiosa factorum proximi cognitione absque desiderio, vt alter detrahat: lethale peccatum non erit. D.Thom.*2.2.quæst.73.art.4.* Caiet. *verb. Detractio.* Molina *tom.4. d.34.* Sylui.*2.2.d.73.art.4.concl.1.* Diana *part. 3.tractat.5.resolut.35.* Reginald.*lib.24.num.95.*

26 *Quando detractoris auditor lethaliter delinquit.*

Qui nec inducit, nec lætatur, tamen audiés non resistit detrahenti, cum possit, aliquandò lethaliter, aliquandò venialiter delinquit, aliquandò nullo crimine est reus. Lethalis culpa est, si infamia sit grauis, & facilè possit eam impedire. Vndè si Superior sit, qui ex officio tenebatur infamiam proximi impedire, in defectum inferiori detrahentis ad restitutionem obligabitur. Veniale est piaculum, si detractio sit leuis; si est quidem de re graui, tamen est solùm apud vnum, vel duos, qui rem omninò silentio inuoluent: si nimia verecundia, vel animi pusillanimitate non audet resistere. Nullum peccatum erit detrahenti non resistere ob bonum finem, nempè ex necessitate, vel pietate, vel ex iusto timore, vel quia fructus nullus ex resistentia expectatur, sed potiùs timetur, quod detrahens ex ea deteriùs fieret. Tolet.*lib.5.cap.67.num.2.3.4.& 5.* Nauar.*sum. cap.18.num.34.* Filliuc. *tractat.40. cap.4. quæst. 14.* Lessi.*libro 2.capite 11.dubio quarto, num.21.* Reginald.*lib.24.num.95.* Diana *part.3.tract.5. resol.35.*

27 *Quam grauiter peccat audiens, & non impediens, cum possit.*

Proprios defectus tam culpæ, quam naturæ propalare, ex suo genere mortale non est, neque contrà iustitiam, neque contrà sui charitatem. Quia homo est dominus suæ famæ, sicut suarum opum, & illam imminuendo, aut lædendo nulli facit iniuriam. Imò id facere, potest opus esse virtutis: sic Diui ad maiorem sui demissionem sua in scriptis crimina exararunt. Molina *tom.4.d.17.numer.3.* Banes *2.2. qu.73.art.2.d.2.* Sa *verb.Infamare, numer.1.* Nauar. *sum. cap.8. num.27.*

28 *Proprios defectus vere reuelare ex suo genere mortale non est.*

Potest tamen ex accidenti peccatum mortale esse, se ipsum infamare, scilicèt quandò exponens quis sua grauia delicta, de illis gloriatur, & sibi complacet. Vel quandò infamat se de attroci crimine nempè de hæresi, de Sacrilegio, de proditione. Quia huiusmodi crimina audientium exundant in scandalum. Vel quandò est persona publica, cuius fama est admodum vtilis saluticonum, quorum cura ei incumbit. Vel quandò talis infamatio propriæ vitæ vergit in damnum: vt si aperiat vluò peccatum, ex quo sua, vel alterius damnatio ad mortem, aut membri mutilatio sequatur. Vel quãdò quis se infamat sociorum graui incommodo: verbi gratiâ, si Religiosus crimen suum detegat, ex quo Religioni notabilis hæret infamia. Vel quandò crimen falsum de se profert, cum iuramento; omne enim periurium peccatum est lethale. Nauarra *de restit. lib.2 cap.4.*

29 *Ex accidenti tamen ipse potest se mortaliter infamare.*

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E. I. V.

c.4.p.2.dub.1.n.126. Reginal. *l.24.nu.89.* Azor. *to.3.l.11.c.6.q.3.* Lessi. *l.2.cap.11.dub.6.* Nauar. *sum.cap.19.n.28.* Sotus *de iust. lib.4. qu.2.art.3.*

30 *Crimen falsum capitali pœna obnoxium sibi imponere, ad vitanda leuia tormenta, mortale est.*

Crimen falsum sibi imponere, ob quod capite sit plectendus, ad leuia tormenta vitanda, lethale crimen est. Quia quisque tenetur; vitam suam tueri etiam cum aliquo dolore, & incommodo, maximè quandò non est mortem commeritus. Non erit tamen lethale peccatum ob huiusmodi tormenta vitanda, occultum suum pandere crimen quamvis ob id mors sit infligenda, nisi fortè per accidens ratione alicuius magni damni indè secuti, vt est familiæ infamia, publicum scandalum. Imponere autem sibi grauia tormenta, etiamsi mors indè sequatur, excluso periurio, mortale non est. Quia non tenetur homo cum tanto cruciatu vitam suam tueri. Imò non tenetur, id posteà reuocare; quamvis periurio confirmatum, si prudenter timet, se rursum ad tormenta abripiendum; sed potest sine mortali in eo persistere, ac mori, de periurio autem debet coram Deo pœnitere. Attamen si Religioni, vel familiæ ex falsi criminis confessione grauis infamia sequeretur; prudenter expende, nùm tormenta infamiæ, an infamia tormentis præponderent. Quia in pari causa potior est conditio innocentis. Sotus *lib.5.de iust.quæs.10.art.2.* Nauarra *de restit.lib.2.cap.4. part.2. dub.1. num.134.* Sylvest. *verb. Detractio, qu.3.* Sayr. *in Clavi, lib.11.cap.3.num.41.* Nauar. *sum. cap.18. num.29.* Tolet. *lib.5.cap.66.* Diana *part.3. tr.5. resol.7.* & alij.

31 *Quando liceat, occultum peccatū, vel secretum alterius pandere, ad grauia tormenta vitanda.*

Occultum peccatum, vel secretum alterius licet pandere ad vitanda grauia tormenta, si nullum aliud incommodum alteri quàm infamiæ impendeat. Quia nulla est obligatio seruandi alterius famam cum tanto tuo incommodo. Et hoc verum, etiamsi indè alter mortis periculum incurreret, modo illud secretum sine vi, & fraude, & extra confessionem acceptum fuerit. Scio aliquos excipere Doctores, nisi indè grauissima timeantur incommoda, vt si esset Principis, Reipublicæ, aut exercitus secretum. Nauar. *sum.cap.18.nu.54.* Sotus *de iust. lib.5.qu.10.ar.2.* Reginald. *lib.24.num.91.* Lessi. *lib.2.cap.11.dub.8.* Filliuc. *tract.40.cap.4.*

32 *Licitum est, alterius crimen aperire, vt aliquod spirituale, vel temporale damnum impediatur.*

Vt impedias damnum aliquod spirituale, vel temporale, quod alicuius momenti sit, licitum est cuique alterius crimen aperire: v.gr. ad consulendum bono illius, cuius crimen detegitur, vel alterius: modo reuelatio criminis ad id sit necessaria. Quia damnificator non habet ius retinendi famam cum damno alterius. Et aliquibus in casibus sæpè fit, vt non solùm liceat, sed etiam adsit obligatio ex charitate, crimen alterius manifestare, nempè si graue damnum ex eo aliis immineat, & dānum, quod ex manifestatione sequitur, non sit tanti, vt eius ratio præ altero haberi queat. In dubio autem, nùm præponderet, inclinandum est in fauorem innocentis. Sayr. *in Clavi, l.11.c.6.num.18.* Nauar. *sum.c.18.num.31.* Nauarra *lib.2.cap.4. n.2. dub.1.num.341.* Sotus *de iust. lib.5. qu.7. articul.1.*

33 *Correptione vti debet qui damnum alicuius impedire potest, absque criminis reuelatione.*

Qui potest alicuius damnum impedire absque reuelatione criminis alterius, debet correptione vti; ad illud impediendum; aliàs crimen reuelando, mortaliter delinquet contrà iustitiam, ad restitutionémque obligabitur.

Scio, defendi posse, solùm peccare contrà charitatem. Quia delinquens, eo ipso, quòd crimen ipsius alteri nocet, videtur amisisse ius, vt suum crimen reticeatur. Lessi. *lib.2. cap.11. dub.9.num.60.* & 61. Bonac. *de restit. d.2. qu.4. punct.8.num.2.*

34 *Defunctorum occulta peccata haud reuelare licet.*

Defunctorum occulta peccata haud reuelare licet. Quia fama etiam post obitum possidetur. Neque enim sufficit, quod ex infamia temporarium damnum illi non sentiant: verè enim damnum infamiæ patiuntur intrinsecum. At minus peccatum erit, mortuum, quàm viuum infamare. Infamatio itaque mortuorum mortalis esse potest, etiamsi in viuos eis propinquos infamia nō recurrat: & ad restitutionem obligare, nisi constet, esse damnatos; quia non sunt amplius proximi nostri. Propterea haud excusarim Historiographos qui valdè infama mortuorum crimina non verentur scriptis exarare. Molina *tom.4. d.28.* Sotus *de iust. lib.5. quæstion.10. artic.2.* Filliuc. *tractat.40. num.109.*

CAPVT IV.

De Secreti reuelatione.

SECRETVM, est res alicui clanculum manifestata, quæ in plurium notitiam nondum peruenit. Triplex secreti genus. Primum Sacramentalis confessionis, de quo *Volum.2.* Secundum, quod manifestatum noceret animæ, corpori, famæ, honori, vel fortunis alterius, quod oportet custodiri, etiamsi nulla promissio eius non reuelandi præcesserit. Tertium, quod expressè, vel tacitè celare promisimus. Layman. *lib.3.sect.5.tract.3. part.2. cap.5. num.1.* Nauar. *sum.cap.18.num.52.* Filliuc. *tract. 40.num.58.*

35 *Lethalis est reuelatio secreti sibi cōmissi in graue nocumentum cedens.*

Contrà fidelitatem, ac iustitiam lethaliter peccat, qui secretum expressa, aut tacita conuentione retinendi sibi commissum reuelat, cuius reuelatio in alterius detrimentum graue redundat. Quia fides iure naturali seruāda est, vndè nō seruando fidē, contrà ius naturæ delinquit. Reuelatio autem secreti cum leui alterius iniuria, vel damno, lethalis non est, etiā si promiseris te celaturum. Quia materiæ paruitas à lethali excusat, modò nō sit confessionis secretum. Azor. *tom.3.libro 13.cap.21. qu.2.* Nauar. *sum. capite 18. numero 52.* Sa *verb. Secretum, num.1.* Reginald. *lib.24. num.106.* Molina *tom.4. tract.4.d.4.*

36 *Non sic si reuelet vni, vel alteri quos nouerit celaturos.*

Secretum detegere vni, vel alteri, quos certo noueris celaturos, mortale non est. Quia huiusmodi reuelatio non videtur in alterius graue incommodum redundare. Bonac. *de rest. d.2. quæstion.2. punct.3. numero 2.* Azor. *tom.3. libro 13. capite 31. quæstion.3.* Filliuc. *tractat.40. numero 63. section.2.* sermo redibit.

37 *Secreti reuelandi iustas exprimo causas.*

Secreti reuelandi iustæ causæ. Prima, si cedat in Reipublicæ detrimentum. Secunda, si cedat in graue eius, qui commisit, nocumentum: v.gr. si quis impedimento adstrictus ab ineundo coniugio reuocari nō potest, nisi canonicè denunciatur, licita erit secreti

denunciatio ob Sacramenti reuerentiam, & ad peccatum euitandum. Tertia, si tu ipse in graue incidas discrimen, nisi commissum tibi arcanum reueles; quia sicut alia debita, ità, & obligatio secreti cessat, quando sinè maximo detrimento propriæ vitæ, aut famæ asseruari non potest. Porrò si ex secreti reuelatione periclitetur vita eius, qui tibi commisit: ex silentio autem tuo grauissimè tuus honor, fama, vel diuitiæ periclitentur: viri prudentis arbitrio omnibus spectatis circumstantiis perpendatur, nùm tantam obligationem retinendi in te volueris, aut debueris suscipere. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. Lessi. *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 8. Molina *tom.* 4. *tract.* 4. *d.* 37. *concl.* 5. Azor. *tom.* 3. *lib.* 11. *cap.* 31. *qu.* 9.

38 *Etiam ob tormenta non licet Rempublicæ, aut exercitus secretum reuelare.*

Reipublicæ, vel exercitus secretum, cuius reuelatio in magnam cedet perniciem, etiam ob quæuis tormenta, aut mortis periculum, reuelare non licet. Quia salus Reipublicæ tanquam bonum maius propriæ vitæ est anteponendum: quare ad hoc ipsum præstandum quis potest obligari. Nauar. *sum. cap.* 18. *num.* 54. Bonac. *de rest. d.* 2. *q.* 1. *punct. vlti. num.* 8. Diana *p.* 6. *tractat.* 6. *resolut.* 60. Molina *tom.* 4. *tract.* 4. *d.* 37. *num.* 9.

39 *Qui iniustè secretum graue reuelat, ad restitutionem tenetur.*

Qui secretum violat absque iusta causa cum alterius detrimento, ad restitutionem tenetur. Quia causa iniusta damni restituendi est obnoxia. Et hoc verum non solùm quando secretum commissum fuit cum pacto expresso, nè manifestaretur: sed etiam quando fuit cum pacto tacito commissum. Profectò ille, cui concreditum est secretum, potest Iudici interroganti respondere cum iuramento, se nihil scire, addita restrictione, *vt illi aperiat*, vel æquiuocatione. Quia habet iustam causam ea vtendi, cum Iudex non possit ad secreti manifestationem cogere, quod ex naturali obligatione seruandum est. Nauarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 129. Bannes 2. 2. *qu.* 69. *art.* 2. Manu. *part.* 1. *sum. cap.* 79. *num.* 13.

40 *Lethaliter peccat, qui aperit literas, vnde notabile damnum sit oriturum.*

Qui aperit, legítque literas sigillo munitas, aut qui in loco secreto asseruabantur, lethaliter peccat, si hoc gerat præuidens, indè aliquod notabile dānum oriturum: aut si ille, qui literas clausas, mittit, vel asseruat, valdè cupit, ea, quæ continentur in litteris occulta retineri. Quia in his casibus fieri potest, vt quamvis non adsit notabile detrimentum, nihilominus tanta fiat iniuria quę ad lethale piaculum pertingat. Qui verò legit sine grauis iniuriæ, aut notabilis damni periculo, sed ob curiositatem, causa sciendi noua, aut ridendi ob compositionis inelegantiam, non delinquit mortaliter. Quia nulli grauem infert iniuriam. Nauar. *sum. cap.* 18. *num.* 53. Sa *verb. Litteræ.* Molina *tom.* 4. *tract.* 4. *d.* 36. *num.* 2. Manu. *sum. tom.* 2. *cap.* 55. *num.* 2.

CAPVT V.

De Contumelia, & Derisione.

41 *Quid, & quotuplex contumelia.*

COntumelia *est iniuria, qua quis alteri honorem aufert dicto, facto, vel irrisionibus in præsentia prolatis.* Hæc dehonoratio tribus modis fieri potest. Primò, cum quis profert verba iniuriosa in præsentia. Secundò literis, & libello, itavt ad eius notitiam perueniat. Tertiò, in absentia, cum ea tamen intentione, vt talia verba in eius notitiam deueniant. Propriè tamen loquendo, contumelia consistit in verbis iniuriosis in præsentia eius, cuius honori officis, prolatis. Impropriè, & secundariò potest consistere in factis, quatenus significant intentionem nostram de lędendo alterius honorem. D. Thom. 2. 2. *qu.* 72. *art.* 1. Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 5. Nauar. *sum. cap.* 18. *num.* 10. 11. & 12. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *numer.* 2. Sayr. *in Clavi, lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 2.

42 *Quale peccatum.*

Ex genere suo contumelia peccatum est lethale. Quia grauiter lædit proximi honorem, qui est bonum melius diuitiis. Ratione tamen paruitatis materiæ, & nocumenti, quod infert potest esse veniale: v. gr. cum quis leue conuicium iactitat leuiter lædendi honorem intentione. Imò aliquandò nullum erit peccatum, vt cum quis per iocum, vel correptionē conuitium dictitat, vel cùm inuincibiliter ignorat læsionem honoris secuturam. Reginald. *lib.* 24. *num.* 100. Filliuc. *tract.* 40. *num.* 71. Bonac. *de restit. d.* 2. *qu.* 5. *punct.* 1. *num.* 3.

43 *De contumelia materiali, terjali quid?*

Profectò cōtumelia materialis, scilicèt, quādò quis verba profert sine dehonorandi intentione, quamvis suo ex genere lethalis non sit, aliquandò tamen ex accidenti erit mortalis, aliquandò venialis tantùm, aliquandò nullum peccatum erit. Mortalis inquam, si ex ipsa prolatione verborum alter notabiliter in honore lædatur, siuè ex ignorantia crassa, siue ex inaduertendi negligētia culpabili id proueniat. Venialis erit propter cautelæ defectum, vt assolet communiter fieri inter mulierculas, pueros, ac homines infimę sortis, qui solēt sese contumeliis aspergere ex animi irati prōptitudine. Ratio autem excusans eos à mortali est, quia illorum verbis non solet fides adhiberi, nec grauiter eorum læditur honor, deēstque vt in plurimum nocendi grauiter intētio. Si verò intendant, aut sciant læsionem fore grauem, lethaliter proculdubio delinquēt. Nullū peccatū erit, verba cōtumelioſa proferre Prælatum patrem, maiorē natu, cum acriùs inferiores solo animo corripiendi, adhibito moderamine, carpunt. Valent. 2. 2. *d.* 5. *qu.* 16. *punct.* 2. *assert.* 5. Filliuc. *tract.* 40. *cap.* 3. *qu.* 4. Reginald. *lib.* 24. *num.* 101. Molina *tom.* 4. *tract.* 4. *d.* 18. *num.* 3.

44 *Omnes cōtumeliæ sūt eiusdem speciei.*

Omnes contumeliæ sūt eiusdē speciei. Quia quāvis in verbis diuersitas cernatur, conueniūt tamē omnes in ratione formali, quæ est intētio auferendi alterius honorē sine iusta causa. Vnde colligo, satis esse in confessione dicere: *Toties proximū cōtumelia graui affeci*, nec requiritur, vt dicatur: *Illū ebriū, adulterū, stultum vocitaui.* Aliquādo tamē contumeliæ grauitas tantùm augeri potest, vt eius expressio esset de confessionis necessitate: vt si quis hæreticus, aut patriæ proditor appelletur. Item si contumelia parentibus inferatur, habet specialem malitiā contrariam pietati parentibus debitæ. Sotus *l.* 5. *de iust. q.* 9. *a.* 1. Sa *verb Cōtumelia.* Caiet. 2. 2. *qu.* 72. *art.* 1. Azor. *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 5. *qu.* 1. Molina *tom.* 4. *tr.* 4. *d.* 21. *num.* 6. Reginald. *l.* 24. *n.* 102.

45 *Contumelia*

Contumelia grauius peccatum est detractione ratione maioris voluntarij. Quia contumelia

est grauius peccatum, quam detractio.

melia fit in præsentia, & læsus scienter, & inuitus iniuriam, quæ sibi infertur in præsentia patitur: detractio verò cum in absentia fiat, non sic proximum afficit. Bañes 2.2.*qu.*72.*a.*2. Azor.*part.*3.*lib.*13.*cap.*6.*qu.*3. Filliuc. *tract.*40. *num.*64.67.& 87.

46 *Qui contumelia proximum percutit, debet ei satisfacere. Plures modo satisfactionis modos.*

Qui iniustè alterius honorem contumeliis, irrisione, &c. læsit, ad satisfactionem tenetur, siue id fecerit publicè coram aliis, siue priuatim coram illo solummodò. Quia veram iniuriam contrà iustitiam commutatiuam gessit. Varij adsunt honoris restituendi modi, ex quibus is solùm necessariò eligendus erit, quo prudentis iudicio satisfit honori violato. Nonnullos exhibeo. Potest restitui honor amica, & honorifica salutatione, aut compellatione: & hic ferè sufficit Prælatis, & Superioribus ergà inferiores. Vel adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, propinando, &c. & hic sæpè sufficit inter eos, qui paris sunt conditionis. Vel petendo veniam: quo modo inferiores erga Superiores vti debent, & æquales inter se; quandò verò atrox iniuria, tum maior debet exponi submissio: sed qui iniuriam intulit, non tenetur eam antè Iudicis sententiam præstare. Azor.*part.*3.*lib.*13.*cap.*10. Bonac. *de restit. d.*2.*quæs.*5.*punct.*2. Lessi. *lib.*2.*cap.*11.*dub.*27. *num.*140. Reginald. *lib.*10. *numer.* 354.& 355. Filliuc. *tract.*32. *cap.*9. *qu.*11. Qui autem aliquem vera contumelia effecit, sed occulta, potest, & tenetur dicere, se fuisse mentitum, vt læso satisfaciat. Quia re vera mentitus est, locutus namque fuit cum discrepantia à proprio conceptu, in quo consistit mendacium: habet enim conceptum, quod non poterat obiici in contumelia aliquid occultum, & nihilominus obiecit: vndè locutus est cum discrepantia à proprio sensu. Imò si ei fides non adhiberetur, tenetur iurare, se fuisse mentitum, cum debeat delere omninò iniuriam illatam, quam delere non valet, nisi se mentitum esse credatur; vndè cum verè possit dicere se mentitum, debet ad fidem acquirendam iuramenti medium adhibere, si sit necessarium. Pasqualig. *in decis. mor. decis.*443.

47 *In tribus casibus priuata persona tenetur contumeliam repellere.*

Melius quidem maximè in personis priuatis verba contumeliosa pacato animo sustinere: imò tenetur vnusquisque paratus esse ad iniurias sustinendum, quando iuxtà Dei legem fuerit opus; aliquos tamen casus enuncio, in quibus priuatæ personæ huiusmodi contumelias tenentur repellere. Primus est, bonum eius, qui contumeliam intulit: cum enim quis animaduertit, ex eius resistentia reprimendâ conuitium proferentis audaciam, ita vt in posterum huiusmodi iniuriis proferendis non assuescat: tunc illi debet leniter subtrahendo respondere Christi Domini percussi exemplo. *Quid me cædis Ioa.* 18. Secundus est propter bonum aliorum tam præsentium, quàm absentium, quorum profectus per huiusmodi contumelias nobis illatas impediretur, si non responderemus. Tertius est, quando quis verba contumeliosa audit contrà Fidei, aut Religionis honorem: tunc audiens proferentem talia verba acriter reprehendere tenetur, etiamsi scandalum infidelium sequatur. Alens. *part.*2.*qu.*128. *membr.*4. Sotus *de iust. lib.*5.*qu.*9.*art.*2. Valent. *tom.*3.*d.*5. *qu.*16.*punct.*3. Sancius *in select. d.*46.*num.*7.

48 Non sunt autem repellendæ contumeliæ ar-

morum percussione. Quia hoc esset se ipsum vindicare. Neque imponendo contumeliæ authori falsum crimen. Quia mendacium nunquam non est intrinsecè malum. Quidem qui iniuria afficitur poterit dicere contumelioso, *Mentiris.* Quia non potest depelli iniuria, nisi contumeliosa verba, vt falsa reiiciantur; & ostendatur falso nobis contumeliam irrogari. Si vera sit contumelia, & vt falsa à nobis non depellitur, remanet, vt veraciter dicta. Et quidem contumeliosus inurens alterius honori maculam, mentitur, quia dicit animo iniusto esse illam maculam in honore, quæ non est: & præsumitur loqui aliter, ac sentit; quia loquitur contrà communem sensum, cui in externo se tenetur conformare: & ideò cum non vult conformare se, vult loqui aliter, ac cognoscit, se loqui debere, in quo mendacium consistit. Hurtado de Mendoza meus propinquus, ac Magister 2.2.*tom.*2.*d.*170.*section.*14.§.111. Pasqual. *dec. is.* 440. citans Bañes Aragon. 2.2.*qu.*70.*art.*1.*concl.*3. Sa *verb. Infamare.n.*4. Sayr. *in Clau. lib.*12.*cap.*4 *num.*14.

Non sunt repellendæ ab omnis, potest autem contumelioso respondere, Mentiris.

Enim verò Derisio *est actus, quo honor alterius verbis, vel factis violatur cum intentione infundendi confusionem, vel erubescentiam.* Differt à contumelia eò quod derisio fiat ioco, & habeat pro fine proximi erubescentiam per significationem inordinatam mali culpæ, aut pœnæ, vel defectus naturæ: contumelia verò seriè profertur. Peccatum lethale est, quandò adest intentio grauiter proximum confundendi. Vel quando graue peccatum manifestatur, vt cum adulterium vxoris obiicitur. Vel quando derisus grauiter contristatur. Aliàs derisio plerúmque est veniale, vel ratione leuitatis materiæ, vel imperfectæ deliberationis. Imò aliquandò excusari posset ab omni peccato derisio: verbi gratiâ, si fiat ad corrigendum proximum, vel honestę recreationis causa, & tunc est actus virtutis eutrapeliæ, quæ ad honestas recreationes inclinat; adhibenda tamen semper est prudens moderatio, cum grauiter sæpè delinqui possit ratione grauis erubescentiæ, qua derisus afficitur. D. Thom. 2.2. *quæs.* 75. Sylvest. *verb. Derisio.* Navar. *sum. cap.*18. *num.* 1506. Cajet. *verb. Derisio.* Valent. 2.2.*d.*5.*q.*18. *punct.*2. Azor. *tom.*3.*lib.*13.*cap.*9. Sayr. *in Clau. lib.*12.*cap.*5.*num.*9.

49 *Quid derisio, & in quo differat à contumelia, quod sit peccatum.*

Derisio, quæ fit per contemptum personæ, tantò erit grauius lethale crimen, quanto persona, quæ irridetur, maior debetur reuerentia. Vndè primum locum improbitatis obtinet Dei irrisio, quæ specie non distinguitur à blasphemia. Secundum tenet irrisio parentum. Valent. 1.2.*d.*5.*q.*8.*punct.*1. Cajet. *verb. Derisio.* Sylu. 2.2.*qu.*75.*art.*2. Sylvest. *verb. Derisio, numer.*2.

50 *Tantum erit peccatum, quanta per iocum est.*

CAPVT VI.

De Susurratione.

51 *Susurratio.*

SVSVRRATIO *est locutio ad seminandas inter fratres discordias*, ac honestam amicitiam dissoluendam. Formalis est illa, *quid, & quæ*

peccatum. Grauius quidem detractione & contumelia.

quæ fit cum nocendi intentione, & honestam dissoluendi amicitiam. Ex genere suo mortalis est. Leuit. 19. *Non eris criminator neque susurro in populo.* Quia tollit amicitiam, quæ est maximum bonum. Vnde est grauius peccatum detractione & contumelia. Quia bonum amicitiæ præstat bono famæ, & honoris. Nauar. *sum. cap. 18. num. 13.* Sayr. *in Claui, lib. 12. cap. 5. num. 1.* Salon. 2. 2. *quæst. 74. art. 1.* Bonac. *tom. 2. d. 2. q. 6. num. 1.* Filliuc. *tract. 40. cap. 5. num. 135.* Trull. Decal. *lib. 8. cap. 7. dub. 3. num. 1. & 2.*

52 Potest esse venialis, triplici ex capite.

Potest esse venialis ex leuitate materiæ, vel ex modo dicendi, vt si dicas iocosè, aut ità, vt non credatur, aut lædat. Vel ex actus imperfectione, vt quando non lædit amicitiam, sed amicitiæ excessum, nimiam scilicet familiaritatem, manente tamen quoad substantiam amicitiæ eadem benevolentia. Salon. 2. 2. *q. 74. a. 1.* & alij communiter.

53 Susurratio materialis aliquando est lethalis, venialis aliquando.

Susurratio materialis ex genere suo lethalis non est sed aliquando lethalis, venialis aliquando. Materialis dicitur, quando malum profertur non eo fine, vt discordia disseminetur, sed ex loquacitate, vel affectu quodam susurrandi. Et quidem si tunc graue malum dicatur aduertenter, quod sit amicitiæ dissolutiuum, erit mortale; si verò non dicatur graue malum, vel non sit aptum, graues generare discordias, erit tantum veniale. Salon. 2. 2. *quæst. 74. art. 1.* Trull. Decal. *lib. 8. cap. 7. dub. 3. numer. 4.* Filliuc. *tract. 40. numer. 138.*

54 Possit esse opus virtutis.

Si quis citrà mendacium, aut infamationem aut peccati alicuius reuelationem, amicitiam pernitiosam dissoluat, non solum non peccat, imò actum charitatis exercet. Vnde non erit peccatum amicitiam concubinariorum dissoluere, ad quem finem licitum erit, vitia naturalia commemorare, vitia publica obiiciere: verbi gratiâ, Concubina tua est deformis, ignobilis, publica meretrix, &c. Sayr. *in Claui, libr. 12. cap. 5. num. 4.* Filliuc. *tract. 40. num. 138.*

56 Est aliquando cum detractione coniuncta.

Aliquando susurratio est cum detractione coniuncta: quo casu sunt duo peccata distinctè confitenda cum obligatione famam restituendi, vt quando verbis detractoriis, & infamatoriis dissoluis honestam alicuius amicitiam. Salon. 2. 2. *quæst. 74. art. 1.* Bonac. *tom. 2. d. 2. quæst. 6. num. 2.* & alij.

56 Distinguitur susurratio contumelia, & detractione.

Distinguitur susurratio à contumelia: quia hæc fit in præsentia, in absentia illa. A detractione verò, quia quamvis vna & altera in occulto fiant, finis tamen, ac ratio formalis susurrationis est honestæ amicitiæ dissolutio, detractionis verò, famæ denigratio. Vnde fit, ex susurratione oriri obligationem restituendi; quia est peccatum contra iustitiam: affert enim iniustè graue alteri malum, ideo susurro tenetur id ex iustitia reficere. Bonac. *tom. 2. d. 2. quæst. 6. punct. 2. nu. 1. & 7.* & alij.

57 Non licet ob propriam vtilitatem per susurrationem alium excludere ab alicuius amicitia, quam ipse ambit, mediis illicitis, id est, fraude, dolo infamando proximum, seminando odia, aut spoliando fratrem re aliqua in quam habet ius: esset enim graue contra iustitiam crimen. Filliuc. *tract. 40. numer. 139.* Sotus *libr. 5. de iust. qua. 11.* Salon. 2. 2. *quæst. 74. ar. post 2. concl.* Sayr. *in Claui, lib. 12. cap. 5. nu. 5.*

58 Omnes susurrationes eiusdem speciei sunt.

Omnes susurrationes sunt eiusdem speciei infimæ, sicut sunt omnes detractiones, ac contumeliæ. Quia susurratio non respicit, cui bono amicitia nitatur; sed solum intendit, illam dissoluere, abstrahendo ab hac, vel illa amicitia, sicut odium est infima & atoma species, licet mala, quæ per odium desiderantur proximis, varia sint, & specie distincta. Quia ad odium tantum pertinet velle malum proximo, ab hac, vel illa mali specie abstrahendo. Salon. 2. 2. *quæst. 74. art. 1. concl. 2.* Trull. *Decal. lib. 8. cap. 7. dub. 3.* & alij communiter.

CAPVT VII.

De Maledictione.

59 Quid Maledictio, peccatum suo ex genere lethale.

MALEDICTIO *est malum sub ratione mali alicui desiderare.* Altera est formalis & propria quando malum ex corde desideratur: altera materialis, & impropria, quando malum non desideratur ex corde, sed tantum ore exprimitur. Formalis suo ex genere est lethalis. Quia procedit ex interno odio, & proximi charitati directè repugnat: & tanto grauius piaculum est, quanto strictius tenemur personæ, cui maledicimus diligere. Vndè Leuit. 20. *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* D. Tho. 2. 2. *quæst. 76. art. 2.* & omnes.

60 Quando sit venialis.

Est autem venialis, si malum sit leue, si desit plena deliberatio voluntatis, & intellectus aduertentia. Vnde qui ex ira, & passione maledicunt, si plena deliberatione non aduertant, non peccant lethaliter. Quòd si aduertant deliberatè, ex corde se grauiter proximo maledicere, lethaliter delinquunt, quamvis statim eos pœniteat. Quia sufficit scienter, & ex corde maledicere. Igitur vt maledictio sit mortale peccatum, requiritur primò, vt ipsa imprecatio mali sit ex animo. Secundo, vt adsit plena animi deliberatio. Tertio, vt malum quod imprecamur alteri sit graue. Quare si aliqua ex hisce tribus conditionibus desit, erit solum modo venialis. Sayr. *in Claui, lib. 12. c. 5. n. 13.* Villalob *to. 1. tract. 3. diffic. 9. num. 4.* Trull. *Decalog. libr. 9. capi. 7. dub. 4. numer. 1.* & alij.

61 Quomodo dignoscendum, quando lethalis quando venialis.

Iam verò, vt dignoscas quando lethalis est quando venialis maledictio, (ex Caietani mente *verbo, Maledictio,*) obiicienda persona, cui maledicis. Nam si inimicus sit, quem capitali odio prosequeris, regulariter erit mortalis quia ex corde oritur grauis illa imprecatio. Secus si parès filiis, dominus seruis maledicat, frater fratri, amicus amico &c. Quia sæpius eas proferunt imprecationes ex subito iracundiæ motu absque notabilis damni desiderio. Hinc excuso à lethali mulierculas ex praua consuetudine maledicentes liberis, famulis; quia ex corde maledictio non prodit. Azor. *to. 3. lib. 13. c. 10.* Diana *pa. 2. tr. 6. resol. 13.* Certè vbi adest dubium, an hæc concurrant, confitenda

confitenda sunt maledicta tanquam lethalia piacula.

62 *Licitum est desiderare proximo malum sub ratione boni.*

Dixi, maledictionem esse, malum *subratione mali* alicui desiderare. Licitum enim esse desiderare proximo malum sub ratione boni, affirmo. Quia ita potius bonum quam malum ei desideramus. Hoc equidem sit primo ob Dei gloriam, qua ratione Prophetæ mala peccatoribus precantur, vt Elias 4. *Reg.* 1. Eliseus pueris, *c.* 2. Noë filio suo, *Gen.* 9. Dauid *Psal.* 108. & alibi passim. Secundò ob bonum commune. Sic licet desiderare, vt Turcæ, & alij noxij conuertantur, aut tollantur, è viuis. Tertiò, ratione iustitiæ, sic iustè optamus, peccatores à Deo, vel à Iudice puniri. Quartò, ratione proprij boni honesti: Sic puella quæ solicitatur à iuuene, potest expetere, vt ægritudine corripiatur, aut obeat Quintò, ratione boni vtilis, vt infirmetur, aut fiat pauper, qui iniustam (secus si iustam) mecum litem init, vt resipiscat. Sic idem licet vxori marito desiderare, qui omnia bona dissipat. Sayr. *in Clavi, libr.* 12. *cap.* 5. *numer.* 12. Filliuc. *tract.* 40. *num.* 149. Palao *tract.* 6. *d.* 4. *pun.* 2. *num.* 9.

63 *Vt liceant, & non liceant maledictiones in creaturas irrationales.*

Maledicere creaturas irrationales, vt sunt effectus Dei, & in illis diuinitas relucet, est peccatum lethale blasphemiæ. Quia perindè est, ac Deum ipsum maledicere. Eas maledicere, vt sunt vtiles proximo, idem peccatum est, ac si ipse proximus maledictione afficeretur. Quia procedit talis maledictio ex proximi odio. Sic qui imprecatur sterilitatem agrorum homini famem imprecatur. Maledicere creaturas secundùm se, solum est veniale. Quia non sunt ex se capaces benedictionis, nec maledictionis: estque hic actus solummodo otiosus, & vanus. Quatenus creatura in loco aut tempore, malum aliquod cõtinet, eam nobis maledicere licet; ita Iob diei natiuitatis suæ maledixit. id est, originali peccato, quod eo die contraxit: & Dauid monti Gelboe, id est, homicidiis in eo factis. Salon. 2. 2. q. 76. *concl.* 4. Sayr. *in Clavi, l.* 12. *c.* 5. *n.* 19. & 20. Filliuc. *tr.* 40. *n.* 91. Trull. *Decal. l.* 8. *c.* 7. *dub.* 4. *n.* 4. Bonac. *t.* 2. *d.* 3. *q.* 6. *pun.* 3. *n.* 4. Villalob. *tr.* 3. *de charit. diffic.* 9. *num.* 6.

64 *De maledictione materiali, sine intentione scilicet damni inferendi.*

Porrò malidictio materialis, qua scilicet malum profertur sine intentione, ex suo genere tantum est veniale. Quia deest intentio, & nocumentum minimè infertur, cum verba sine intentione vim ad illud inferendum non habeant. Imò si ioco ac ludo dicantur, vt solent in conuiuiis ludis, ac comediis ad honestam recreationem, nec veniale sunt. Ex circumstantia tamen potest esse mortale: v. gr. si Prælatus materialiter tantum suos subditos maledicat, propter scandalum; vel si filij parentes, ob eãdem rationem, & ob grauem irreuerentiam. Maledictiones autem superiorum in inferiores communiter sunt veniale peccatum: quia plerumque deest intentio: Sic parentes filios maledicentes à mortali excusantur dummodo graue non adsit scandalum. Sayr. *in Clavi, l.* 12. *c.* 4. *n.* 16. Filliuc. *tr.* 40. *n.* 148. Salon. 2. 2. *q.* 76. *concl.* 3. Trull. *Decal. lib.* 8. *cap.* 7. *dub.* 4. *num.* 5.

65 *De maledictione parentum in filios.*

Parens, qui filio mortem imprecatur, ne in futurum delinquat, à peccato excusatur. Quia id ex motiuo fit licito Nauar. *sum. c.* 12. *nu.* 86. Less. *l.* 2. *c.* 45. *dub.* 5. *num.* 30. Reginal. *l.* 18. *nu.* 203. Caiet. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. Bonac. *tom.* 2. *d.* 3. *q.* 8. *pun.* 1. *num.* 6.

In exitiali statu eos esse iudico, qui consuedine maledicunt ex animo: ideòque absoluendos non esse, donec corrigantur. Monuerim denique parentes à maledictionibus in filios abstinere memores, Deum non semel permittere vt filiis imprecata mala contingat, non quod verba ad id malum inferendum habeant vim, sed quia id Deus malum peccatorum filij disponit in pœnam. Villalob. *tr.* 3. *de charit. diffic.* 9. *nu.* 7. Salon cuiusdam matris filium maledicentis confirmat exemplo 2. 2. *qua.* 76. *fine.*

66 *De exitiali statu eorum qui consuetudine maledicunt ex animo.*

CAPVT VIII.

De Iudicio temerario, Suspicione, Dubitatione.

67 *Iudicium, suspicio, & dubitatio inter se differunt.*

DVBITATIO non est assensus, sed veluti *animi suspensio*, suspitio *est, assensus debilis, iunctus cum dubitatione, seu formidine oppositi*, & parum, vel nihil ab opinione differt. *Iudicium* (quod & credulitas appellatur) est firma animi sententia, siuè assensus. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. & alij.

68 *Dubitatio, suspicio, & iudicia aliud prudes, aliud imprudens ac temerarium.*

Dubitatio, suspitio & iudicium aliud est prudens, quod nititur sufficientibus indiciis, seu coniecturis ad generandam alicui dubitationem de alterius probitate; suspitionem, vel iudicium de improbitate. Aliud verò est temerarium, & imprudens, quod sufficientibus indiciis non nititur. Maiora autem indicia requiruntur ad suspicandum, quam ad dubitandum: & adhuc maiora ad iudicandum, quam ad suspicandum. Medina *Instruct. l.* 1. *c.* 14. §. 37. Molina *to.* 4. *tr.* 4. *d.* 15. ex Abbate *ad c. Quanto. de præsum.*

69 *Sunt subiectiue in intellectu, sed requiruntur consensum voluntatis.*

Licet autem iudicium vel suspitio temeraria, sicuti & hæresis, blasphemia, &c. sint peccata subiectiue in intellectu, vti docet D. Tho. 1. 2. *q.* 74. *a.* 2. & Caiet. *ibi.* consensus tamen voluntatis necessaris eam requiritur, vt formalem peccati habeant rationem. Laym *l.* 2. *sect.* 5. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 3. Vnde etsi intellectus suapte motu discurrendo ex inditiis seu coniecturis apprehẽsis sinistrum de proximo iudicium inferat etsi motu suo circà res diuinas discurrendo cogitationes hæreticas, blasphemas colligat: interim tamen dum voluntas plena deliberatione non consentit intellectis, non committitur peccatum lethale hæresis, vel temerarij iudicij, quamvis interdum venialis culpa committatur, si voluntas in eiusmodi prauis cogitationibus expellendis, vel intellectui cõtrariis obiiciendis culpabiliter se negligentem præbeat; aut si post imperfectã animaduersionem, deliberationémve imperfectè, aut potius per assuetudinem intellectui iudicanti consentiat. Molina *tract.* 4. *d.* 13.

70 *Licet suspitio, & iudicium de proximo, vbi sufficientia indicia.*

Suspicari, vel iudicare de proximo, vbi sufficientia indicia se produnt, seclusa odij affectu, nec iustitiæ, nec charitati repugnat. Quia proximus ius existimationis suæ amisit compa-

ratione eius, cui crimen sufficientibus cognitum est indiciis. Azor *part.3.lib.3.cap.11.qu.3.* & alij communiter.

71 *Temerè proximum iudicare, ex suo genere mortale est.*

Temerè iudicare proximum est peccatum iustitiæ oppositum, ex genere suo mortale. Quia quisque ius habet ad bonam existimationem sui, seu famam, donec de eo crimen dignoscatur, iuxtà illud vulgare: *Quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus.* Ergò infert iniuriam, qui illum in corde suo temerè iudicat. D. Thom. *2.2.q.60.art.3.* & alij communiter.

72 *Quanam requiratur, vt mortale sit.*

Verùm vt sit peccatum mortale requiritur, vt sit de re graui, id est tali spectatis circumstantiis personæ, &c. vt is, de quo siniſtrè iudicatur, si sciret, tale de se iudicium temerè conceptum esse, meritò grauem iniuriam, & læsionem existimationis suæ censeret. Item requiritur perfectio actus. Vnde consequenter iudicium duplici ex capite potest fieri veniale nempè ob materiæ leuitatem spectatis circumstantiis personæ, &c. & ob actus imperfectionem, seu cum voluntas temerario intellectus iudicio imperfectè consentit: seu cum iudicandi temeritas est exigua, nempè tantis indiciis excitantibus, vt parum absit, quin prudentis viri definitiuam sententiam mereantur. Lessi. *lib.2.cap.29.dub.2.* Molina *tract.4.d.13.& 16.*

73 *Temerè suspicari, suo ex genere est veniale.*

Temerè de proximo suspicari suo ex genere est solummodò veniale. Quia per suspicionem fama parum læditur, adeóque exiguum proximo nocumentum infertur. D. Thom. *2.2.qu.60. art.3.* Nauarra *de restit.lib.2.cap.4.numer.454.* Moli. *tractat.4.d.16.* An suspicio de grauissimo scelere nempè de adulterio, proditione, &c. leuissimis indiciis sit mortalis ad Problema proprium spectat.

74 *Temeraria dubitatio venialis etiam est.*

De temeraria verò dubitatione constantius assero, ad mortale peccatum non peruenire. Porrò temeritas dubitandi in eo consistit, si proditis sufficientibus indiciis de alicuius probitate, ob quæ meritò illum bonum, & innocentem iudicare debeas: nihilominus positiuè de eo dubites, id est, iudices in vtramque partem dubium, & incertum esse, bonus nè sit, an malus. Quòd si talem dubitationem exterius significes, verbi gratiâ, si eo id in mores eius inquiras potest interdum lethaliter delinquere. Lessi. *lib.2.cap.29.dub.3.num.25.* Layman. *lib.3.sect.5.tract.3.part.2.cap.2.num.6.*

75 *Quo sensu accipiendum, axioma illud:* Dubia in meliorem partem interpretanda.

Quod Doctores aiunt (cum Glossa *ad Rom.* 14.) *Dubia in meliorem partem interpretanda esse*: non debet accipi affirmatiuè, quasi existentibus sufficientibus argumentis, ad dubitandum de proximi probitate, nihilominus existimare debeam eum esse innocentem. Nemò enim obligatur, vt errandi sese exponat periculo: cum autem existimatio repugnet dubitationi, eo ipso, quòd habeo sufficientia argumenta dubitandi de alicuius probitate, nó sinè erroris periculo intellectum ad alteram partem quamuis benigniorem inclino. Sed dictum illud debet accipi ex hypothesi, videlicèt æqualibus vtrinque existentibus indiciis, tùm pro hominis innocentia, tùm nocentia: si iudicium ferre velim, potiùs inclinandum esse intellectum in partem benigniorem. Quia satius est, in dubio frequenter falli, benè opinando de proximo, quàm malè opinando, vel semel decipi. Caiet. *2.1.q.6.a.4.* Molli. *tr.4.d.18.* Lessi. *l.2.c.29.dub.4.* Richard. *in 3.dist.33.art.3.qu.7. ad 1.* Et Apostolus monet *1. Cor.4. Nolite antè tempus iudicare: quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.*

CAPVT IX.

De Famæ, & Honoris Restitutione.

76 *Vt restitutio famæ sit obligatoria, requiruntur tria.*

VT obliget restitutio famæ, vel honoris, tria requiruntur. Primùm, vt fama verè fuerit ablata. Quia quantumvis verba famæ læsiua, ac diffamatoria dictitetur, si à parte rei infamatio nó sequatur, vel quòd non credatur detrahenti vili quidem: vel quòd persona, de qua dicitur talis ignominia capax non sit, locum non habet satisfactio. Secundò, vt fama iniustè auferatur, nam si auferatur iustè, nulla est obligatio restituendi: cum sola ea peccata inducant obligationē hanc, quæ fiunt cótrà iustitiam; vnde qui bona fide proximum infamauit, narrando illius peccatum, quod putabat esse verum, & publicum, ad restitutionem tenetur statim, vt cognoscit, se famę alienæ esse detractorem: non tamen cum propria infamia, vel magno fortunarum suarum damno, sicut tenetur, qui cum iniustitiæ lethali culpa diffamauit. Molina *de inst. tract. 4.d.40.* Sayr. *in Claui, lib.11.cap.6. num.16.* Reginald. *l.10.n.337.* Sylui. *2.2.qu.62.art.2.qu.9.* Valent. *ibi, d.5.qu.6.punct.5.*

77 *Qui famam abstulit sub mortali tenetur ad eius restitutionem & damnum, qua fuerint ex infamia secuta.*

Qui famam abstulit sub mortali tenetur ad restitutionem tàm famæ læsæ, quàm aliorum damnorum, quæ ex infamia fuēre secuta. Et hoc verum siue infamauerit falsum crimen imponendo, siue occultum aperiendo peccatum. Attamen qui iniustè fuit causa, nè infamatus à se aliquod assequeretur bonum, verbi gratiâ, officium, aut beneficium, non tenetur ad restitutionem quanti valebat officium, aut beneficium; sed quanti valebat spes obtinendi. Quia bonum in spe minus quam in re valet. Si verò detractor fuit causa, vt alter priuatus fuerit officio, seu beneficio iam obtento, tenetur ad restitutionem quanti re vera valet officium, vel aliud bonum. Quia restitutio facienda est secundùm æqualitatem pro damno illato. Nauarra *de rest.lib.2.cap.4.num.373.* Lessi. *lib.2.cap.11.dub.19.* Nauar. *sum.cap.18.numero 43.* Bonacin. *de restit. dubio secundo, qu.4.punct.16.num.1.& 2.* Sayr. *in Claui, lib.11. cap.3.num.37.*

78 *Quando debeat, & quando non debeat fama cum vita periculo restitui.*

Scio, quatuor esse bonorum Ordines, scilicet, animæ, corporis, famę, seu honoris, & pecuniæ: & bona primi Ordinis esse potiora bonis secundi: & secundi potiora tertij: & tertij quarti potiora. Vnde infero, quandò ex infamia illata non euenit alteri damnum in bonis Superioris Ordinis, nempè in spiritualibus animæ, aut in vita corporali, nullā esse obligationē famam restituendi cum vitę periculo. Quia nullus tenetur ad restitutionē bonorū inferioris Ordinis cum notabili boni Superioris dāno: vita autē est Ordinis altioris bonum: ergò. Nauar. *sum.c.18.n.47.* Caiet. *2.2.q.62.art.3.* Nauarra

uarra *de rest. l. 2. c. 4. n.* 405. Rebel. *de rest. l. 4. q.* 13. *nu.* 1. Limitat Sylui. *2. 2. q.* 62. *a.* 1. *q.* 13. nisi fortè bona inferioris ordinis tanti essent momenti, vt prudentis viri iudicio bonis ordinis superioris præponderarent.

79 *Debet fieri in bonis, in quibus quis proximum læsit.*

Commutatiua exigit iustitia, vt restitutio geratur in bonis, in quibus quis iniustè proximũ læsit, nempe vt vitam pro vita exponat, si eam in periculum per iniuriam coniecit: famam pro fama, pro pecunia pecuniam. Quia per illa tãtum fit æqualitas. Quod si huiusmodi æqualitas fieri nequeat sine iactura boni superioris, restitutio censetur impossibilis. At quando ex infamia, quam intulisti vni, vel pluribus periculum vitæ eis impendet, etiam cum periculo vitæ teneris reparare, non ratione solius infamiæ sed ratione damni, quod ex ea sequitur. Sayr. *in Claui, l.* 11. *c.* 7. *nu.* 4. Sylui. *2. 2. q.* 62. *a.* 6. *quæst.* 6. Lessi. *l.* 2. *cap.* 11. *dub.* 19. *numero* 87. & 91.

80 *Quando infamatus suis bonis actibus famam recuperauit, infamator ad restitutionem non tenetur.*

Quando à te infamatus suis bonis actibus famam deperditam recuperauit, præcisè ratione infamiæ non teneris ad restitutionem. Quia iam infamatus nullum patitur damnum. At si ex infamia aliquod accidit incommodum, ad illius teneris reparationem, cum ex iniusta tua prouenit infamia. Pro medio autem tempore, quod inter famæ ablationem & illius recuperationem interceßit, aliqua est exhibenda satisfactio, puta significatio doloris, & veniæ petitio, si eam postulet infamatus: aliàs eam satisfactionem offerre non est in vsu. Reginal. *l.* 10. *numero* 340. Lessi. *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 17. Molina *tr.* 4. *d.* 24. *numero* 3. Sa *v. Restitutio, num.* 31.

81 *Qui non potest famam restituere, non tenetur semper illam pecunia compensare, aliquando fortasse tenetur.*

Qui non potest famam restituere vel ob vitæ periculum, vel ob alias causas iustas, non tenetur ex iustitia illam pecunia compensare, si infamia reuocatione dictorum tolli nequit. Ex æquitate tamen fieri potest, vt qui nequit famam restituere, illam pecunia compensare teneatur: vt si infamatus sit inops, & compensationem pecuniariam expetat. Imò si infamator per Iudicem condemnetur ad pecuniariam satisfactionem, vel si transigat cum eo, quem infamauit certa pecuniæ summa, ex iustitia eam exponere teneretur. Quia iustæ sententiæ, aut firmatæ conuentioni tenetur ex iustitia parere. Nauarra *de rest. l.* 2. *c.* 4. *n.* 416. Azor. *to.* 3. *l.* 5. *c.* 9. Reginal. *l.* 10. *n.* 342. Sa *v. Restitutio, n.* 56. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 30. Sylui. *2. 2. q.* 62. *art.* 2. *quæst.* 13.

82 *Hæres infamatoris non tenetur loco defuncti ad famæ ab eo ablatæ restitutionem.*

Infamatoris hæres non tenetur loco defuncti ad famæ restitutionem. Quia obligatio restituendi famam est personalis, quæ ad hæredem non transit, sicut transit obligatio realis, quæ afficit bona defuncti. Ratione tamen dãnorum, si quæ fortasse ex infamia suborta fuerint, hæres ad restitutionem loco defuncti teneretur. Quia hæc obligatio non est purè personalis, sed afficit quodammodo bona infamatoris; vndè cum ea affectione seu obligatione ad hæredem transferuntur. Sayr. *in Claui, l.* 11. *c.* 7. *n.* 36. Nauarra *de restit. l.* 2. *c.* 4. *nu.* 416. Reginal. *l.* 10. *numer.* 348. Lessi. *l.* 2. *cap.* 11. *dub.* 21.

83 *Modus conueniens famæ restituendi.*

Cum autem fama tripliciter lædatur, nempè verum crimen occultum aperiendo, falsum imponendo, infamando publicè aut priuatim; qui alterum infamauit falsum imponendo crimen, tenetur quod dixit retractare, & omnem adhibere industriam, vt falsa illa opinio animis hominum eximatur, imò adacto iuramento, si hoc fuerit ad restituendam famam necessarium, & rei grauitas postulet. Vnde tenetur se deceptum fuisse, aut falsum dixisse, affirmare Reginal. *l.* 11. *num.* 341. Valent. *2. 2. d.* 5. *q.* 6. *pun.* 5. Sayr. *in Claui, l.* 11. *c.* 3. *n* 27. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 29. Tanner. *2. 2. d.* 4. *q.* 6. *dub.* 6. *num.* 141. Qui autem famam abstulit dictitans crimen verum, sed occultum: non tenetur, neque potest dicere se mentitum, quia hoc esset mendacium patrare, quod intrinsecè est malum. Debet ergò sæpius coram iis, apud quos diffamauit, infamatum laudare, virtutes eius commemorando, cum se occasio obtulerit, nulla facta criminis detecti mentione. An talis satisfactio sufficiat, proprio Problem. *sect.* 2. indicabo. Azor. *to.* 3. *l.* 5. *c.* 9. *q.* 7. Nauar. *sum. c.* 18. *num.* 45. Nauar. *de rest. l.* 2. *c.* 4. *numer.* 443. Rebel. *de rest. l.* 4. *q.* 12. *numer.* 4. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 30. & 34.

84 *Nouem causæ excusantes à famæ restitutione annumero.*

Iam verò causas, quæ à famæ restitutione excusant, annumero. Prima est iusta condonatio, id est, quæ non sit contrà iustitiam, nec vergat in alterius detrimentum; nam illa quæ est contra iustitiam non est valida: vt accidit, quandò infamia condonantis positiue in alium exundat: v. gr. quæ est illata vni Religioso, Monasterium, aut Religiosos alios afficiens, vel vxoris iniuria refluens in maritum. Quia huiusmodi condonatio innocentis cedit in dãnum, cuius iuri non potest alter cedere. Secunda est compensatio iusta, non quidem vicissim infamando eum, qui te infamauit: esset enim vindicta, quam nemo potest priuata gerere authoritate; sed si quis te afficit infamia, nec tu possis alia eam ratione auertere: licitum est tibi defectus aliquos illius occultos aperire, nè ipsi fides adhibeatur. Tertia est, si restitutio fieri non valeat nisi cum vitæ periculo. Quarta est, quando restitutio alienæ famæ geri non potest absque notabili propriæ famæ, iactura, quæ sit longè maioris momenti; vnde si vir illustris plebeium infamauit, non tenetur cum sui nominis iactura, quæ dixit, reuocare: debet tamen aliter compensare, si potest, vel condonationem obtinere. Quinta, quando famæ restitutio facta est impossibilis. Sexta, quando crimen occultum iniustè reuelatum, postea alia ratione fit publicum; tunc enim infamatus per publicitatem criminis amisit ius ad famam. Septima, quandò infamia iam prudenter existimatur abiisse in obliuionem. Octaua, quando famæ iam bonis actibus est recuperata. Nona denique, quando detractio fuit ineffax, & nulla inde fuit infamia secuta, eo quod infamator nullius esset fidei, vel quia illi apud quos proximum infamauit, de eo simila iam sciebant. Nauar. *sum. cap.* 17. *numero octuagesimo nono.* Bonac. *de rest. d.* 2. *q.* 4. *pun. vlt. & nu.* 5. *ad* 14. Sylvest. *v. Detractio, q.* 4. & alij communiter.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

SECTIO SECVNDA.

De Præcepto Octauo Problemata.

CAPVT X.

Circà Detractionem, & contumeliam.

PROBL. I.

Licet, & non licet contumeliam contumelia, conuitium conuitio aliquando propellere.

85 *Nunquam licet.*

NVNQVAM licet. Quia vnusquisque Christicola tenetur animo esse præparato ad contumelias perferendas ad detractiones subeundas, iuxta illud Mat. 5. *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe illi & alteram.* & Prou. 26. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, nè similis ei videaris.* Fauet D. Ambrosius *l.* 10. in Luc. explicans enim illud capitis 22. *Domine, ecce sunt duo gladij hic* inquit. *O Domine, cur iubes, me emere gladium, quem vetas promi: Mitte gladium tuum in vaginam, si quis te percusserit in vna maxilla, præbe illi & alteram. Vt sit, inquit, parata defensio, non vltio necessaria: & videatur potuisse vindicare iniuriam, sed noluisse.* Hinc nonnulli colligunt, non licere vnquam detractionem detractione, contumeliam contumelia propellere.

86 *Aliquando licet.*

Licet equidem aliquandò. Quia præparatio animi circà iniurias sustinendas nobis à Christo præcipitur præcepto affirmatiuo; præceptum autem affirmatiuum non obligat pro semper, sed cum necessè fuerit, & ratio, ac circumstantia temporis postulauerit: Ergo licet animum habere teneamur præparatum ad sustinendas æquanimiter detractiones, ac contumelias perferendas; non tamen semper re ipsa illas tenemur sustinere, sed cum ratio postulauerit; vnde licitè possumus aliquando contumeliam contumelia, & conuitium conuicio propellere ad nostram iustam defensionem. Primo quidem propter bonum contumelioſi, vt tumentem illius animum infringamus, ne detractionibus insolescat, iuxta illud Prou. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Secundò, propter bonum tam præsentium, quam absentium, qui contumeliis affectum assolent minoris reputare. Ità Sotus *l.* 5. *de iust. q.* 9. *art.* 3. Sayr. *in Claui, tom.* 1. *l.* 4. *c.* 4. *numer.* 11. Filliuc. *tr.* 40. *numer.* 85. Fagund. *l.* 8. *c.* 2. *numer.* 1. D. Tho. 2. 2. *q.* 72. *art.* 3. Caiet. *ibi.* & alij communiter.

87 *Hoc asserendum existimo, veritique confirmo.*

Hoc omnino asserendum existimo. Locus enim ille, *Ne respondeas stulto iuxta iustitiam suam*, non est contrarius illi: *Responde stulto.* Nam ibi solum nobis conceditur iusta defensio: hic autem offensio iniusta prohibetur. Ideoque hîc adiicitur, *Ne similis ei videaris.* quod perinde est, ac si diceretur, ne ei respondeas animo conuitiandi illum, vt ille faci; sed responde illi, te iustè defendendo, vt iniuriam à te valeas propellere. Profectò nunquam nobis est licitum iniurias propria authoritate vindicare; quare prudentia maxima opus est, vt perpendamus, quandonam contumelioſo, aut detractori nobis liceat respondere. Ideo in primis ad propellendam contumeliam, nunquam licet, falsum alicui testimonium affingere, neque defectum vllum publicum vel occultum per modum vindictæ detrahenti, aut conuitianti obiectare; sed per modum defensionis vim vi repellendo; hoc est, non licet, illi obiicere crimen, quod impertinens est, ad obtinendam eius authoritatem, sed illud tantùm, quod ad id est necessarium. V. gr. si me quis latronem appellet, aut sicarium, vel me originem ab Hebræorum sanguine ducere iactitet: possum dicere, eum esse mendacem, & in confirmationem, ad infirmandam eius fidem illius mendacia patefacere. Si autem me compellet latronem, non licet mihi eum sicarium compellare: sicut non licet, percutientem repercutere. Quia id iam erit iniuriam vindicare, non repellere.

PROBL. II.

Est, & non est lethale peccatum contrà iustitiam, audita aliorum crimina referre apud illos, quos credis ex mera leuitate esse credituros, addens, te sic audisse, sed minimè credere.

88 *Quæstionis status.*

QVis crimina audita aliorum refert apud illos, quos putat ob meram leuitatem ei esse credituros: attamen nullam aliam occasionem dedit, vt ea delicta credantur, præterquam quod ab ipso narrentur: imò addit, se ita audiuisse, sed nullatenus credidisse ea. V. gr. audit honestam vicinam suam de nocte amasium recepisse, & id statim in aures viciniæ insusurrauit addens; Hoc ego audiui, sed non credo. Rogitarim, num hic mortaliter delinquat contra iustitiam, an contra charitatem?

89 *Non est lethale contra iustitiam.*

Mortale peccatum est non contra iustitiam, sed solummodo contrà charitatem, ac proinde ad restitutionem ille non tenetur. Quia non iustitiam directè

directe infamat, nec formaliter, sed tantùm per accidens, & materialiter; illius enim narratio non est ex sua natura talis, quæ fidem faciat: Ergo quod auditores credant, ex eorum malitia prouenit, non ex malitia relatoris, qui non fuit causa efficax damni, sed merè per accidens. Sicut qui narrat audita ab hominibus parum fide dignis, manifestaris auctoribus, ad restitutionem non tenetur, etiam si videat, auditores id ex sua leuitate creditu ros: imò etiam si id modo animo faciat; quia intentio nocendi ad restitutionem non obligat, quando opus de se proximo detrimentum non affert. Sic Lessi. *l.2.c.11.dub.5.n.15.* Sylvest. *v. Detractio, q.4.* D. Tho. *2.2.q.73.a.4.in corp.* Cajet. *ibi.* Sotus *in 4. dist.15.q.4.* Navar. *sum.c.18.n.50.* citans Adrianum.

96 *Est lethale contra iustitiam.* Peccatum lethale est contra iustitiam, ideo obnoxium restitutioni. Quia est hoc genus detrahendi pestilens, ac nociuum: nam quo quis se sanctius iustificat, magis nocet, quia maiorem sibi fidem, & authoritatem conciliat. Sic namque fama (vti Poeta cecinit) *vires acquirit eundo.* Quare non solùm contrà charitatem, sed etiam contrà iustitiam delinquet, proximum infamando huiusmodi ratione; & licet in restitutione famæ non teneatur dicere, se fuisse mentitum, nam re vera vt audiuit, narrauit: tamen non solum dicere se leuiter fuisse locutum, tenetur; sed & operam dare, vt sinistram opinionem, quam auditores imbiberunt, abiiciant, ac deponant, si res incipiat publicari. Ità Sotus *l.4.de iust.q.6.a.3.* & probabile censet esse Fagund. *Decal. l. 8. c. 2. numer.20.* Confirmatur ex P. Vasquez *opusc. de scand. dub.6.num.44.* docente, hanc regulam. Quoties scandalum passiuum proximo sequitur cum damno temporali alterius contrà iustitiam; cessandum esse omninò ab opere, etiam si scandalum sequatur ex malitia alterius: aliquin imputandum esse damnum occasionem scandali præbenti cum obligatione restituendi.

91 *Priorem partem eligo.* Priorem partem probabiliorem esse putarim, eamque mihi eligo. Fateor tamen, posteriorem, si benè intelligatur, magna probabilitate niti.

PROBL. III.

Est, & non est lethale peccatum, referre crimen alterius occultum vni, aut alteri viro prudenti, qui celabit illud, ac si ei reseratum non fuerit.

92 *Lethale non est.* NOn est lethale. Quia si viro prudenti vni, vel alteri reueletur, nulla infamia proximus afficitur: celabit enim illi, perinde ac si ei non fuisset reseratum. ex prudentia verò scandalo graui minime afficietur. Sic Cajet. *2.2.q.73.a.2.dub.1.* Tabie. *v. Detractio, nu. 3.* Sav. *Infamare, n. 4.* Navarra *de rest. l.2.c.4.n. 334.* Corduba *tr. de detract. q.2.concl.2.* Navarr. *sum. c.18.num.33.* Graf. *l.2.decis.c.137.* Pedraza *præc.8.dub.2.*

93 Est lethale peccatum. Quia infamia non est accipienda solùm in rigore vocis, quando apud plures, sed etiam secundum rei naturam. Quamobrem peccat lethali crimine detractionis ille, qui nisi vrgentissima sit causa, corrigendi fratris, vni quantumuis prudenti viro crimen occultum alienum reuelat; nam quamuis illud reseruat in pectore, tamen alius apud illum grauis patitur famæ, ac honoris detrimentum. Ità Sotus *de iust. l.5.q.10.a.2.concl.4.* Lessi. *l.2.c.11.dub.11.n.70.* Salon *2.2.q.73.a.2. controu.1.* Valentia *ibi, pun.2.dub.1.* Suar. *to.4.d.34.sect. n.2.* Filliuc. *tr.10.n.90.* Bannes *2.2.q.73.a.2.* Molina *to.2.de iust. d.29.* Molder. *1.2.tr.7.c.1. dub. 4.* Fagund. *De.al. l.8.c.2.n.44.* Bassæus *v. Detractio.*

94 *Hoc mihi probabilius.* Primam sententiam fateor esse probabilem satis, sed probabiliorem admodum censeo secundam. Malles equidem fortassè peccatum tuum notum fieri pluribus aliis plebeis hominibus, quam vni graui viro, præsertim Superiori, à quo dependeas. Quis verò non videat ex prima sententia, occultissimum aliàs peccatum posse paulatim apud plurimos efficì publicum? Nam si liceat reuelari vni, vel duobus viris probis ac prudentibus fratris piaculum: licebit etiam huic vni, alterive viro prudenti à duobus illis, queis primò traditum fuit, reuelari, & sic deinceps; non enim minus his licebit, quam illis, secretum crimen aliis probis, ac prudentibus committere. Vndè minimè à secunda opinione communi quidem recedendū existimo. Quamuis enim ille, cuius crimen ita est detectum, non sit infamis iuridicè, imò nec sit perfecta notatus infamia, quæ ad plures peruenerit: in parte tamen aliquam famam amisit, & minoris æstimationis est apud prudentes illos: Ergo notabile damnum est illa æstimatione spoliari. An non iudicium temerarium in re graui contra proximum lethale crimen est, licet illud iudicium exterius non proferatur; quia læditur fama proximi in vno in particulari? quis dubitet. At in nostro casu fama proximi in vno aut in duobus læditur: est igitur lethale piaculum.

PROBL. IV.

Est, & non est lethale peccatum, sine causa iusta, & honesta ab meram curiositatem, & leuitatem naturalem ex obiecto, de vita, ac moribus aliorum inquirere, si inquirens persona grauis sit.

LEthale non est, si persona inquirens grauis sit, & prudens. Quia reuelare proximi grauem defectum vni vel alteri viro prudenti, qui obesse non possit, & ità reticebit, ac si nulli diceretur, peccatum mortale non est: Ergò si talis est persona, quæ sine malitia ex mera curiositate de altero inquirit, culpa grauis non aderit. Sic Petr. Navar. *de rest. l.3.c.4.n.361.* Cordu. *sum.q.57.* & Auctores pro prima sententia *Probl.3.citati.*

95 *Lethale verò est, si inquirens sit prudens.* Est quidem lethale. Quia nemo ius habet ad inquirendum de fama, ac vita alterius, nisi Superior sit, cui id ex officio incumbat: nec potest aliquis tuta conscientia (causa exclusa) le-

96 *Licet prudenti, est dubium.*

defectus

defectus morales proximi alteri patefacere qui ius & causam non habeat inquirendi, quamvis is, cui reuelantur, vir prudens, ac cordatus sit, vt citato Problem. resolui, Ita Fagundez *Decal. lib. 8. cap. 3. num. 6.* & Doctores pro sententia secunda Probl. superiore relati.

97 *Existimo aliquando lethale esse, aliquando veniale.*

Equidem qui audit notabilem alicuius defectum siue moralem culpæ, siue naturalem naturalis, & procurat veritatem dignoscere eam inquirendo: aliquando mortaliter peccabit, aliquando nec venialiter delinquet. Nam si id faciat ex causa & bono aliquo fine vel ad alicuius officij electionem, vel ad beneficium, vel ad matrimonium, &c. non delinquet venialiter, modo ab iis informationem accipiat, qui veritatem fideliter aperiant, & malitiose non obsint. Peccabit verò contra charitatem, vel iustitiam, si sine causa malo animo & fine faciat, res enim ex finè bonitatem aut malitiam trahit. Inquirere verò ob meram curiositatem, etiam esse lethale censeo. Quia si inquirens grauis non sit, aut prudens, lethalem fore huiusmodi inquisitionem primæ sententiæ Auctores profitentur. Ergo nunquam non lethale crimen erit; quia grauitas & prudentia quomodo stare potest cum huiusmodi inquisitionis leuitate?

PROBL. V.

Est, & non est peccatum contra iustitiam infamare illum, qui falsis virtutibus famam acquisiuit.

98 *Status quæstionis.*

SCio, peccatum esse contrà charitatem, eum infamare, qui fictionibus, & illicitis artibus bonam famam acquirit, quandò huiusmodi bona fama iis artibus parta nemini nocet. Quæsierim verò, an etiam delinquat contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur?

99 *Non est contrà iustitiam.*

Non est peccatum contra iustitiam, & ideo restitutioni non subest. Quia hypocrita nullum ius habet ad huiusmodi famam mendaciis acquisitam: vndè nulla ei irrogatur iniuria, si ab eo auferatur. Et quia licet sit contra iustitiam occultum aliorum crimen patefacere, tamen hoc proprium videtur hypocrisis, vt eam patefacere, non sit contrà iustitiam; intendit enim hypocrita decipere, & in falsam alios opinionem pertrahere. Sic Adrian. *quodlib. 11. quæst. 1.*

100 *Contra iustitiam est, restitutioni obnoxium.*

Est peccatum non solum contra charitatem, sed etiam contrà iustitiam restitutioni obnoxium. Quia quamdiu eius malitia est occulta & bonam famam hypocrita possidet, sine tertij nocumento, ius habet, vt non iudicetur malus, palam enim nihil improbè gessit. Quia autem hypocrisim manifestat, agit, vt positiuè malus iudicetur vnde ei facit iniuriam; possidenti enim aliquid sine alterius iniuria iniuria fit, si id ab eo inuito auferatur. Ità Lessius *l. 2. c. 11. dub. 10. nu. 60.* Fagundez *Decal. l. 8 cap. 3. n. 7.* & alij.

101 *Hæc varius sic pro.*

Hanc partem puto esse veriorem, nec obstare quod intendat hypocrita falsam suæ virtutis opinionem alij ingerere, quia per hoc non lædit efficaciter, alij enim non tenentur positiuè credere esse talem. Nec etiam hæc est bona cõsequentia: Antonius nullo iure hanc rem possidet: Ergo ei minimè fit iniuria, si ab eo auferatur; nam etiam latro nullo possidet iure rem furto comparatam, & tamen ei iniuria irrogaretur, si ab eo furtiuè caperetur; Solus enim eis, qui verus est dominus eam ab ipso sine iniuria potest auferre; at nullus est dominus famæ, quam alter falsis virtutibus acquisiuit, vt illam sinè iniuria ab eo auferat.

PROBL. VI.

Illum, qui de vno crimine publicè est infamatus, licitum est, & non est lethale, de aliis delictis alterius speciei leuioribus infamare.

102 *Nonnulla præmitto.*

VEl illa alia crimina sunt affinia, & eiusdem speciei, ac rationis cum illis, de quibus est iam quis infamatus, vel diuersæ: item vel sunt circumstantiæ illorum criminum, de quibus iam ille est affectus infamia, vel nõ sunt. Si eiusdem rationis, & speciei sint, aut circumstantiæ criminis iam notitiæ assero, non esse peccatum lethale ea aperire apud eos, qui iam illis affinia dignoscunt, & principale delictum sciunt, sed circumstantias illas ignorant. Ex. gr. est quis de multis furtis diffamatus, lethale non erit, vnum aliud furtum occultum illius reuelare; in illo enim haud notabiliter eius fama læditur, quia iam est satis læsa. Est adulterinus Titij publicum, non eris mortiferi criminis reus, si de illo narres, quod scripserit, munera immiserit, quod tali modo indutus illud commissurus abierit, & quod tali, vel tali loco perpetrauerit licet hæ circumstantiæ ignorentur; quia accessorium sequitur principale, quod iam est notum. Si vero crimina non sint eiusdẽ speciei & rationis nec illis de quibus iam quis infamis est, affinia, rogitatim, num lethale peccatum sit, eum de illis infamare, etiamsi de aliis maioribus iam sit infamia notatus: v. gr. si corã hominibus, qui sciunt Titium esse ebriosum, dicas, illem esse furem, cum tamen id ignorent?

103 *Non est lethale.*

Peccatum lethale non est. Quia cum in grauioribus iam diffamatus sit, haud grauis ei fit iniuria, si minus grauia delicta de eo affirmentur, si ab eo patrata re vera sint: vt si de notorio homicida verã fornicationẽ occultam quis patefaciat. Sic Paludan. *in 4. dist. 19.* Sylues. *v. Detractio, n. 2.* Faue. regula iuris, *semel malus.*

104 *Lethale est.*

Est lethale peccatum. Quia qui est infamis in vno vitij genere, non ideo amisit ius quod habet ad bonã famã in aliis virtutibus. Ità Lessi. *l. 2. c. 11. dub. 4.* Nauarra *de restit. c. 4. n. 131.* Fagund. *Decal. l. 8. c. 3. n. 9.* Malder. *de iust. tra. 7. c. 1. dub 7.* Corduba *q. 2. concl. 5.* & alij communiter.

105 *Hoc verum ex sententia communiori, quæ videtur esse probabilis.*

Vix ausim asserere, primam sententiam esse probabilem. Quia sicut diuersarum virtutum diuersa est laus: ità diuersorum criminũ diuersa est infamia; fama enim non est quid simplex, sed constat ex variis quasi partibus, quarum vna ab alij non pendet: vnde iactura facta de vna parte, de aliis effecta non censetur. Nec obstat regula illa iuris *in 6. semel malus, semper præsumitur malus*, id enim intelligo iuxtà Glossam, *ibi*: *in eodem genere mali non in diuerso*

ESCOBAR
Theol. Mor:
Tom. III. IV.
F. IV.

non in diuerso. Vnde semel testimonium falsum in iudicio proferenti vna in causa, potest poni exceptio, & non admittere eum quisquam ad iurandum in alia; quia contrà illum est præsumptio, quòd semel malus inuentus sit in eodem genere mali. Si tamen quis probet, quod sit emendatus ac verè pœnituerit, vlterius malus non dicetur *l. Testimonium, ff. de edilitio edicto, c. 2. de rescriptis.*

PROBL. VII.

Dicitur, & non dicitur Libellum infamatorium manifestare ille, qui vni solummodo personæ perlegit. Vbi plura de Libellis famosis.

106 *Nonnulla de libello famoso præmitto.*

CONficientes libellos famosos non solum delinquunt mortaliter contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Contrà charitatem quidem, quià lædunt proximum in re graui, qualis est honor & fama: contrà iustitiam verò, quia vnusquisque iure honorem & bonam famam possidet, quam iustè ac labore proprio acquisiuit, vnde non potest iustè illa spoliari nisi ex legitima causa & à legitimo Superiore, qualis non est ille, qui libellum famosum composuit. Non sunt tamen homines libellos conficientes ipso iure excommunicati in iure communi, sed possunt excommunicari, maximè si illos contra personas Ecclesiasticas conficiant. Quia nullibi in iure communi talis excommunicatio contrà ipsos fertur. In iure aliquo particulari Diœcesis, Prouinciæ, vel Regni poterit esse excommunicatio lata, quæ inibi tantùm locum habebit. Quod verò excommunicandi sint, patet *ex c. Qui iam maligni, & ex c. Si qui inuenti 5. q. 1.* si libelli sint contra Ecclesiasticos: nam si contra sæculares, iure Canonico tantum virgis cædendi sunt *c. Qui in alterius 5. q. 1.* quas pœnas Pius V. *Bulla* 149. & Gregorius XIII. *Bulla* 7. innouarunt. Illi verò qui huiusmodi libellos reperiunt, si animaduertant, illos esse infamatorios, tenentur eos rescindere, ac delere, priusquam ad aliorum manus deueniant. Quod si non gerant, vltrà peccatum lethale, quod perpetrant, habentur etiam in iure tanquam cooperatores, & iisdem pœnis subiiciuntur. Certè Pius V. iisdem pœnis subiicit eos, qui huiusmodi libellos inueniunt, & non corrumpunt, antè quam vim illorum manifestauerint. His præmissis, quæsierim, an dicatur libellum manifestare inuentum, qui vni tantùm personæ perlegit?

107 *Non dicitur libellum manifestare qui vni perlegit.*

Non dicitur libellum manifestare, qui vni tantum perlegit. Quià manifestum id dicitur, quod pluribus innotescit iuxtà Bartolum *ad l. Hæres palam 21. ff. de testam. nu. 2.* Sic Bursatus *cons. 99. l. 1. numer. 17.* Cepol. *l. 3. cons. 341. numero 18.*

108 *Manifestare dicitur.*

Dicitur libellum manifestare, qui vni tantum eum perlegit. Quia Pontifex iubet, quod inueniens libellum rumpat, & nulli dicat inuentum, dum dicit, *Nec eius vim manifestet.* Ità Cherubin. *ad Bullam præfatam Pij V. schol. 1*

Primam sententiam veriorem esse iudico. Quia est constitutio pœnalis, & ideo restringenda. 109 *Primam partem tenco.*

PROBL. VIII.

Conficiens libellum famosum tenetur, & non tenetur sese manifestare, si Superioris edicto, vel sub censura iubeatur, vt se prodat.

SEse prodere tenetur. Quià D. Gregorius *in c. Quidam maligni 5. q. 1.* excommunicauit quendam, qui libellum famosum occultè contra alium confecerat, nisi ipse se proderet: vt ità vel probaret, quod proximo obiecerat: vel si non probaret, publicè retractaret obiectum. Ergò huiusmodi libelli confector tenetur ob criminis atrocitatem sese prodere, si iubeatur. Sic Glossa *ibi.* 110 *Sese prodere tenetur.*

Minimè tenetur sese prodere. Quia in illo *cap.* præceptum non fuit, vt homo ille se proderet absolutè, sed sub conditione, vt scilicet, vel se proderet, vel esset excommunicatus, si se non proderet. Ita Caiet. *2. 2. q. 69. a. 2.* Quæ opinio supponit, posse quem excommunicari pro peccato præterito, quatenus præteritum est, quod hodie communiter non admittitur; quamuis enim potest ferri censura pro peccato præterito, quatenus pœna est, in sceleris commissi vindictam, non tamen quatenus censura est, & pœna medicinalis, vt pluribus probat Suarius *to. 5. d. 4. sect. 5.* 111 *Non tenetur se prodere.*

Ego quidem existimo, neminem teneri sese prodere, si occultus sit; quia nemo tenetur, per se loquendo, se infamare, quando delictum eius est occultum. In aliquo tamen casu peculiari per accidens, quando quis aliquem iniustè infamauit, & aliter eius infamia tolli non potest, vel aliud nocumentum imminens infamato ex illa iniuria: tunc posse putarim iustè obligari per excommunicationem, ad satisfaciendum illo modo, se scilicet prodendo: quod contigit in illo casu præfati capitis *Quidam maligni*; censuit enim D. Gregorius, eum, qui libellum scripserat, non potuisse aliter satisfacere, nisi se proderet; fama enim restituenda est cum famæ etiam propriæ læsione: vt ita vel probaret, quod obiecerat, vel suam malitiam fateretur; quod si id gerere nequiuisset, excommunicatus maneret. Hoc namque ipso, quod satisfacere noluisset, ad quod de iustitia tenebatur, poterat pro tali peccato, quod adhuc mortaliter persistebat, excommunicari. Didici solutionem hanc ex Suario *citato, numero sexto,* & ex Filliucio *tr. 40. numero octuagesimo quarto.* 112 *Auctoris resolutio.*

PROBL.

PROBL. IX.

Peccat, & non peccat lethaliter contra iustitiam, qui sine legitima causa iterum infamat illum, qui publicè criminosus fuerat per Iudicis sententiam, vel per publicum factum, sed tamen iam erat bonam famam assecutus, aut illius delicta oblitioni erant tradita.

113 *Nonnulla supponо.* CErtum est, huiusmodi infamatorem contra charitatem delinquere. Quia iam criminosus ille bonam requisierat famam, & illam actu iustè possidebat, vel erat tanta prælapsæ infamiæ obliuio, ac si nunquam huiusmodi piaculum commisisset: Ergo contra charitatem peccabit ille, qui absque vlla causa proximum iterum infamauerit, eius delictum manifestando. Quæstio suboritur, num etiam contrà iustitiam delinquat, & teneatur ad restitutionem?

114 *Peccat contrà iustitiam.* Peccat etiam contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur. Quià licet per Iudicis sententiam, aut per publicam famam perpetrati delicti fuerit illi fama antecedens ablata: tamè non fuit ablata illi fama subsequens, quam ille postea rectè factis acquisiuit, & quam tempus illi conciliauit; vnde verè ac iustè bonam famam sequentem possidet, quam sine iusta causa illi aufert. Sic Tolet. *l.5.c.65.* Adrian. *quodlib. 11.q.1.* Inclinat D. Antonin. *p.2.tit.2.c.2.§.3.* & Nauar. *sum.c.18.nu.47.* Fagund. *Decal.l. 8.c.4. num.6.*

115 *Non peccat contra iustitiam.* Non peccat contra iustitiam. Quia ille iure ac publico præconio in commissi delicti pœnam sua fama priuatus est adeo, vt cuicumque data sit facultas scelus illud propalandi: Ergo qui hominem sic infamat nec peccat contrà iustitiam, nec ad vllam restitutionem tenetur. Certè etsi ius habeat ad famam sequentem, non tamen habet ius, vt non dicatur fuisse malus pro tempore illo, quo eius crimina fuêre publicata. Ità Sotus *lib.5.de iust.qu.10.art.2.* Lessi. *lib.2.cap.11.dub.13.num.82.*

116 *Primam partem reor esse probabiliorem.* Probabiliorem esse primam sententiam existimo. Quia dum quis refert infamiam antiquam, necessario bonam famam præsentem mordet, & imminuit, & redditque hominem aliis suspectum. At licet quis per bonam famam præsentem non acquirat ius, vt non dicatur fuisse malus: acquirit tamen ius, vt eius ama præsens quam vel rectè factis, vel diu furnitate temporis acquisiuit, non imminuatur.

PROBL. X.

Peccatum lethale est, & peccatum lethale non est aut contra iustitiam, aut contra charitatem, infamatum iuridicè, vel publicè in vno loco, diuulgare in alio, ad quem fama illius delicti vel nunquam, vel post longissimum tempus est peruentura.

117 *Lethale est.* PEccatum lethale est. Quià qui in vno loco amisit famam, non ideò est alibi infamatus, nec ideo eā in alio loco amisit, in quo vel nunquā, vel nō nisi longissimū post tēpus infamia illius peruentura est: Ergo cum inibi bonum nomen retineat, siuè ad eum locum domicilium mutet siuè non mutet, contrà iustitiam, & charitatem lethale crimen erit eum ibi eo bono nomine priuare. Sic Adrian. *quodlib.11.q.1.* Toletus autem *l.5.c.65.verſ. Posterior est*, docet esse peccatum mortiferum contra charitatem, non contrà iustitiam in eo casu, quo verosimiliter credatur, quod nullatenus fama illius criminis, ad eum locum vnquam esset peruentura.

Peccatum lethale non est, sed solummodo veniale. Quia si ille est iuridicè per Iudicis sententiam iustè de delicto damnatus, iustè priuatus est fama, & iure illam non habet, sicut non haberet brachium, si ab eo amputaretur. Vnde iniustè de sua queri potest infamia; Iudices enim intendunt cum delinquentes condemnant, eorum eiulgari delicta, & suppliciū, quo alij corrigantur. At si delictum publico commisit in loco, seu in multorum conspectu patrauit, sibi eam attribuat infamiam; quia sponte velit, nolit, suam famam prostituit; vnde non erit mortale delictum, delictum alibi publicare per literas, aut verbo narrare. Ità Lessi. *l.2.c.11.dub.13.n.75.& 78.* Caiet. *to.2.opusc.31. resp.ons.9.* D. Tho. *in 4.dist.19.q.2.a.3.ad 1.&* 2. Bartol. *ad l. Ex ea ff. de postulando.* Nauar. *sum. c.18.n.26.* Nauarra *de rest.l.2.c.4.n.286.& 288.* Sotus *l.5.de inst.q.10.a.2.* Maior. *in 4. dist. 21. quæst.2.*

118 *Non est lethale.*

Hæc sententia communis quidem est mihi longè probabilior. Quià etsi infamatus Valisoleto, bonam famam Matrito de facto reti-neat, non tamen ea de iure retinet; nam postquam crimen eius publicum factum est vel per Iudicis sententiam, vel per facti publicitatem, qui inspiciente populo id gessit, ius famæ amisit ita, vt nemo deinceps teneatur priorem ex iustitia de illo æstimationem retinere. Vnde est possessor bonæ famæ alio in loco de facto, non de iure. Duplici, fateor, in casu peccatum erit lethale, infamatum hic alibi infamare. Primò, quando cum illo simul tertia aliqua persona innocens infamaretur: v. gr. si frater infamati adest in eo alio loco, in quo delictum publicatur. Secundò, cùm diffamato aliquod aliud detrimentum præter infamiam obuenturum à publicante præuideatur. Num autem id contra iustitiam sit, an contra charitatem, Problema proximum indicabit.

119 *Hæc sententia longè probabilior est mihi.*

PROBL. XI.

Erit, & non erit peccatum lethale contrà iustitiam, infamatum publicè in vno loco, in alio publicare, si ob id infamato præter infamiam aliquod aliud graue incommodum sit obuenturum.

Vidimus *Probl.* 10. peccatum lethale esse infamatum in vno loco publicare in alio, ad quem nunquam, vel serò infamiæ notitia esset peruentura, si ex ea publicatione præter infamiam aliud graue incommodum esset obuenturum, scilicet, quia forsam occideretur, vel trudetur in carcerem, vel aliquo bono temporario.

120 *Nonnulla excolo.*

rario priuabitur, vt si ei auferatur pensio, alimenta negentur, &c. Quæsierim autem, an peccatum hoc publicationis huiusmodi sit contrà iustitiam, an solum contra charitatem.

121 *Contra iustitiam est.* Contra iustitiam est hoc delictum restitutioni obnoxium. Quia ille solum per sententiam Iudicis, vel patrationem delicti, in loco publico amisit ius ad famam & honores publicos, non ad pensionem, non ad alimenta, non ad bonorum patrimonialium conseruationem: quare contrà iustitiam faciet, ad restitutionemque tenebitur, quiper publicationem delicti in causa fuerit quòd ille in eiusmodi bonis detrimentum accipit. Sic Tolet. *libr.* 5. *cap.* 65.

122 *Non est contra iustitiam.* Non est contra iustitiam, sed solum contrà charitatem, vnde ad nullam tenetur restitutionem, qui hîc infamatum alibi publicauerit: etiam si ob id præuideat obuenturum infamato huiusmodi incommodum, imò etiamsi id ea intentione faciat. Quia solum ex charitate tenemur vitare damnum proximi quando sine vllo, aut cum paruo nostro detrimẽto id gerere possumus. Vnde cum ille non teneatur impedire tale damnum ex iustitia, sed solum ex charitate abstinendo ab ea infamatione eo tempore, & loco, quo animaduertit, posse inde infamato huiusmodi detrimentum temporale obuenire, ad restitutionem non tenebitur: ex obligatione enim charitatis non insurgit iustitiæ restitutio: nec deprauata intentio facit vt contra iustitiam peccet quis, quando actus exterior non est contra illam, sed magis aggrauat peccatum contra ipsam charitatem. Ità Lessi. *l. 2. c. 11. dub. 13. n. 81.* Fagund. *Decal. l. 8. cap. 4. num. 14.* Nauar. *de rest. libr. 2. cap. 4. num. 288.*

123 *Verior hæc mihi pars.* Verior hæc mihi pars. Quia per accidens est, quòd ex illa delicti narratione damnum temporale infamato obueniat: sequitur enim illud damnum ex delicti illius publicatione. Vnde cum illa publicatio tunc non sit contra iustitiam, sed contra charitatem, nulla restituendi obligatio insurgit, cum illi nulla facta fuerit iniuria in delicti publicatione.

PROBL. XII.

Peccabit, & non peccabit contra iustitiam, qui alibi diuulgat crimen illius, quem scit fuisse iniustè à Iudice, aut falsorum testium iniquitate hoc in loco damnatũ.

124 *Quæstionis status.* IVdex iniustè, aut ex testium mendacium depositione aliquem accusatum latrocinij damnauit, aut sine sufficienti probatione de occulto crimine publicè puniuit. Peccabit lethaliter proculdubio, qui crimen huius rei alibi, vbi ignoratur, publicauerit. Quæsierim verò num peccatum hoc sit contrà iustitiam?

125 *Non est contra iustitiam.* Contra iustitiam minimè est. Quia quamvis reus per iniuriam à Iudice contra ius damnatus suum ius non amittat ad suam famam: tamen in hoc casu non amittit ius ad illam præcisè per illam iniuriam formaliter, sed ex quadam consecutione; quia videlicet ex iniuria sequitur publicum fieri, ac manifestum hoc crimen. Vnde eo ipso, quòd huiusmodi crimen publicum factum est, ius amisit, vt homines recte de tali reo sentiant. Sic Lessi. *l. 2. cap. 11. dub. 13. num. 77.*

126 *Contrà iustitiam est.* Est plane contra iustitiam. Quia quæ contra iuris ordinem diuulgata sunt, propter infamiam proximi non possunt alio in loco diuulgari ad quem nondum infamia illa peruenit: imò si peruenit, tenemur ex charitate veritatem aperire, vt à proximo contra iustitiam infamato notam propellamus, sicut enim contra iustitiam infamatus est primo. Sic contra iustitiam ea infamia continuatur alibi; non enim tractu temporis, aut mutatione loci desinit illa infamia esse iniusta. Ità Sotus *de iust. 5. libr. quæstion. 10. art. 2. concl. 4.* Nauar. *sum. cap. 28. num. 16.* Fagundez *Decal. l. 8. cap. 4. num 21.*

127 *Idem affirmo.* Idem affirmo Lessij venia primæ sententiæ impugnans fundamentum. Quamvis enim consecutiue crimen alioquin verum, sed occultum, & non probatum fiat publicum semper hæc publicitas fit, contra iustitiam, & continuatur contra illam. Attamen si ipse reus post tormenta confessionem criminis ratificauit sine aliorum tormentorum metu, & sic postea diuulgaretur crimen: tunc quidem veram existimarem Lessij sententiam; quia tunc iam dedit causam iustam diuulgationis; nam confessio ratificata post torturas valet in iudicio: non autem valet, si postea reus non ratificatur; cum enim extorta sit confessio tormentorum vi, censetur iniusta, & ideò nisi de nouo extrà tormenta ratificata fuerit non ei in iure fides adhibetur. *capit. 1. 15. quæstion. 6.*

PROBL. XIII.

Licet, & non licet crimen falsum proximo affingere, ad torturam in iudicio, vel extrà illud damnum graue vitandum.

128 *Licet quidem.* LIcet quidem. Quia reuelare crimen verum alicuius, quod omnino est secretum, perinde est ac affingere ei falsum: sed potest quis in tortura appositus, ad vitanda tormenta, & graue suum damnum, reuelare crimen verum occultum sub secreto etiam sibi commissum, quando ex hac reuelatione nullum aliud timetur proximi incommodum, quàm infamia, vti docent Sotus *libr. 5. de iust. quæstion. 10. art. 2.* Lessi. *libr. 2. capit. 11. dub. 8. numer. 54.* & Malder. *tract. 7. capit. de iniur. in bono & fama dub. 11.* Ergò etiam poterit licitè illi crimen falsum affingere ad eam torturam, grauéque incommodum vitandum. Minor probatur, quia id quod est occultum, non est cognitioni humanæ, ac publicæ subiectum: Ergo sicut est contra iustitiam imponere alicui crimen falsum, ità & crimen verum occultum alicuius alteri reuelare. Minor patet, quia cum tanto damno proprio nemo tenetur tacere crimen occultum alterius, sibi etiam sub secreto commissum, etiamsi iactura vitæ, aut famæ proximi ex tali

reuelatione timeatur: nisi sint secreta Principis, quorum ex manifestatione grauissima Reipublicæ incommoda timerentur. Sic Cassianus, apud Syluestrum *verb. Mendacium, num.* 2. asserens, licitum esse mentiri ob magnam vtilitatem assequendam, vel graue malum fugiendum.

129 *Illicitum est.* Illicitum omninò est, falsum crimen proximo imponere, siue ad vitandam torturam, siue ad quodcumque aliud graue impediendum. Quia pernitiosum mendacium, quod alteri est grauiter nocium, nunquam est licitum proferre, siue in iudicio, siue extrà illud proferatur: sed qui crimen falsum valde nociuum alteri affingit, profert pernitiosum mendacium: Ergò illicitè, ac iniustè illud profert. Ità Sotus *l. 4. de iust. q. 6. a. 3.* Less. *l. 2. c. 11. dub. 7.* & 8. Fagund. *Decal. l. 8. c. 5. numero tertio.* D. Tho. 2. 2. *q. 72. art. 3.* & *q.* 110. *a. 2.* & 4. Caiet. *ibi.* Nauar. *sum. c. 18. numero tertio.* Syluest. *vbi supra.*

130 *Primam sententiam expungendam esse reor.* Certè primam sententiam omnino expungendam esse reor. Cassianus enim vel lapsus est, vel voluit significare licitum esse aliquandò vti amphilogia, quæ secundum speciem respectu illorum, ad quos dicuntur, mendacia videntur, cùm tamen re vera non sint. Equidem aliud est crimen verum, sed occultum dicere: aliud, falsum imponere; & licet sit illicitum, & contrà iustitiam vtrumque facere sinè causa; at cum causa graui, qualem habet ille, qui curat vitare tormenta, licitum, iustumque est, crimen verum sed occultum sub secreto nobis commissum propalare, cum verum vtique dicamus: illicitum proculdubio est crimen falsum alicui imponere cum mendacium proferamus.

CAPVT XI.

Circà Secreti nobis commissi custodiam.

PROBL. XIV.

Obligatio seruandi secretum oritur ex iustitia, non ex fidelitate: & oritur ex fidelitate, non ex iustitia.

131 *Quid sit fidelitas.* SVPPONO, vltra virtutem iustitiæ, quæ obligat ad non lædendum ius alienum, quod proximus habet circa sua bona, & vltrà alias morales virtutes, dari quandam virtutem moralem specialem, quæ vocatur fides, seu veritas: non quidem illa veritas, seu veracitas, quæ obligat, ad conformanda verba externa cum mente, & appellari potest veritas in dictis, siue in loquendo; sed alia, quæ obligat, ad conformãda facta cum dictis, & vocitari potest veritas in factis, sinè in operando, & dicitur *Fidelitas*, seu *Fides*, ethymologia accepta à *fio*, & *dico*, quia per eam fit, quod dicitur. Necessaria quidem est huiusmodi Fidelitatis virtus ad conuictum humanum, & qui eam violat vocatur infidelis. Hoc præmisso, dubitarim, num seruandi secreti commissi nobis obligatio oriatur ex iustitiæ virtute, an ex virtute fidelitatis?

132 *Oritur ex fidelitate, non ex iustitia.* Oritur non ex iustitia, sed ex fidelitate: vndè quoties aliquis peccat contra secretum, contrà fidelitatem non contra iustitiam delinquit. Quia non quoties aliquis quicquam promittit intendit se ex iustitia obligare, sed ex fidelitate tantum, quæ quidem obligatio sufficit ad promissionis impletionem. Ergo etiam promittens secretum potest non se obligare ex iustitia, sed solum ex fidelitate, quæ plane sufficit ad exactam secreti custodiam. Sic Sotus *tr. de tegendo secreto, membr. 1. q. 1.*

133 *Oritur ex iustitia, non ex fidelitate.* Oritur ex iustitia non ex fidelitate. Quia si ex fidelitate ortum duceret huiusmodi obligatio, secreti violatio solum esset veniale piaculum; veritas enim & fidelitas vt sic & præcisè non obligat ex genere suo sub mortali: nisi ex promissione non obseruata aliud graue detrimentum committenti secretum, aut alij prouenire: v. gr. si ob secretum à te Antonio promissum ipse aliquid fecit, vel omisit, ex quo postea graue detimentum patietur, te secretum non obseruante: promissio obligat sub mortali. Dùm autem non occurrit casus huiusmodi grauis obligationis, nulla erit custodiendi secreti firmitas, cum ex se sub mortali fidelitas non obliget. Igitur quoties homo promittit aliquod seruare secretum obligatur ex iustitia propria ad illud seruandum, obligatur etiam ex fide, quæ virtus fidei tunc non distinguitur à iustitia. Ità Caiet. *apud Molinam tr. 4. d. 262. numero quinto.* Sanch. *l. 6. consil. c. 6. dub. 1. nu. 3.* & alij.

134 *Auctoris solutio.* Profectò si loquamur de secreto, quod sub eo pacto tibi committitur, præmissa scilicet tacita vel expressa secreti postulatione: non dubito, quin contineat obligationem grauem iustitiæ: & de hoc loquuntur, qui asserunt oriri hanc obligationem ex iustitia. Ratio est, quia in hoc casu non est promissio nuda, sed pactum onerosum, cum ille alius subeat etiam ex parte sua onus reuelandi tibi suum secretum: quare haud est dubium, quin tu etiam ex iustitia ad seruandum promissum tenearis, cum ille ex parte sua posuerit conditionem. Et plane idem procedit, quando internenit promissio tacita: nam qui in grauibus circumstantiis videt sibi secretum communicari, eo ipso, velle videtur eo modo illud accipere, & cum ea obligatione, cum qua huiusmodi secreta assolent talibus personis committit, atque idcò consentit tacitè in obligationem iustitiæ ibi inclusam, nisi expresè, nolle se cum tanta obligatione notitiam illam accipere protestetur. Quandò verò non procedit expressa, nec tacita promissio, quià secretum non est commissum, sed merè promissum, verbi gratiâ, quandò petenti à te secretum rei, quam tu audisti, vel aliundè cognoueras, tu promittis: tunc aliquando internenit obligatio iustitiæ, aliquando solius fidelitatis. Et quidem quandò res ipsa talis est, vt aliundè non posses eam absque iniuria manifestare, certum est adesse obligationem non solùm fidelitatis, sed & iustitiæ, vt si esset delictum occultũ proximi, quod sinè causa sufficienti manifestare iustè non

potes,

potes, vel si eam notitiam per iniuriam comparaueras.

PROBL. XV.

Peccat lethaliter & non peccat contrà iustitiam, qui alienas litteras à domino laceratas, & per partes in locum publicum proiectas postea iunctis, ac collectis earum fragmentis, legit & manifestat.

135 *Peccat lethaliter contrà iustitiam.*

PEccat lethaliter contra iustitiam. Quià secretum, quod fortasse in iis litteris continetur, semper est sub dominio illius, qui eas laceratas exposuit, credens à nullo esse legendas, quod si suspicaretur, aliquè, collectis particulis, esse lecturum, minime dispergeret. At sicut liber, qui præter intentionem è manibus in via publica cecidit, non ideò esse sub tuo dominio desinit; sic nec secretum tuum præter tuam voluntatem quasi cadens, desinit sub tuo dominio esse: in neutro enim casu cedis iure, quod habes, sed illud omninò ius retines. Sic aliqui, quos sequitur Rebel. *p. 2. de iust. l. 9. q. 7. numer. 9.*

136 *Lethaliter contrà iustitiam non peccas.*

Lethaliter contrà iustitiam non peccat. Quia eo ipso, quod dominus litterarum eas abiicit, ac proiicit in loco publico, videtur cedere iure suo, & quasi pro derelicto habet permittens, vt expositæ maneant manifestationis periculo; de hoc enim curare non videtur. Ità alij cum Syluestro *v. Emptio, q. 7.* Laym. *l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 4.* Diana *p. 2. tr. 6. resol. 55.* Card. de Lugo *Decal. to 2. d. 14. sect. 9. nu. 150.* Indicat Sanch. *l. 6. consil. 16. dub. 3.* dum docet, peccare mortaliter legentem litteras clausas, vel *in secreto positas*: per quæ verba videtur excludere litteras, quas non in secreto, sed in publico ex intentione ipsius domini positas inuenit.

137 *Hoc etiam mihi placet.*

Hoc etiam mihi placet, si literæ huiusmodi laceratæ ex intentione domini positæ inueniuntur in publico. Aliud enim dicendum putarim, quando contrà domini intentionem id accidit: v. gr. si dum particulas immitteret in ignem vel tutiorem locum, vbi nullus collector facilè posset vnquam adesse, à vento in viam publicam abstractæ fuere, vel casu elapsæ sint è sinu. Addo tamen cum Laymano; eum, qui litteras sic laceratas, ac proiectas legit, teneri ex charitate ad eas non publicandas, si inde aliquod graue damnum potest resultare. Quia licet proiiciendo litteras laceratas dominus videatur iure iustitiæ cedere quod habebat, putabat enim à nemine legendas, quam iuris cessionem sufficienter significauit per eiusmodi proiectionem; cum hoc tamen stat, quòd ei grauiter displiceat talis publicatio quam si præuidisset, nullatenus litterarum particulas eum proiecisset in locum. Manet ergo obligatio charitatis procurandi bonum proximi & eius graue malum impediendi, quandò sine incommodo possumus. Nam quod mihi vellem fieri in tali casu, hoc debeo ex charitate alteri præstare.

PROBL. XVI.

Qui aperiendo litteras, non solum venialiter sed & lethaliter peccauit, si tunc præter intentionem, & opinionem graue damnum sequatur: tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

DIximus *sect. 1.* non peccare lethaliter qui ex curiositate solùm haud existimans graue aliquid in eis contineri, litteras aperit, ac legit alienas. Cùm itaque quis aperiens, & legens alienas litteras solum venialiter deliquit licet præter intentionem & opinionem graue malum sequeretur, quod prudenter non timebatur: non tenetur ad restitutionem. Idem dicendum, si mortaliter quidem peccauit, non tamen timere prudenter potuit damnum illud, quod consequitur: tunc enim vel ad nullam restitutionem tenetur, si nullum aliud damnum timere prudenter poterat præter alieni secreti grauis violationem: vel certè tenetur solum ad illud summum damnum, quod timere poterat, non ad excessum damni supra illum gradum. Quià totus ille excessus est ei inuoluntarius propter ignorantiam inuincibilem. Sic Molina *to. 5. d. 36. n. 2.* 138 *Licet lethaliter peccauerit, non tenetur ad restitutionem.*

Si venialiter peccauit in secreti violatione, ad restitutionem non tenetur. Quia peccatum veniale non affert grauem restituendi obligationem. Si autem peccauit lethaliter, debet necessario restituere. Quia sufficit iniuria grauis ad hoc, vt quis restituere teneatur, quantum damnum valebat, etsi eius valorem ignorauerit. Ità Card. de Lugo *to. 1. de iust. d. 24. sect. 9. nu. 149.* 139 *Tenetur quidem.*

Profectò sententiam P. Molinæ quoad primam partem de peccante solum venialiter mihi etiam probatur ob præfatam rationem. Secunda verò pars de peccante lethaliter in secreti violatione minimè placet. Quià si (ex. gr.) quis proiicit in mare gemmam alienam, quam putabat centum aureos valere, cum valeret mille, ad totum valorem restituendum tenetur; nam vere causa fuit iniusta totius illius damni, quodcumque esset, quod domino gemmæ sequitur, cui voluntariè intulit iniuriam. Si igitur cum iniuria grauis alterius quis litteras aperuit non solùm tenetur ad damnum præuisum, sed etiam ad ignoratum; quia ad id totum implicitè obligare se voluit ei, cui iniuriam voluit inferre. Aliud dixerim de damno ab eo inuincibiliter ignorato, quod aliis personis consequitur cum illo non coniunctis, cui illata iniuria fuit: his enim non tenebitur restituere. 140 *Idem affirmat.*

PROBL. XVII.

Erit, & non erit lethale piaculum, alienas litteras sine nocendi animo ob curiositatem aperire.

APerire litteras alienas ob meram curiositatem, & sine nocendi animo, v. gr. vt 141 *Lethalis culpa erit.*

ex barbaro stylo, vel eleganti capiat aperiens voluptatem, lethalis culpa est. Qui a inuito Domino id facit, & incurrit periculum aliquod secretum edifcendi, quod nefas erat aliàs indagare. Sic nonnulli, quorum sententiam doctus vir in manuscriptis haud improbabilem indicauit.

142 *Non erit lethalis culpa.* Solum est veniale piaculum. Quia id materiæ leuitas, & finis carens mortali deformitate excusat. Ità Nauar *sum. c.* 18. *n.* 53. Sa *v. Litera, n.* 1. Sylueſt. *v. Falsarius, n.* 2. Fagund. *Decal. l.* 8. *c.* 5 *nu.* 9.

143 *Hoc verum omnino existimo & vberius expono.* Hoc verum omnino esse putarim. Quià accidentale est ex apertione ob curiositatem litterarum graue referari secretum, quod quidem aperiens custodire tenebitur, nè in scribentis vergat incommodum. Vt autem scias, quandò graviter, quando leuiter delinquat, qui litteras aperit, quando nullum peccatum perpetret, affirmo in primis, si litteræ pro derelictis habeantur, licitam esse earum apertionem, & lectionem; tunc autem pro derelictis haberi, quando ignoratur, tam mittens, quam ille, ad quem mittuntur. Deinde licitam esse apertionem, si fiat de mittentis consensu tacito, vel expresso. Quod si à principio aperiens bona fide putabat ei apertionem non displicituram, & postea inuenit displicere; nullum esse peccatum; quia bona illum fides excusat. Item lethalem verò culpam esse eas aperire, licèt non legantur, eo animo, vt aperiens graviter noceat. Quia vbi primum animum habuit graviter nocendi, delinquet graviter, etiam si Epistolam non legat. Præterea potestatem publicam legitimam habere potestatem aperiendi, vel legendi litteras, quales sunt Superiores Religionum, ac Præfecti vrbium in finitimis hostium locis belli tempore. Necnon posse aperire Epistolas ab hoste missas, vel illius ad quem mittuntur, si probabiliter credit, sibi ex illis vel alteri proximo iniustum aliquod damnum posse euenire: easque perlectas posse retinere. Et generaliter loquendo, quoties quis ex aliquibus Epistolis aliquod malum iniustum sibi timet, licitè posse eas aperire, vel comburere ad illud malum vitandum. Denique Epistolarum delatorem lethaliter delinquere, si eas aperiat, & ostendat aduersario mittentis, vel eas clausas eidem tradat. Solum enim quando prudentialiter crederet aliquod malum iniustum in illis, vel contra se, vel contra proximum contineri, licitè eas legere poterat, & comburere ad malo obuiandum. Omnia carptim colleg. ex Lessio *l.* 2. *c.* 13. *dub.* 10. *n.* 73. Nauarro *sum. c.* 25. *n.* 34. & *c.* 17. *num.* 73. Sylueſtro *v. Restitutio*, 3. *q.* 5. & *v. Falsarius, n.* 2. Sa *v. Littera, n.* 1. D. Antonino *p.* 2. *tit.* 1. *c.* 12. §. 5. & aliis.

PROBL. XVIII.

Quando quis per vim aut fraudem secretum alicuius accepit, potest, & non potest, ad vitandum proprium irreparabile suum damnum detegere.

144 *Nonnulla suppono.* SVppono ad vitandum graue damnum, nempè diuturnum tormentum, quenquam posse licitè alterius crimen occultum, & peccatum ei sub secreto traditum manifestare, etiamsi inde mors immineat, aut infamia sequatur ei, qui huiusmodi secretum commisit: modo grauissima incommoda non timeantur, vt si esset secretum Principis, Reipublicæ, vel exercitus, & non sit in confessione Sacramentali apertum. Quæsierim tamen, an id dicendum, si secretum illud quis ab alio per vim, vel fraudem acceperit: id est, an tunc possit, ad vitandum proprium graue damnum, illud reuelare?

145 *Reuelar. non potest.* Non potest quis reuelare illud secretum, quod per vim, vel fraudem ab alio extorsit, etiam si interimendus sit. Quià eo ipso, quod secretum per vim accepit, semper est contrà iustitiam illud reuelare. Sic Sotus *l.* 5. *de iust. q.* 10. *a.* 2. Fagund. *l.* 8. *c.* 6. *numero duodecimo.* Sayr. *in Claui, l.* 11. *c.* 3. *numero quadragesimo primo.*

146 *Potest reuelare.* Si quis interimendus esset, vel mutilatione afficiendus (quæ sunt irreparabilia mala) ex eo quod non reuelasset secretum, quod per vim, aut fraudem ab alio extorsit, potest licitè illud aperire, etiam si illo, à quo extorsit esset infamandus, expilandus, aut interimendus. Quià peccatum iniustitiæ in secreti extorsione commissum, iàm est transactum, & transacto peccato, qui extorsit habet ius, vt in tanto periculo constitutus secreta vi extorta reuelet. Quemadmodum qui furatus est equum, potest illo vti in extrema necessitate vitæ tuendæ etiam si dominus illo etiam ad vitam tuendam indigeat, & in eadem sit necessitate constitutus. Ità Nauar. *sum. c.* 18. *nu.* 54.

147 *Primam eligo sententiã.* Vtramque opinionem satis probabilem esse existimo, secundæ verò primam præpono. Quià licet peccatum extorsionis secreti prætetitum fuerit, durat tamen adhuc, moraliter loquendo, in effectu suo, hoc est in obligatione seruandi secreti, & effectus iniustitiæ per reuelationem illius continuatur. Profectò parum refert, quod ille non intendat infamari, aut occidi eum, à quo secretum illud extorsit, vt dicamus per accidens esse quod inde occisio, vel infamia subsiliat; quià illa reuelatio est iniusta, cum iniuste fuerit secretum extortum; vndè non potest hìc ràtio charitatis militare, vt dicamus charitatis præceptum prius obligare quemlibet ergà seipsum, quàm ergà proximum.

PROBL. XIX.

Peccata occulta subditorum, quæ solùm vergant in damnum ea committentis, possunt, & non possunt Superioribus reuelari à cognoscente fraterna correctione non præmissa.

148 *Nõnulla suppono.* CErtè peccata Religiosorum aut sunt publica, aut secreta, & hæc quæ noceant, vel non nocent aliis, sed solummodo ei, qui ea perpetrauit. Si sint publica, ac manifesta, siuè vergant, siue non vergant in aliorum damnum, licitum est ea Superioribus ad punitionem, præmissa fraterna monitione, manifestare.

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. E IV

festare. Si sint occulta, & aliis nociua, vel Religioni indecora, denunciari etiam possunt superioribus, fraterna monitione prætermissa, nisi quis firmiter credat, statim per correctionem fraternam delinquentem ad frugem meliorem adducendum. Si verò periculum sit in mora, nunquam est fraterna correctio prætermittenda: imo tenetur quis statim superiorem ad monere, ea prætermissa. At si peccata sint grauia, occulta quidem, & in damnum commune Religionis non vergant, sed solum in damnum peccantis peculiare, qualia sunt ebrietas, mentiendi consuetudo, furtiola, non seruare ieiunium, horas Canonicas non recitare &c. quæsierim, num possint superioribus, prætermissa correctione fraterna, reuelari?

189 *Possunt reuelari.* Possunt quidem. Quia non videtur probabile, quæ communi Religionum consuetudine fiunt; esse contra Christi Domini præceptum: sed consuetum est in omnibus Religionibus, quod in Capitulis aliqui contra aliquos de culpis proclament, nulla secreta monitione præmissa: Ergo videtur, hoc non esse de præcepti necessitate. Deinde non obstas infamatio illius, cuius occulta delicta Superiori tanquã patri referantur: nã apud pium ac prudentem Prælatum & fidelem amicum, nullam infamiam patietur. Esto autem in famiam incurrat apud Superiorem: tamen Salus animi est bonæ famæ præferenda. Sic Richard. *in 4. dist. 19. art. 3. q. 1. ad 2.* Grabriel. *in Cano. Missæ, q 4. n. 4.*

190 *Minimè possunt.* Minimè possunt Superioribus Siue vt Iudicibus siue vt patribus prætermissa correctione fraterna reuelari. Quia tenemur de præcepto naturali, occurrere dãno proximorũ, ac fratres emendare quàm minimo eorum damno possimus: possumus autem eos emendare modo præscripto fraternæ correctionis: Ergò tenemur, illud seruare. An non corporalis Medicus, si potest ægrotum curare sine abscissione membri, id tenetur efficere? Ergo similiter ille, qui tenetur emendare fratrem, si potest emendare illum fama seruata, id præstare enebitur. Ita Sotus *in relect. de regendo Secreto, memb. 2. q. 4. concl. 3. dub. 3.* Nauarra *de rest. lib. 2. c. 4. dub. 11. nu. 131.* D. Tho. 1. *2. q. 33. art. 7. & 8. ad 4.* Sayr. *in Clau. l. 11. cap. 14. num. 8.* Fagund. *Decal. lib. 8. cap. 7. num. 7.* Bannes 2. 2. *quæst. 33. art. 8. dub. 2.* Nauar. *sum. cap. 8. num. 14.* & alij plures.

191 *Hoc mihi vnicè verum.* Ego autem adeò veram hanc sententiam esse puto, vt contrariam stando in iure communi in nulla tenus existimẽ esse probabilem stando verò in iure, & statutis aliquarum Religionum, quid sentiendum sit vltimo volumine expediam. Certè proclamationes illæ, quæ in Religiosorum Capitulis absque vlla secreta admonitione fiunt, sunt de aliquibus leuibus culpis, quæ famæ non derogant: & potius sunt quasi quædam commemorationes oblitarum culparum, quam accusationes, & denunciationes. Vnde si aliqua fieret proclamatio de peccato, quo frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui in huiusmodi proclamationibus fratris delictum publicaret. Addiderim, falsum omnino esse, non manere Religiosum infamatum, cuius delicta pio ac prudenti Superiori, qui potest prodesse, & non obesse, tanquam patri manifestantur; multo enim est grauior infamatio apud vnum grauem, ac prudentem virum, à quo quis pendet, quàm apud multos, à quibus non pendet. Quia ex reuelatione Superiori tanquam patri facta pio & prudenti, potest ipse procedere ad negationem suffragij, ad Religionis officia, ad mutationem Monasterij, ad remotionem ab officio, ad aliaque, quæ naturaliter possunt notam infamiæ afferre.

CAPVT XII.

Circa sui ipsius infamatorem.

PROBL. XX.

Lethale est, & non est, seipsum sine causa infamare, stando prec sè in propriæ infamiæ ratione.

SINE causa se ipsum infamare, 192 *Peccatum lethale est.* secluso damno, stando in præcisa propriæ infamiæ ratione, peccatum lethale est, ita vt nulla ex causa nec etiã mortis metu quis excusetur, siue in iudicio, siue extrà iudicium seipsum infamet. Quia charitas obligat vnumquemque, vt se, & sua diligat: sed bona fama est præcipuum hominis bonum externum: Ergo qui illam, se ipsum sine causa infamando, perdit, peccat lethaliter contra charitatem. Imo contra iustitiam. Quia nemo est suæ famæ dominus, sicut nec vitæ propriæ: Ergò sicut grauius peccat ille, quise ipsum occidit, quàm qui alium interimit: ità grauius peccat contrà iustitiam ille, qui se ipsum sinè causa infamat, quàm qui alterius famam lædit. Sic Caiet. 2. 2. *quæst. 73. art. 2. & sum. verb. Detractio*, D. Antonin. *part. 2. tit. 8. cap. 4. §. 1.* Eam ex parte defendunt Angel. *verb. Detractio*, §. *vltim.* & Syluester *ibi*, *num. 4.* Differunt tamen à Caietano, quia admittunt excusari à mortali, quando sit metu mortis, quod Caietanus non admittit. Valentia 2. 2. *d. 5. quæst. 17. punct. 2.* putat esse contra charitatem, quando fit sine causa. Turrian. 2. 2. *com. 2. d. 54. num. 11.* arbitratur esse mortale, non tamen contra iustitiam, nec contra charitatem sed contra magnanimitatem.

193 *Peccatum lethale non est.* Infamare se ipsum sine causa, stando in sola & præcisa ratione propriæ infamiæ, se cluso damno tertij, vel propriæ vitæ, ex obiecto, ac genere suo non est lethale peccatum neque contrà iustitiam, nec contrà charitatem, sed solummodo veniale contrà charitatem propriam, seu ergà se ipsum. Quia homo est suæ famæ dominus sicut & suorum temporalium bonorum. Ergo illam dissipando ac prodigendo absque causa, nulli facit iniu-

riam: sicut nec dissipando bona: siue id faciat, reuelãdo de se crimẽ verũ occultũ sine sibi asfigẽdo falsũ; nõ homo suo labore sibi comparat suã famã, sicut bona fortunæ acquirit. Ergò sicut est dominus suarum diuitiarum, ita & suæ famæ. Ità D. Tho. 2. 1. q. 57. art. 4. & q. 58. art. 2. Couar. libr. 1. variar. cap. 2. num. 8. Toletanus libr. 2. de rest. cap. 4. part. 2. dub. 1. num. 133. & part. 3. dub. 1. numer. 366. Moli. tract. 4. d. 37. concl. 2. Lessi. libr. 2. cap. 11. dub. 6. Malder. tract. 7. cap. 1. dub. 10. Tolet. lib. 5. cap. 66. Sotus, Sayr. Filliuc. Nauar. Adrian. Turrian. quos refert ac sequitur Fagundez Decal. lib. 8. cap. 8. num. 2.

154 *Hanc sententiam longè probabiliorem esse puto.*

Hanc sententiam longè probabiliorem esse existimo. Quia si homo se infamando, falsum sibi crimen affigendo, aut verũm occultum manifestando, peccaret mortaliter contra iustitiam, & ad suæ famæ restitutionem consequenter teneretur, cuinam quæso teneretur? Non sibi, siquidem sui ad se ipsum nulla est restitutio. Non Reipublicæ aut Ecclesiæ; quia bona laici non connumerantur inter bona Reipublicænec bona Ecclesiastici inter Ecclesiastica bona; sed inter bona cuiusque propria, & temporaria. Addo, neque esse ex obiecto suo peccatum contra charitatem; quia charitas sui ipsius non obligat, ad bona huius vitæ, quæ externa sunt, comparanda, vel conseruanda, nisi quatenus sunt necessaria ad salutem spiritualem vel propriam, vel proximorum. Et quia prodigalitas, quæ versatur propriè in bonis externis, ex obiecto & genere suo non est peccatum mortale contrà charitatem, sed veniale solummodo: Ergò cum fama sit bonum quoddam externum, ex obiecto, & genere suo non erit peccatum mortale eius profusio, si sine culpa fiat, secluso damno alterius: sed solum quædam venialis prodigalitas.

155 *Quandonam mortale erit infamare ipsum.*

Porrò licèt hæc ita se habeant ex obiecto, non abnegò, aliquando ratione alicuius extrinsecæ circumstantiæ, grauis scilicet damni, quod nobis vel aliis ex nostra infamatione sequatur, posse esse peccatum lethale contra charitatem. Primò quidem, si proximus indè facilem occasionem capiat, eundem absque causa infamandi: tunc enim datur scandali malitia. Secundo, si ex ea infamatione vitæ ob id periculum incurrat, vt si falso dicat, sine causa, se Antonium occidisse, vel illius torum violasse; quia perinde id est, ac se ipsam occidere, cum alteri occasionem exhibeat, eum publicè aut priuatim interimendi. Tertio, si infamanti se ipsum necessaria sit fama muneri publico, vt si sit Episcopus, Prælatus; tunc enim mortale erit non solũ cõtra charitatem; sed etiã cõtra iustitiã, quia in causa est, vt subditi ob illius malã famã in eo ipso peccent. & ideo crudelitatis est reus, multos spiritualiter occidẽs. Quarto deniquè, si infamia eius in tertiã personã exundet, verbi gratiã, in filios, in familiam, in totam Religionem, erit contra charitatem, & iustitiam, affigendo sibi hæresis, proditionis patriæ, Sodomiæ, læsæ maiestatis, &c. crimen, quæ de iure infamiam annexam habent. Lege Lessium lib. 2. cap. 11. dub. 6. num. 31. Nauarram de rest. lib. 2. c. 4. dub. 1. n. 113. Nauarrum sum. cap. 18. num. 28. Toletum lib. 5. cap. 66. Suarium tract. de fide, d. 24. sect. 4. Sayrum in Claui, libr. 11. cap. 3. numer. 35.

PROBL. XXI.

Ad vitanda grauia tormenta in iudicio, vel diuturnum carcerem, lethale est peccatum, & non est, se ipsum infamare, vel falsum sibi imponendo crimen, vel verum occultum confitendo, ex cuius impositione, vel confessione certò quis sciat, se capitali sententia afficiendum.

EST lethale peccatum contrà iustitiam in Rempublicam, cuius ille partis est: & contra propriam charitatem. Quia nemini licet se occidere; perinde autem est (moraliter loquendo) sibi crimen falsum in iudicio imponere, aut secretum referare ex quo sit occidendus, ac se ipsum occidere. Et quia homo non est dominus vitæ propriæ, sed custos: vndè contrà iustitiam agit, illam sibi auferendo. Et quia qui iudicio sibi crimen falsum, quod capitali pœnæ est obnoxium, affingit, mendacium contra se ipsum pernitiosum profert: proferre autem pernitiosum, cum ex se sit nociuum grauiter, est lethale peccatum. Sic Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. & sum. v. Detractio, Armil. & Syluest. v. Detractio, num. 4. D. Antonin. part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 1. Valent. 1. 2. d. 5. quæst. 17. punct. 2. asserens esse lethale contra charitatem. 156 *Lethale peccatum est.*

Non est lethale, sed veniale peccatum, si sine iuramento id fiat. Quia hoc (moraliter loquendo non tam est dare propriæ morti causam, quam vna breui morte multas diuturnas redimere. Et quià licèt homo non sit vitæ propriæ dominus, est tamen custos illius, & cum tanto torturæ dolore non tenetur illam custodire, ac tueri. Quemadmodum dum est æger, non tenetur brachium veneno infectum sibi abscindi, vt cum tanto dolore vitam tueatur. Ità Malder. de iust. tract. 7. cap. 1. dub. 10. n. 3. concl. 2. Lessi. l. 2. c. 11. dub. 7. n. 41. Tolet. l. 5. c. 66. Sotus de tegendo Secreto, n. 3. & l. 5. de iust. q. 10. a. 2. Couar. 1. variar. c. 2. n. 8. Sayr. in Claui, l. 11. c. 3. num. 42. Angel. verb. Detractio, numer. 6. Syluest. ibi, quæst. 3. & plures alij Recentiores. 157 *Non est lethale peccatum.*

Verior planè hæc pars. Quia nullatenus verum existimo præcipuum primæ sententiæ fundamentum, nempe perinde esse (moraliter loquendo) sibi imponere in iudicio crimen dignum morte, atque sibi mortẽ inferre. Quia homo nec physicè nec moraliter se se interimit; nõ physicè, vt patet: non moraliter: iustam enim causam habet, ob quam se ad interemptionem exponat: sicut qui se exponeret hostium telis ad fugienda grauissima tormenta, si in eorum manus deueniat. Attamen si ex confessione secreti delicti, aut ex falsi impositione Religioni sequatur infamia, si Religiosus est; aut filiis, si est pater; aut subditis, si Præsul, aut familiæ, si nobilitate præfulgeat: tunc peccatum lethale esset contrà iustitiam, & mendacium pernitiosum aliis falsum sibi crimen affingere ad vitanda 158 *Hanc autem ampliectior.*

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. E IV. 15

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

vitanda tormenta, & se retractare teneretur, quamvis noua iterùm tormenta esset subiturus. Quia cum tam grani aliorum præiudicio nemo ius habet ad tormenta vitanda per criminis falsi impositionem, quo nobilem familiam perpetua ignominia conspergat. Moneo denique conclusionem nostram intelligendam esse, si sine iuramento sibi quis falsum crimen imponat. Quia quamvis tunc crimen illud nulli tertio sit noxium præterquam ipsi illud sibi imponenti, erit tamen peccatum lethale periurij, & grauis Deo iniuria irrogabitur, eum rei falsæ in testem afferendo.

PROBL. XXII.

Ille qui in tormentis sibi falsum crimen affinxit, ob quod capitali subeit sententiæ, tenetur, & non tenetur sese in supplicij loco retractare.

159 *Sese tenetur retractare.* SEse retractare tenetur. Quia sibi in iudicio crimen falsum imposuit mendacium pernitiosum contrà seipsum protulit, totum populum ad scandalum trahens, quem quidem in quantum potuerit debet à seductione, & scandalo retrahere. Estò, non valeat mortis reuocare sententiam, potest tamen suæ infamiæ apud seductam plebem mederi. Sic Abbas *ad cap. Ex parte 2. num. 2. de sepulturis.* Felin. *ad cap. Causam, num. 7. de testi. cogend.* Archidiac. *part. 2. titul. 11. cap. 11. §. 3.* Socin. *in repet. cap. Ad audientiam, de homicid.* D. Antonin. *part. 2. titul. 2. capit. 2. §. 3.* Sylvest. *verb. Detractio, num. 4.*

160 *Se retractare non tenetur.* Minimè se retractare tenetur. Quia nullum sequitur præiudicium ex huiusmodi retractationis omissione, cum ex ea suæ innocentiæ manifestatione non valeat vitæ consulere, re iam non integra, vbi euitatio mortis non speratur. Scandalum autem illud nociuum non est, potius confert aliis ad exemplum, & aliud vitat scandalum contrà iudicium; vulgus enim facilè commouetur, vt credat sententiam aliquo defectu laborare. Ità Sanch. *lib. 3. Decalog. cap. 7. num. 112.* Fagund. *Decal. lib. 8. cap. 9. num. 6.* Nauarra *de restit. lib. 1. cap. 4. dub. 1. n. 25. & 26.* Tolet. *lib. 5. cap. 66.* Lessi. & Angel. à Fagundez allegati.

161 *Iudicium Auctoris.* Ego autem existimo, cum, qui metu tormentorum sibi crimen falsum imposuit, ob quod morti addictus est, se retractare teneri, vbi ex retractatione speratur fore, vt mortem euadat: non autem teneri se retractare in loco supplicij, seu ad pedem patibuli, quia inibi hac caret spe. Equidem quandò crimen tertio est nociuum, verbi gratiâ; si Religioni, vel familiæ ex confessione, & impositione criminis grauis sequatur infamia sese vel in loco patibuli retractare tenetur; si verò infamia non tanti sit momenti, non tenebitur: quod prudens Confessor arbitrabitur. Illud certissimum, si aliquis ad vitanda tormenta sibi graue crimen in tortura affinxit, ex quo grauis infamia Religioni, vel nobili sæcularium familiæ contingat antè sententiæ lationem teneri sese retractare etiamsi noua rursum tormenta subeat; fieri enim potest, vt tanta illa sit infamia, vt potius teneatur quævis tormenta, imò, & mortem perpeti, quam ab his cum tanto aliorum damno excusari. Lessio docente *lib. 2. cap. 11. dub. 7. numero 50.* Toleto *lib. 5. cap. 66.* & Sancio *Decalog. libr. 3. cap. 7. num. 12.* Ratio est, quia res adhuc est integra, & in eo statu, vt ex retractatione speretur infamiæ innocentium euitatio. Tàm parua tamen potest esse tertij infamia, vt spectata prudenter charitatis regula, teneatur quis illam potius subire, quam obligare proximum denuò torqueri, quod prudentis æstimabit arbitrium.

PROBL. XXIII.

Mortale est, & mortale non est interuenientes sententiæ contrà aliquem delinquentem circà fœmininarum solicitationem in confessione in Aula S. Officij prolatæ, delinquentem alium manifestare quæritur.

162 *Mortale est.* MOrtale quidem est reum queiscúmque manifestare, licèt sit Religioso, aut Sacerdoti. Quia ideò ibi sententia in secreto profertur, vt delinquens non infametur, & causa Tribunalis limites non excedat. Sic Sousa *de confessar. solicit. tractat. 2. capite 16. numer. 8.*

163 *Mortale non est.* Mortale non est, illum reum Religiosis, & Sacerdotibus manifestare. Quia ex huiusmodi manifestatione nulla orientur scandala, imò potius timor, bonúsque effectus. Ità Diana *part. 4. tr. 15. resol. 44.*

164 *Eligo primum partem.* Primam sententiam probabiliorem esse existimo. Quia ideò Domini Inquisitores sententiam in occulto ferunt, ne nimium reus infametur, & nè delictum illud ingerat fidelibus scandalum: Ergò reuelans arcanum illud aliis non potest non reus esse lethalis piaculi infatuando circà secretum piam S. Tribunalis diligentiam. Scio, Seraphinum à Freitas *in addit. ad tract. de Confessar. solicit. quæst. 24. num. 49.* docere, à DD. Inquisitoribus propter scandala vitanda pœnam excommunicationis, & iuramentum de secreto illo seruando esse adhibendum. Vndè colligit Diana, *Ergo dicæ non adhiberi, non adest obligatio peccati mortalis.* Sed amici mei docti planè, venia, eò ipso, quod Freitas dixit, operæ pretium esse excommunicationem, & iuramentum adhiberi, nè interuenientes Sacri Tribunalis iudicio aliis sententiam referent, asserit adeò graue esse piaculum rei, & delicti manifestatio, vt conueniens sit censuræ, & iuramentis vis, nè quis audeat id aliis manifestare.

* * *

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. I. V.

CAPVT XIII.

Circà Susurrationem & Maledictionem.

PROBL. XXIV.

Licet, & non licet per Susurrationem alium excludere ab amicitia, quam ipse tibi ambis coire cum Principe, (verbi gratiâ,) narrando tantùm aliquos naturales defectus illius, quem intendis excludere.

165 *Quæstionis status.* CERTVM est, non licere id agere mediis illicitis, vt fraude, dolo, infamando proximum, seminando odia, aut spoliando fratrem re aliqua, in quam habet ius: tunc enim esset peccatum mortale contrà iustitiam. Quid si id agatur, tantùm narrando defectus aliquos naturales, aut alios veros, sed non occultos, ex quibus nec sequatur infamia, nec dissolutio amicitiæ, sed tantùm dissolutio illius familiaritatis primariæ, quam cum Principe habebat?

166 *Licet quidem.* Licet quidem. Quia amicitia, & familiaritas est bonum gratuitum pendens à libera voluntate amicorum, sicut enim liberum est conferenti bonum gratuitum non conferre: ita tibi licitum erit, secluſa vi, ac fraude, curare, vt non conferat. Quemadmodum licet sine vi, & fraude, rogare Petrum, vt testamentum mutet, neque suum constituat hæredem. Sic Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 11.* Aragon. *2. 2. quæst. 74. art. 2.* Bonac. *d. 2. qu. 6. punct. 2. num. 6.*

167 *Minimè licet.* Minimè licet, sed lethale est peccatum, si alter in notabile ob id damnum incurrat, aut amittat aliquod bonum ex diminutione talis familiaritatis: veniale autem erit, si res parua sit. Quia quamvis amicitia sit bonum gratuitum, postquam tamen in illam quis admissus est, habet ius, ne illa ab aliquo tertio sine causa, cum damno suo priuetur, sicut pauper habet ius, nè quis impediat eleemosynas, quas quis illi statuit elargiri. Ità Salon 2. 2 *quæst. 74. art. 4. post 2. concl.* Sayr. *in Claui, lib. 12. cap. 5. num. 5.* Azor. *tom. 3. lib. 13. cap. 5. qu. 5.* Trull. *Decalog. lib. 3. cap. 7. dub. 3. num. 7.* & alij.

168 *Hoc mihi probabilius.* Probabilius existimo hoc non licere, sed agentem delinquere regulariter. Quia bonum propriæ vtilitatis non est sufficiens ratio honestandi aliquod damnum, & incommodum, quod lethaliter alteri sequatur ex talis familiaritatis imminutione. Dixi *regulariter*, quia si ab exclusione illius ex inclusione propria censeretur, meritò aliquod bonum maius secuturum, vel ipsi Principi, vel familiæ, vel populo: tum videor, posse à peccato excusari. Vtilitas enim huiusmodi potest illius vtilitati proferri.

PROBL. XXV.

Est peccatum contrà iustitiam, & non est peccatum contrà iustitiam restitutioni obnoxium per susurrationem defectus naturales aliquos aperiendo, alterum à familiaritate Principis abstrahere.

Dixi *Problem. 11.* id esse peccatum, quæsierim verò, nùm sit contrà iustitiam? Contrà iustitiam est. Quia licet amicitia bonum sit gratuitum, tamen postquam quis in familiaritatem Principis est admissus, ius habet, nè illa ab alio sine causa deturbetur. Causa autem iusta non est, sese eo excluso, in Principis familiaritatem ingerere, graui quidem prioris familiaris, damno; pluris enim quisque æstimat Principis specialem gratiam illam quam diuitias. Sic Salon 2. 2. *qu. 74. art. 1.* Azor. *tom. 3. lib. 13. cap 5. qu. 5.* Sayr. *in Claui, lib. 12. cap. 5. num. 5.* Trull. *Decalog. lib. 12. capite 7. dub. 3. num. 7.* 169 *Est peccatum contrà iustitiam.*

Non est contrà iustitiam. Quia amicitia, vel familiaritas specialis illa est bonum gratuitum à libera voluntate Principis pendens: At in re gratuita nullus habet ius, gratis enim confertur: & gratis negari potest. Ità Filliuc. *tract. 40. num. 141.* & probabile ait esse Trullench. *vbi suprà.* 170 *Contrà iustitiam non est.*

Hæc mihi sententia magis arridet. Quia contrà iustitiam non est, quod quis sine fraude ac vi commodum cuius est dignus, sibi procuret. Non enim quodlibet damnum, quod ex nostra actione sequitur proximo, est contrà iustitiam; sed tantùm quandò ille in bono, quo priuatur, habet aliquod ius propriè dictum. Vnde qui determinatum ad legendum Petro centum, impellit precibus, rationibus, &c. vt sibi illa centum scuta leget: infert quidem Petro damnum illud priuationis centum aureorum; sed contrà iustitiam non delinquit, quia nondum Petrus habebat vllum ius in præfatam pecuniam. 171 *Nobis hæc mihi arridet.*

PROBL. XXVI.

Susurrationis peccata differunt, & non differunt specie propter diuersitatem amicitiæ, quam turbant: verbi gratiâ, si turbetur concordia inter coniuges, inter patrem & filium, inter fratres, inter sodales, inter amicos.

NOn differunt. Quia susurratio per se solùm tendit ad mutuam amicitiam tollendam: quod verò amicitia oriatur ex tali, vel tali titulo, per accidens est, ad hoc vitium. Sic Caiet. *2. 2. qu. 74.* Molina *tom. 4. tract. 4. d. 25. numer. 4.* 172 *Non differunt.*

Differunt quidem. Quia quando quis susurrando seminat discordiam inter patrem, & filium, (verbi gratiâ;) & dat filio occasionem odij aduersus patrem suum, illud scandalum habebit speciem diuersam, saltem quando illud odium filij in patrem intendebat, odium enim in patrem habet circumstantiam specie diuersam. Ità eminentis Cardinalis de 173 *Differunt.*

Lugo

Lugo meus felici sorte mea olim condiscipulus meus, inquam, vel tunc sapientissimus Magister *de pœnit. d. 6. section. 6. in principio, & to. 1. de iust. d. 14. section. 1. num. 43.*

174 *Auctoris resolutio.* Ego autem sic ex ipso datore quæstioni satisfactio. Prima sententia, vt admitti possit, limitanda est, vt procedat, de peccato Susurrationis quatenus per ipsum infertur malum siuè contrà iustitiam, siuè contrà charitatem illis, contrà quos susurratur; si tamen consideretur peccatum illud provt aliquandò includit malitiam scandali, ob peccandi occasionem, quæ datur ei, apud quem fit susurratio: tunc aliquandò diuersùm erit in specie ob diuersam coniunctionem personarum. Quandò (verbi gratiâ,) susurrando quis seminat discordiam inter patrem & filium, & dat occasionem odij filio contrà patrem suum: illud scandalum habebit speciem diuersam, saltim quando intendebat illud odium filij in patrem. Quare si illud peccatum quis voluit directè in filio, iam ex hoc capite scandalum habebit speciem aliquam diuersam scandali ratione. Fateor item, id quod etiam P. Molina fatetur, posse susurrationes specie differre, quandò nimirum susurro prænider, sequi posse non solùm detrimentum pacis, & concordiæ, sed etiam damna circà alia genera bonorum, vt si sequi possint vulnera, homicidia, in bonis fortunæ detrimenta, & similia, ex quorum bonorum diuersitate iniustitia susurrationis speciem diuersam iniuriæ accipiet, & restituendi pro hisce damnis obligationem pariet.

PROBL. XXVII.

Necessariò debet, & non debet in confessione explicari malum, quod per maledictionem exoptatum est proximo.

175 *Quæstionis status.* VIdimus *Sect. 1.* maledictionem esse, quando alicui malum imprecamur. Plerumque autem habet aliam malitiam adiunctam saltem contra proximi dilectionem, cui tale malum desideratur. Quæsierim itaque, nùm necessariò explicandum sit semper malum, quod per maledictionem proximo desideramus?

176 *Explicandum necessariò est.* Explicandum necessariò est. Quia diuersa specie est optare malum corporis, vel malum spirituale, vel infamiam, &c. Sic Molina *lib. 2. de iustit. tract. 4. d. 22. num. 3.*

177 *Explicandum necessariò non est.* Explicandum necessariò non est. Quia maledictiones specie morali non variantur, malum enim desideratum proximo semper opponitur eidem virtuti dilectionis eiusdem. Ità Cardinalis de Lugo *de pœnit. d. 16. section. 5. & tom. 1. de iustit. d. 14. section. 11. numero 195.*

178 *Hoc mihi verius.* Hoc mihi verius. Nam peccata odij non variantur in specie morali ex diuersitate specifica mali desiderati, quandò non desideratur nisi sub ratione generali mali proximi. At peccata quæ specie non distinguntur, licèt intrà eandem speciem grauiora existant, non sunt necessariò in confessione distinguenda: Ergò. Lege *Problema. 26.*

PROBL. XXVIII.

Quando maledictio est in parentes, in Prælatum, in herum prolata quidem ore solum sine animo: semper est, & non est lethale peccatum.

SEmper est lethale. Quia cum in faciè maledictio profertur, grauis fit eis iniuria: cum autem in absentia, sed coram aliis iactatur, parit graue audientibus scandalum: si priuatim nullo audiente, ore exprimitur, grauem præ se fert irreuerentiam. Dei enim loco parentes ac Superiores habemus, iactitare autem contra Deum maledictionem vel nullo audiente grauissima est blasphemia, etiam si Deo malum illud non optetur. Sic Molina *to. 4. tract. 4. d. 23. num. 4.* 179 *Semper est lethale.*

Non semper lethale crimen est. Quia quando in faciem vel nullo adstante, maledictio profertur, haud grauis parentibus, Prælato, hero irrogatur iniuria. Ita Cardinalis de Lugo *tom. 1. de iust. d. 14. numer. 196.* & alij communiter. 180 *Non est lethale semper.*

Fatur P. Molina *citatus.* Quamvis regulariter maledictiones ore solùm prolatæ sine animo, quod mala illa eueniant, non sit peccatum mortale, nisi fortè contineant contumeliam grauem in proximum; id tamen fallit quando maledictio esset contra Deum, esset enim blasphemia grauissima, etiam si non optaretur malum illud Deo: idemque puto quando maledictio esset in parentes, in Prælatum, in herum. Hæc Molinæ sententia, vera quidem semper de maledictione in Deum prolata: at de maledictione in parentes, Prælatum, & herum non semper, sed quando in faciem iactatur; in absentia tamen prolatam non semper grauis piaculi damnarem, vt quandoex ira quis dicere solet. *Maledicta sit, quæ me genuit*, sine vllo tamen animo, aut desiderio mali in genitricem iam mortuam. Porrò nec caret dubio, quod idem Doctor addit, maledictionem illam, qua quis ex ira se diabolo commendat, etiamsi ex corde non proferatur, semper esse mortale peccatum propter fæditatem rei ipsius. De hoc tamen multum dubito, secluso scandalo, & maximè si nullus adesset qui audiret. Regulariter tamen crediderim cum Card. De Lugo, quod qui verba huiusmodi proferunt apprehendunt in illis grauem deformitatem, quod sufficit ad culpam grauem contrahendam. 181 *Auctoris resolutio.*

PROBL. XXIX.

Maledictiones differunt, & non differunt specie iuxtà mala, quæ proximo optamus.

IN Problema. 24. vberiorem expositionem requiro, an Maledictiones specie differant iuxta mala quæ proximo optamus? Differunt quidem. Quia mala à nobis optata differunt specie, & maledictio quælibet pertinet ad speciem, 182 *Specie differunt.*

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

speciem, ad quam pertinet malum, quod optamus: sicut odium internum, à quo procedit. Vndè si opto homicidium, ero homicida: si incendium domus, incendiarius: si bonorum abstractionem, fur: ob idque teneor necessariò ea in confessione explicare. Sic Sayr. *in Clavi, lib. 12. cap. 5. num. 14.* Salon 2.2. *q. 76. a. 1. concl. 1.* Filliuc. *tract. 40. cap. 5. num. 147.* & alij apud ipsos.

183 *Non differunt specie.* Non differunt specie. Quia omnes maledictiones ex odio in proximum procedunt: odiū autem in proximum in quacúmque materia semper speciei est eiusdem: quamvis diuersa mala optemus, vt mortem, infamiam, &c. sub vna enim ratione mali omnia desideratur, scilicet sub odio in proximum. Ità Ledes. *tr. 3. de char. c. 6. concl. 8.* Trull. *Decal. lib. 2. c. 4. dub. 2. dicto 2.* hoc probabile putat. Lege eum *lib. 8. cap. 7. dub. 4. num. 2.*

184 *Idem teneo.* Idem teneo. Addiderim tamen, si maledictiones sint atrocissimæ, esse in confessione explicandas circà probabilem opinionem asserentium, circumstantias notabiliter aggrauantes esse necessariò fatendas, vt si desideres condemnationem, seu amissionem spiritualis vitæ, aut vitæ corporis, aut grauissimam infamiam: vt confessarius melius possit iudicare, ac aptius moderi. Porrò iuxtà contrariam probabiliorem mihi sententiam sufficiet, si quis dicat, se graue malum ex animo proximo imprecatum fuisse.

PROBL. XXX.

Qui omnia, aut multa mala simul alteri imprecatur multarum scilicet speciemum deformitates tenetur, & non tenetur earum numerum in confessione exponere.

185 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem. Quia maledictiones suam speciem sumunt ab specie mali, quod imprecamur. Ergò si species malorum, quæ simul optamus sunt distinctæ, necessariò earum numerus erit explicandus. Sic Sayr. *in Clavi, l. 12. cap. 5. num. 10.* Salon. *2.2. qu. 76. fine.*

186 *Non tenetur* Non tenetur. Quià omnes maledictiones sunt speciei eiusdem. Vndè qui simul hasce imprecationes proferret: *Los diablos tellenen, en los infiernos ardas. A mil as puñaladas mueras, Vn rayo te abrase, &c.* vnicum grauius quidem peccatum committit, omnes enim moraliter vnico actu prolatæ reputantur: & ei sufficit fateri, in proximum grauem se maledictionem ex corde protulisse. Communiter Doctores. Lege Trullench. probabilem esse hanc sententiam asserentem.

187 *Hoc probabilius.* Ego existimo esse probabiliorem propter bis indicatum fundamentum, si autem omnes maledictiones eiusdem sint speciei constat haud esse cum situl iactantur vno quidé actu in confessione annumerandas: vnū enim peccatum sūt. Sicut vnum numero delictum committit, qui eodem actu plura iuramenta falsa, ad aliquam rem confirmandam, profert: aut qui pluries eodem tempore fœminam deosculatur; aut qui pluribus plagis afficit inimicum: aut qui ter pugione Clericum percussit continuatis vulneribus, vnam tantùm excommunicationem contrahit, quia vnica percussio reputatur. Palao *tom. 1. tract. 3. d. 3. punct. 1. n. 5.* Bonac. *d. 2 de peccatis, q. 4. punct. 2. num. 11.* Sancius *in select. d. 6. num. 1. 2. & 3.*

CAPVT XIV.

Circà Iudicium temerarium, & suspitiones.

PROBL. XXXI.

Quando vtrinque sunt motiua probabilia, est, & non est peccatum graue iudicare probabiliter contrà personam præstando de eius delicto graui probabilem assensum.

188 *Graue peccatum est.* GRAVE peccatum est. Quia detractio, qua existētibus motiuis probabilibus ex vtráque parte, determinatè quis affirmat crimen, seu defectum grauem proximi, grauem continet culpam: Ergò, & assensus interaus, quo apud se idem affirmat, etiam grauem culpam continebit. Sic viri docti, quos consului.

189 *Non est graue peccatum.* Non est graue peccatum, sed tantùm veniale. Quià existentibus huiusmodi motiuis, possumus licitè iudicare probabile esse tale delictum, seu possumus iudicare probabilitatem in actu signato; parum autem addit suprà eiusmodi iudicium, aliud iudicium, quo probabiliter, & cum formidine directè iudicetur ipsum delictum; nemo enim valdè ægrè ferret, nec tāquam de graui iactura conqueretur, quod post quam de ipso iudicatur reflexè, probabile esse eius delictum, iudicetur etiam directè per assensum opinatiuum ipsummet delictum. Ergò ille assensus ad mortalem culpam non sufficit. Ità Card. de Lugo *to. 1. de iust. d. 14. sect. 1. n. 22.*

190 *Verius hoc longè existimo.* Verius hoc longè existimo, & quidquid sit de antecedenti illo pro fundamento primæ sententiæ apposito, abnego consequentiam. Quià ea, per affirmationem externam absolutam, & determinatam significat quis vllo modo formidinem, vel assensus interni infirmitatem, quam tamen significat, & habet per assensum probabilem internum, quare magis est contrà iustum proximi detractio illa externa, quam internus assensus. Vndè si exterius etiam ille significaret eandem formidinem, dicendo, *Hoc probabiliter ita est*: nec aliundè opponeretur iustitiæ ex eo, quod defectus occultus absque sufficienti causa publicaretur: posset etiam dici, detractionem illam culpam grauem minimè continere.

PROBL. XXXII.

Materia grauis ad hoc, vt iudicium temerarium de illa sit culpa grauis, est, & non est, quando temere iudicamus aliquam culpam mortalem de proximo.

191 *Nonnulla suppono.* VIdimus *sect. 1.* iudicium temerarium dici, quod sine sufficienti fundamēto fit. Porrò huius iudicij assignantur plures gradus, qui ad ipsum reducuntur. Primus est dubitatio cum

cum dubitamus de bonitate alicuius: dubitare autem est neutri parti adhærere, sed suspendere assensum. Secundus est suspitio, quandò homo in alteram partem inclinat, non tamen determinatè assentitur. Sed habet quandam inclinationem, siuè assensum inchoatum, quatenus probabiliter iudicat, latere ibi aliquod fundamentum ad opinandum. Tertius est opinio, seu assensus determinatus de re ipsa cum formidine tamen vel actuali, vel saltèm radicali: quatenus si homo interrogaretur, an res illa esset certa? responderet, sibi certâ non esse, imò fortè non ita esse, prout ipse existimat. Quartus est assensus firmus, hoc est, sine formidine implicita, vel explicita. Quintus denique iudicium externum, seu sententia condemnatoria exterius prolata, qui ad solos Iudices pertinet, de quo *Volum.* 7. Porrò iudicium temerariũ firmum (quod pertinet ad quartum illum gradũ) est peccatum mortale contra iustitiam, si proximus de materia, aut re graui iudicetur. Quæsierim igitur, quæ sit materia grauis ad hoc, vt iudicium temerarium, hoc est, sinè sufficienti fundamento, sit graue peccatum.

192 *Est grauis materia, cum iudicio, in proximo graue adesse peccatum.*

Materia grauis est quandò temerè iudicamus aliquã culpam lethalẽ in proximo adesse. Quia grauem ei tunc iniuriam irrogamus. Sic aliqui quos presso nomine memorat Lugo. *to. 1. de iust. d. 14. sect. 2. num. 23.*

193 *Non est hac regulariter grauis iudicij temerarij materia.*

Non est materia grauis, quando temerè iudicamus, culpam aliquam grauem in proximo adesse. Quia aliquæ sunt personæ, de quibus iudicare aliquam mortalem culpam, mortale nõ sit, vt si de milite profano iudices, velle se vindicare ab eo, à quo alapam accepit. Ergò fallit illa regula. Item quia aliqua sunt peccata venialia, quæ si iudices temerè de aliquo, grauiter delinques, vt si de viro valde religioso iudices temerè esse ambitiosum, vel frequenter mentiri. Ita Card. de Lugo citatus.

194 *Hoc verum esse iudico.*

Hoc verum iudico, efficacemque pro statuenda regula rationem adhibeo. Quia sicut detractio externa tunc est grauis, quando aufert apud audientes famam in re graui, ita iudicium temerarium graue erit, quando apud ipsum iudicantem aufert opinionem grauem alicuius, cuiuscumque sit generis fama illa quæ auferetur; homines enim ægrè ferunt in omnibus materiis pati famæ detrimentum.

PROBL. XXXIII.

Iudicium temerarium est, & non peccatum eiusdem speciei infimæ cum detractione.

195 *Est quidem.*

ESt quidem. Quia tam per iudicium internum, quàm per detractionem leditur iniuste proximi fama: quòd vero lædatur apud me solùm, vel apud alios, non videtur esse differentia specifica, sed materialis, & secundùm magis & minus. Sic P. Molina *tom. 5. d. 13. n. 1.*

196 *Non est.*

Non quidem est. Quia si eiusdem speciei esset cum detractione, sequeretur, quod in cõfessione sufficeret, dicere: Peccaui grauiter contra proximi famam, non explicando, an per iudicium internum, an per detractionem: idque non solùm suppositâ sententia probabili, quòd circumstantiæ aggrauantes non mutantes speciem non sunt necessariò fatendæ: sed etiam suppositâ contraria sententia. Tum quia non videtur notabiliter aggrauare, quod fama lædatur apud duos, & non apud vnum solum: tùm etiam quia saltèm quando peccatur per iudicium internum non deberet id explicari, cum in omni sententia circumstantiæ etiam notabiliter alleuiantes non debeant necessariò explicari, quando speciem non mutant. Consequens autem est contrà omnium Confessariorum praxim, qui specialiter de detractione & de iudicio temerario interrogant. Ità Card. de Lugo *tom. 1. de iust. sect. 2. num. 31.*

197 *Hoc esse verius existimo.*

Hanc sententiam longè veriorem esse reor. Ratio autem, cur illa duo peccata specie differant, hæc videtur esse, quia in ipsa fama, si res attentè consideratur, duo sunt bona diuersa: nempè notitia, quam habeo de Antonij virtute, & rursus assensus, quo propter talem notitiam, quam accepi, credo positiuè Antonij probitatem: quæ duo valde sunt diuersa. Nam notitia illa non est ex Debito sed eam accipio ab ipsis obiectis: assensus vero est quasi tributum, quod debeo tali notitiæ acceptæ, qua notitia posita, debeo saltem quoad specificationem eiusdem assensum. An verò fama consistat formaliter in ipso assensu, an verò notitia precedente, quæstio erit de nomine.

PROBL. XXXIV.

Suspitio temeraria, qua scilicet ex leuibus habetur indiciis, ex suo genere, & obiecto est, & non est peccatum lethale.

OMnis suspitio contra proximum temeraria de malo graui, si deliberata sit, est lethale peccatum. Quia suspitio tunc habetur, quando aliquis iam non dubitat, ac suspensus est: sed propendet, & inclinat in alteram partem, licet nondum assensum opinatiuum, aut firmum ferat: sed quilibet vir bonus grauiter ferret talem circa graue vitium de se haberi suspitionem: Ergo mortale peccatum est. Sic Banes 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. Salon. & Arag. *ibi.*

189 *Est peccatum lethale.*

Nulla suspitio ex suo genere est lethale peccatum sed veniale solum. Quia suspitio de graui malo non est iudicium, aut firmus assensus, nec opinatiuus, imò nec propriè est assensus; est enim vacillatio quædam circa propositum malum: Ergo peccatum mortale non est. Erit tamen veniale: quia vnusquisque hoc iure naturali gaudet, quoad vsque per legitima testimonia, & iudicia suum delictum prodeat in lucem. Cum ergò huiusmodi suspicio modo aliquo hoc ius naturale violet, modo etiam aliquo, & venialiter tantum iniuriosa existet. Ità Caiet 2. 2. *quæstion.* 60. *art.* 3. ad 3. Sotus *libr. de iust. quæstion.* 1. *art.* 3. Sylues.. *verb. Iudicium, quæstion.* 3. Nauar. *ad rubr. de iudiciis, numer.* 48. Valent. 2. 2. *quæstion.* 60. *art.* 3. *d.* 5. *quæstion.* 4. *punct.* 3. Fagundez *Decalog. libr.* 8. *cap.* 11. *num.* 18. Medin. *in instruct. c.* 14. §. 37. *in* 1. *regu.* Filliuc. *tra.* 40. *num.* 12. Lessi. *l.* 2. *c.* 29. *dub.* 3. *num.* 27. 19. & 23. 199 *Peccatum lethale non est.*

Hanc sententiam puto esse probabiliorem. Nã apud viros prudẽtes nõ putatur grauis iniuria, 200 *Probabilior. rem hanc esse. Aliena pitio.*

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E. IV.

juria, quod aliquis de alio concipiat suspitionem. Sunt enim huiusmodi suspitiones humano errore procedentes communes etiam viris probis, ac timoratis. Vnde qui eas pro graui iniuria reputaret, irrationabilis ortpinò esset, & nimius in suo honore tuendo: præcipuè cum suspitio non sit assensus, sed tantùm quædam ad assensum, ac iudicium concitatio. Manet ergò adhuc in suspicantis mente bona fama, & existimatio proximi licèt leuiter læsa, cum non priuetur ea, nisi per contrarium assensum, & iudicium. Adnotarim tamen ex Soto, & Valentia ratione grauitatis materiæ, vel personæ aliquando lethalem esse suspitionem: vt si ex leui indicio quis suspicetur Religiosum virum esse hæreticum, vel filium cum matre incestum perpetrasse, & similia. & in hoc à Caietano dissentio existimante, nunquam posse suspitionem esse plusquam veniale ex obiecto, ac genere suo.

PROBL. XXXV.

Opinio temeraria ex suo genere est, & non est peccatum mortiferum.

201 *Peccatum lethale est.* PEccatum mortiferũ est. Quia proximus habet ius, vt nemo de illo ex leuibus indiciis iudicet, quisq; enim prudẽs id grauiter ferret: sed assensus opinatiuus est iudicium quoddam, quo de proximo malè iudicamus, licèt cum formidine iudicemus: Ergò erit peccatum mortale: maximè cũ huiusmodi iudicium, & assensus opinatiuus contrà iustitiam sit. Sic Salon 2.2. *qu.*60. *art.*3. Bannes, & Aragon. *ibid.*

202 *Non est peccatum lethale.* Absolutè loquendo, & ex genere suo non est lethale peccatum temerariè seu ex leuibus indiciis malum de proximo opinari. Quia iudicium, & assensus opinatiuus absque animi firmitate de improbitate proximi non est aptus ex natura sua generare malam illius æstimationem in mente, assentientis, ac iudicantis. Nam eo ipso quod improbitas certa non iudicatur, non infertur positiua praua hominis æstimatio, sed ad summum impeditur bona, ad quam non habet proximum ius; neque enim tenetur quis bonam æstimationem positiuam de alio habere, sed tantùm habere illam negatiuam, id est, non habere malam. Vndè si assensus ille opinatiuus, & iudicium temerarium ex natura sua non est aptus, malam opinionem positiuam de altero generare: nec etiam erit secundùm se graue malum, & ideò nec grauis iniuria, nec graue damnum, nec graue peccatum, sed veniale tantùm.

PROBL. XXXVI.

Licitum est, & non est nobis alteri imprecari malum sub ratione boni, id est, ægritudinem peccatori, vt conuertatur.

203 *Non licet.* PRoblema hoc, è calamo excidit *cap.* 13. cum de Maledictionibus sermo processit, sed nè ex lectoris notitia elaberetur, extrà chorum expono. Requiro itaque, nùm liceat proximo imprecari malum sub ratione boni, scilicèt, peccatori ægritudinem, vt ad meliorem se frugem recipiat, filio mortem, vel parenti, vt saltem in mortis articulo à malitia reflectat? Minimè licet: Quia quod non licet facere non est licitum imprecari: sed nulli priuato homini licet id malum alteri facere: ergò nec etiam licebit id ei imprecari. Sic quidam quos presso nomine. Fagund. *Decal. lib.* 8. *cap.* 13. *numer.* 21. memorat, quorum sententiam indicat esse probabilem, dùm asserit contrariam sententiam esse meliorem.

Licet omninò. Quia nõ solũ licet cuiquam priuato homini imprecari, sed etiã desiderare malũ alteri primò ob finẽ boni, & sub ratione boni: verbi gr. desiderare, vt peccatores iustè, ac iuridicè puniantur à Iudicibus Dei ad gloriam. Deindè ob cõmune bonũ: quo pacto licitum est desiderare, vt Turcæ conterantur, & hæretici conuertantur, aut de medio tollantur, & vt bona eorum imminuantur temporaria, ac omninò deficiant. Tertiò denique ratione boni proprij honesti, vel vtilis: quo pacto fuella à iuuene, solicitata optare potest ei grauem morbum, vel etiam mortem, vt cesset ab illa iniquitate. Igitur in illis casibus, in quibus possumus malum alicui sub ratione boni optare, possumus etiam illud ei imprecari. Ità D. Tho. 2.2. *qu.*76. *art.*7. Sotus *lib.*5. *de iust. qu.*12. *art.*1. Filliuc. *tract.*40. *num.*149. Fagund. *vbi supra*, & alij communiter. 204 *Licet plane.*

Hoc mihi certum, existimanti quidem primæ sententiæ fundamentum haud quidquam efficere. Illa enim maior: *Quod non licet facere, non licet desiderare, aut imprecari*, potest esse vera in hoc sensu. Quod non licet facere absolute loquendo, non licet etiam desiderare, est autem falsa in hoc, quod non licet facere per se ipsum, non licet etiam desiderare, vt fiat alicui per alterum, aut imprecari. Non licet enim nobis, aliquem occidere, & licet, ei mortem desiderare: non licet, aliquem suis spoliare bonis, & licet nobis desiderare, vt ab alio spolietur, nempè à Iudice in pœnam delicti, aut à Deo, vt resipiscat. 205 *Hoc mihi certum.*

CAPVT XV.

Circà Famæ Restitutionem.

PROBL. XXXVII.

Fama proximi debet, & non debet necessariò cum periculo vitæ restitui.

206 *Debet restitui, vel cum vitæ periculo.* FAMA cum periculo etiam vitæ est restituenda, quandò aliter restitui non potest, maximè si infamatus vir sit familiæ illustris: idque etiamsi ex infamia, quam quis alteri intulit, nullum in vita, aut bonis spiritualibus eueniat. Quia quamvis fama respectu vitæ sit res inferioris ordinis: tamen huiusmodi res ordinis inferioris sumi in tanta quantitate potest, vt iudicio prudentum, vel vincat, vel æquet pretio rem ordinis Superioris, tanta námque potest esse vis plumbi, vt vel vincat, vel æquet auri valorem; tanta potest esse

esse vis pecuniæ, vt æquè præstans, imò præstantior, quam ipsa fama, censeatur, quamvis pecunia res ordinis inferioris sit. Tam illustris igitur potest esse fama, vt omnium rectè sentientium iudicio æquè præstans, imò præstantior censeatur, quàm miseri vita homunculi. Sic Sotus *lib. 4. de iust. qu. 6. art. 3.* & alij, & probabilem esse docet Fagund. *Decal. lib. 8. cap. 13. num. 2.*

207 *Cum periculo vitæ restitui non debet.* Si ex infamia, quam quis alteri intulit non eueniat damnum in vita, vel in bonis spiritualibus, nemo tenetur cum periculo vitæ famam ei restituere, etiamsi infamatus homo illustris prosapiæ existat. Quia nemo tenetur pecunias restituere cum suæ libertatis iactura, se ipsum vendendo, aut tradendo in seruitutem, (vt omnes Doctores profitentur;) libertas enim est superioris ordinis, & nullo potest pretio comparari: Ergò nemo etiam tenebitur famam alterius cum vitæ iactura restituere, eo quod vita ordinis sit superioris. Ità Caiet. 2. 2. q. 62. *art. 3. ad 2. & opusc. 31. respons. 14.* Lessi. *lib. 2. cap. 11. dub. 15. num. 86.* Fagund. *citatus.* Sylvest. *verb. Detractio, qu. 4. casu 2.* Corduba *lib. 1. quæstion. 31.* Filliuc. *tract. 32. num. 236.* Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 4. num. 405.*

208 *Longè hoc probabilius.* Longè hoc probabilius. Nam iuxtà omnium Doctorum placitum (vti *Volum. 6.* videbimus) restitutio facienda est ad æqualitatem; at ille, qui cum vitæ periculo famam restituit, æqualitatem excedit: dat enim maius quid, quam id, quod abstulit. Quare ad huiusmodi restitutionem nullo modo obligatur. Non autem abnego, licitum esse nobis vitam aliquandò pro fama proximi exponere: non quod fama plus valeat, quàm vita, sed quòd pro virtute licitum sit vitam exponere. Attamen si ex infamia, quam proximo intulisti, damnum vitæ illi obueniat, teneris ex iustitia cum vitæ etiam periculo, famam ei restituere. Quia tunc non solùm obligaris ratione famæ iniustè ablatæ, sed etiam ratione vitæ, vt patet.

PROBL. XXXVIII.

Quando fama restitui non potest, infamator tenetur, & non tenetur eam pecunia compensare.

209 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem. Quia qui alteri intulit damnum centum aureorum, si non potest æquale restituere, restituere tenetur id, quod potest, vt quam proximè ad æqualitatem accedat. Ergò quamvis fama excedat omnem pecuniam, tenetur infamator eam pecunia compensare, vt aliquo modo ad æqualitatem accedat; nam etiamsi fama sit ex genere suo præstantior pecunia, tamen tanta potest pecuniæ vis ex altera parte accumulari, vt cumulus ille pecuniæ multo pretiosior sit, omnium rectè sentientium iudicio, quam cuiúsque hominis nobilis fama. An non dicit Philosophus, *Pecunia est omnium rerum mensura?* Certè aurum longè est plumbo pretiosior: sed tanta vis plumbo ex altera parte potest apponi, vt pretio vincat aurum. Sic Conar. *libro 1. variarum, capite 2. numero 8.* Sotus *libro 4. de iustit. quæstion. 6. numero 3.* & alij apud Fagundez *lib. 8. Decalog. cap. 14. nu-*

mero 12. quorum sententiam ipse ait esse probabilem.

Præcisè pro ipsa infamia sic cluso alio damno, quando illa publica, vel secreta renocatione dictorum tolli nequit, nemo tenetur ex iustitia illam pecunia compensare. Quià iustitia commutatiua tantū postulat, vt restituatur id, quod ablatum est, per id, quod communi æstimatione iudicatur æquiualens: at si hoc fieri non possit, cessat obligatio, & moraliter est impossibilis. At pecunia non est æquiualens famæ, fama enim est res Superioris ordinis, & illam admodum excedit iuxtà illud Ecclesiast. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri.* Ergò nullus tenetur infamiam, quam proximo intulit, pecunia compensare. Ità Nauar. *sum. cap. 17. num. 90.* Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 16. num. 92.* Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 4. num. 417.* Filliuc. *tract. 32. num. 234.* Fagund. *Decal. lib. 8. cap. 13. num. 5.* Sylvest. *verb. Detractio, qu. 4. casu 2.* Caiet. 2. 2. *qu. 62. art. 2.* & alij recentiores communiter.

210 *Non tenetur.*

211 *Probabilius hoc mihi.* Probabilius esse iudico, nullum ex iustitia teneri, famam pecunia compensare: quod hoc confirmarim exemplo. Quemadmodum qui non est soluendo æs alienum, nec potest damnum pecuniarium, quod alteri intulit, ob paupertatem pecuniis resarcire: non tenetur id resarcire orationibus, ieiuniis, vel honorificationibus externis; & qui vi, aut fraude aliquem ad peccatum induxit, non tenetur ei damnum conscientiæ resarcire pecunia; ità qui damnum famæ proximi iniustè intulit, si alia via id resarcire nequit, non tenetur ex iustitia pecuniis resarcire, nullum enim ordinem, vel connexionem hæc inter se habent. Dixi, *ex iustitia*, quia ex charitate fieri potest, vt aliquandò teneatur compensare pecunia, vt si infamatus sit pauper, nec aliter videatur depositurus tristitiam indè conceptam, nisi ei pecunia compensaretur, si infamator sit dives. Ratio est, quia sicut ex charitate magis tenetur quis benefactoribus suis, quàm aliis, ità ex eadem magis tenetur iis, qui malum sua sunt passi causa. Didici ex Lessio *citato, numero 96.* & Filliucio *vbi suprà.*

PROBL. XXXIX.

Infamator tenetur, & non tenetur ad restitutionem famæ, si infamatus suis virtutibus eam recuperauit.

212 *Tenetur quidem.* NOn semel accidit, vt postquam quis alterum infamia affecit, ipse suis rectis factis, ac virtutibus famam deperditam recuperauit. Dubito in hoc casu, an infamator ad aliquam teneatur restitutionem? Tenetur quidem. Quia verè causa damni fuit: ergò illud resarcire tenetur; nam qui iniustè causa alteri est causa, in conscientia restituere tenetur, *cap. si culpa, de iniuriis, & damno dato.* Sic Adrian. *in 4. qu. 1. de restit. fama, §. contra prædicta, in resp. ad 2.* Nauar. *in repetit. cap. Inter verba, n. 863.*

213 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia postquam ille suam famam recuperauit, iam in illa damno non afficitur, restitutio enim est, ad resarciendum damnum: hoc autem iam est refectum. Sicut si dominus,

vel sua, vel alia via recuperauerit æquum sibi ablatum furto, non tenetur fur amplius ad aliquam restitutionem. Ita Lessi. *lib. 2. cap. 11. dub. 17.* Sayr. *in Claui, lib. 11. cap. 3. num. 14.* Fagund. *Decal. lib. 8. cap. 14. num. 2.* Malder. *de iust. c. de resti. in honore, dub. 11.* Sotus *lib. 4. de iust. qu. 6. art. 3. ad 4.* Filliuc. *tract. 22. num. 148* Nauarra *de rest. lib. 1. cap. 4. dub. 3. num. 372.* Salon. *2. 2. qu. 62. art. 2.* Tolet. *lib. 5. cap. 68.* Sylues. *verbo Detractio, quæstion. 4.* Nauar. *sum. capite 18. numero 47.*

214 *Hanc aliqs sententiam.* Certè cum infamatus olim iam habeat, quod perdiderat: iniustè queretur. Vndè si quis alterum de concubinatu infamauit, & ille ità se purgauit, vt amplius non habeatur fides, infamatori, liberatur infamator à restitutionis obligatione. Etsi aliquis infamauit alium de hæresi, & ideò fuit captus ab Inquisitoribus, posteà autem per sententiam declaratus fuit innocens, non tenetur infamator ei famam restituere. Rogas, an aliquid sit restituendum, prudentis arbitrio pro ipsa infamia, quam elapso illo medio tempore vsque ad famæ recuperationem est passus? Existimo debere fieri aliquam restitutionem si putetur illam velle, (alioqui censetur condonata, nec in vsu est offerre illam.) Ea autem restitutio gerenda est doloris significatione, petitionéque veniæ, vel honore aliquo, aut laude iuxtà personarum conditionem. Lessio annotante.

PROBL. XL.

Si infamia est iam obliuione sepulta, & restitutio nondum facta: infamator tenetur, & non tenetur adhuc restitutionem agere.

215 *Status quæstionis.* HOmo (verbi gratiâ,) cum esset iuuenis puellam infamauit, falsò coram aliis asserendo se illam defloraſſe, quod iam successu temporis consepultum manet: meminit tamen senex de damno dato in fama puellæ, & non reficio, requiro, an ad restitutionem teneatur.

216 *Tenetur planè.* Tenetur planè. Quia damnum ingemiscit, vt reficiatur, etiamsi maxima sit temporis intercapedo interfusa; nequè enim tempus, aut hominum obliuio locum gerit restitutionis. Sic Caiet. *2. 2. qu. 62. art. 2. ad 2.*

217 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia fama iam censetur restituta, & malum illatum moraliter loquendo non durat, cum nulla illius extet memoria. Ità D. Antonin. *part. 2. titul. 2. cap. 2. §. 3.* Graf. *lib. 2. decis. cap. 137. num. 5.* Nauar. *sum. cap. 18. num. 47.* Lessi. *lib. 2. cap. 11. dub. 18. num. 100.* & alij communiter.

218 *Verius hoc mihi.* Hoc verius esse iudico. Quia facilè infamia præterita reuiniscet, si rursùm in memoriam hominum adducatur. Quare moraliter loquendo ea restitutio magis erit noua infamatio, quam veteris refectio mali. Quare solummodò apud Deum de peccato in ea circumstantia est pœnitendum, & pro tunc restitutio non est curanda.

PROBL. XLI.

Qui aliquem infamauit non imponendo ei crimen falsum, sed manifestando verum occultum: tenetur, & non tenetur ad tantam damnorum temporalium restitutionem, ad quantam tenetur ille, qui falso alium infamauit.

219 *Nonnulla suppono.* SVppono, eum qui alterum infamauit, falsum ei impingendo crimen, teneri ei restituere omnia damna temporalia ex ea infamia subsecuta. Quià hæc infamia fuit omninò iniusta, & iniuriosa causa efficax talis damni, & ex illa directè omnia illa damna emersere; qui verò alteri causam damni dat, damnum ei dedisse censetur: quare tenetur illud restituere. Videndum tamen est, an damnum ex tali infamia secutum sit in bonis iam acquisitis, an in acquirendis: si secutum fuit in bonis iam acquisitis, restitutio in integrum est facienda. Si illatum fuit in bonis acquirendis: verbi gratiâ, in officio, beneficio, legato, quæ ex voluntate aliorum pendebant, restitutio non est gerenda in integrum, sed arbitrio prudentis. Vndè qui alium per iniuriam, & falsum crimen per vim, aut dolum, ab assecutione beneficij, officij, legati, aut honoris impediuit, tenetur ad restitutionem prudentis arbitrio, non ad integrã; quià adhuc pendebat id ex alterius voluntate, quæ re vera mutari poterat, & erat in spe: minus autem valet id, quod est in spe, & ex voluntate alterius pendet, quam quod actu possidetur. At si loquamur de eo, qui alium infamauit, manifestando illius verum crimen, sed occultum, maior est difficultas ad quantam restitutionem damnorum teneatur. Vndè requiro, num teneatur ad tantam, ad quantam tenetur ille, qui falso alium infamauit.

220 *Non tenetur ad tantam restitutionem.* Ad tantam non tenetur. Quia non tantùm peccat iste, quantum ille: & ideò non tenetur ad restitutionem in integrum; sed ad aliam arbitrio prudentis agendam. Et quia præcipua causa damnorum non est criminis reuelatio, sed ipsum crimen: reuelatio enim est solùm causa sine qua non; & consequenter infamans per reuelationem tantùm, non tenetur ad integram, sed ad arbitrariam restitutionem; quia nisi ille reuelasset, ea damna non fuissent secuta. Sic Sotus *lib. 4. de iust. qu. 6. art. 3. ad 4.* Salon. *2. 2. qu. 62. art. 2.* qui tamen posteà sententiam mutauit. Et Fagundez *Decalog. lib. 8. cap. 14. num. 7.* haud esse omninò improbabilem sententiam Soti profitetur.

221 *Ad tantam tenetur.* Tenetur ad tantam, id est, tenetur ad integram restitutionem de damno in bonis iam acquisitis, in bonis verò acquirendis ad partem prudentis arbitrio definiendam. Quià obligatio restituendi non oritur ex quantitate peccati, sed ex quantitate illati damni. Vndè licet qui verùm crimen, sed occultum reuelando infamat, minus delinquat, quàm qui falsum crimen imponit: quia tamen æquè damnificat, imò aliquando plus) quàm ille, qui falsò crimen imponit, æquè ad restitutionem tenetur, imò ad maiorem, si forte maius damnũ intu-

lit.

lit. Ità Salon. *ibi.* Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 109.* Nauar. *sum. cap. 18. numer. 45.* Fagund. *citat. num 8.* Sayr. *in Claui, lib. 11. cap. 3. num. 19. & 20.* Lessi. *libro 2. capite 12. dubio 19. num. 109.*

222 *Cum his sentio.* Cum his sentio. Nam licèt ille, qui falsum crimen imponit, plus delinquit, non tamen plus nocet; ac restitutio cum actus sit iustitiæ commutatiuæ, potius respicit nocumentum, quàm nocendi modum. Porrò ipsum crimen in se sumptum non potest esse causa damni, nisi accedente eius reuelatione; vndè quandiù crimen manet occultum, contrà iustitiam reuelatur, dum probari in iudicio non potest: & sic quatenus occultum, non potest esse causa damni, nisi reueletur: ideóque qui illud reuelat, tribuit illi veluti vim nocendi, ac inferendi damni. Ergò illud manifestans, moraliter loquendo, causa principalis damni secuti censetur: vndè non solum est conditio sine qua non, sed etiam causa moralis per se, & directa omnium damnorum, quæ consequuntur.

PROBL. XLII.

Damnificasti Antonium, (verbi gratiâ,) in pecunia, & ille te grauiter contra iustitiam infamauit: Potes, & non potes pro rata iniuriæ ei denegare pecuniæ restitutionem.

223 *Potes huiusmodi compensationem facere.* POtes huiusmodi facere compensationem. Quia probabilis est sententia quæ docet, famam pecuniæ debere compensari, quando aliter restitui non potest, de quo suprà *Probl.* 38. Sic Sayr. *in Claui, lib. 11. c. 3. n. 25.* Couar. *reg. peccatum p. 2. n. 6. & l. 1. variar. cap. 2. num. 8.* Sotus *l. 4. de iust. qu. 6. art. 3. ad 4.* Cordnba *qu. 33. art. 2.* Ludou Lop. *p. 1. Instruct. cap. 116. concl. 1.* Aragon. *2. 2. qu. 62. art. 2.* Manu. *part. 2. sum. cap. 45. concl. 2. & 3.* Salon *2. 2. qu. 62. art. 1. controu. 15. conclus. 1.* Molina *tract. 4. d. 45.* Rebel. *l. b. 2. qu. 10.* Qui omnes asserunt, non teneri virum nobilem, & à fortiori Regem, aut Principem, restituere infamiam plebeio, quem falsò infamauit, dicendo, se fuisse mentitum; sed teneri illam iniuriam ei pecunia compensare; quia iniuria infamiæ, & fama ipsa pecunia potest satisfieri. Ergò accipiens ab Antonio famæ læsionem quam ille non refecit, poterit ei pecuniam quam abstulit, retinere.

224 *Non potes.* Non potes huiusmodi compensationem facere. Quia probabilior est sententia contraria, nempe compensationem famæ non posse cum pecunia, aut aliis temporariis boni fieri: excedit enim fama omne pecuniarum pretium, neque est vendibilis, aut pretio æstimabilis. Ergò qui ab Antonio fuit infamia affectus, non potest retinere pecuniam, quam abstulit ab eo, in compensationem famæ sibi ab eo non restitutæ. Ità Malder. *de iust. tract. 7. cap. 2. dub. 8.* Pesantius *de restit. qu. 12.* Bannes *2. 2. qu. 63. art. 2.* Fagund. *Decalog. lib. 8. cap. 14. numer. 12.* & alij, quos *Probl. 38.* memorani.

225 *Hanc sententiam probabiliorem esse iudico.* Hanc sententiam probabiliorem existimo. Nam si fama altioris est ordinis, quam pecunia, nec est pretio commensurabilis, qui accepit iniuriam, non poterit in compensationem pecuniam ab infamatore ablatam retinere. Ipse pecuniam restituat, Antonius autem famam ablatam alio modo restituet, vel reus erit omissæ satisfactionis.

PROBL. XLIII.

Qui alium infamauit siue crimen falsum ei affingendo, siue verum occultum reuelando, si iuranti ei, se fuisse mentitum fides non adhibeatur, tenetur, & non tenetur testes adhibere.

QVi alium infamauit siuè in iudicio, siuè extrà illud, siuè crimen ei falsum affingendo, siue verum, sed occultum, quod in iudicio probari non potest, reuelando, si æqualis sint conditionis, & intelligat, eos, apud quos infamauit illum, non credere suæ retractationi, (quam vel cum iactura propriæ famæ debet agere) quando affirmauit, se fuisse mentitum, tenetur id iuramento confirmare, vt plenè famam per iniuriam ademptam restituat. Quod quidem verè iurare potest, vel quandò alium infamauit verum illius crimen manifestando, sed occultum. Quia non fecit conformiter ad legem charitatis: vndè potest iurare se fuisse mentitum, & alium tale crimen non commisisse. Quæsierim autem, an teneatur sic iurans adhibere testes, quandò nec eius retractationi, nec ei sub iuramento id asserenti creditur? 226 *Suppono, iurare verè posse, etiamsi crimen verum occultum reuelauit.*

Tenetur testes adhibere adeò, vt si necessum fuerit expensas ad id facere, adhuc id debeat. Quia infamator tenetur omnibus modis possibilibus infamato famam restituere, quam ei iniustè abstulit, eúmque in statu, quo anteà aderat, collocare, hic autem modus possibilis est. Sic Salon *2. 2. q. 62. a. 2. contr. 13. concl. 1.* Lessi. *lib. 2. cap. 11. dub. 20. num. 110.* Sotus *l. 4. de iust. qu. 6. art. 3. ad 4.* 227 *Tenetur adhibere testes.*

Non tenetur. Quia si nec ei iuranti credere velint, iam id ex eorum malitia prouenit: & ea sinistra opinio, quam de alio retinent, non censetur tunc prouenire ex dicto suo: siquidem efficaciter illud cum iuramento retractauit. Ità Sayr. *in Claui, lib. 11. cap. 2. num. 27.* Fagund. *Decal. lib. 8. cap. 15. num. 8.* Nauar. *sum. cap. 18. n. 44. & 45.* Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 4. dub. 5. numer. 178.* 228 *Non tenetur.*

Hoc probabilius censeo, adiiciens, si ipse infamatus sibi persuadeat, infamantem eam reuocationem sub iuramento affirmatam non posse conscientia ductum, sed ore tenus, & ad aliorum preces, aut credat illum eam statim reuocaturum, & postulat testes, coram quibus id affirmet: tunc quidem teneri illos adhibere: & in hoc omnes scio conuenire Doctores. 229 *Hoc probabilius censeo.*

PROBL. XLIV.

Qui se mutuò ad æquitatem infamarunt, excusantur, & non excusantur à mutua restitutione.

NOn excusantur. Quià damnum alteri illatum per reciprocam infamiam non tollitur: sicut tollitur debitum vnius per reciprocum debitum alterius. Et quia 230 *Non excu-*

quandò alter non posset restitutionem ab infamatore suo accipere, sequeretur, quod in compensationem posset licitè eum similiter infamare: quod non est admittendum; est enim hoc quoddam genus vindictæ. Sic Nauar. *sum. cap. 18. num. 46. & 47.* Caiet. *2.2. qu. 62. artic. 2.* Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 4. num. 395.*

231 *Excusantur omninò.* Excusantur omninò. Quia licet quis grauiter peccet in genere vindictæ eum infamando, qui se sæpius iniustè infamauit: tamen ille, qui alium infamauit se prius infamantem, non tenetur ad restitutionem ei gerendam, si ipse famam sibi prius restituere nolit: sed potest vti compensatione, seruata iniuriæ æqualitate, quantum fieri potest. Licèt enim per reciprocam infamiam non tollatur damnum infamiæ prius datum: compensatur tamen, & tollitur debitum reficiendi illud, sicut qui incendit domum eius, qui anteà suam incenderat, non tollit damnum datum, sed compensat. Ità Tolet. *l. 5. cap. 70.* Adrian. *in 4. q. penult. de restit. §. circa prædicta.* Sotus *l. 4. de iust. q. 6. a. 3. ad 4.* Rebel. *de iust. q. 13.* Malder. *de iust. tr. 7. c. 2. dub. 14.* Salon. *2.2. q. 73. a. 2. controu. 23.* Filliuc. *tr. 32. num. 248.* Lessi. *lib. 2. c. 11. dub. 25. num. 133.* Angles *in 4. de rest. famæ dub. 3.*

232 *Probabilius hoc mihi.* Hoc iudico esse probabilius. Moneo autem seruandam esse æqualitatem, quantum fieri potest. Quia si alter alterum multo grauius infamauit, plura crimina detegendo, tenetur adhuc ad restitutionē vberioris infamiæ, sicut in debitis pecuniariis contingit. Vndè patet neminem posse licitè illum vicissim infamare, qui se prius infamauit; est enim hoc genus vindictæ, quam nemo potest licitè priuata authoritate sumere.

PROBL. XLV.

Stille, cuius famæ detraxi, mortuus sit, & damnatus in tartarum, teneor adhuc, & non teneor ex iustitia eius famam non ladere, læsámque restituere.

233 *Non teneor.* NOn teneor. Quia damnati iam sunt Dei hostes, nostrique, nec sunt amplius proximi: quare obligatio iustitiæ, quæ solùm est ergà proximos, ad illos non extenditur, nisi fortè eorum infamia in infamiam redundet aliorum. Sic Molina *to. 5. de iust. d. 28. & d. 44. ac 45. & tom. 4. d. 84. in fine 3. concl.* Malder. *2.2. tract. 7. cap. 1. dub. 8.*

234 *Teneor planè.* Teneor omninò. Quia licet damnatus iam ordinatus non sit ad eundem finem supernaturalem, adhuc autem manet noster proximus quoad naturam humanam: Ergò non debeo ei illa negare, quæ vt homini debentur. Igitur adhuc ex iustitia teneor eius famam non lædere, læsámque reparare: Ità Cardinalis de Lugo *tom. 1. de iust. d. 14. sect. 4. num. 46.*

235 *A Molina recedo sententiam probabilitatis, sed probabiliorem sector.* Equidem si P. Molinę sententiam (probabilem satis) eligere velim, potero sinè graui scrupulo dicere, Aristotelem fuisse totius philosophiæ ignarum, Tullium omninò imperitum, Lucretiam publicam meretricem, & alia huiusmodi, quæ durissima prorsus videntur. An non dum peccator adest in hac vita, est Dei inimicus? Attamen non ideò possumus eum infamare in aliis materiis, imò sæpè nec in illa ipsa, in qua occultè peccat. Ergò hoc, quod est esse aliquem Dei inimicum non aufert naturalem, lædendi illius famam, prohibitionem. Quod autem damnati non solùm sint inimici, sed sine spe etiam reconciliationis, non videtur satis ad hanc prohibitionem lædendi famam, eiúsque restitutionis læsæ obligationem auferendam; nam sententia condemnatoria solùm aufert ius ad ea bona, quibus per sententiam reus priuatur, non ad alia. Deus autem non priuauit adhuc damnatos bono famæ, quam apud homines iustè possident: cur ergò potero eos impunè mea authoritate hoc bono priuare, nec restituendi contraham obligationem? Hæc me abstrahunt à P. Molinæ sententia, & ad Cardinalis eminentissimi mentem applaudendam alliciunt.

PROBL. XLVI.

Cùm Petrus de Ioannis vitio loqueretur, alij per errorem de Paulo intellexère, & ideò Paulus apud ipsos famæ patitur detrimentum: Petrus ex iustitia tenetur, & non tenetur ex iustitia ab auditoribus errorem auferre.

236 *Non tenetur ex iustitia.* NOn tenetur ex iustitia, sed ex charitate. Quia narratio Petri non est causa directa illius infamiæ, sed praua auditorum intelligentia. Sic Lessi. *lib. 2. cap. 11. dub. 22. num. 119.*

237 *Ex iustitia tenetur.* Ex iustitia tenetur. Quia si te portante lucernam, scintilla ex ipsa erumperet in vestes, vel in alia pretiosa Ioannis mobilia, te vidente, & aduertente: non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia deberes, si facilè posses, eam extinguere; quamuis enim non tua sola actio, qua cautè lumen portabas, sed ventus, vel aliquid aliud scintillam excusserat: verè tamen ex tua actione aliquo modo ortum habet, & ad debitam diligentiam pertinet circumspicere, ne in ipso transitu aliquid ignis decidens aliis noceat. Sic ergò licet Petrus cautè, & absque æquiuocatione Ioannem nominauerit, in iis tamen circumstantiis, suppositā auditorum hebetudine, vel audiendi difficultate, ex Petri actione oritur ille error, & ad debitam loquentis spectat curare, nè auditores ex occasione de alio id accipiant; quare non sola charitas, sed & iustitia etiam obligat ad errorem corrigendum, si commodè Petrus possit. Ità P. Molina *tom. 5. de iust. d. 40. num. 3.*

238 *Hanc affirmo.* Ei quidem adhæreo, monens, obligationem præfatam illum errorem audientium corrigendi inculpabiliter à Petro positum, non oriri propriè loquendo ex iniusta acceptione: hæc enim non est propriè restitutio, sed est obligatio non lædendi famam alienam per propriam actionem, seu procurandi, nè ex mea actione proximi fama lædatur, quæ obligatio est directa, & immediata. Posteà verò, si huic obligationi Petrus non satisfacit, & propter eius culpabilem moram Pauli fama læditur, orietur obligatio restituendi damnum illud ex iniusta acceptione, seu læsione famæ, quæ ex Petri missione iniusta secuta fuit.

PROBL.

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Ed. IV.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

PROBL. XLVII.

Obligatio restituendi pro fama læsa transit, & non transit ad infamantis hæredes.

239 *Transit ad hæredes.*

TRanſit quidem. Quia quando fama iniustè ablata non restituitur debet pecunia compensari, quare cum fama restituta à defuncto infamatore non sit, debitum illud, qua parte erat ad compensandũ pecunia, debet ad hæredes trãsire, sicut alia pecuniaria debita. Et quia sicut aliter poterat defunctus, quam pecuniis, debitum illud extinguere, scilicet compensando famam ablatam laudibus infamati, vel honore exhibito, vel orationibus & suffragiis pro defuncto infamato oblatis: sic possunt hæredes his omnibus modis debitum illud compensatione pecuniaria extinguere. Sic Adrian. *quodlib. 11. q. 1. lit. S.* Nauar. *sum. c. 18. n. 46.* Molina *de iust. to. 5. d. 45. n. 3.*

240 *Ad hæredes non transit.*

Minimè transit. Quia hæres solùm succedit defuncto in ordine ad iura, & debita fortunarũ, non infama, neq; in famę debitis. Nec defunctus contraxerat antè mortem ea de causa aliquod debitum pecuniariũ; nam debita bonorũ vnius ordinis non debent solui, aut compensari in bonis alterius ordinis, quando non possunt in suo ordine restitui. Ità Lessi. *l. 2. c. 11. dub. 21.* Lugo. *de iust. to. 2. d. 5. sect. 1. n. 8.* & alij apud Lessium.

241 *Hoc verius mihi.*

Hæc planè sententia verior est prima. Adnotarim tamen, si infamia iniustè illata causa fuit, quod infamatus passus sit in bonis fortunæ dãnum vel positiuum, vel negatiuum, saltẽ propter lucrum aliquod, quod ea de causa ei cessauit: tũc sicut defunctus tenebatur totum illud damnum compensare pecunia, sic teneri eius hæredes, qui eiusmodi defuncti onera simul cum hæreditatis commodo debent subire.

PROBL. XLVIII.

Reus legitimè imò non legitimè interrogatus negans delictum, tenetur, & non tenetur ad restitutionem accusari, & testibus, quibus iniuriam intulit, quatenus videtur implicitè affirmare eos falsò accusasse, & testificatos fuisse.

242 *Tenetur planè.*

TEnetur planè siue legitimè siue non legitimè sit interrogatus. Quia si legitimè interrogetur verum delictum debet manifestare, idque abnegans accusatorem, ac testes infamat. Si non legitimè, debet ad vitãdam damnum accusatoris ac testium vti aliquibus verbis sobriis ad conseruandã eorũ famã: v. gr. dicẽdo, *Nõ existimetis illũ calũniatorẽ; credo enim eũ rectã intentione dutum putasse probare se suam posse intentionẽ.* Quia licèt non legitimè interrogatus possit se iure defendere etiam cum damno accusaris, id enim agit cum inculpatæ tutelæ moderamine: debet tamen non excedere in sui defensionẽ, sed vitare, quãtum fieri possit accusatoris ac testium infamiam: alioqui delinquet contra iustitiam: sicut qui cum posset aliter euadere, aggressorem interimit, peccat contra iustitiam & ad restitutionem tenetur. Sic Molina *to. 5. d. 43. n. 1. 2. & 3.* cum aliis multis.

243 *Non tenetur.*

Non tenetur, interrogetur. Quia si reus non interrogetur legitimè, non apparet, cur peccet contra iustitiam crimen abnegando, licet indè accusatoris ac testium fama detrimentum patiatur: nam communiter detrimentum illud leue est: omnes etenim putant, reum iure suo vsum, & abnegasse crimẽ, quòd non esset legitimè probatum: nec ideò iudicant calumniatores accusatorem, ac testes extitisse. Et quia licèt resultaret grauæ famæ accusatoris detrimentum, reus non est causa illius positiua, sed solum non cooperatur ad eius famã defendendam. Quod si legitimè interrogetur, & abneget suum verum crimen, non peccat contra iustitiam in accusatorem, & testes, quorum famæ ea de causa aliquid patitur. Quia reus non tenetur ex iustitia ergà accusatorem, adiuuare eum, & bonam facere eius accusationem vel defendere eum ab infamia, quam ea de causa potest incurrere. Nõ enim est causa positiua eius damni, sed solùm negatiua, quatenus eum non adiuuat, cũ possit, ad quod ex iustitia non tenetur. Ità Cardi. de Lugo. *to. 1. de iust. d. 15. sect. 1. n. 13.*

Scio primam sententiam communem esse, eamque tenere Adrianum, Richardum, Syluestrum, Sotum, Nauarrum, Maiorem, & Gabrielẽ citatos à Molina; Attamen Cardinalis præfero mentem. Quam adeò veram existimo, vt licèt crimen reo oppositum, publicum esset, adhuc reũ illud in iudicio abnegando non committere cõtrà accusatorem, ac testes iniuriam affirmem. Pone enim, aliquem crimen publicum improperare tibi. Nunquid tu ex iustitia teneris illud positiuè confiteri, aut negare, nè ille mendax reputetur? Quis id affirmet. In his ergo casibus si quæ infamia accusatori oritur, à reo non procedit, sed ab accusatione non probata: nec ideò accusatoris fama læditur quia reus negat propriè loquendo; sed quia accusator obiecit id, quod non verificatur, nec comprobatur.

244 *Auctoris iudicium.*

PROBL. XLIX.

Si auditores per simplicem retractationem non credant, teneris, & non teneris iuramentum adhibere.

245 *Minimè debes.*

MInimè debes. Quià nec S. Thomas, nec alij antiqui Doctores talis obligationis meminere: At si talis adesset obligatio, impossibile videtur à tot sapientissimis viris haud fuisse annotatum. Sic Philip. Faber, *de rest. in 4. dist. 15. q. 3. d. 53. c. 1. n. 42.*

246 *Debes profecto.*

Debes profecto. Quià qui per iniuriam læsit, tenetur efficere totum id, quod necessarium est, ad resarciendum damnum illatum, si id non sit adeò difficile, vt longè excedat damnum, quod illatum est proximo. At cum iuramẽtum sit medium facile ad illum finem, non est, cur excusetur ab illo adhibendo infamator, si necessarium sit, ad fidem conciliandam. Ità omnes ferè alij Doctores, quos memorat, ac sequitur Card. de Lugo *to. 1. de iust. d. 15. sect. 2. n. 26.*

247 *Idem affirmo.*

Equidem ex eo, quod illa quæstio non sit ab antiquioribus excitata, non sequitur, non teneri detractorem adhibere iusiurandum, si auditores simplici retractationi infamatoris fidem nõ exhibuere: multæ enim veritatum resolutiones ab antiquis fuere prætermissæ, quas recentiores expressêre. Igitur cum iuramenti confirmatio medium sit facile ad suadendam auditoribus retractationem, non video vndenam infamator iustè excusari valeat. Alioquin, si necesse esset ad re-

stituendam famam post grauissimã infamiam iniustè illatam, duos aureos expendere, non obligaretur ad eas expensas homo diues, qui facile id efficere posset, sicut non tenetur, ad nihil hendum iusiurandum, quod adeo facile geri valet.

PROBL. L.

Quando auditores nec adhibito iuramento, aut testibus credere nolunt, infamator tenetur, & non tenetur aliud adhuc medium resarciendi famam proximo à se ablatam procurare.

248 *Ad nihil aliud detractor obligatur.*

REsolui suprà adhibendos esse testes, si auditores iuramento confirmatæ retractationi fidem non præstiterint. Iam verò quæritur, num infamator teneatur alia media procurare, si auditores retractationi iureiurando ac testibus confirmato non credunt. Porrò ad nihil amplius detractor obligatur. Quia iam non ipse, sed auditorum peruersitas, & obstinatio perseuerantis infamiæ causa censetur. Sic Lessi. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 10. & alij communiter.

249 *Obligatur ad alia adhuc media procuranda.*

Tenetur equidem ad alia adhuc media procuranda. Quia quòd auditores post iuramentũ expressum, ac testes adhibitos in sua opinione permaneant, non tollit obligationem restituendi à detractore, qui huic toti damno consequẽti causam dedit. Neque enim tenetur solùm ad damna quæ necessariò eueniunt, sed etiam ad illa, quæ ex noua aliorum malitia, & iniustitia consequuntur. Nam si (ex. gr.) furatus es centum Antonio, & posteà totidem ei per famulum immittas, qui iniustè ea sibi retinet: tu quidem cõscius posteà rei, debes Antonio restituere; quia verè adhuc Antonius sua caret pecunia ob iniuriam à te illatam. Ergò quod auditores in casu nostro iniustè opinionem malam retineant, non excusat infamatorem ab onere restituendi, quãdiu proximus ob iniuriam ab eo illatam totum hoc damnum incurrit. Ità Molina *to.* 5. *d.* 41. *n.* 4. Lugo *to.* 1. *de iust. d.* 15. *sect.* 2. *n.* 17. Adrian. *in* 4. *q. de rest. famæ in principio.*

250 *In rigore metaphysico hoc verum puto.*

Hoc mihi etiam videtur in rigore metaphysico magis consequẽter procedere. Nam regula generalis est vt quoties res per iniuriam ablata perit, antè quam domino restituatur, ità vt peritura similiter nõ esset apud dominũ etiamsi non fuisset ablata: toties teneatur ad cõpensandũ dãnum, qui eam iniustè abstulit; quia occasione iniuriæ illatæ res periit. Vndè si libros Antonij furatus, eos nauclero tradidisti aliò deferendos, ipse verò in odium Antonij proiicit in mare, ne Antonio possent restitui teneris proculdubio, eorum valorem Antonio reddere; quia perituri non fuissent nisi tua præcessisset iniuria. Cum ergo in casu nostro auditores nouam illam iniuriam incredulitate & obstinatione sua proximo à te infamato non intulissent, vt eius infamiam conseruent, nisi tua iniuria præcessisset, nam tui testimonij prætextu, licet temerè & iniustè suam prauam credulitatem retinent: consequens est, vt tibi etiam damnum illud imputetur, quod ex tua detractione ortum habuerit. Dixi tamen *In rigore metaphysico* ità consequenter dicendum; quia moraliter, & in ordine ad praxim vix vnquam continget, quod post detractionis retractationem, & iuramentum interpositum ac testes in maiorem confirmationem adductos, auditores adhuc in priori credulitate permaneant, nisi aliunde fundamenta alia habeant ad persistendum in sententia.

PROBL. LI.

Petrus Antonium in materia castitatis iniustè infamauit: potest, & non potest ei famam restituere, laudando eum in aliis materiis, quando non adest à ius modus famam læsam resarciendi.

251 *Non sufficit satisfactio hæc.*

NOn sufficit, vt restituatur Antonij fama læsa in castitatis materia, laudare in aliis materiis eũ. Quia sicut diximus nõ debere pecuniã restitui pro infamia, quando fama restitui non potest; quia iustitia intẽdit solũ æqualitatẽ; quæ æqualitas obtineri non potest nec quoad totũ, nec quoad partem debiti oblatione pecuniæ: fama enim ipsa eodem modo læsa, & amissa remanet sicut anteà. Idem ergo dicendum quando aliquis diffamatus fuit in materia castitatis: nam quantumvis illum laudes in aliis materiis doctrinæ iustitiæ liberalitatis, &c. fama tamen circà castitatem æquè remanet læsa, & amissa sicut anteà. Ergo illa restitutio nihil deseruit ad finẽ æqualitatis intentum à iustitia. Card. de Lugo *to.* 1. *de iust. d.* 15. *sect.* 2. *n.* 12. docet, propter hoc argumentum dubitare posse de obligatione restituendi per laudes in aliis materiis.

252 *Sufficit iste modus.*

Sufficit quidem, vt fama restituatur Antonio, eum in aliis materiis laudando, quando alius modus nõ adest famam læsam resarciendi. Quia licet non sit eadem numero fama, quæ redditur; est tamen in eodem genere, ità vt omninò famæ amissæ æquiualere videatur. Neque enim iustitia intendit æqualitatem, vt velit idem omnino restitui; sed satis est, quod sit ita æquiualens id, quod redditur vt moraliter ac in ordine ad vsus humanos idem censeatur. Nam si gemmam extraordinariam alienam *in mare proiecisses*, deberes pretium reddere, licèt moraliter nõ posset alia similis gemma tali pretio comparari. Ità Lessi. *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 10. *n.* 110. Lugo *citatus.*

253 *Idem affirmo.*

Idem prorsus affirmo. Quia licet pecunia in ordine ad vsus humanos non deseruit ad idem, nec supplet pro fama amissa, quia fama alterius altioris est ordinis: fama autem in aliis materiis, & eius augmentum potest in ordine ad vsus & conuictum humanum eodem fere modo deseruire ac defectum famæ in alia illa materia compensare, eiusdem enim generis seu ordinis est laudatio. Fateor autem mihi displicere, quod amicissimus meus Diana *p.* 1. *t.* 5. *resol.* 50. absolutè concludit, scilicet ad nihil aliud teneri diffamatorem, quàm ad laudandum eum, quem prius diffamauerat. Hoc enim licet verum sit quando non est alius modus famam læsam resarciendi: non tamen quando aliis modis directè potest resarciri fama in eadem materia, cum nemo cogendus sit inuitus ad commutandam famam suam in vna materia profana in alia, sicut nequè ad accipiendam vestem pro libro, si liber ipse restitui potest.

***

PROBL

PROBL. LII.

Infamator tenetur, & non tenetur læsam proximi famam restituere non solum apud eos apud quos eam læsit, sed etiam apud illos, quibus ipsi postea dixerunt.

254 *Non tenetur.* NOn tenetur, sed sufficit, apud auditores immediatos satisfacere. Quia cum verba in infinitum promulgentur aliis aliis referentibus: impossibile est, detractorem apud omnes satisfacere. Sic Philippus Faber *de rest. in 4. dist. 15. q. 3. d. 53. c. 1. n. 37.* citans Alensem.

255 *Tenetur omnino.* Tenetur omninò. Quia totum illud damnum, & infamia sublequens procedit ex iniuria detractoris præsertim si alij rem licitè post modum manifestant existimantes illam veram, ac publicam esse: Debet ergo detractor totum damnum, cuius ipse causa iniusta sit, resarcire. Ità Nauarra *de rest. l. 2. c. 4. n. 443.* Lessi. *l. 2. c. 11. dub. 20. n. 111.* Turrian. *de iust. d. 53. dub. 1. n. 9.* & alij communiter. Huiusmodi tamen adiiciunt distinctionē: Nā si detractor id dixit alicui, vel aliquibus sub secreto, vel personis talibus, quæ non videbantur vlterius rem publicaturæ: sufficiet, apud ipsos retractare. Secus si nec subsecreto, nec talibus personis rem manifestauit.

256 *Auctoris iudicium.* Profecto sententia hæc stando rationi verissima videtur. In contrarium tamē est, praxis cōmunis tum confessariorū, qui ad hoc solùm obligāt pœnitentes, vt apud eosdem retractē quod iniuste dixerunt: tū etiā ipsorum pœnitentiū, qui siuè antè confessionē, siuè post illam sufficienter videntur sibi satisfacere si apud dospem retractētur, nec de alia satisfactione curant. Quod etiam in aliis materiis assolet obseruari: v. gr. si aliquis errorem apud alios docuit, satisfacere creditur, si apud eosdē contrariū doceat, & errorē fateatur, si in concione quis dixit, non esse præceptum ieiunij tali die; satis eisdem auditoribus contrarium edicere. Et tamen continget, auditores illos iam apud alios contrariā doctrinā disseminasse. Hac ergo communi praxi suppositā fateor, licet attēta obligatione cōtracta ex iniuria præterita, quod detractor per se loquēdo, teneatur resarcire famā apud auditores mediatos & immediatos; de facto tamē cōmuniter ab hac obligatione liberari vt in plurimis, partim propter impotentiā moralē, vt Faber aiebat; partim ac potissimùm, quia eo ipso, quod apud immediatos auditores detegit falsitatē, vel iniuriā, videtur illis implicitè committere, vt ipsi hāc suā retractationē apud alios diuulgent, quibus rem illā fortassē dixerant. Dum autē immediati auditores munus illud, ac cōmissionem nō reiiciunt, expressè, implicitè videntur acceptare. Hæc ex sapientissimo meo Cardinali de Lugo vbi suprà.

PROBL. LIV.

Qui aliter potest suam famam tueri, & tamen vult eam tueri detegendo detractoris vitia occulta: delinquit solum contra charitatem, non contra iustitiam: & contra iustitiā proculdubio delinquit.

257 *Peccas contra charitatem.* QVæsierim an si possis aliter tuam tueri famam, & tamen velis eam defendere detegēdo detractoris vitia occulta, vt eius de te testimonium valeas infirmare, pecces contra iustitiā, an solum contrà charitatem. Peccas contrà charitatē nō cōtra iustitiā. Quià non teneris ex iustitia cōfugere ad omnes alios modos tuēdi propriā famā, nec ipse detractor ius habet, vt eius nomini parcas in defensionem tui, cum ipse iniustè famam tuam oppugnet. Sic stando rationi, Lessi. *lib. 2. cap. 11. dub. 25. num. 133.* *non contra iustitiam.*

258 *Peccas contra iustitiam.* Contra iustitiam delinquis. Quia cum detractio illa solùm sit licita in defensionem, cessante defensionis necessitate, non est vndè licita remaneat; atque ideò erit iniusta; nam proximus ius habet, ac retinet, ad suam famam, quādiu nō est necesse illam lædi ad tuam defensionem. Sicut si absque necessitate occideres, vel vulnerares aggressorem iniustum, cum posses absque graui incommodo eius ictus declinare, peccares cōtra iustitiam excedendo necessariæ tutelę moderamē. Ità Lugo *tom. 1. de iust. d. 15. sect. 3. num. 49.* & alij communiter.

259 *Idem asserto.* Non est ab hac sententia recedendum, quam & Lessius amplectitur propter communem Doctorū authoritatem, licèt stando in ratione professus fuerit, esse solummodo contra charitatem.

PROBL. LV.

Quando in occulto læsus fuit honor alicuius, est, & non est satisfaciendi obligatio.

260 *Non est obligatio satisfaciendi.* QVandò contumelia vel iniuria contrà honorē occulta fuit, atque adeò nullum aliud dānum in fama, vel aliis bonis post se reliquit, nō est obligatio restituendi præcisè propter contumeliā, vel dehonorationē. Quia restitutio tendit ad reparandū dānum illatū: Ergo quandò iā damnū iniustè illatū omninò cessauit, nulla erit obligatio restituendi. At in prædicto casu totum illatum damnū transiit, & per consequens omninò cessauit. Nam totum damnum fuit inhonoratio contra testificationem externam externi cultus, quæ tunc debebatur: postea verò supponimus, non amplius negari talē testificationem, sed salutatione honorifica, & aliis signis externis exhiberi ei cultum debitum iuxtà tui status conditionem, ac dignitatē. Ergò iā nunc non patitur vllū damnū propter præteritam iniuriā, quæ occulta fuit, & ratione illius à nemine prorsus despicitur. Sic P. Molina *to. 5. d. 46. n. 5. 6. & 7.*

261 *Est satisfactionis obligatio.* Etiamsi in occulto fiat, potest esse iniuria grauis contrà honorem, & omnis huiusmodi grauis dehonoratio parit ex debito iustitiæ restituendi obligationē. Quià ex contumelia præterita, quādiù contumeliosus nō satisfacit, aliquod dānum censetur permanere in eo, qui contumeliā fuit affectus. Nā negari non potest, quòd contumeliā v. gr. olaphum passus, posteà etiā, quandiu ei nō satisfit, dolet nimiū de contumelia accepta: quod quidem non agit, postquam vindicauit iniuriam; quia iam tunc videtur sibi, malum à se expulisse, quod ante patiebatur: Ergo aliunde non dolebat solum ob iniuriam meræ præteritā, sed ob illam adhuc moraliter manentem: alioquin post vindictam adhuc doleret, cū adhuc iniuria præterita fuerit. Fatendū igitur est, ex contumelia præterita, quandiu per satisfactionem, vel vindictam nō aufertur, manere aliquod malum morale præsēs, quod sit obiectum doloris, ac tristitiæ: nam de morbo, vel dolore capitis merè præterito non tristamur, postquam omninò transiēre, nec aliquid prorsus reliquêre imò de recepta sanitate lætamur.

lætamur. Post contumeliam autem non gaudet homo quasi de præcepto honore,& malo transacto:sed potius tristatur,ac dolet;quia malum illud non omnino transiit, sed adhuc moraliter perseverat,quamdiu per debitam satisfactionem non tollitur.Ità Card.de Lugo *to.1. de iust.d.15. sect.4.n.54.55.& 56.* ex communi Doctorum sententia.

262 *Hoc longè probabilius.*

Hoc longè probabilius esse iudicarim, quod exemplo confirmo. Qui principem in occulto colapho cederet,si postea nulla satisfactione exhibita pergeret communi,ac solito honore,cum eo agere, eo ipso videtur eum contemnere, & negare reuerentiam tantæ dignitati debitam non ostendendo per signa extra ordinaria displicentiam de illata iniuria, & procurando ei satisfacere. Similiter ergo cum proportione si æqualem contumelia,vel colapho læsisti, contenerecenseris ipsum, si nulla satisfactione exhibita, aut veniæ petitione, communi solùm honore illum excipis, qui contemptus nouus est quotidiè,ac continuatur, quandiù pro illata iniuria non satisfacis, si potes, exhibendo tantum honorem,quantum offensæ dignitati in talibus circumstantiis debetur, ne contemni censeatur. Debetur ergò ex iustitia restitutio, seu satisfactio etiam pro contumelia occulta; quià damnum non est merè præteritum, sed præsens, & continuata dehonoratio per continuatam omissionem maioris honoris exhibiti, qualis in talibus circumstantiis tali homini secundùm suam dignitatem debetur. Hæc circa Decalogum expressisse sufficiat,si aliquid requisieris. Volumen proximum de Iustitia & iure restituet.

AD DOMINAM MEAM
EPILOGVS.

IBI debentur ô Domina, hæ mancipij tui circa decem Decalogi Præcepta annotationes: egregia namque eorum obseruatrix extitisti. Nec enim,(vti obseruauit Augustinus) beata ex vtero, aut vberibus solummodo, sed magis ex Præceptorum Dei obseruatione, Filio attestante, prædicabilis ostentaris, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *Id Gabriel ostendit,cũ dicit* Aue gratia plena, Dominus tecum, *ostentans tam immensæ gratiæplenitudinem ex Decalogi obseruatione profluisse. Etenim si verbis Archangeli addas* Maria, *quod Ecclesia interserit,&* Benedicta tu inter mulieres, *quod Elisabeth adiecit,decem particulas expones, queis auctore Richardo Laurentino decem Decalogi Præcepta designantur. Vt scilicet eadem Salutatio Angelica,qua te gratiâ plenam asserit,innuat simul, vndenàm tàm mirabilis gratiæ plenitudo dimanarit.*

Laus Deo, Deiparæ, Ioſopho, Ignatio, Antonio.

INDEX

ESCOBAR
Theol. Mor:
Tom. III. IV.
E IV

INDEX RERVM ET VERBORVM Notabilium, quæ in hoc quarto Tomo continentur.

Prior Numerus Paginam, Posterior Numerum Marginalem designat.

A

Abbatissa.

Abbatissæ possuntne Monialium omnia vota, vti Prælati regulares irritare? pag. 183. num. 601

Abortus.

Ad Abortum illicitum est dare aut accipere pharmacum, & quando ad matris ægrotantis medicamen liceat. p. 269. n. 31

Absolutio.

An Absolutio sit differenda ei, qui praua iurandi affectus est consuetudine? pagina 131. num. 213

Actus.

Actus soliti concurrere ad adololatriam, quot? pag. 20. num. 160

Actus forenses fieri in Ecclesia prohibiti. p. 29. num. 214.

Actus iudiciales cum strepitu facti prohibiti sunt in die festo. p. 195. nu. 28

Hosce Actus possunt excusare necessitas, aut pietas. ibid. n. 29

Actus extraiudiciales suntne in die festo prohibiti? p. 222. n. 260

Adiuratio.

Adiuratio quid sit? p. 86. n. 650

Adiuratio quotuplex sit? ibid.

De Adiuratione quot concurrere debeant? ibidem.

Adiurans qualis debeat esse? pagina 86. numero 650

Res Adiurata quæ esse debeat? ibidem.

Res, per quam fit Adiuratio quænam sit? ibidem.

Adiuratio in Dæmoniacos quæ? ibid. num. 651

An Adiuratori liceat præcipere dæmoni superiori, vt inferiorem pellat? pagina 87. numero 654

An adiurare vanè irrationales creaturas fructibus nocentes sit lethalis superstitio? p. 90. num. 674

Adoratio.

Adorationis nomen vnde sumatur? p. 16. n. 133

Adorationis definitio. ibidem.

Ex Adorantis intentione, & dignitate personæ adoratæ distinguitur adoratio. pag. 17 num. 134

Deber persona adorata esse adorante superior. ibid. num. 135

Adoratio à tribus virtutibus Theologicis distinguitur. ibid. num. 136

Quotuplex adoratio admittatur? ibid. num. 137

Adoratio interior quæ? ibid.

Adoratio externa quæ dicatur. ibid.

Adorationis diuisio. ibid. n. 138

Adoratio absoluta quæ? ibid.

Adoratio respectiua quæ? ibid.

Cui conueniat Adoratio absoluta? ibid.

Cui respectiua? ibid.

Cultu latriæ est Adoranda Beatissima Trinitas, & singulæ Trinitatis personæ, Christus, eius humanitas Verbo vnita, sanguis, ac corpus ab anima separatum. ibidem num. 139

Adoratione latriæ Eucharistia est veneranda, & quando præceptum eam adorandi obliget. ibid. n. 140

Adorari debent cultu latriæ, quæ Christum Dominum reipsa tetigerunt, vt Crux, &c. ibid. num. 141

Crux ex qualibet materia constans est adoranda cultu latriæ. p. 18. n. 143

Quid dicendum de aliis Dominicæ Passionis instumentis. ibidem.

Adorandi sunt Angeli, & homines beati, & viuentes cultu Duliæ.

Vna, & eadem adoratione possunt imago, & exemplar adorari. ibid. num. 148

Adoratio reliquiarum, quæ? p. 19. n. 149

An sit licitum crucem reliquis non approbatis ornatam in altari adorandam

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

proponere. ibid. 150

Adulterium, Adulter.

Adulter teneturne damnum restituere filiis legitimis in eo casu, quo prolem esse suam agnoscit, & nullam habet rationem de contrario addubitandi? pag. 248. num. 107. 108

Post Adulterium potestne vir innocens Sacris ordinibus initiari inuita, & reclamante vxore adultera, sicut ad Religionem potest conuolare? 251. 129

Adulter occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum? inuasorem teneturne aliquid restituere? 294. 215

Adulterium quid? 301. 12

Quotuplex admittatur Adulterium? ibidem.

Adulterium est etiamsi maritus consentiat. ibid. 13

Adulterij ciuiles pœnæ quæ? ibid. 14

Adulter, & adultera tenentur ad restitutionem, si certò credunt prolem non esse mariti? 302. 15

In dubio non tenentur? ibid. 16

Si duo Adulteri rem habeant cum coniugata absente marito, & illa concipiat, tenetur vterque ad alimenta prolis. ibid. num. 17

Adulterij ratione præcisè non tenetur adulter ad vllam restitutionem marito gerendam? ibid. 18

Nisi occultè maritus cum adultero transigeret. ibidem.

Si Adulter nihil promisit adulteræ pro turpi actu nihil tenetur restituere. ibid. 19

Adultera honestæ famæ non tenetur cum vitæ, & famæ periculo manifestare filium esse spurium? ibid. 20

Quid tamen petere debeat filij spurij mater. ibid. 21

Ad Adulterium occultandum quandonam sit licitum exponere prolem spuriam. ibid. 23

Abusus vxoris extra vas legitimum Adulterium est. 303. 24

Cum de Adulterio ad pœnam sanguinis agitur solus iudex sæcularis est competens. ibid. 25

Adulter coniux potestne de iustitia debitum ab innocente coniuge exigere? 321. 172

Qui ex adulterio filium suscepit, illumque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ præter alimenta teneturne occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur, & damno dotis, quam pater putatiuus puellæ spuriæ tradidit, credens eam esse propriam filiam? ibid. 173. 174 & 175

Adultera coniux teneturne marito pecunias ex adulterio acquisitas restituere? p. 322. num. 178

Aëromantia.

Aëromantia diuinationis species vocitata quomodo intelligatur? 70. 534

Alchimia.

An Alchimiæ vsus sit superstitiosus ad verum aurum, & argentum, ex inferioribus metallis conficiendum. 84. 635

Appellatio.

Appellatio an sit valida, aut licita in die festo? 221. 251

Ars.

Ars notoria quid sit? 25. 184

Aruspicium.

Aruspicium quod diuinationis nona species dicitur, quid sit? 70. 534

Astrologus.

Astrologi an teneantur pretium pro diuinatione acceptum restituere, si res non euenit? 77. 586

Augurium.

Augurium quid? 70. 534

Auspicium.

Auspicium quodnam dicatur? 70. 534

B

Beatus.

Beati pro nobis orant, Angeli, & homines? p. 3. n. 11

Pro Beatis ferme non oramus. ibid. n. 14

Beneficium, Beneficiatus.

Beneficiati in maioribus constituti tenentur officium recitare ex iure Ecclesiastico. p. 5. num. 29

Quid nomine Beneficij intelligatur. ibid. 33.

Præstimonium est Beneficium, cui subest obligatio recitandi. ibid. 34

Beneficium si nullos fructus habeat non obligatur ad horas Canonicas. ibid. 39

Beneficium habens alia onera annexa sufficienda ad congruam licet ea munera alij exequenda dentur, obligatur ad horas Canonicas. 6. 40

Qui habet plura Beneficia tenuia, quæ sufficiant ad sustentationem obligatur ad horas Canonicas. ibid. 42

Beneficium cuius fructus qui sua culpa non recipit recitare obligat. ibid. 43

Qui Beneficium recipit ex resignatione, cum obligatione satisfaciendi eius muneri, licet fructus non percipiat, tenetur ad horas Canonicas. ibid. 64.

Habens plura Beneficia, non tenetur bis recitare. ibid. 49

Habens Beneficium, & pensionem satisfacit officium diuinum recitando. ibid. 50

Qui duplex Beneficium habet bis non delinquit officium omittendo. ibid. 51

Beneficiati omittentis culpabilitas horas, quæ pœna. 10. 85

Beneficiatus obligatus non est primis sex mensibus ab obtento beneficio restituere. ibid. num. 86

Post semestre primum tenetur si culpabiliter officium omisit. ibid. 87

Quis Beneficiatus possit excommunicari, suspendi, ac Beneficio priuari? 11. 93

Beneficiatum à choro excusantes causæ adducuntur. p. 13. & seqq. n. 116. & pluribus sequentibus.

Beneficium cuius fructus exigui sunt, num obliget ad horas recitandas? pagina 54. num. 254

Si Beneficiatus impediatur per vim, vel fraudem à consecutione fructuum Beneficij, an sit obligatus hoc titulo horas recitare? p. 55. num. 258

Si vigeat in aliqua Ecclesia consuetudo, vt primo, vel secundo anno possessionis Beneficij nullos fructus Beneficiatus ac

acquirat, neque post mortem illi reseruentur, debetne eo tempore horas recitare? ibid.262
Solus Beneficij titulus,cum spe possessionis,& fructus, an sufficiat ad inducendam recitandi obligationem? pagin.36. num.265
An ad inducendam recitandi obligationem necessum sit possessionem Beneficij esse pacificam? ibid.268
Beneficium habens iniustè,& impediens iniustè alium ab illius possessione teneturne horas recitare? ibid.271
An Beneficiatus omittens horas primo semestri habeat obligationem restituendi fructus? 53.402
Beneficium tenue possidens,& partem notabilem alicuius horæ omittens, teneturne aliquid restituere? 54.408
An Beneficiatus excusetur ab integra restitutione ob horarum omissionem, si Beneficium alia onera habeat annexa? 55.420
Beneficiatus simplex, cui nullum onus est annexum præter horarum recitationem, potestne aliquos fructus retinere ob obligationem ad deferendum habitum, & tonsuram? ibid.425
Beneficiatus non recitans, an possit sibi applicare fructus, si verè sit pauper? pagin. 56. num. 429
Si Beneficium constet ex distributionibus quotidianis solum, an eas lucretur absens studij ratione. pag.65. num. 500. & 501. Et inde resultat Authoris resolutio, ibid. num. 502
Beneficium,vide verb.*Clericus, Hora Canonicæ, Officium diuinum.*

Blasphemia.

Blasphemia quid sit? 26. 191
Blasphemia est contra Religionem, & contra fidem. ibid. 192
Blasphemiæ peccatum in intellectu consistit. ibid. 193
Blasphemia quotuplex admittatur? ibid.194
Blasphemia hæreticalis quæ dicatur? ibidem.
Blasphemia simplex quænam sit? ibid.
Non est Blasphemia in ira enunciare aliquid Dei quod sit verum, si contra Deum non intendat indignatio. ibidem num.195
Blasphemia ordinariè est lethale peccatum, potest tamen fieri veniale. ibidem num.196
Blasphemia non est aliquid de Deo ioco dicere,si irrisio non adsit. ibid.197
Blasphemiæ omnes hæresim non continentes eiusdem sunt speciei. ibid.198
An Blasphemiæ qualitas sit necessario in confessione aperienda? pag.27
Blasphemis quæ pœnæ præscriptæ? ibid.199
Blasphemiæ crimen est mixti fori. ibid.200
Quomodo Confessarius se gerere debeat cum iis,qui Blasphemandi turpantur consuetudine? ibid.201
Ad Blasphemiæ rationem debetne dictum contumelioſum continere falsitatem? p.55. num.712
Blasphemia potestne in solis factis & signis adesse? ibid.722
An Blasphemia in Deum differat specie à Blasphemia in diuos? 96.725
Omnes Blasphemiæ in ratione Blasphemiæ num differant specie? ib.728
An sit explicanda in confessione Blasphemiarum diuersitas, ver in Deum vel in Diuos? ibid.731
An Blasphemiæ hæreticales sint hæ, *Denego Deum, Denego Crucem, Denego Euangelia,* cum non absolutè,sed conditionatè, quis profert eas ad alicuius rei testificationem? pagin.97. num.734
Blasphemia num sit hæreticalis hęc propositio, *Hoc est verum,sicut Deus est in cœlo,vel natus ex Virgine,Credi potest sicut Euangelium?* ibid.n.737
An sit Blasphemia hæreticalis hæc propositio, *Renego D. Petrum Antonium*, &c. ibidem num.740
Num sit Blasphemia iurare per vitam Dei, aut D.Petri? 98.744
Blasphemia an sit creaturarum maledictio? ibid.747
An Blasphema sint iuramenta, *Per Corpus Dei,per Dei sanguinem, per Caput*, &c. p.99.n.750
Blasphemantem audiens an debeat reprehendere,siue Blasphemus ille obiurgatione sit corrigendus, siue non, præter fraternam correctionem? 99.758
Blasphemiæ pœnæ quæ? 100.760
Blasphemus post condemnationem an sit tanquam infamis à testimonio repellendus? ibid.763
Blasphemiæ hæreticales quæ dicantur? ibidem. num. 764
Quid item non hæreticales. ibidem
De Blasphemiis non hęreticalibus an cognoscant Domini Inquisitores 101. 767
Blasphemia vide verb. *Iuramentum.*

Bonum.

Bona castrensia, quasi castrensia, profectia filiorumfamilias,quænam sint?Et quando sint furti rei,illa clam accipientes? pagin.348. num. 89
An Bonorum aduentitiorum filij vsumfructum amittat parens, per professionem ipsius in Religione approbatam? p.349. num. 91,& 92

C

Canonicus.

CAnonici sub graui piaculo tenentur choro interesse,si distributiones accipiant 11.n.87
Canonicus qui choro non adest restituere tenetur. ibid.98
Vno,aut altero die abesse non constituit culpam grauem. ibid.99
Canonici assistentia sufficit, cum cantus est figuratus? 12.101
Si minuenda debita solemnitas Canonicus debet canere? ibid. n.102
De Canonicorum assistentia in choro plura? ibid.à n.104.ad 112
Canonicus pœnitentiarius pro presente habetur. p.15.125
Canonicus magistralis cum in propria Ecclesia concionatur, aut legit distributiones lucra

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E IV

lucratur. ibid. 126
Canonicis concessum à iure priuilegium, vt recreationis gratia possint trium mensium spatio non residere, quid requirat? 16. 131
Canonici, qui præsente Pœnitentiario, designantur in illius adiutorium ad confessiones audiendas ob pœnitentium multitudinem; an lucrentur distributiones officiis diuinis adstanti designatis. pag. 63. num. 478. & 479
An Canonicus possit distributiones amissas accipere, si hæ illi à Capitulo donentur, antequam diuidantur? pag. 68. num. 518. & 519. vbi num. 520. negatiuæ sententiæ Author adhæret. Et vbi declaratio Sacræ Congregationis hac de re affertur. ibid. num. 520
An sit inualida remissio, quam Canonici faciunt ei, qui ob absentiam à Choro distributiones iam amisit? 68. 524

Capellania.

Capellania collatiua an sit beneficium, cui subsit onus recitandi officium? pagin. 5. num. 35
Capellania, cui adest annexum onus dicendi missas, quâ fruitur adolescens, licet per alium celebrentur, an obligetur ad horas Canonicas? 6. 41

Capitulum.

Capitulum percipiens distributiones, quas amittit absens præbendatus, teneturne soluere pensionem, aut charitatiuum subsidium, super præfatas absentis distributiones impositum? 60. 456

Carthusiani.

Carthusiani possuntne in mortis articulo vesci carnibus. 281. 124

Castitas.

Castitas, vide verb. *Virginitas.*

Chiromantia.

Chiromantia, quæ inter diuinationis species, nona dicitur, quænam sit? pagina 70. numer. 534.

Christus Dominus.

Christus Dominus orat, vt homo. 3. 12.
Christi Domini mysteria recolunt septem horæ Canonicæ. 4. 28
Quæ Christum Dominum tetigerunt reipsa, quo cultu debeant adorari? 17. 141

Citatio.

An Citatio facta in festo sine necessitate non solum sit illicita, verùm etiam inualida? p. 218. n. 221. & seqq.

Clericus.

Clerici in maioribus constituti tenentur officium recitare ex iure Ecclesiastico. pag. 5. num. 29
Clerici in minoribus constituti non tenentur ad officij recitationem? ibid. n. 31
Nullus Clericus ratione ordinis obligatus est horas in choro celebrare. 11. 95
An Clericis solum in minoribus constitutis possit Episcopus imponere obligationem recitandi horas Canonicas? 34. 251
Si Clericus beneficiatus Mediolanensis, vbi Breuiarium Ambrosianum viget Romam pergat, an teneatur inibi non Romano, sed Ambrosiano vti? 39. 294
An Clerici in Sacris constituti peccent lethaliter, diuinam officium cum voluntaria mentis euagatione recitant? 43. 331
An Clericum à recitandi horas obligatione eximat degradatio. 50. 382
Clericis in minoribus cõstitutis num liceat reliquias tangere, aut contrectare? 92. 695
An omnibus Clericis minorum ordinum liceat Sacra vasa, vbi Reliquiæ Diuorum includuntur in processionibus deferre? ibid. num. 698
Clerici erga Prælatum quot obligationes admittantur? 235. 25
Tenetur subsidium charitatiuum soluere. ibid. num. 26
Clerici fratres, ac patres tenenturne fratres, sorores, filios, ac filias etiam spurias ex bonis Ecclesiæ dotare? 261. 204
Clericis licetne ex fructibus beneficij dotare sorores spurias, vel spurios fratres ex coitu legibus damnato. 262. 107
Clerici ac Religiosi à quocumque seu laico seu Ecclesiastico aut regulari inuasi tenenturne fugere, ne cogantur se inuadentis occisione, aut vulnere defendere? p. 285. n. 167
Clericus nolens aufugere dum potest, si innasorem occidat, an ad restitutionem teneatur? 294. 221
Clericus rem habens cum fœmina in vase præpostero incurritne pœnas Bullæ Pij V. contra Clericos Sodomitas? pag. 326. num. 220. & 221
Clericus sodomiticè patiens inciditne in bullę huiusce pœnas? p. 327. n. 223. & 224
Clericus crimen sodomiticum semel, bis aut ter perpetrans an incurrat præfatæ bullæ pœnas? ibid. 228
An Clerici incurrant Bullæ Pij V. pœnas ante Iudicis sententiam. ibid. n. 229. & 230
Clericus sodomita occultus estne suspensus ipso iure, etsi celebret, an incurrat irregularitatem? 328. 234
Clericus vitium Bestialitatis perpetrans an incurrat bullę Pij V. pœnas? ibi. 237

Commenda.

Commenda in Commendatarij vtilitatem facta estne beneficium cui subest obligatio officij recitandi? 5. 36

Commutatio Voti.

Commutatio voti, vide verb. *Votum.*

Compensatio.

Compensatio darine potest in obligationę iuramenti? 141. 296
Compensatione nùm possit quis vti, si cum iurauit solnere alicui, intentionem non habuit vtendi compensatione? ibidem num. 299

Concubinatus.

Concubinatus quid? 209. 77
Concubinatus grauissimum est peccatum, & quid gerendum cum Concubinariis in confessione? ibid. 78
Quid si Concubinarius non sit, sed à populo esse credatur. ibidem 79
Quomodo Tridentinum carpens Concubinatus, sæcularium crimen sit intelligendum? ibid. 80
Concubinatus laicorum crimen ad solos Iudices Ecclesiasticos pertinere, muniendum. ibid. num. 81

Concubinarij Clerici non sunt iam ipso facto suspensi, sed suspendendi. ibid. 82
Concubina in rigore loquendo potest cum Confessario Concubinario confiteri. ibid. num. 83
Concubinarij publici, ac notorij an sint hodie ipso facto suspensi, & fiant irregulares, si actum Sacri Ordinis exerceant? 313. 107
Pœna suspensionis habetne locum in publicis Concubinariis publicis solum in minoribus constitutis? 314. 111
Concubinarij Clerici publici suntne de iure ipso facto excommunicati? 314. 114
Concubinatus an sit crimen merè Ecclesiasticum? ibid. 117
Iudices sæculares ex officio illud possuntne punire. ibid.
Concubinæ Clericorum possuntne à iudice sæculari puniri? 315. 120
An possint occultæ Clericorum Concubinæ apud Tribunal sæculare accusari, & puniri? ibid. 123

Confessio, Confessarius.

Confessarius quænam à Malefico debeat interrogare? 24. 182
Confessarij vanos obseruatores diligenter debent examinare. 25. 189
Quomodo Confessarius se gerere debeat cum iis, qui blasphemiis sunt assueti? 27. 201
In Confessione explicandum, an tentatio Dei fuerit expressa, vel tacita? 28. 207
Confessio rei cuiuscumque potestne validè, ac licitè in die festo recipi? 222. 257

Coniux.

Coniux Catholicus teneturne admittere coniugem hæreticum, si post sententiam de hæresi latam, ab eo diuertit conuerso, & velit in sæculo sic remanere? p. 250. num. 120
Vt Coniux Catholicus valeat perpetuo separari à coniuge hæretico conuerso, quid requiratur? ibid. 123

Contractus.

Contractus nullus inualidus an iuramento firmari possit? 142. 293
An Contractus possit rescindi, & relaxatio iuramenti obtineri, etiam ob enormissimam læsionem si iuramento præstito fuerit terminatus? 149. 341

Contumelia.

Contumelia quid? 362. 41
Quotuplex admittatur Contumelia. ibid.
Contumelia quale peccatum? ibid. 42
Contumelia materialis quæ? ibid. 43
An omnes Contumeliæ eiusdem sint speciei? ibid. 44
Contumelia est grauius peccatum quàm detractio. ibid. 45
Qui Contumeliâ proximum percutit debet ei satisfacere. 363. 46. & inde plures satisfactionis modi indicantur. ibid.
Quot in casibus, priuata persona teneatur Contumeliam repellere? ibid. 47
Contumeliæ non armis sunt repellendæ? ibid. 48
Et quomodo sit Contumelioso respondendum ibid.
Contumeliam contumeliâ aliquando propellere num sit licitum? 368. 87

Creditor.

Creditor potestne remittere iuramentum præstitum principaliter in Dei honorem? 147. 313

Crux.

Crux cultu latriæ an debeat adorari. pag. 17. num. 141
Crux ex qualibet materia constans cultu latriæ est adoranda. 18. 143
Licetne Crucem reliquiis non approbatis ornatam in altari adorandam proponere? 19. 150

Curator.

Curator potestne post pubertatem personalia vota minoris in pueritia omissa irritare? p. 177. n. 560

D

Dedecus.

Dedecus quid sit? 357. 4

Delectatio.

Delectatio morosa terminata ad cogitatum malum secundum se an sit lethale? p. 311. num. 93
An sit licitum delectari morosè de effectu bono secuto ex opere malo? ibid. 94
Vt Delectatio morosa sit peccatum lethale, sufficiat quod quis animaduertat, rem esse prohibitam, ac moraliter illicitam, licet animaduertat in speciali illicitam esse mortaliter? 333. 278
Delectatio morosa, & consensus deliberatus voluntatis habitus de cogitatione, seu de speculatione operis mali, an sit lethale peccatum? ibid. 281
An sit lethale peccatum negatiuè se habere circa Delectationem morosam, & non positiuè resistere? 334. 284
An Delectatio sensualis de copula habenda tempore coniugij, etiamsi fiat sine Pollutionis periculo, licita sit de sponsis de futuro? ibid. n. 288. & 289
Coniuges absentes possuntne Delectari de copula cogitata seclusa pollutionis periculo? 335. 293
An Delectari possit vidua sine lethali periculo ex cogitatione copulæ licitæ prælapsæ? ibid. 296
An qui Delectatur in actibus ex se mortalibus, accidentibus quidem in ebrietate, dementia, somno, aut ignorantia mortaliter delinquat? 336. 298
An qui Delectatur ob bonum finem in actibus malis prælapsis peccet mortaliter? ibid. n. 302

Derisio.

Derisio quid sit? 363. 49
Derisio in quo discrepet à contumelia. ibid.
Derisio quodnam sit peccatum? ibid.
Derisio tantum erit peccatum, quanta persona. ibid. 50

Desiderium.

Quid per Desiderium intelligatur. 310. 89
Desiderium absolutum habet eandem speciem, ac malitiam, quam habet actus exterior. ibid. 90

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E IV

Desiderium cum consensu conditionato quodnam dicatur. ibid. 91
Desideriorum circumstantiæ, aut delectationum mortalium aperiendæ in confessione. 311. 96

Detractio.

Detractio quid? 358. 12
Quot ad Detractionem requirantur? ibid.
Vndenam Detractio à contumelia differat? p. 359. eod. n. 12
Quot Detractionis modi annumerentur? 359. 13
Detractio formalis suo genere est mortale. ibid. 14
Materialis potest esse veniale, & mortale. ibid. 15
Si narrans grauem alterius culpam notabiliter non lædit, non peccat lethaliter? ibid. 16
Detrahere in communi de statu Religioso est lethale. ibid. 18. & seqq.
Quando Detractoris auditor lethaliter delinquat? 360. 26
Quam grauiter peccet Detractorem audiens, & non impediens, cùm possit? ibid. 27
Circa Detractionem plura à dicto n. 12. ad 34

Diaconus.

Diaconi & Subdiaconi tenenturne ad officij recitationem? 5. 30

Discipulus.

Discipuli erga magistrum obligatio quæ? 237. 39. & è contrà. ibid. 40

Dispensatio Voti.

Dispensatio voti, vide verb. *Votum.*

Distributio.

Quid Distributionum nomine veniat intelligendum. 12. 113
Distributiones amissæ ob non residentiam quibus competant? 13. 114
An Distributiones lucrentur familiares Pontificis, an fructus? 15. 128
An Distributiones percipiant docentes, aut studentes Theologiæ, aut iuri Canonico in celebri vniuersitate, an fructus? 16. 129
Pontificis Priuilegio potest quis à choro abesse, & Distributiones, ac fructus lucrari. ibid. 130
Si Distributiones donentur à Canonicis potest qui amisit retinere. ibid. 132
Distributiones quotidianæ, & grossæ fructus, quos Canonici amittunt ob omissam priuatam recitationem, suntne applicata mensæ Capitulari, sicut sunt applicata ob non residentiam? pag. 55. num. 426
Nùm possit consuetudine introduci, vt interessentes diuinis officiis, nullas lucrentur Distributiones? 67. 516
Antequam Distributiones diuidantur, si Capitulum mandet alicui Canonico donari eas quæ amiserat, poteritne eas accipere? 68. 518. & 519. Vbi nn. 520. Authoris placitum affertur.
Distributio, vide verb. *Canonicus, Prebendatus, Religiosus.*

Diuinatio.

Diuinatio vnde dicta? 21. 163
Diuinatio quid sit? ibid.
Diuinationis definitio. ibid.
Diuinatio quot modis fieri soleat? ibidem num. 164
Diuinatio fit per expressam, & tacitam dæmonis inuocationem. ibid.
Diuinatio ex genere suo mortalis est. ibid. num. 165
De Diuinationis per sortes malitia. ibid. num. 166
Quandonam Diuinatio à mortali excusetur? 22. 167
Diuinatio tacita, vel expressa dæmonis inuocatione cuiusnam sint speciei? ibid. num. 168
Diuinatio siue per aërem siue per ignem, &c. est eiusdem speciei in genere moris. ibid. 169
Qui Diuinationem exercent? vel consulunt Diuinos, non sunt ex hoc capite excommunicati. ibid. 170
Diuinus non tenetur restituere, quæ Diuinans acquisiuit. ibid. 171
An à Diuinatione differat obseruatio vana? 24. 183
Diuinationis modi diuersi constituuntne diuersas in genere moris species necessariò fatendas. pagina 79. numero 535. & 536. vbi Authoris iudicium deducitur. 71. 537
Diuinatio duplex admittitur. 70. 534
Diuinationis quæ Necromantia appellatur? quot sint species? ibid.
Diuinatio per somnia quæ? ibid.
Diuinatio per Pythones quæ veniat intelligenda? ibid.
Diuinatio in qua est sola tacita dæmonis inuocatio quotuplex admittenda veniat? ibidem.
Diuinatio per sortes quæ? ibid.
Omnis Diuinatio siue tacita sit, siue expressa, an pertineat ad superstitionem? 71. 543
An Diuinatores teneantur pretium pro diuinatione acceptum restituere, si res non euenit? 77. 586

Dæmon.

An Dæmone consulente bonum, id licitè possimus mandare executioni? p. 72. num. 547
Dæmon ad magorum effectus quot modis concurrere soleat? 78. 591
Vt quis Dæmonium dicatur habere quæ requirantur? 86. 651
Dæmonem in energumeno existentem interrogare ex curiositate, aut leuitate, res vanas, & inutiles, num sit lethale, aut veniale? 88. 658
à Dæmone signum petere an sit superstitiosum, quo signo testetur, se à corpore energumeni exire, & nunquam rediturum? ibid. 661
An sit superstitiosum Dæmoniacũ alapis percutere,

cutere. ibid. 664.

Dominica dies.

Dominicæ diei obseruatio ab Apostolis dimanauit. 192.2
Dominicæ diei obseruatio indicta Ecclesiæ ab Apostolis an sit iuris diuini? 197.47
An Dominicæ diei obseruatio possit humana lege, vel consuetudine abrogari? 198.50

Dominus.

Erga Dominum quot mancipij obligationes. 236.34
Et Dominus erga mancipium in quibus obligetur? ibid. 36
Dominus potestne licite vendere mancipium, quod de ineundo matrimonio sine illius licentia tractat? 258.183
An Dominis sit integrum seruos coniugatos, qui sine eorum consensu iniere coniugium in partibus longinquis separatim vendere? ibid. 186

Dos.

Si Dos promissa integre non soluatur, teneturne maritus vxorem altere pro rata acceptæ dotis? 254.150.& 151
Ob Dotem promissam non solutam quando vir non tenetur vxorem alere, an possit eam non traducere, traductamque domo expellere? 255.159
Socer non soluit genero totum Dotis promissæ capitale, sed partem illius, teneturne gener minuere de perceptione fructuum rei oppignoratæ aliquid pro rata? ibid. 163

Dubitatio.

Dubitatio iudicium & suspicio inter se differunt. 365.67
Dubitatio suspicio & iudicium aliud prudens aliud imprudens ac temerarium. ibid. 68
Sunt subiectiue in intellectu, sed requirunt voluntatis consensum. ibid. 69
Licet Dubitare, suspicari, & iudicare de proximo, vbi sufficiunt indicia. ibid. 70
Dubitatio temeraria an sit venialis. 366.74
Quo sensu accipiendum axioma, *Dubia in meliorem partem interpretanda.* ibid. 75

Duellum.

Duellum ad quot causas possit ordinari? 77. 587
Duellum acceptare est omnino illicitum. 269. 33

E

Ecclesia.

Ecclesia quibus actibus polluatur? 28.213
Ecclesiam quod homicidium violet? 29.213
Ecclesiamne sanguinis effusio violat? ibid.
Et an seminis effusio? ibid.
Et an sepultura excommunicati vitandi? ibid.
Ecclesia polluta consequitur pollutum cæmeterium, non è contra. ibid.
Inter Ecclesiæ pollutionem, & execrationem quid discriminis intercedat? ibid.
Ecclesiæ polutæ reconciliatio per quam fieri debeat? ibid.
In Ecclesia prohibentur fieri actus forenses. ibid. 214
Ecclesias parochiales obtinentes possuntne ex ordinarij facultate, à suis Ecclesiis studij causa abesse, fructusque lucrari? 63.496
Ecclesia in quibusdam votis certam formam requirit, quâ non obseruata, sunt irrita. 117.83

Episcopus.

Episcopus recipiens alienæ diœcesis reliquias in suam translatas, quid ipsi sit agendum. 19.151
An Episcopus possit obligationem recitandi horas canonicas imponere clericis solum in minoribus constitutis? 34.251
An Episcopus possit constituere, vt omnis clerus suæ diœcesis festiuitatem alicuius sancti celebret, cùm iuxta breuiarij Romani rubricas de alio sancto, vel de feria erat recitandum? 40. 301
Episcopus teneturne diuinum officium in Ecclesia persoluere? 57.435
Episcopus potestne ex Ecclesia collegiata assignare suo seruitio non solum duos, sed plures Canonicos, qui fructibus præbendæ fruantur, etiamsi choro non interfint? 63.483
Episcopus quodnam priuilegium ad breue tempus ex causa rationabili possit concedere? 66.506
Episcopus ex Tridentini facultate, an possit sancti alicuius antiqui nondum canonizati reliquias approbare, vt publicè venerentur? 90.681
Episcopus non potest instituere festum alicuius Beati non canonizati. 19.24
Episcopus potest dare licentiam laborandi in die festo sub onere aliquid in vsus pios conferendi? 197.43
Episcopi habeantne ius diem festum instituendi alicuius nondum in sanctorum numerum relati à Pontifice? 199.63
An Episcopus cuilibet liceat festum illius publice instituere Beatificante Pontifice aliquem sanctum? 200.66
Vt Episcopus diei Festi obligationem constituat, an requiratur necessario Cleri ac populi consensus, vel pro vna vice, vel altera? ibid. 69
Num Episcopus possit ex vi consuetudinis dies Festos constituere absque Cleri aut Capituli consensu, vna vel altera vice? ibid. 71
Episcopus potestne dies festos sine populi consensu constituere ex vi consuetudinis? 201. 74
An sine Episcopi consensu consuetudo totius

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E IV

Cleri & populi habeat vim introducendi dies Festos? ibid.76. & 77
Episcopi tenetur residere. 235.27
Episcopi obligationes quot? ibid.28
Episcopus non potest Episcopatum deserere sine Pontificis licentia. ibid.29
Episcopus vel alius superior si fornicetur non tenetur in confessione circunstantiam officij aperire? 301.11

Eucharistia.

Eucharistia adoratione latriæ est veneranda 17.140
Et quando præceptum eam adorandi obliget? ibid.

Excommunicatio.

An Excommunicatio feratur ob idololatriam simul internam & externam? 21.162

Exorcista.

An Exorcistæ liceat defatigare dœmoniacum fumis hypericontis, ruthæ, cornuum stercorisque caprini; & an subsit quid superstitionis? 89.667
An Exorcistis liceat conniuere petitioni Dœmonis ab obsessi corpore egressuri? ibid.670

F

Fama.

FAma quænam dicatur? 357.2
Famam restituendi modus admittitur conueniens. 367.83
Quot causæ excusantes à Famæ restitutione annumerantur? ibid.84
Fama proximi debetne necessario cum vitæ periculo restitui? 385.208
Quando Fama restitui non potest infamator tenetur eam pecunia compensare. ibid.111
Infamator an teneatur ad Famæ restitutionem, si infamatus suis virtutibus eam recuperauit? 386.214
Obligatio restituendi pro fama læsa transitne ad infamantis hæredes? 389.241
Fama vide verb. *Restitutio.*

Famulus.

Famulus quid generatim hero præstare teneatur? 234.15.& contra ibid.
Famulus à seruo & operario differt. ibid.16.
Famulo laboranti fideliter soluendum stipendium iustum, ibid.17
Quodnam stipendium famuli iustum censeatur? ibid.18.
Famulo seruienti nulla certa constituta mercede, iusta merces est soluenda. ibid.20
Expellens domo Famulum nondum elapso seruitij tempore constituto, ad quid teneatur? ibid.21
Famulo non debetur merces pro tempore ægritudinis. 235.22
Delinquit non soluens Famulo stipendium in ea re in qua conuenit ibid.23
Famulus delinquit grauiter non obediens in rebus magni momenti. ibid.24
Famulo qui promisit seruire anno integro pro assignato stipendio, si primis lex mensibus tantum inseruiat an dominus teneatur dimidium mercedis soluere? 257.176.
Num Famuli nihil gratia à Dominos obtinentes, possint occultè compensationem facere? ibid.180
Quandonam famulis sit licitum aliquid secreto à Domino surripere, & quando non 259.190
Et circa hoc quatuor regulæ exponuntur. ibid.191.& sequentibus.

Festum.

Festorum celebrationis præceptum quotuplex admittatur? 192.1
Quinam possint Dies festos instituere, & institutos iam abrogare? ibid.3
Festum alicuius Beati non canonizati instituere an possit Episcopus? ibid.4
Festos dies instituit, & abrogat consuetudo? 193.5
Festos dies tanquam Sacros instituere non datur sæculari potestati. ibid.6
Peccat populus non adimplens vota Festorum populi superioris ætatis. ibid.7
Festa incipiendi, ac terminandi modus vnde sumendus? ibid.8
Festa obseruanda vniuersim ex præcepto. ibid.9
Festa solita ex deuotione coli, quæ ibid.
In die Festo delinquitne colens Ecclesiæ agros, &c. 194.16
In die Festo licetne scripturas facere, dummodo actus prohibitos non contineant? 196.25
An sit licitum in die Festo extra necessitatem testamenta conficere? ibid.26
In die festo licita est appellatio, sed non eius prosecutio. ibid.31
Nec citatio sed inchoatio causæ, nisi in casu speciali. ibid.32
In die Festo non possunt examinari testes. ibid.33
Nec fieri potest iudicium ad mortem aut ad pœnam corpoream. 196.34
Licet autem rationes subduceret. ibid.35
Quotuplices admittantur causæ excusantes in die Festo laborantes? ibid. *à n.36.ad* 42
Estne præceptum diuinum vel naturale de instituendis aliquibus Festis diebus? 198.53.
Festi dies à media nocte vsque ad alteram mediam noctem debentne vniuersaliter imputari? ibid.56
An potestate humana spatium viginti quatuor horarum Festi iam instituti imminui queat? 199.60
An excusetur certum genus mechanicorum, cum est consuetudo, eos solum operari reliquo populo Festum obseruante? 202.83

Sæculares Principes habentne potestatem obligandi populum dies Festos obseruare? ibid.86
An Festa suæ patriæ teneantur obseruare peregrini cum absentes sunt, & cum non obseruatur in loco, vbi adsunt? 204.98
Qui è loco proprio egreditur diluculo, vt in alio vbi festum illud non colitur, valeat seruile opus exercere, an hic teneatur priusquam exeat missam audire? 205.105
Peregrini, Scholastici, &c. tenenturne diem Festum obseruare proprium loci, in quo animo non persistendi, diu commorantur? ibid.108
Circa Festorum obseruationem, & de iis qui tenentur obsernare multa? 206.*an.*109,*ad* 124
An die Festo liceat studiis incumbere, quæ Sacra, vel spiritualia non sint? 208.255
Die Festo alios docere lucri causa licetne. ibid.138
An sit licitum in Festo cantare, pulsare instruta musica, vel consilium dare propter Lucrum. 209.141
An in die Festo liceat scribere sine lucri fine. 209.144
In die Festo num sit opus prohibitum propter lucrum scribere. ibid.147
In die Festo transcribere propter quæstum an sit prohibitum. 210.150
An liceat in die festo rationem facere, siue fiat ex officio, aut ad lucrum sine non. ibid.153
In die festo licetne Typographo characteres componere. ibid.157
Pingere in die festo num liceat dum lucri causâ fit, non animum relaxandi, aut artem addiscendi gratia. 211.160
An in die festo pingere sit licitum, cum sit recreationis causa. ibid.163. & seq.
An liceat puellis in die festo acu pingere, seu recamaturas facere. 212.169
Diebus festis licetne adolescentulis fila ducere, aut aliud opus seruile exercere ad otium repellendum. ibid.172
Ad vitandâ peccandi occasionem ex otio proueniente, potestne quis in festo seruiliter laborare. ibid.175
An in die festo sit licita piscatio, venatio, &c. si ex officio aut lucri causa geratur. 213.181
In die festo licetne præliari extra necessitatem. 214.187
An sit licitum in die festo molendinis aquæ, autventi molere. ibid.190
Num in die festo licitum sit iumenta aut currus onustos deferre. 215.200
An mulionibus liceat die festo iter inchoare. 216.204
Licetne imponere festis diebus onera perpetuo amenti aut seruo infideli ibid.207
In die festo an mortale sit emere aut vendere. 218.217
An à mortali excusetur qui tertiam diei festi partem seruiliter laborat. 224.272
An Festi immunitatem violent, qui absque necessitatè panes conficiunt & coquunt. 226.292
Num excusentur agricolæ, qui messis aut vindemiæ tempore in festo laborant, quamuis nullum certum damnum imminere videatur. ibid.295
Num Barbitonsorum famuli excusentur à culpa, dum à Dominis compulsi in festo laborant. 228.309
Qui die festo ferrant iumenta iter. non agentia an à piaculo excusentur. 229.316

Fidelitas.

Fidelitas quid sit? 374.131

Filius.

Filij parentes amare tenentur. 232.2
Tenetur eis in spirituali necessitate subuenire. ibid.3
Tenentur eis non solum externam, sed & internam reuerentiam exhibere? ibid.4
Filius tenetur parentibus obedire in iis, in quibus est eis subiectus. 233.5
Tenetur parentum corporeæ necessitati, quantum potest succurrere. ibid.6
Filius non potest ingredi Religionem parentibus ad egestatem extremam, vel grauem redactis. ibid.7
Quandonam teneatur Filius professus egredi è Religione ad subleuandos parentes? ibid.8
Filius professus quomodo sese gerere debeat in sæculo ad leuamen parentum? ibid.9
Filius patris testamentum implere tenetur. ibid.10
Quibus modis filius patriam exuit potestatem? ibid.11
Erga Filios quot parentum obligationes admittantur. ibid.12
Filiis in quinque casibus possint alimenta denegare parentes. 234.13
Si Filij qui votum castitatis emisere id sæpè ex incontinentia violent, possuntne parentes eis suadere vt ducant vxorem. 238.51
Filij Catholici tenenturne parentibus hæreticis, & è contra alimenta impertire, si conuerti nolint, in graui necessitate. 239.54
Filius teneturne patrem infidelem in extrema necessitate constitutum alere si conetur eum à fide auertere. ibid.57
An Filij teneantur ex naturali iure parentibus in extrema necessitate constitutis alimenta impertire. 240.61.& 62
Num teneatur filius in Religione professus ex ea exire, si in sæculo melius possit parentes graui necessitate laborantes succurrere, siue ea necessitas antecesserit professionem, siue fuerit ei subsecuta. 241.70
Filij maiores natu tenenturne debita parentum soluere ex bonis maioratus. 243.92
Num hodie possint filiæ in qualibet ætate cuicumque siue digno siue indigno nubere absque

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E. IV.

absque metu exclusionis à dote & alimentis. 244.86
An Filia possit de iure communi ac cæsareo, quæ ante vigesimum quintum ætatis suæ annum nupsit indigno, libero tamen sine parentum consensu exhæredari. 295.89
Quando pater non exhæredauit filium, nec filius patrem de iure communi, an possint hæredes hoc allegare, ab eis hæreditatem adimant? ibid.90.91.92
Filios suppositos, vel adulterinos teneturne mater manifestare, vt hereditatem legitimis restituat? 247.102
Filiusfamilias seruiens patri potest ne clam accipere tantum quantum pro eo seruitio extraneo quidam esset impendendum? 348.89
Pater amittit vsumfructum bonorum aduentitiorum Filij per professionem ipsius in Religione approbatam? 349.91.& 92
Filios tenenturne patres alere in studiis cœptis, quoad vsque illa absoluant? 264.221
Libri Filiis à parente ad studendum dati, num sint ab onere collationis exempti? ibid.224
An Filius teneatur cum aliis fratribus, & cohæredibus ad collationem ea quæ malè insumpsit adducere? ibid.227
An Filio permittatur filium bannitum occidere? 291.100
Quandonam Filius teneatur credere matri affirmanti se esse spurium? 302.22

Fœmina.

An fœminæ carminatrices, quas vulgo vocitant *Ensalmadoras*, o *Santiquadoras*, habeant aliquid superstitionis? 81.611
An fœminæ istiusm odi sint permittendæ? ibid.614
Fœmina se ipsam interficere non potest, ne ab alio violetur. 269.28

Fornicatio.

Quid sit fornicatio simplex. 300.6
Accessus soluti christiani ad solutam gentilem, vel Iudæam est Fornicatio simplex ibid.7
Varij casus, in quibus mutatur aut non mutatur Fornicationis species. ibid.8
Fornicationem esse lethale de fide est. 301.9
In quibus casibus Fornicatio non dicatur lethale? ibid.10
Episcopus, vel alius superior fornicetur non tenetur in confessione circunstantiam officij, aperire? ibid.11
Fornicatio simplex secluſa Dei prohibitione ex natura sua estne peccatum mortiferum? 312.100
Fornicatio simplex an sit grauius peccatum furto? ibid.104

Frater.

Frater vterinus teneturne saltem pro ratione alimentorum sorores ac fratres vterinos dotare, sicut alere tenetur? 260.197
Fratres & Patres Clerici, & Beneficiati possuntne tuta conscientia sorores ac fratres, filios ac filias spurias ex fructibus Beneficij dotare, ex eo capite: quia Dos succedit alimentorum loco? 261.300

Fructus.

Quid Fructum nomine veniat intelligendum? 12.113

Furtum.

Furtum quid sit? 337.1
Furtum & rapina differunt specie, & in ratione iniuriæ? ibid.2
Furtum suo ex genere est mortale. ibid.3
Quando possit fieri veniale? ibid.
Potest furtum veniale fieri mortale ratione notabilis damni. 338.4
Maior requiritur quantitas ad peccatum furti mortale, quando quis eidem magnis temporis interuellis subtrahit. ibid.5
Furans minima à pluribus cum intentione capiendi notabilem quantitatem, an peccet lethaliter? ibid.6
Secus qui per Furta minima non intendit rem notabilem acquirere? ibid.7
Qui per minima Furta graue damnum inferunt ex communi consilio, in solidum tenentur adrestitutionem. ibid.8
Quid si alter alterius non sit conscius? ibid.9
An de nouo peccet qui post quantitatem notabilem per minima furta sublatam addit alia parua? ibid.10
Qui Furto aufert leuem quantitatem ab eo à quo alij notabilem abstulerant num delinquat lethaliter? 339.11
Continue actu peccat qui furto rem alienam detinet. ibid.12
Tripliciter potest interrumpi illa detentionis iniquæ peccatum, ita vt non continuetur. ibid.13
Quisquam potest furari rem alienam in extrema necessitate constitutus, vt suam subleuet egestatem. ibid.14
Furti quantitas quæ grauis dicatur? ibid.15.16.& 17
Mortaliter delinquit filius furans notabilem summam. ibid.18
Maior quantitas requiritur ad filiorum graue furtum. ibid.19
Ob Furtum quæ restitutio à filiis sit facienda? 340.20.
Non peccat mortaliter filius furti delicto expendens aliquid in eleemosynas. ibid.21
Ad graue furtum vxoris quæ quantitas requiratur. ibid.23
Famulorum Furta quæ dicantur? 340.30.& 31
Ea quantitas est necessaria ad Furtum lethale religiosi quæ sufficit in sæculari ad materiam grauem furti constituendam. ibid.34
In Furtis comestibium non grauiter delinquit religiosus. ibid.35
Quantitas in Furto graui potestne generatim

tim definiri. 342.40
An peccet mortaliter qui rem paruam furatur, quam scit magni à Domino pendi. ibid.42.& 43
Si Dominus rei leuis furatæ alium occidat, credens illum fuisse latronem, fur malitiose hoc gerens, teneturne tunc ad homicidij restitutionem? 343.47.& 47
In Furto Reliquiarum an detur materiæ paruitas. ibid.51
Quando quis proposuit ab initio animo furari ab vno multa minima vsque ad notabilem quantitatem, singulæ actiones illorum minimorum suntne lethalia peccata? 344.54
Omnia rerum minimarum furta etiamsi notabilem constituant quantitatem suntne mortalia, & an obligent ad restitutionem sub lethali 345.61.& seqq.
An Furtum vasalli respectu Regis vel principis sit lethale quãtitas minor duobus nummis aureis 351.113
Lethalis quantitas in furtiua receptione Reginæ, vel filiorum Regis potestne definiri? 352.116

G

Genethlia,

GEnethlia diuinationis species quæ? 70.534

Geomantia.

Geomantia quæ diuinationis species dicitur, quænam sit. 70.534

H

Hæres.

HÆres defuncti realia vota, non autem personalia tenetur exequi. 115.74

Homicida, Homicidium.

Homicidium quid sit? 265.1
Homicidium quale peccatum. ibid.
Ex ignorantia inuincibili posset quis ab Homicidio suiipsius excusari. ibid.4
Homicidium casuale quodnam dicatur? 270.36
Homicidium pure casuale ad nullam restitutionem obligat. ibid.37
Qui rei illicitæ dat operam ex qua præter intentionem sequitur homicidium, non est reus homicidij. ibid.38
si homicidium ab aliquo patratum, alij imputetur, debetne aliquid ipse alteri restituere. ibid.40
Homicida vel mulitator iniustus ad omnia damna tenetur. 271.45
Licet homicida pœnam talionis sustinuerit, omnia homicidij damna sunt resarcienda. ibid.46
pro funeris expensis nihil restituendum. ibid.46
Homicida non obligatur ad suffragia pro occisi anima. ibid.48
Homicidæ hæredes ad restitutionem tenentur, si homicida reliquit bona, libera, in quibus hæredes successerunt. 272.50
Homicida tenetur lucrum cessans ac damnum emergens resarcire. ibid.51
Homicida ad nullam restitutionem tenetur quando læsus, vel eius hæredes debitum omne remittunt. ibid.52
Homicidium irrogatum per mancipium, vel animal tuum tibi imputabitur ad restitutionem. ibid.54
Homicidia facta per Turcarum triremes, non sunt remigibus Christianis captiuis tribuenda. ibid.55
Homicida vel mutilator teneturne integrum lucrum cessans restituere. 295.230
Homicida teneturne ex iustitia pro anima à se occisi missas & orationes offerre? 297.237.& 238
An homicida teneatur restituere damnum, quod per accidens familiaribus, & amicis occisi ex eius morte fuerit secutum? ibid.242
Homicida teneturne creditoribus occisi restituere damna. 298.245
Homicidæ hæredes excusanturne à restitutione, si ille est damnatus capite? ibid.248
Homicida an compellendus sit restituere, si ob id in graui constituendus sit necessitate? ibid.251.

Honor.

Honoris nomine quid veniat intelligendum? 232.1
Honor quid sit? 357.3
Quando in occulto læsus fuit Honor alicuius estne satisfaciendi obligatio? 392.262
Honor variis modis potest impeti & auferri. 267.16

Horæ Canonicæ.

Horæ Canonicæ ab Apostolis deriuatæ. 426
septem Horæ Canonicæ recolunt Christi Domini mysteria. ibid.28
Ad Horas Canonicas non obligatur Coadiutoria cum futura successione. 5.38
Nec beneficium si nullos fructus habeat. ibid.39
Ad Horas Canonicas obligatur beneficium habens alia onera annexa sufficientia ad congruam, licet ea munera alij exequenda dentur. 6.40
Et Capellania, cui adest annexum onus dicendi missas, qua fruitur adolescens, licet per alium missæ celebrentur. ibid.41
Qui habet plura beneficia tenuia, quæ sufficiant ad sustentationem, ad Horarum Canonicarum recitationem tenetur? ibid.42
Et qui pro aliquo tempore fructus copiosos non accipit. ibid.44
An Horas Canonicas recitandi obligationem possit imponere Episcopus clericis in minoribus constitutis. 34.253
Ad Horarum recitationem obligatne beneficium

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E IV.
5

neficium, cuius fructus sunt exigui? ibid.254
Horas Canonicas recitare obligatus, tum ratione ordinis, tum ratione beneficij, tum religiosi ordinis causa, an omittens perpetret tria peccata. 41.314
An Horas recitare teneantur Diaconi, & Subdiaconi sola, ex antiqua consuetudine, quæ vim præcepti habet? ibid.317
Horas recitare num sit veniale, dum necessitati corporeæ miseriæ dans operam succurrendæ. 47.351
Qui vnam horam integram recitare omittit peccatne lethaliter? 49.370
An à recitadi horas obligatione Clericum eximat degradatio. 50.382
An Horas omittens primo semestri beneficiatus teneatur restituere fructus. 53.402
Omittens vno vel altero die horas Canonicas an teneatur aliquid restituere. ibid.405.
Alicuius Horæ partem leuem omittens an teneatur aliquid restituere. ibid.411
Qui partem leuem singulis in horis omittit, cuius omissio computatione totius officij diei grauis quantitas censeri potest, an sit obligatus restituere. ibid.414.
Horas Canonicas recitans sine vlla attentione an teneatur restituere. 55.417
Ex Ecclesiæ statuto à fundatore facto, an possit quis excusari longiori trium mēsium tempore ab horarū Canonicarum assistentia, & tamen fructus ac distributiones lucrari. 66.509.
Horæ Canonicæ, vide verb. *Beneficiatus, Beneficium, Clericus, Officium diuinum.*

Hydromantia.

Hydromantia quæ diuinationis species est, quæ intelligatur? 70.534

I

Idololatria.

IDololatria quid sit? 20.159
Idololatria quotupliciter accipiatur? ibid.
Ad Idololatriam quot actus solent concurrere. ibid.160
Idololatria proprie sumpta ex genere suo grauissimum est peccatum. 21.161
In Idololatria quotupliciter delinquatur. ibid.
An ob Idololatriam internam simul & externam feratur excommunicatio? ibid.162

Ieiunium.

Ieiunare die Dominica an sit quid superstitionis? 69.527
Ieiunare semper die Dominica, an sit veniale, cum nec oboritur scandalum, nec error adest, sed propter aliquem bonum finem? ibid.530
Ieiunare vouens in die, in qua incidit festum aliquod v.gr. Annunciationis, si id incidat an possit ipsa die Dominica ieiunare? 70.353
In Ieiunij transgressione feria sexta Natalis Domini an committatur duplex piaculum? 164.461.
Ieiunium violans ex voti obligatione, an peccet toties quoties carnes comedit illa die? 165.464
Carens Bulla Cruciatæ ex vi voti Ieiunij teneturne à lacticiniis abstinere in quadragesima, aliisve temporibus, in quibus ex consuetudine ab iis abstinetur? ibid.468
Emisit quis votum Ieiunandi in pane & aqua quod semel violauit vinum hauriendo, hic autem post primam violationem potestne sæpius bibere absque noua voti violatione? 166.272

Imago.

Imaginum vsus sanctus licet Deum & Angelos repræsentent. 18.147
Imago & exemplar vna & eadem adoratione possunt adorari. ibid.148

Incestus.

Incestus quid? 303.26
Incestus ad quasnam pœnas & gradus extendatur? ibid.
Incestus est lethale admodum peccatum. ibid.27
Copula inita cum confessionis filia non est propriè incestus. ibid.28
Et tamen si eam baptizauerit. ibid.
Incestus duplicem habet effectum cum consanguinea vxoris in primo & secundo gradu. ibid.29
An sit Incestus necessario in confessione explicandus commixtio cum consanguinea vxoris in matrimonio tantummodo rato, & non consummato? 320.161
Incestus commissus cum propria consanguinea inducitne impedimentum non petendi debitum, & carendi omni spe coniugij. ibid.165
In Excommunicatione, quam ipso facto incurrunt Incestuosas nuptias contrahentes comprehendunturne, qui contraxere credentes se esse cognatos, vel affines intra gradus prohibitos cum re vera non sint. 320.167.& 168
Incestus circunstantia in copula sodomitica estne distinctione graduum explicanda in confessione, sed an sufficiat dicere, sodomiticè cum affine deliqui. 326.218

Infamare, Infamia.

Infamandi proximum quot admittantur species? 357.1
Infamia quæ dicatur. ibid.2
An Infamare illum, qui falsis virtutibus famam acquisiuit an sit peccatum contra iustitiam. 370.101
Illum qui de vno crimine publicè est Infamatus, an liceat de aliis delictis alterius speciei leuioribus infamare. ibid.105.& seqq.

Num

Num sit lethale seipsum sine causa Infamare, stando præcise in propriæ Infamiæ ratione? 378.155
Si Infamia est iam obliuione sepulta, & restitutio nondum facta, an teneatur ad restitutionem infamator. 386.218
Qui se mutuo ad inuicem infamarunt, an excusentur à mutua restitutione. 388.232
Infamator teneturne læsam proximi famam restituere, nō solū apud eo apud quos eā læsit, sed etiam apud illos, quibus ipsi postea dixerunt. 391.256

Innocentius.

Innocentij præscriptum circa recitationem officij canonici. 7.60

Inquisitor.

Inquisitores cognoscuntne de blasphemiis non hæreticalibus? 101.767

Invocatio.

Inuocationem expressam inter & tacitam dæmonis estne specifica differentia necessario facienda? 71.540

Irritatio Voti.

Irritatio voti, vide verb. *Votum.*

Iudex.

Iudex potestne licite actus iurisdictionis voluntariæ exercere. 222.454
An Iudicem verbo aut scripto super litem informare si fiat ob lucrū in die festo, liceat aduocato ac procuratori. 223.263
Solus Iudex sæcularis est competens cum de adulterio ad pœnam sāguinis agitur. 303.25

Iudicium.

Iudicium inter suspicionem, & dubitationem quid discriminis intercedat. 365.67
Iudicium, dubitatio & suspicio, aliud prudens, aliud imprudens ac temerarium. ibidem 68
Sunt subiectiue in intellectu, aſt requirunt cōsensum voluntarium. ibid. 69
Licet Iudicare & suspicari de proximo, vbi sufficiunt indicia. ibid. 70
Temere proximum Iudicare est ex suo genere mortale. 366.71
Quænam requirantur vt Iudicium sit mortale? ibid. 72
Iudicium temerariū estne peccatum eiusdem speciei infimæ cum detractione. 383.197
Iudicium, vide verb. *Iuramentum.*

Iuramentum.

Iuramenta suntne blasphema, *Per Corpus Dei, per Dei sanguinem, per caput*, &c. 99.750
Iuramentum per intemeratam Deiparæ Virginitatem an sit blasphemia. ibid. 753
Omne Iuramentum falsum vel iniustum an sit blasphemum. ibid. 756
Iuramentum quid sit. 104.1
Quænam ad Iuramenti essentiam sint requisita? ibid.
Quandonam sint Iuramenta hæc verba Deus scit ita esse & similia. 105.2
Iuramentum per falsos Deos, nec verè iuramentum nec obligat. ibid. 3
An sit iuramentum, Per Deum, vel corpus Dei, aut Christi. ibid. 4
Ad Iuramentum sufficit Dei tacita inuocatio. ibid. 5
Quot modis possit creatura in testem veritatis adduci, quando id sit Iuramentum, & quando liceat. ibid. 6
Ad Iuramentum quæ verba requirantur? ibid. 7
Plures Iuramenti diuisiones veniunt indicandæ. ibid. 8
Iuramenta per Deum, per creaturas, solemne, simplex assertorium, absolutum, conditionale eiusdem sunt species. 106.99
Iuramenti materia debet esse licita. ibidem 10
Res indifferens, impossibilis, impeditiua maioris boni non est Iuramenti materia. ibidem 11
Iuramentum factum de re prohibita per legem quandonam obliget. ibid. 12
Iuramentum factum contra prius iuramentum an obliget. ibid. 13
Qui exterius iurat sine animo se obligandi, coram Deo an obligetur. ibid. 14
Cum Iuramentum rationabiliter exgitur peccat, qui iurat sine animo iurandi, aut se non obligandi. ibid. 15
Iuramentum appositū contractui, cui error, vel dolus causam dedit, an sit irritum? 107.16
Quid quando error, vel dolus versatur solum circa rei qualitatem. ibid. 17
Iuramentum promissorium metu graui extortum an obliget. ibid. 18
Iuramenti metu graui extorti violatio an sit lethale crimen. ibid. 19
An Iuramentum sit de fide licitum. ibid. 20
Quibus circumstantiis adhibitis sit licitum ibid.
Vt Iuramentum sit licitum quæ requirantur. ibid. 21
In omni materia etiam leui peccatum mortale est, sine veritate aut sub dubio Iurare. ibidem 22
Minus malum est Iurare aliquod veniale animo exequendi, quam animo non præstandi. ibid. 23
A Iurante quæ diligentia adhibenda, vt rei veritas cognoscatur. 108.24
In quo consistat Iudicium in Iuramento requisitum. ibid. 25
Iuramenti iustitia in quo consistat. ib. 26
Quæ ætas ad Iurandum in iudicio requiratur? ibid. 27
A Iuramento in iudicio repelluntur periuri. ibid. 28
Iuramentum potest præstari per nuncium vel procuratorem. ibid. 29
Quibus in casibus liceat Iuramentum petere ab eo, qui peiecturus creditur. ibid. 30
Quænam sit iusta causa, vt quis possit amphybologia, seu æquitatione vti in Iuramento. ibid. 31
Qui sua sponte se offert ad Iurandum sine necessitate peccatne lethaliter amphybologiâ vtens? 109.32
Iurans amphybologicè extra iudicium, quomodo excusetur. ibid. 33
Qui habens Iurandi consuetudinem, sed non mentiendi, in statu peccati lethalis non est. ibid. 34
Secus qui habet Iurandi ac mentiendi, ac coniungendi cum Iuramentis mendacia consuetudinem. ibid. 35. 36. & 37
An Iuramentum promissorium in re magni momenti violans an lethaliter delinquat. ibid. 38

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Ex Lib.

Index Rerum,

Qui exisit Iuramentum comminacatorium de infligenda alicui pœna, quam iuste potest infligere, debetne implere. 110.39
Iuramentum cadens supra promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione iurantis, &c. eo modo est explicandum, quo explicatur, & obligat ipsa promissio. ibid.40
Iuramentum in dubio quomodo explicandum. ibid.41
Quomodo Iuramẽti obligatio, ante inducatur, tolli possit iam inducta tollitur, mutatione materiæ. 111.47
Et condonatione, seu relaxatione. ibid.48
Et irritatione superioris. ibid.49
Iuramenta Minorum non possunt à tutoribus irrita reddi. ibid.50
Iuramenti obligatio tollitur commutatione. ibid.51
Quonam modo debeat hæc communicatio fieri. ibid.52
Tollitur etiam dispensatione. ibid.53
Prælati Regulares circa suos subditos, & qui ordinum mendicantium priuilegiis fruuntur, an dispensare in Iuramento possint. 112.54
Dispensans in Iuramento sine causa peccat, & in foro conscientiæ non est valida dispensatio. ibid.55
Causæ iustæ dispẽsandi in iuramẽto quæ. ib.56
An si verbum *Iure* absolute proferatur non exprimendo per quid iuretur verum Iuramentum indicat. 120.116
Ad verum Iuramentum an sit opus rem in testem adductam esse in se sacram: sed satis sit Sacram esse in iurantis æstimatione. 121.119
An teneatur quis vero Iuramento, quando profert verba, quæ reuera iuramenta non sũt at intendit iurare per illa, credens esse Iuramentum. ibid.122
An sit Iuramentum hoc verbum, *sicut credo in Deum*, vulgo *Como creo en Dios*. ib.125
An sint Iuramenta illa verba, *Non credo in Deum*, vel *abnego Deum*, &c. 122.128
An sint Iuramenta, & an sint æquiuoca hæc verba, *Coram Deo ita est*, vel *Deus scit ita esse*, &c. ibid.131
An sit Iuramentum tale dictum *Te sis est mih Deus*? ibid.134
An inter Iuramenta sint annumeranda hæc verba, *viuit Deus*, & *Deus est veritas*. ibidem.137
Vtrum Iuramenta esse reputentur hę particulæ, *Per meam animam*, vel *in mea anima*? 123.140
Num sit Iuramentum hæc formula, *In mea conscientia*, vel *per meam conscientiam*. ibid.143
An sit Iuramentum hæc formula vulgaris *Juro à mi o p r mi*. ibid.146
Esse Iuramentum fidei interpositio illa, *In fide mea*, *per fidem meam regiam*, *viri boni*, aut *nobilis*. 124.149
Non nullæ Iuramentorum formulæ adducuntur. ib. à numero 150. vsque numerum 174
Iuramentum execratorium falsum, estne distinctæ speciei necessario in confessione aperiendæ. 126.178
Iuramentum de re futura facienda absque illius promissione, an sit diuersum à Iuramento, quo rem illam faciendam quis promitteret. 127.182
In ratione Iuramenti, an Iuramentum assertorium differat essentialiter à Iuramento promissorio. ibid.185
An defectus iustitiæ in Iuramento assertorio sit mortale aut veniale peccatum, secundũ quod narratio confirmata iuramento mortalis vel venialis fuerit. 128.189
Num peccet lethaliter qui rem Leuem iuramento promissam implere comtemnit. 129.193
Nam sit lethale peccatum extra iudicium, vel contractus occasionem amphibologicè iurare. ibid.197
Iurans sine animo implendi, an semper peccet mortaliter. 130.200
Iurare falsum sine animo iurandi an sit lethale, si per iniuriam quis iurare cogatur. Et falsitas penitus sit occulta. ibid.203
Iurare verum sine intentione iurandi an sit lethale peccatum. ibid.206
An sit lethale Iurare quem sine sese obligandi animo. 131.208
Cui praua Iurandi affectus est consuetudine, an differenda absolutio. ibid.213
In sit lethale petere Iuramentum ab eo, qui paratus est falsum iurare, quando sibi fuerit expostulatum. ibid.217
An sit mortale Iuramentum petere sine necessitate ab Ethnico, qui per falsos Deos est iuraturus? 132.220
Stante aliqua legitima causa petendi Iuramentum à peieraturo, vel per falsa numina iuraturo, an possit qui id licite petere extra iudicium. ibid.223
An Iuramenti falsitas vel iniquitas ab ipso iuramento non distinguatur. pag.133. num.226
An sit sanum consilium si Confessarius iurare faciat pœnitentem ad aliquam pœnam subeundam, si reinciderit. ibid.229
Si quis secum iuret, aut in absentia hominis, cui fit promissio, nomine acceptante legitimę ipsius se daturum aliquid illi, an teneatur id adimplere. 134.241
Qui iurat sine animo iurandi an contrahat obligationem implendi etiam ex Religione. 135.245
Credit quis ex errore esse posse Iuramentum de materia capaci obligationis absque intentione se obligandi, hic si iurare intendit, sed non se obligare, manebitne obligatus. ibidem 249
Si dolus sit in vsu verborum, quia quis alio sẽsu illis vtitur ab eo, quem intelligit is, cui iuramentũ præstat, an contrahat obligationem iuxta sensum quem Iurat. 136.252
Iuramentum graui metu extortum inducitne obligationem. ibid.256
Obligatio Iuramenti metu extorti an sit sub lethalis culpę reatu. 137.259
An obligetur quis Iuramento præstito redeundi ad carcerem, quando carcer est iniustus, aut probabiliter timet, se iniuste fore diuexandum. ibid.263
Iuramentum istiusmodi redeundi ad carcerem, poteritne Episcopus relaxare, si Iuramentum fuit iuste expostulatum. pag.138 num.266
Iuramentum factum de re illicita, an indigeat relaxatione. ibid.269

Iuramentum de non ludendo absolutè sumptum, num sit obligatorium, 139.272
Num Iuramentum non mutuandi, nec fideiubendi sit validum. ibid.275
Medici tenenturne seruare Iuramentum præstitum monendi ægrotum, solum quando infirmitas vitæ indicit periculum? 140.279
An ex vi Iuramenti teneantur Decuriones sub mortali peccata publica inquirere. ibid. n.283
Ex vi Iuramenti tenenturne Decuriones, & auditores regij sub mortali seruare secretum eorum, quæ in Consistorio aut aula tractantur. ibid.286
An Iuramentum emissum de seruanda taxa à Rege præscripta seruare teneantur Procuratores, aliique Curiæ Officiale. 141.290
An Iuramento firmari possit contractus vllus inualidus. 142.295
In Iuramenti obligatione potestne dari compensatio. 143.296
Num relaxato Iuramento per Iudicem Ecclesiasticum, ad effectum agendi, possit coram ipso litigari de valore contractus. 144.303
An ciuilis potestas, quæ prohibere valet, ne Iuramétum apponatur, possit etiam eiusdem iam appositi vires impedire. ibid.307
Ad Iuramenti interpretationem regulæ veniunt exponendæ. ibid.308
Interpretandi benignè iuramenta plura exempla proponit Author? 145.312
Iuramentum soluendi debitum intra certam diem, an extendatur ad aliam diem per Creditorem prorogatum. 146.315
Iuramentum præstitum principaliter in Dei honorem, an remittere possit creditor. pag. 147.323
Num Iuramentum soluendi ludo vetito acquisita possit Episcopus relaxare. ibid.327
Iuramenti relaxatio potestne concedi, cum turpitudo versatur in modo exequendi Iuramentum, non in re iurata. 148.331
An concedi possit ab Episcopo Iuramenti relaxatio, si metu leui extortum sit. ibid.334
Quæ Iuramenta inique extorta possint post commissum periurium relaxari. ibid.337
An possit rescindi contractus, & relaxatio Iuramenti obtineri, etiam ob enormissimam læsionem, si iuramento præstito fuerit geminatus. 149.341
An si Iuramenti relaxatio, non in totum sed solum ad effectum agendi, vel excipiendi concedatur debeat necessario pars citari. 150.346.& 347
Num Iudex sæcularis cognoscere possit de nullitate relaxationis Iuramenti ab Ecclesiastico iudice concessæ. ibid.352
An Iuramentum extraiudiciale sit in die festo prohibitum. 220.239
Iuramentum pro causa spirituali estne in die festo licitum & validum. ibid.242
Iuramentum, vide verb. *Blasphemia.*

L

Laicus.

LAici sine leui saltem piaculo possuntne Agnos Dei tangere? 93.702 &703

Legatus.

Legatorum retentio num sit Sacrilegium? 107.775

Libellus.

Libelli famosi qui. 361.106
Dicturne Libellum infamatorium manifestare is, qui solummodo perlegit nomen personæ. ibid.107.& 108
Libellum famosum conficiens teneturne se manifestare, si superioris edicto, vel censura iubeatur, vt se probat. ibid.112

Litaniæ.

Litaniæ B. Virginis sunt orationes publicæ. 4.25
Litanias recitare omittens priuatim Rogationum diebus, an peccet mortale piaculum. 49.373
Litanias S. Marci solemni ritu non recitare an sit mortale? ibid.376

Luxuria.

Luxuria quid sit? 299.1
Luxuria est ex suo genere mortale. ibid.2
Luxuria est vnum ex vitiis capitalibus. pagin.300.n.3
Luxuriæ quis effectus. ibid.4
Quot Luxuriæ species admittantur. ibid.5
Luxuriæ consummatæ contra naturam quot species. 305.44.& 45.& 306.55.56.& 57
De Luxuria cum Dæmone incubo vel succubo quid? 307.58

M

Magia.

MAgia duplex admittitur. 22.172
Magia naturalis quæ? ibid.
Magia superstitiosa quæ dicatur. ibid.
Magia ex genere suo peccatum est lethale, aliqui autem actus possunt esse veniales. ibid.173
Quibus modis possit agnosci, an aliqua operatio ad magiam pertineat. ibid.174
Quid Magi Deo permittente gerere frequenter possint. ibid.23.eodem. n.174
Magiæ frequenter solet adiungi hæresis, Apostasia, Idololatria, Blasphemia, &c. ibid. n.175

Maledictio.

Maledictio quid. 364.59
Maledictionis diuisio. ibid.
Maledictio suo ex genere est peccatum lethale. ibid.
Maledictio quandonam sit venialis. ib.60
Maledictio quando est venialis, quando lethalis quomodo dignoscendum. ibid.61
An sit licitum desiderare proximo malum sub ratione boni. 365.62
Maledicere creaturas irrationales quid? ibid.63
Maledictio materialis sine intentione damni inferendi quæ. ibid.64
Maledictio Parentum in filios quæ. ibidem n.65
Exitialis status eorum qui consuetudine maledicunt ex animo. ibid.66
Malum quod per Maledictionem proximo est exoptatum debetne necessario in confessione explicari. 381.178

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

Quando Maledictio est in parentes in Prælatum, in herum prolata quidem ore solum sine animo, est ne semper lethale peccatum. ibid. 181
An Maledictiones differant specie iuxta mala quus proximo optantur. 382.184

Maleficium.

Maleficium quid sit? 23.176
Maleficium quotuplex admittatur. ibid.
Maleficium amatorium quid. ibid.
Maleficium veneficum quid. ibid.
Omnia Maleficia ad quinque genera reducuntur. ibid. 177
Maleficij remedia naturalia & supernaturalia quæ. ibid. 178
Haud licitum est Maleficorum, alias paratorum opera vti. 24.179
Non licet petere vt Maleficus, vel alius vno Maleficio aliud soluat. ibid. 180
Si petens scit Maleficum licite ac illicite, posse Maleficium soluere, licitum erit ab eo petere. ibid. 181
Quænam Confessarius debeat à Malefico interrogare. ibid. 182
A Malefico ad soluenda maleficia maleficio parato quid petere liceat. 84.638
An Maleficum minis cogere liceat, vt maleficium soluat. 85.641
Quando Maleficus nescit medium licitum, & illicitum soluendi maleficij, an sit integrum absolute ab eo Maleficij petere dissolutionem? 85.645
Maleficij signum destruere an liceat ad obtinendam sanitatem. 86.649
Quid Maleficij signum. ibid. 646

Mancipium.

Mancipij erga dominum obligationes quot? 236.34
Erga Mancipium Domini quot item obligationes. ibid. 36

Maritus.

Maritus è patria recessurus teneturne secum ducere vxorem, si illa eum velit comitari, in ils casibus, in quibus ei licet, ab ea vel inuita diuertere. 249.113
An Maritus teneatur alere vxorem, quam sine dote duxit, quando illa est dives aut Pater eius? 251.133
Maritus teneturne vxori adulteræ alimenta impertire? 253.142
An Maritus teneatur vxorem alere, dum eam in osculis & amplexibus cum alio deprehendit. ibid. 145
An Maritus debeat alimenta vxori adulteræ impertire, si à principio ipse causam dedit adulterio, eam domo iniuste pellendo, vnde illa fuit in adulterium lapsa. ibid. 148
Maritus teneturne vxorem alere, quando parentes dotem dolose & minime soluturi promiserunt. 254.156
Quando Maritus non tenetur vxorē alere ob promissam dotem non solutam, an possit eam non traducere, traductamque domo expellere. 255.159
Maritus potestne vxorem cum adultero deprehensam licite occidere. 288.177

Martyr.

Martyr tenetur è carcere fugere si potest commode, & sine scandalo. 280.120

Mater.

Matris nomine quid veniat intelligendū. 232.1

Matrimonium.

Matrimonium ordinarie non est voti materia. 114.68

Mendacium.

Mendacium quid. 358.5
Quotupliciter Mendacium dividatur. ibid. 6
Omne Mendacium est peccatum. ibid. 7
Mendacium officiosum & iocosum est veniale. ibid. 8
Mendacium perniciosum est suo genere lethale, nisi paruitas materiæ excuset. ibid. 9
Lethaliter non peccat qui sine graui damno proximi mendacium profert etiam in confessione. ibid. 10
Nec mulier quæ mediis licitis fingit se esse Virginem. ibid. 11

Mercatus.

Mercatus nomine qui veniat intelligendum. 195.27
Non licet Mercatus ex iure, sed licitus est consuetudine in die festo. ibid.
An Mercatus hebdomadarij possint in die festo licitè geri. 217.114

Metoposcopia.

Metoposcopia diuinationis species quæ? 70.534

Missa.

Missam dicere priusquam Matutinum recitetur, an sit lethale piaculum. 41.311
An Missæ, quæ de Amador, aut D. Gregorij vocitantur contineant aliquam superstitionis suspicionem. 81.618

Monialis.

Moniales choro deputatæ officium Canonicum recitare tenentur ex consuetudine præscripta. 6.52

Mutilatio.

Mutilatio, vide verb. *Homicidium.*

N

Necessitas.

IN Necessitate extrema an prius succurrendū patri, quam proprio filio. 240.66

Necromantia.

Necromantia, quæ diuinationis species nominatur, quænam dicatur? 70.534

Nundinæ.

Nundinæ publicæ an sint licitæ ex consuetudine, quæ solent semel aut bis in anno fieri in diebus festis. 217.114

O

Observatio.

OBservatio vana quid sit? 24.183
Obseruationis vanæ quot species admittantur. 25.184
Obseruatio sanitatum quæ. ibid. 185
Quodnam sit mortalis, quando venialis Obseruatio vana. ibid. 187
Ex paruitate materiæ non est in his Obseruationibus veniale peccatum. ibid. 188
Non sunt simpliciter damnandi, qui vtuntur vana obseruatione, sed diligenter à Confessario examinandi. ibid. 189
Obseruatio euentuum quid. ibid. 190

Occidere Occisio.

Occisio animalium licita. 265.2
Licitum est cuique sibi optare mortem ad incommoda vitanda? ibid.3
Licitumne est alium occidere ad vitæ aut integritatis membrorum defensionem,& quot adhibitis conditionibus. ibid.5
An Clericis,& monachis occidere quemcumque iniustum inuasorem ad vitæ defensionem. 266.6
Occiditur licite furiosus aut amens inuasor. ibid.7.
Licitum est occidere publicos ministros in defensionem innocentis. ibid.9
Regulariter possumus permittere occidi ab inuasore,sed aliquando in agere non possumus. ibid.10
Potest se inuasus cum inuocentis tueri periculo.ibid.11.
Licitum est cunctis in fortunarum magni momenti defensionem alium occidere? ibid.12
Occidere licet pro pudicitiæ defensione.ib.14
Et pro ignominia propulsanda. 267.15
Licitum est vitam proximi tuendo inuasorem occidere. ibid.17
Occidere & mutilare potest publica potestas. ibid.20.& seq.
Occidere malefactorem propria authoritate non licet. 268.22
Et quid de proscriptis. ibid.
Non occidere licet vxorem adulteram ante iudicis sententiam. ibid.23
Nec homini priuato licitum est principem tyrannum ex administratione occidere. ib.24
Nulli licet se ipsum directè occidere. ibid.25
Non est licitum directè innocentem occidere? 269.29
Non licet aggressorem vitæ nostræ præuenire. ibid.30
Occidere non licet ob contumeliosum verbum. ibid.32
Non licet occidere iniustum inuasorem, si quis fugere possit sine periculo. ibid.34
Occisio casualis censetur,cum adulter à marito inuasus,cum occidit,moderamine adhibito. 270.39
An occidere inuasorem liceat cum moderamine inculpatæ tutelæ. 273.58
Occidere licetne inuasorem qui fustem vel alapam viro honorato vult infligere. ibid. 59.& 60
Licetne cuique præuenire aggressorem,eumque priusquam inuadat occidere. 274.64
Licetne occidere falsum testem pergentem ad testificandum contra te cuius testimonio vita vel honor tuus in discrimen adducendus erit. ibid.70
Quis aliqua in domo reclusus,videt,inimicum qui expectat eum egredientem,vt occidat, illene potest eum occidere, si alter seruari non valet. 275.73
In foro conscientiæ, licetne occidere alium pro honoris defensione. ibid.76
Licetne Occidere eum qui mortem minitatur,si talis solitus sit minas executioni mandare. ibid.78
Princeps, aut quiuis alius Reipublicæ perquam commodus teneatur inuadentem se occidere. 276.81
Quando quis inuasoremoccidit potestne eius necem directè intendere tanquam medium ad sui defensionem necessarium. ibid.87
Licetne in propriarum facultatum defensionem occidere inuasorem. 277.90
Potestne quis pro defensione rei, quæ vnius aurei valorem non excedit inuasorem occidere. 277.97
An liceat priuato cuique homini gladio, veneno, proditione &c. occidere Regem tyrannicè dominantem. 278.100
An si innocens contumaciter renuat tradi tyranno, valeat ab ipsa Republica occidi. ibid.104
Licitum est Bannitum proditorie occidere? ibid.107
Licetne occidere illum qui per famulum, & sicarium tenubet occidere, casu quo ob huiusmodi mandatum mors instet, & in propinquo sit. 283.151
Septem exponuntur regulæ, vt planum fiat, quando liceat & quando non liceat nobis inuadentem nos,aut res nostras,aut proximi prædonem occidere. 284.160

Officium Diuinum.

Officium B. Virginis & litaniæ sunt orationes publicæ. 4.25
Officij Ecclesiastici diuisio. ibid.27
Officium tenentur recitare ex iure Ecclesiastico Clerici in maioribus constituti, Beneficiati,Diaconi, & subdiaconi. ibid.30
Non tenentur Clerici in minoribus constituti. ibid.31
Beneficiati tenentur. ibid.32
Ad Officium recitandum tenetur capellania collatiua. ibid.35
Et commenda in Commendatarij vtilitatem facta. ibid.36
Non tenentur pensionem habentes recitare officiū canonicum,sed solummodo officium patruum Deiparæ. ibid.37
Officium diuinum recitando satisfacit habens beneficium & pensionem. 6.50
Officium omittendo bis non delinquit habens duplex beneficium. ibid.51
Officium recitare tenentur religiosi, ac moniales choro deputatæ ex consuetudine præscripta. ibid.52
Omnes tenentur recitare officium Romanum aliquibus personis exceptis. 7.53
Clericus habens beneficium,vi cuius tenetur Officium Romanum recitare an possit vti Ambrosiano si Mediolani commoretur. ibid.54
Potestne Episcopus de Sancto extra Kalendarium instituere recitationē quadam adiecta conditione. ibid.55
Quando non possit constitutione generali sed particulari queat. ibid.56
An Officium diuinum alia lingua quā latina recitans satisfaciat obligationi. 7.57
Venialiterne peccat qui addit, vel demit minimum quid in Officio canonico. ibid.58
Qui addit partem notabilem peccat, sed implet præceptum. ibid.59
Officium est recitandum studiose, & deuote, ex Innocentij præscripto. ibid.60
Omissio verborum in magna quantitate lethalis,in leui venialis est. ibid.61

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Ed. IV.

Mutilatio Syllabarum plerumque est venialis. 8.62
Officij interruptio sine causa venialis, cum causa nulla culpa est. ibid.63
Ad officij recitationem quid sufficiat? ibid.64
Qui solus recitat nō tenetur ita proferre verba, vt se ipsum audiat. ibid.65
An recitantes cum socio debeant sese inuicem audire? ibid.66
Et alternatim versus Psalmorum dicere, non sic necessario reliqua. ibid.67
An non satisfaciat non expectans integram socij prolationem. ibid.68
Recitans animo non satisfaciendi præcepto, an satisfaciat. ibid.69
Officium diuinum Recitans sine attentione, an peccet. ibid.70
Officij recitandi tempus assignatur. ibid. 71
Officium diuinum cunctis diebus recitandum. ibid.
Non tenetur quis quo die incipit obligatio totum officium dicere. 9.73
In recitatione officij diuini quis ordo seruandus? ibid.74
Quocumque non indecenti loco, & corporis habitu quolibet recitari potest. ibid.75
Officium non recitans aut partem omittens an peccet? 9.76.& 77
Ab Officij Canonici recitatione causæ excusantes veniunt enumerandæ. ibid. à n.78. ad 84.
Pro rata dierum, quis Officium totum, vel partem omisit, gerenda restitutio. pag.10. n.88
Omittens partem leuem alicuius officij, restituere non tenetur. ibid.89
Recitans sine vlla attentione debet restituere. ibid.90
Hæc restitutio facienda est ante Iudicis sententiam. ibid.91
Officij recitandi præcepto num satisfaciat, qui die quo recitandum est de feria, recitat de Diuo, & è contra. 40.304
Officium interrumpere absque causa extra chorum an sit mortale. ibid.307
Officium priuatim recitans an debeat ita illud exprimere, vt se ipsum exaudiat? 43.334
Officium sola mente recitans, an satisfaciat obligationi. 44.337
An totum diuinum Officium possint mentaliter exprimere priuatim Regulares ex speciali priuilegio? ibid.340
Officij diuini longissima interruptio absque causa gesta an sit lethalis? p.45.n.341.342. & 343
An sit veniale dicere Matutinum vesperè Et laudes sequentis diei aurorâ, etsi honesta causa non adsit. ibid.346
Officium Canonicum recitandi obligatio, quando nam incipiat? ibid.349
Hora secunda post meridiem terminata dictisque Vesperis & Completorio, potestne quis statim recitare Matutinum & Laudes diei sequentis? 46.352
Vt pridie possit quis Matutinum & Laudes licite recitare, an requiratur aliqua causa honestans? ibid.355
Officium hodiernum quis incipit paulo ante mediam noctem diei sequentis recitare, & post perfectam mediam illam noctem prosequitur & absolnit, an impleat recitandi præceptum. ibid.358
Officium longius in breuius commutare an sit mortale. 47.362.& 48.363.& 364
Qui Officium recitare omittit citra contemptum vna vel altera die, an lethaliter delinquat. 48.367
Qui Officium defunctorum non recitat secunda Nouem bris die, an lathale piaculum admittat? 50.379
Qui ob ægritudinem aut superuenientem occupationem non potest totum Officium recitare, an teneatur illius partem dicere? 51.385
Si Medicus dubitet, an æger maiorem Officij partem possit sine graui incommodo recitare, an debeat is recitationi illius maioris officij partis operam dare. ibid.389
Qui caret visu, vel breuiario, memoriter tamen fideliter tenet maiorem officij partem an teneatur eam recitare? 52.392
Impotens est quis solus recitare, potest tamen cum socio, quem habet ad manum, an teneatur hic dicere Officium. ibid.395
An Officium mane teneatur recitare, sciens vespere impediendum se esse à recitatione. 52.398
An Officium diuinum teneatur in Ecclesia persoluere Episcopus. 57.435
An Officium diuinum teneatur publicè recitare Parochus ratione sui officij. ibid.438
Officium Diuinum, vide verb. *Beneficiatus, Beneficium, Clericus, Hora Canonicæ.*

Omen.

Omen quod diuinationis species dicitur quodnam intelligatur? 70.534

Onirocritica.

Onirocritica quæ inter diuinationis species enumeratur quę sit. 70.534

Opinio.

Opinio temeraria ex suo genere an sit peccatum mortiferum. 384. 201.& 202

Opus.

Opus seruile quodnam dicatur. 193.10
Opus seruile quotuplex admittatur. ibid.11
Opus Religiosum commendabile est. ibid.
Opus peccaminosum non est specialiter prohibitum in festis. ibid.12
Operis seruilis indifferentis quot sint species? ibid.13
Opera necessaria in curando proximo etiamsi seruilia sint, vel non, an sint prohibita? 194.14
Quenam seruilia opera in Dei cultum liceant, & quænam sint prohibita. ibid.15
Opera liberalia, quæ cultum Dei continent, an sint licita? ibid. 17
Opus seruile non est opus scribere. ibid. 18
At est imprimere libros. ibid.19
Itineratio non est opus seruile. ibid.20
Nec cursorum equestrium, vel pedestrium officium. ibid.21
Et quid de piscatione, & venatione voluptatis gratia. ibid.22
Quid item de militia actuali. ibid.23
Opera animæ in die festo permittuntur. ibid.24
Quatuor opera non seruilia iure prohibentur. 195.27

Opus seruile in die festo vnâ horâ sine necessitate exercere, an sit mortale? p.207.n.127
Opera communia liberis, & seruis in festo num prohibeantur? pagina 208. num. 132
Operi seruili dans in die festo trium horarum spatium an à lethali excusetur? p.224. num.178
Qui in opere seruili duas integras horas diei festi consumit an mortalis sit reus criminis? p.225. n.181
Opera seruilia causa pietatis exercentes die festo excusanturne à peccato? p.230.n.322 & seqq.

Oratio.

Oratio quid sit? p.2.n.6
Oratio est necessaria necessitate medij. ibid. num.7
Oratio est necessaria necessitate præcepti. p.3. num.8
Quo tempore orandi necessitas vrgeat? ibidem num.9
Orare an aptè possint peccatores? ibid. num.10
Orant pro nobis Beati, Angeli, & homines? ibid. n.11
Orat vt homo Christus Dominus. ibidem num.12
Orare pro Damnatis nefas. ibidem numero 13
Pro beatis ferme non oramus. ibidem numero 14.
Oramus salubriter pro defunctis. ibidem num. 15
Necnon pro omnibus Viatoribus. ibid.n.16
In Oratione quæ bona homini absolutè sunt peti possint? ibid. n.17
In Oratione peti possunt, si expediat, quæ sunt indifferentia ad bonum, vel malum? ibid.num.18
An in Oratione licitum sit interdum petere temporalia mala? ibidem numero 19
In Oratione diuitiæ, honores possunt peti, conditione eâ adhibitâ, si petenti expediat. p.4. num.20
Lethale est petere à Deo in Oratione rem obnoxiam peccato? ibidem numero 21
Venale est in Oratione petere lucrum ex ludo, si honestus finis desit. ibidem numero 22
Orationis vis ad impetrandum quæ? ibidem num.23
Oratio quotuplex admittatur? ibidem numero 24
Orationes publicæ quæ dicantur? ibidem numero 25
An Orationem ad animas purgatorij fundere possimus, & nos illis commendare? p.31. num.221
An Orare possint pro nobis animæ in purgatorio commorantes? ibidem numero 224
An sit necessum, vt pro te ipso exores, ad hoc vt infallibiliter impetres? ibidem numero 22[illegible]
Stantibus quatuor conditionibus, quas D. Thom. requirit ad Orationis efficaciam, an Deus petita ex iustitia concedat? pag. 32. num. 231
Oratio oblata pro pluribus quoad impetrationem, an prosit æquè singulis, ac si pro singulis offeretur? ibidem numero 234
An Orationis præceptum obliget, cùm per contritionem, aut Sacramentum ad gratiam nos volumus disponere? ibidem num.238
An Oratione vti teneamur, cum primum rationis vsus incipit? pagina 33 numero 240
Orationem fides antecedit. ibidem.
An Orationis præceptum instet, cum ex obligatione Sacrum audimus? ibidem numero 243.
Orationem omittens, quando orare tenetur, an peccet contra Religionem? ibid numero 247

Osculum.

Oscula amplexus, &c. mortalia sunt si fiant ex actus luxurioso intentione, vel ob oblectationem veneream. pagina 308. numero 64
Sunt eiusdem naturæ cum consummatis, vnde in confessione species distinguenda ibid.n. 65
Si fiant officij, vel moris patrij gratia peccata non sunt. ibidem numero 66
Si fiant ex veniali vanitate, ioco, &c. venialem culpam non excedunt. ibidem numero 67

P

Parens.

PArentum quot erga filios admittantur obligationes? p.233.n.12
Parentes possunt in quinque casibus filiis alimenta denegare? pagina 234. numero 13
Ad quæ Parens præcipuè teneatur? ibidem numero 14
Parens exponens filium, cum eum alere potest, teneturne ad restitutionem? pag.238. numero 44
An Parens teneatur filios, & filias spurias pauperes dotare, sicut naturali iure alere obligatur? ibid.n.47
Parentes tenenturne filios alere in studiis cœptis, quoad vsque illa absoluant? pagina 263. numero 219. & pagina 264. numero 220. & 221
Parentes tenenturne computare in partem, de qua libere disponere possunt, eas donationes, & moderatas eleemosynas quas minutatim in vita gessere ob damnum inde filiis resultans? pagina 351 numero 110
Parens, vide verb. *Filius.*

Parochus.

Parochus ratione sui officij tenetur officium diuinum publicè recitare? p.57.n.438

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E IV.

Paochus assistens matrimonio raptorum cum rapta nondum extra potestatem illius in loco tuto constituta, incurrat Concilij Tridentini pœnas? pagina 331. numero 263

Pater.

Patris ac Matris nomine quid veniat intelligendum? p.232.n.1

Patrimonium.

Patrimonium Sacrorum Ordinum an sit adducendum ad collationem, si attingat aliorum fratrum legitimam, & tertiam patris dotantis? pagina 263. numer. 216. 217

Peccator.

Peccatores an aptè possint orare? pag. 3. numero 10

Pensionarius.

Pensionarius cui nullum onus est annexum præter horarum recitationem, an possit aliquos fructus retinere ob obligationem ad deferendum habitum, & tonsuram? pag.55. num.423

Pensionarius non recitans officium paruum Deiparæ, an possit à Beneficiario pensionem accipere, & an possit ipse Beneficiatus eam retinere? pagina 56. numero 432

Periurium.

Periuri in iudicio à iuramento repelluntur. p.108.n.28

Periurij pœnæ quot admittantur? pagina 110. numero 42. 43. 44. & 45. Vbi enumerantur.

Periurus infamis iuris infamia priuaturne ipso iure Beneficiis acquirendis? pag.134. num.235

Periurium per quod periurus potest repelli à testificando in iudicio, an debeat necessario in iudicio probatum, tametsi de illo non sit lata sententia? ibidem numero 238

Physiognomica.

Physiognomica, quę inter diuinationis species enumeratur, quænam dicatur? pagina 70. numero 534.

Pius V.

Pij V. præceptum obligatne sub graui piaculo diebus singulis iuxta formam Breuiarij Romani recitare? pagina 38. numero 288

Placitum.

Placitum quid sit? pagina 195. numero 28

Pollutio.

Pollutionem directè intendere, aut procurare nunquam est licitum. pagina 306. numero 46

Quid de distillatione, quæ non est vera Pollutio. ibid. nu.47

Quid si semen in materiam venosam transiuit. ibid.num.48

Non tenetur quis impedire Pollutionem sua sponte venientem. ibidem numero 49

Pollutionem optare licet ob bonum finem naturalem. ibid. n.50

Non tenetur quis rem necessariam licitam, & honestam impedire, licet præuideat inde obuenturam Pollutionem. ibidem numero 51

Mortale est non abstinere à re illicita, otiosa, vel minus necessaria, si quis præuideat inde secuturam Pollutionem. ibidem numero 52

Quandonam Pollutio in somnis sit mortalis. ibid.num.53

Pollutio mutua inter mares, & fœminas quæ? ibid.n.54

Si Pollutio accidat alicui in plena vigilia, in qua effusionem potest reprimere teneturne id præstare? pagina 329. num. 241

An sit mortale deliberatè desiderare in vigilia, vt tibi vel alteri Pollutio eueniat in somno ob aliquem finem bonum? ibidem numero 244

Quando causa Pollutionis euenturæ in somnio est mortalis in genere luxuriæ, estne mortalis Pollutio eiuscemodi. ibidem numero 247

Vir coniugatus semine intra vas vxoris emisso, ab illa recedit, valde quidem affecta libidine, potestne, ipsa tactibus se ad Pollutionem excitare? pagina 330. numero 250

An Pollutionis secluso periculo possint coniuges delectari de copula cogitata? pag.335. num.293

Præbendatus.

Vt Præbendati sola assistentia satisfaciant, & vt à choro alium substituat, an consuetudine possit introduci? pagina 11. numero 100

Præbendati obligati ad canendum debent canere, & attendere ad ea quæ alter chorus canit. pagina 12. numero 103

Præbendatis quibus temporibus committantur expedienda Ecclesiæ negotia? pag.62. numero 477

Nùm priuilegium percipiendi fructus in absentia pro Præbendatis familiaribus Pontificis, ad familiares Cardinalium, & legatorum extendatur? p.63. nu.487. Et quid de iis qui subsunt seruitio, seu funguntur officiis regiis, vel supremo Principis? p.64. nu.490. Et quid de studentibus Theologiæ, aut iuri Canonico in celebri vniuersitate? ibidem numero 493

An

& Verborum.

An Præbendatus possit ex statuto facto à capitulo, vel ab Episcopo ex Capituli consensu, vltra tres menses Choro abesse, attamen distributiones tempore absentiæ respondentes percipere? pagina 67. numero 512

Præbendatus, vt absit à choro, cedit distributionibus, nec ob eius absentiam officium dimittitur, nec sine debita decentia celebratur, hicne choro non assistens peccet lethaliter? pagina 58. numero 442

Præbendatus choro assistens quomodocumque sine attentione lucraturne distributiones assistentibus concessas? ibidem numero 445

Præbendatus, submissa voce suam partem recitans, aut non recitans, sed attendens solum ad partem, quam alter recitat chorus, an lucretur dimidiam distributionum partem? pag. 59. num. 448

Num Capitulum percipiens distributiones, quas Præbendatus absens amittit, teneatur soluere pensionem, aut charitatiuum subsidium, super præfatas absentis distributiones impositum. pagina 60. numero 456

Præbendati infirmi, & impediti, & in vtilitatem Ecclesiæ occupati, lucranturne distributiones illas, quas absentes amittunt, ac si personaliter residerent? ibidem numero 459

In Prębendato grauis infirmitas, qui ante illam choro non solebat interesse, an efficiat eum presentem, vt fructus, & distributiones percipiat? pagina 61. numero 462

Prębendatus, qui extra locum residentię infirmatur, an lucretur distributiones, cum ex legitima causa abest? ibidem numero 465

Prębendatus excommunicatus vitandus fructus, & distributiones officio respondentes lucraturne, si horis celebrandis interfit? ibid. num. 468

An vacans euidenti suę Ecclesiæ vtilitati, extra locum Beneficij existens lucraturne distributiones? pagina 62. numero 471

Fructus, & distributiones debenturne Præbendato, qui occupatur in negotiis euidentem Ecclesię vtilitatem importantibus, si negotia extra officij tempus valeant rectè expediri, ille vero tempore officij celebrandi expedit? p. 92. n. 474

Prædictio.

Prędictio ex astris non certa, sed probabilis tantum de futuris, & occultis an sit licita? p. 72. n. 551

Prędicere ex astris futura contingentia probabiliter, an sit certò motu proprio Sixti V. interdictum pro foo interno? p. 73. num. 554

Prędictio dubia tenuissima futurorum contingentium, an sit pro foro externo in motu proprio Sixti V. contenta? ibidem numero 557

Prælatus.

Prælatus Regularis an possit omnia Religiosi subditi vota irritare? pag. 182. num. 596. & 597

Prælatus Regularis potestne potestate ordinaria, in Nouitiorum votis dispensare? p. 184 numero 613

Præstigium.

Præstigium, quod vocitatur diuinationis species, quodnam dicatur? pagina 70. num. 594

Præstimonium.

Præstimonium est beneficium cui recitandi subest obligatio. pagina 5. numero 34

Princeps.

Principium decem peccata enumerantur. pag. 236. num. 33

Proximus.

Proximum defendere non semper tenetur quis eum vitæ propriæ periculo. pagina 267. num. 18

Ex charitate tenemur proximi vitam, & fortunas tueri, aliqui ex iustitia tenentur. ibid. num. 19

Proximo crimen falsum affingere licetne, ad torturam in iudicio, vel extra illud graue damnum vitare? pagina 374. numero 130

Puer.

Pueri statim, ac vsum rationis attigerint tenenturne prępcepto obseruandi festa? p. 203. num. 89

Pueri ante septennium rationis vsu pollentes, an teneantur dies festos obseruare? ibidem numero 92

De Puero aliquo dubitatur num vsu polleat discretionis, hicne tenetur, festos dies obseruare, si septennis non sit? ibidem numero 95

R

Raptus.

RAptus quidnam sit? pagina 304. numero 37

Ad Raptum quot requirantur. ibidem numero 38

Abductio sponsę per verba de futuro consentientis est aliquando Raptus, aliquando non. p. 305. n. 39

Contra Raptorem pœnę Ciuilis iuris. ibidem numero 40.

Pœnę iuris Canonici. ibidem numero 41

Pœnæ

Pœnæ iuris noui Tridentini. ibidem numero 42

Decretum Tridentini solum comprehendit Raptum, qui fit causa matrimonij ineundi. ibid.n.43

Vt contra Raptores fœminarum incurrantur pœnæ iuris Canonici,& Tridentini, sit necesse vt fiat Raptus causa matrimonij, & sufficiat fieri causa libidinis.pag.330.n.251. & 252

Mulier rapiens aliam mulierem libidinis causa, an sit pœna ordinaria iuris punienda? ibid n.254.255

Masculus rapiens masculum causa libidinis estne ordinariæ legis pœnæ obnoxius?p.331 num.257.258

Parochus assistens matrimonio Raptoris cum Rapta nondum extra eius potestatem in loco tuto, ac libero posita,an incurrat pœnas Tridentini Concilij,& Cap.fin.ibidem num.263

An sit Raptus pœnis Concilij, & iuris communis obnoxius, si fœmina sui iuris consentiat, quamuis Raptor impedientibus vim inferat? ibidem numero 266

Raptus ille in quo fœmina rapta consentit, parentibus illius raptum planè ignorantibus, quomodo puniendus? pag. 332. numero 269

Si Raptui fœmina consentiat inuitis parentibus, an Raptor subsit Tridentini pœnis? ibid.num.272

An Raptum comprehendat pœna Concilij,in quo fœmina virum abripit renitentem, vt secum ineat matrimonium? ibidem numero 275

Recitatio.

Recitatio, vide verb. *Beneficiatus, Beneficium, Clericus, Officium Diuinum, Religio, Religiosus.*

Religio, Religiosus.

Religio vndenam dicatur? pagina 2. numero 1

Religionis definitio, quæ? ibidem numero 2

Religionis obiectum, quod? ibidem numero 3.

Quomodo Religio ab aliis virtutibus distinguatur. ibid. num.4

Actus aliarum virtutum ad Religionem spectare possunt. ibidem numero 5

Religiosi tenentur officium recitare ex iure Ecclesiastico. pagina 5. numero 29

Religiosi professi deputati Choro recitare tenentur ex consuetudine præscripta. pag.6. num. 52

Nullus Religiosus particularis sub graui culpa adstringitur horas in choro celebrare.p.11. num.96

An Religio, qua Deus colitur distinguatur à Religione, qua sancti coluntur? p.30. num. 218.

An contra Religionem peccet, qui omittit orationem,quando orare tenetur? pag. 33. num. 247

Religionum consuetudo recitandi horas Canonicas,an obliget sub graui piaculo Religiosos,ne illas omittant? pag. 36. numero 275

Religiosus ex dispensatione Pontificis extra claustrum degens, nùm teneatur horas recitare,si dispensatio in perpetuum sit? p.37 num.276.& 277

Religiosi eiecti fugitiui, & ad triremes damnati,an teneantur recitare? ibid.num.278. & 279

An Religiosus ordinatus ad titulum patrimonij possit officium recitare, secundum formam quæ illi magis libuerit? p.38. num.285

Religiosus potens recitare alia formula præter eam quæ Breuiario Romano præscribitur, an possit illa omissa, per Breuiarium Romanum recitare? ibidem numero 291

Religiosi exempti vtentes Romani Breuiarij formula, nùm possint sese Diœcesanis festiuitatibus conformare, omisso officio feriæ, vel sancti, quod à Romana Ecclesia die illa præscribitur. pag. 39. numero 247

Religiosorum actus, qui possunt esse materia voti,in quotuplici existant discrimine?p 117. num.86

Religiosorum omnia fermè vota quam tacitam conditionem includant? ibidem num.87

Religiosorum vota Prælati possuntne irritare, aliquo dempto? pag. 118. num. 92

Si Religiosus vult votum reale suum professione non extingui, an teneatur hæres implere? p.168.n.494

Religiosi exempti tenenturne obseruare festa, non ex Episcopi præcepto, sed ex consuetudine inducta? pagina 206. numero 112

Religionem non potest ingredi filius, parentibus extremè egentibus. pag. 233. numer.7

Quandonam è Religione teneatur egredi filius professus ad subleuandos parentes?ibid. num.8

Quomodo se debeat in sæculo gerere egrediens è Religione ad leuamem parentum? ibid. num.9

Religiosi possuntne ad temporariorum bonorum defensionem raptorem occidere?p.277 num. 93

Religiosus nolens aufugere dum potest, si in inuasorem recidat teneturne restitutionem facere? p.294.n.221

An Religiosus professus delinquens contra sextum præceptum admittat duplex Sacrilegium, alterum contra ordinem Sacrum, alterum contra votum solemne castitatis? p.322.n.181

Religiosus professus violans castitatem, an satisfaciat confessioni dicendo,se habere castitatis votum,haud declarando esse solemne? pag.323.n.184

Quan

Quandonam Religiosus ex bonis monasterij accipiens lethaliter delinquat? pag. 341. num. 32. & 33.
Ea quantitas est necessaria ad Religiosi lethale furtum, quæ sufficit in sæculari ad materiam grauem furti constituendam. ibidem num. 34
Religiosus non delinquit grauiter in comestibilium furtis. ibidem numero 35
Quî si ex aliis monasterium dedat. ibidem num. 36
Religiosus est computandus circa hæc cum filiofamilias mediocriter diuitis parentis. ibidem num. 37
In Religiosorum furtis ex monasterij bonis estne peccatum lethale minor quantitas, quam necessaria est ad lethale in filiorumfamilias furtis? pagina 354. numero 132
Religiosus minutatim furto accipiens quantitatem quinque vel sex Regalium, quæ furtum graue constituit an peccet lethaliter mox, ac vltimo furtiolo eam quantitatem attingit? ibidem numero 135
Religiosus expulsus acquirens sibi, cuinam acquirat, an sibi, an monasterio? p. 355. num. 142
Si Religiosus eiectus aliquid in illicita expendat, ille qui ab eo accepit teneturne ea monasterio restituere? pag. 356. numero 145.
An Religiosus sit furti reus, qui volenti sibi aliquid notabile largiri, orat, vt alteri sui contemplatione donet? ibid. num. 146. & 147

Reliquiæ.

Reliquiarum adoratio quæ? pagina 19 numero 149
An licitum sit crucem Reliquiis non approbatis ornatam in altari adorandam proponere? ibidem numero 158
Cum Reliquiæ ab vna ad aliam diœcesim transferuntur, quid debeat Episcopus recipiens agere? ibidem numero 151
Reliquias Sanctorum collo gestare, an sit licitum? pagina 79. num. 600. & 601
Reliquias in collo gestando peccatum admissum, si id non sit directè contra cultum eis debitum, an habeat specialem malitiam necessariò fatendam? pagina 80. numero 606
An Reliquias alicuius Sancti antiqui nondum Canonizati possit approbare Episcopus, vt publicè venerentur? pagina 90. numero 681
Reliquiarum venditionem prohibetne Tridentini decretum, & an prohibeat amplius, quam venditionem earum simoniacam? p. 91. n. 685
An furtum sit Sacrilegum Reliquias surripere authoritate cuiuscumque Sacer, & custodia Reliquiarum est commissa? pagina 91. numero 689
Contra Reliquiarum fures qua sit lata excommunicatio? p. 91. nu. 692
Reliquias tangere, aut contrectare licetne clericis in minotibus constitutis? ibid. num. 695
Qui Reliquias quas Agnos Dei vocant venales exponit, an excommunicationis pœnam incurrat? ibidem numero 701
An in Reliquiarum furto detur materiæ paruitas. p. 343. n. 51

Res.

Rem alienam inuadendi septem assignantur modi. p. 265. nu. 13

Restitutio.

An ad Restitutionem teneatur is, qui interimit eum, qui paulo post erat naturalem, vel iustam mortem subiturus? pagina 271. numero 49
Ad Restitutionem tenentur hæredes homicidæ, si homicida reliquit bona libera, in quibus hæredes successerunt. pagina 272. numero 50
Ad nullam Restitutionem tenetur homicida, quando læsus, vel eius hæredes debitum omne remittunt. ibidem numero 52
Restituere tenetur vnum occidens, iudicans alium esse. ibid. num. 53
Ad Restitutionem tibi imputabitur homicidium irrogatum per mancipium, vel animal tuum. ibidem numero 54
An ad Restitutionem integram teneatur qui inuasorem occidit excedens iustæ tutelæ moderamen? pagina 293. numero 209
An ad Restitutionem teneatur si quis suarum rerum quas posset postmodum iudicialiter recuperare occidat inuasorem? ibidem numero 212
An Restitutio sit facienda pro vita, aut membri priuatione, deformitate cicatrice hominis liberi? pagina 296. numero 236
Vt Restitutio famę obliget quot requirantur? p. 365. num. 76
Ad Restitutionem famæ tenetur, qui eam abstulit, & damnorum quæ fuerint in Infamia subsecuta. ibidem numero 77
Quandonam Restitui debeat fama cum vitæ periculo? ibidem numero 78
Restitutio debet fieri in bonis, in quibus quis proximum læsit. pagina 367. numero 79
Ad Restitutionem non tenetur infamatos, quando infamatus suis bonis actibus famam recuperauit. ibidem numero 80
Qui non potest Restituere famam, num teneatur semper illam pecunia compensare? ibidem numero 81
Hæres infamatoris non tenetur loco defuncti.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E. IV.

ad famæ ab eo ablatæ restitutionem. ibid. num. 83
Famam restituendi modus conueniens quis? ibid. n. 83.
Quot causæ excusantes à famæ restitutione annumerentur? ibidem numero 84
Restitutio, vide verb. *Horæ Canonicæ, Beneficium, Fama, Infamia.*

Reuelatio.

Reuelatio lethalis est secreti tibi cogniti in graue nocumentum cedens. pagina 361. numero 35
Non sic si reueles vni vel alteri quos noueris celaturos. ibidem numero 36
Reuelandi secreti iustæ exprimendæ veniunt causæ. ibid. n. 37
Reuelare non licet etiam ob tormenta Reipublicè, aut exercitus secretum. pagin. 362. numer. 38
Qui iniustè secretum graue Reuelat ad restitutionem tenetur. ibidem numero 39
Lethaliter peccat qui reuelat literas, vnde notabile scit damnum oriturum. ibid. num. 40

Reus.

Reus sciens Prætorem ad se capiendum aduentare, potestne licitè eum expectare, & in aperto carcere fugam omittere, morti addicendus? pagina 280. numero 123

S

Sacrificium.

Sacrificium quid sit? pagina 19. numero 152
Sacrificij quæ conditiones? ibidem.
Sacrificare quod verbum? ibidem.
Sacrificium quæ actio dicatur? ibidem.
Sacrificare verbum quid significet? ibidem.
Sacrificium Deo debetur iure naturæ. pag. 20. num. 153
Sacrificium in lege veteri, & naturæ multiplex. ibidem num. 154
Sacrificium vnicum in lege noua. ibidem.
Et quod? ibidem.

Sacrilegium.

Sacrilegium quid sit? pagina 28. numero 208
Sacrilegij tres species distinguuntur. ibidem numero 209
Et admittuntur. ibidem.
Sacrilegium contra personas Sacras quot modis possit contingere? ibid. nu. 210
Sacrilegium contra loca sacra quodnam dicatur? ibid. n. 211
Sacrilegium patratur quoties id fit, quod iure prohibetur gerendum? ibidem numero 212.
Sacrilegium contra res Sacras quodnam dicatur? p. 30 n. 215
An sit Sacrilegium simonia? p. 101. num. 771
Sacrilegium nùm sit legatorum retentio? ibid. num. 775
An sit Sacrilegium furtum, & rapina bonorum titulo Ecclesiastico acquisitorum? pag. 102. num. 778
An sit Sacrilegium cuiuscumque voti violatio. ibid. n. 782
Irreuerentia in Eucharistiæ Sacramentum, an sit irreligiositas alia à Sacrilegio distincta? p. 103. n. 776
Quid Sacrilegium in materia luxuriæ, & quot modis fiat? p. 107. nu. 59
Quid nomine loci sacri hac in materia intelligatur? ibid. num. 60
Sacrilegium hoc ex suo genere est lethale. ibid. num. 61
Per libidinosum desiderium non fit Sacrilegium ex loci Sacri Religione. ibid. numero 62
An Sacrilegium duplex admittat Sacerdos simul ac Religiosus professus delinquens contra sextum præceptum, alterum contra ordinem Sacrum, alterum contra votum solemne castitatis? pag. 322. num. 179. & 180

Sacrum.

Cum Sacrum audimus, an instet orationis præceptum? pag. 33. n. 243

Salutator.

Salutatorum munus an sit damnandum, vt superstitiosum? p. 83. n. 625
Salutatorum virtus licite id munus obeuntium, an sit naturalis, & non gratia gratis data? ibid. n. 628

Sanctus.

Inter numero Sanctorum addictos, & nondum ad eum numerum relatos Sanctos differentia. p. 28. n. 144
Sanctorum nondum canonizatorum cultus priuatim permittitur. ibidem numero 145
Cultus publicus eorum prohibetur. ibidem numero 146

Satisfactio.

Satisfactio, vide verb. *Contumelia.*

Secretum.

Secretum quid? pagina 361. numero 34
Obligatio seruandi secretum an oriatur ex iustitia, non ex fidelitate? pagina 374 numero 134

Quando

Qaando quis secretum alicuius accepit per vim, aut fraudem, potestne ad vitandum irreparabile suum damnum detegere. 376.147
Secretum, vide verb. *Reuelatio.*

Sententia.

Sententia quælibet strepitum iudicialem requirens, aut cum strepitu iudiciali coniuncta prohibita est in die festo. pag.195. num.30
Sententia criminalis lata in die non festo an possit in die festo executioni dari. 221.245
Sententia excommunicationis suspensionis, & interdicti an sit valida lata in diebus festis? ibidem numer.248
Post Sententiam latam quâ vxor declaratur hæretica, potestne eius vir Sacris ordinibus manens in sæculo initiari: sicut potest, si velit ad Religionem transire ea inuita, & renitente? p.250. num.126

Seruus.

Serui captiui possuntne licitè sese ipsos à suis dominis furari, siue fugere in patriam, aut in alia loca, vbi libertate potiantur. pagina 353. numero 126
Quando constat dominis seruos ad suos aufugere possuntne licitè ob id ab eis puniri? ibid.127.& 128

Simonia.

Simonia an sit Sacrilegium? p.101. num.771.

Spatulamantia.

Spatulamantia, quæ diuinationis species nominatur, quæ dicatur? pagina 70. numero 534

Sodomia.

An Sodomia sit propriè, cum vir cum fœmina, etiam propria vxore, rem habet in vase præposteró? pag.323.nu.189 & 190
Patiens in Sodomiæ crimine teneturne in confessione exponere fuisse patientem? pagina 324. numero 194
An incidat in reseruatum Sodomiæ casum fœmina cum altera fœmina ita congrediens, vt masculi gerat vices, & effusio seminis intra vas naturale sequatur? ibidem numero 195 196.197
Sodomiam exercens vir cum fœmina an sit reseruationi obnoxius. ibid.n.198.199 & 200
Patiens inuoditurne in casu Sodomiæ reseruato? ibidem numero 203
Qui Sodomiam in vase præposteró inchoat, sed postmodum semen extra vas profundit incidítne in reseruationem. 325.206
An in Sodomiæ reseruationem incidant impuberes? ibidem numero 209
Qui cum Virgine copulam Sodomiticam gesserit, teneturne Virginitatis circumstantiam in confessione aperire? ibidem numero 212
Qui Sodomiticè delinquit cum baptizato à se, vel cum eo, quem Sacro leuauit ex fonte, vel cum adoptato in filium, teneturne in confessione hanc exprimere circumstantiam? pagina 326. numero 215
An in Sodomitica copula circumstantia incestus sit distinctione graduum explicanda in confessione, at an sufficiat dicere, Sodomiticè cum affine vel consanguineo deliqui? ibidem numero 218

Sors.

Sors quid sit? pagina 21. numero 166
Sortis species quot admittantur. ibidem.
Sors consultoria quæ dicatur? ibidem.
Sortis diuisoriæ quenam definitio. ibidem.
Sors diuisoria quibus in rebus sit licita? pagina 22. numero 166
Sors diuinatoria quæ? ibid.
Sortes consultoriæ raro sunt licitæ. ibidem.
Sortes consultoriæ quibus conditionibus possint esse licitæ? ibidem.
Sortes propriè quid sint? pagina 74. numero 562
Sortes quotuplices admittantur. ibidem.
An Sortibus diuisoriis liceat terminare electionem, cum duo æquali electorum numero ad beneficium sunt electi. ibid. num.565
Sortibus diuisoriis licetne vti ad terminandas lites inter clericos circa electionem ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum? pagina 75. numero 569
An Sortes diuisoriæ iure naturali interdicantur in electionibus Ecclesiasticis. ibid. num.572
Electio ad Ecclesiastica officia per sortes diuisorias, an sit ipso iure irrita? pagina 76. numero 575
Sortes consultoriæ an sint licitæ. ibid. num.578
Aduersus Clericos sortibus diuinatoriis vtentes, an sit lata excommunicatio? pagina 77. numero 582

ESCOBAR
Theol. Mor:
Tom. III. IV.
Fol.

Index Rerum,

Strix.

Striges seu lamiæ, an verè corporaliter aliaquando in loco ac nocturnos conuentus transferantur? pagina 78. numero 594

Stuprum.

Stuprum quid? pagina 304. numero 30

Tenetur an vxorem ducere eam quam stuprator per vim aut fraudem violauit? ibidem numero 31

Stuprator ad nullam tenetur restitutionem, si puella libere consensit. ibidem numero 32

Nec aliquid tenetur parentibus reddere. ibidem numero 33

Delectationes morosæ Virginis circa Virginem non habent specialem malitiam in confessione aperiendam. ibidem numero 34

Potest alia in esse malitia in stupro de consensu puellæ commisso. ibidem numero 35

Quonammodo non peccabit fœmina à viro violenter cognita. ibid. numero 36

An detur Stuprum, quando Virgo consentit in defloratione sub cura parentum existens? pagina 316. numero 126. & 127

An Stuprum committatur etiam in viduam honestam. ibidem numero 130

De iure canonico an sit cogendus Stuprator Virginem defloratam dotare, si velit verborum pœnam sustinere? ibidem numero 133

Num Stuprator teneatur parentibus Virginis defloratæ aliquid pro iniuria illata restituere? p. 317. nu. 138 & 139

Puella vi defloratà teneturne stupratorem æqualis qualitatis paratum acceptare in maritum, at potestne dotem postulare? ibidem num. 143 & seqq.

Subdiaconus.

Subdiaconus suæ ordinationis die, tenetur totum diuinum officium recitare. p. 42 n. 520

Subdiaconus die qua in Sacris constituitur, an teneatur vllas illius diei horas recitare. ibidem numero 315

Si quis subdiaconatu susceptò, nequeat ob exentiam breuiarij, vel alias ob causas officium recitare, tenetur alias preces æquiualentes persoluere? p. 34. 328

Subditus.

Subditi erga principem quot obligationes admittantur? pag. 136. numero 30

Erga subditos in multis tenetur vicissim princeps. ibid. n. 32

Superior.

Superiores peccant ne lethaliter, qui subditis reuocant licentiam datam ad vouendum, factâ promissione non reuocandi? p. 175. n. 546

Superioris taciturnitas & dissimulatio sufficitne, voto emisso cognito, vt censeatur licentiam seu consensum, vel approbationem impertire. pag. 176. numero 550

Si Superioris taciturnitati internus addatur consensus, esto vouenti subdito non manifestus, an sufficiat vt superior licentiam aut consensum impertire censeatur ibid. n. 553

Superstitio.

Superstitio vndenam nomen sortiatur? p. 20. n. 155

Quot superstitionis species admittantur. ibid. n. 156

Superstitio ratione rei cultæ in quot alias species diuidatur? ibid. numero 157

Superstitio, quæ dicitur falsus cultus quodnã sit peccatum. ibid. numero 158

Ad Superstitiosum effectum dignoscendum quot admittantur regulæ. p. 25. num. 186

An sit superstitio die Dominica ieiunare. p. 69. n. 527

An an Superstitionem pertineat omnis diuinatio siue tacita siue sit expressa? p. 71. n. 5431

Superstitio vanæ obseruantiæ quæ dicatur. p. 78. n. 591

Superstitio vanæ obseruantiæ cum solum est pactum cum Dæmone implicitum, seu tacitum, an possit esse venialis ex materiæ paruitate? pagina 79. numero 596. & 597. vbi numero 598. Auctoris placitum affertur. ibid.

An à Superstitione vsus excuset scindentes venas iumentorum in alicuius Sancti solemni, aut colligenes herbas, aut his similia facientes. 80. 610

An Superstitionis suspicionem subleant Missæ, quæ de Amador, aut D. Gregorij nominantur? pagina 81. numero 618

An Superstitiosus sit vsus imaginum, numerorum & figurarum astrologiæ artificialium ad quosdam miros effectus. p. 84 n. 632

An Superstitiosus sit alchimiæ vsus, ad verum aurum & argentum ex inferioribus metallis conficiendum. ibid. numero 635

Num sit aliquid superstitionis fumo hypericontis, rutæ, cornuum, Stercoris caprini dæmoniacum ab Exorcista defatigari? pagina 89. numero 667

Suspicio.

Suspicio, iudicium, & dubitatio quid discriminis inter se habeant. 365.67
Suspicio, dubitatio, & iudicium aliud prudens, aliud imprudens ac temerarium. ibid.68
Sunt subiectiuè in intellectu. ibid.69
At requirunt voluntatis consensum. ibid.
Licet Suspicari & iudicare de proximo, vbi sufficiant indicia. ibid.70
Temere Suspicari suo ex genere est veniale. 366.73
Suspicio temeraria, quæ scilicet ex leuibus habetur indiciis, ex suo genere & obiecto estne peccatum lethale? 383.200

Susurratio.

Susurratio quid? 363.51
Susurratio quale sit peccatum. ibid.
Susurratio est grauius peccatum detractione & contumelia. 365. eodem n.51
Quotuplici ex capite Susurratio possit esse venialis. ibid.52
Susurratio materialis est aliquando lethalis aliquando venialis. ibid.53
Susurratio potest esse opus Virtutis. ibid. n.54
Susurratio est aliquando cum detractione coniuncta. ibid.55
Susurratio distinguitur à contumelia & detractione. ibid.56
An omnes Susurrationes eiusdem sint speciei. ibid.58
An per Susurrationem liceat alium excludere ab amicitia quam ipse tibi ambis inire cum Principe. 380.168
Susurrationis peccata differuntne specie propter diuersitatem amicitiæ quam turbant? 381.174

T

Tactus.

TActus seu aspectus inhonestarum proprij corporis partium, quandonam veniale tantum sit? 308.68
Tactus nudi & aspectus minus pudici diuersi sexus mortales esse iudicantur, licèt ex curiositate fiant. ibid.69
Non sic si sit idem sexus. ibid.70
Tactus inter coniuges qui debeant esse. ibid. n.75
Quidnam inter sponsos? 309.76

Tentario.

Tentatio Dei quid sit? 27.102
Tentatio Dei quotuplex admittatur. ibid. n.103
Tentatio Dei expressa vel tacita quæ? ibid.
Tentatio Dei formalis peccatum lethale. ibid.104
Tentatio Dei est mortalis, te martyrio offerre. ibid.105
Et prædicare sine præuentione sperans quid à Deo accepturum, si fiat animo Deum tentandi. ibid.
Ratione inconsiderationis, & ignorantiæ veniale est. ibid.
Tentandi Deum quænam sit iusta causa. ibid.106
An Tentatio D[illegible] expressa vel tacita, explicandum in confessione? 28.107
Tentatne Deum qui miraculoso effectu vult, vt Deus suam voluntatem manifestet circa aliquem futurum euentum. 93.706
Tentatio interpretatiua aut virtualis Dei absque infidelitate contingens, num possit venialis esse culpa ex paruitate materiæ? 94.710

Testamentum.

Testamenta conficere extra necessitatem in die festo an sit licitum? 195.26
Testamentum patris filius implere tenetur. 233.10

Testis.

Testes in die festo nullomodo possunt examinari. 195.33
Testium examinatio, si iuramentum non adsit, an licita ac valida sit in die festo. p.220 n.235

B. Trinitas.

Beatissima Trinitas quo cultu sit adoranda. 17.139

V

Vassallus.

VAssalli obligatio circa vectigalium solutionem quæ? 236.51

Vir.

Viri erga vxorem obligatio quæ? 236.37

Virginitas.

Virginitas vnde nomen sortiatur? 309.84
Ad Virginitatem quæ requirantur. ibid.
Denotat castitatis statum. ibid.
Virginitatis statum coniugali præferri de fide est. 310.85
Virginitas quot modis amittatur. ib.86
Quonammodo amittatur recuperabiliter? ibid.87
Quonammodo irrecuperabiliter. ibid.88

Vita.

An Vitam propriam exponere pro amici Vita conseruanda liceat. 279.110
Licetne propriam vitam pro honore, aut facultatibus amici exponere? ibid.112.& 113
Vitam licetne abbreuiare vigiliis, ieiuniis asperitatibus, &c. 281.128

Votum.

An Voti cuiuscumque violationi subsit aliquid Sacrilegij. 102.781
Votum quid sit. 111.57
Qui vouet animo se obligandi Deo, sed non exequendi voto obligatur? ibid.58
Ad Votum requiritur voluntatis consensus. ibid.59
Votum editum ex ignorantia nulliusne sit roboris? at duplex ignorantia distinguenda. ibid.60
Votum proprie loquendo debet soli Deo fieri. 113.61
Voti materiæ quæ prima conditio. ibid.62
Quid autem secunda. ibid.63
Finis est vna ex præcipuis circumstantiis quæ votum assolent vitiare. ibid.64
Et quotuplex admittatur. ibid.
Opera bona alias præcepta possunt esse voti materia ibid.65
Votum rei bonæ, sed propter finem temporalem seu indifferentem an sit validum. ibid. 68

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. I. V.

Voti tertia conditio quæ. 114.67
Voti materia non, est ordinariè matrimonium. ibid.68
Quod promisisti, implere teneris, imo in Ecclesiæ foro externo foro ad id potes compelli. ibid.69
Voti transgressio ex genere suo mortalis ratione materiæ paruæ venialis efficitur. ibid. n.70
Votum in dubio interpretandum est secundum naturam, & conditiones rei promissę. ibid.71
Votum cum temporis determinatione editum debet eo tempore impleri, si autem tempus non præfigatur, cum primum possit. ibid. n.72
Voti obligatio personalis est, & non ad aliam personam transit. ibid.73
Vota realia defuncti, non autem personalia hæres exequi tenetur. 115.74
Quotuplex admittatur votum. ibid.75
Reale Votum quid. ibid.
Votum personale quodnam dicatur. ibid.
Quid item mixtum sit? ibid.
Votum Pœnale quod. ibid.76
Votum Pœnale quot modis possit emitti. ibid.
In voto verè pœnali tria deducuntur. ibid. n.77
Votum conditionatum quodnam sit. p.116. n.79
Votum conditionatum imperfectam, & suspensam continet obligationem. ibid.
Vouens non peccat si aliquam conditionem cuitet, ne voti contrahat obligationem ibid.80. & 81
Vouere valide potest omnis homo viator habens rationis vsum. ibid.82
In quibusdam Votis certam formam requirit Ecclesia, quâ non obseruatâ, sunt irrita. 117.83
Non sunt firma Vota cadentia in alienæ potestatis præiudicium. ibid.84
Quotuplex sit Voti dependentia à voluntate alterius personæ, erga quam est obligatio vel subiectio. ibid.85
Actiones Religiosi, quæ possūt esse Voti materia in quotuplici sint differentia. ibid. 86
Omnia fere Religiosi Vota quam tacitam cōditionem includant. ibid.87
Voti obligatio quo modis tolli possit. ibid. n.88
Et hinc varias resolutiones eliciuntur ab Authore. 118.89
Quonammodo Votum cadat ad irritationem. ibid.90
Qui Vota impuberum possint irritare. ibid. n.91
Vota Religiosorum à Prælatis irritari possunt aliquo excepto. ibid.92
Vota mariti aliquando valet irritare vxoris. 118.93
Si Superior Voto irritato mutet voluntatem, non idcò Votum reualidatur. ibid.94
Nullus eorum, qui Vota subditorum possunt irritare ea valent irrita facere, quæ facta sunt ante subiectionem. ibid.95
Non potest irritare superior Votum quando dubitatur, num factum fuerit ante subiectionem. ibid.96
Potest irritare superior post libertatem subditi Votum emissum in subiectione. ibid. n.97.
Et Votum confirmatum à Prædecessore, æquali, vel inferiore. ibid.98
Quonammodo Vota indirecte irritentur. ibid.99
Potest mater & tutor post pubertatem irritare filij aut pupilli vota, quæ eorum officiunt potestati. 119.100
Quæ vota non possint superiores indirectè irritare. ibid. 101
Voti commutatio ritè fiat, quid requiratur. ibid.102. & seq.
Voti extinctio per dispensationem quæ? ibid. n.107
Cum causa non sufficit ad dispensationem integram votum partim potest commutari, & partim dispensari. ibid.108
Potestas dispensandi extenditur etiam ad Vota iurata. ibid.109
Ante Voti acceptationem potest dispensari aut commutari. 120.110
Circa Vota dispensandi potestas, ad quos ęqueniat, & ad quos non. ibid.111
Vota reseruata Pontifici quæ? ibid.112
Vota commutandi & dispensandi potestatem delegatam habentes, num etiam eâ potiantur ad dispensanda, & commutanda iuramenta. 146.319
An ad Votum sufficiat propositum exequendi rem honestam. 151.355
Quæ promissio Votum constituat. 152.359
An ad Votum sufficiat libertas, quę ad peccatum lethale sufficit. ibid.363
Num metus incussus ad Votum ipsum extorquendum, id annullet. 153.367
An Votum possit iure naturæ annullari aut ex iniuria, vel ex defectu libertatis? ibid. n.370
Votum metu coactum estne irritum Ecclesiastico iure. 154.373
Metus leuis, quando est causa, sine qua votum non emitteretur, an illud irritet. ibid.377
An Votum obliget, quando error non adest, voti tempore circa substantiales, is circunstantias, sed postea illæ mutantur. 155.381
An validum sit Votum non peccandi mortaliter, aut venialiter? ibid.385
Votum vitandi omnia peccata tam mortalia, quam venialia, quod non potest obligare ad totum, ad partem obliget? 156.388
An validum Votum quo quis promittit, quantum in se est omnia peccata venialia vitare. ibid.391
An Votum eleemosynam faciendi, si ex bello iniusto quis euadat incolumis, validum sit. ibid.395
An Votum valeat emissum in gratiarum actionem pro iniusta parta victoria, vel pro filio spurio nato. 157.398
Num Votum vitietur, quando emittitur pro rebus temporariis obtinendis, quæ ex se indifferentia sunt, nec à Vouente referuntur ad alium superiorem finem, quo honestentur, sed in illis solis sistitur. ibid. n.401
Votum potestne esse de rebus præceptis. 158.404
Votum non Vouendi ... ut validum. ibid.408

An

An Votum sit validum non petendi voti dispensationem. p.159 n.412
Ex Voto non petendi communicationem manentæ quis obligatus ad non petendam compensationem, vel irritationem. ibi. n.415
An sit Votum validum non ascendendi ad Episcopatum? p.160.nu.418
Votum valetne abstinendi à cibis delicatis, & ab honesta recreatione? ibid.n.421
Tenetne Votum perpetuo in Xenodochio inseruiendi, aut laxiorem ingrediendi Religionem. ibid.nu.424
Nùm Votum de matrimonio contrahendo validum sit, si fiat animo non consummandi, sed Religionem petendi. p.161.n.428
Votum de matrimonio contrahendo an sit validum, quando quis se experitur adeo ad carnis placula procliuem, vt vix possit se continere. ibid.num.431
An valeat Votum absolutè prolatum ducendi pauperem meretricem titulo pietatis, quod contineat eam conditionem, si aliquam ducturus sum? ibid.n.433.&434
Suntne valida hæc Vota, *Promitto me nullam Religionem ingressurum, nisi Societatis* IESV v.g. & his similia? p.162.n.438
Nùm ex sola vouentis intentione suppositâ materiæ grauitate, possit Voti obligatio limitari. ibid. n.442
An Voti obligatio sit solius fidelitatis? p.163. num.445
Potestne quis se obligare Voto ad solos actus externos, & non ad internos? ibid. numero 448
An qui Vouit recitare Rosarium satisfaciat alternatim recitando cum socio? ibid. numero 452
Quis Voto emisso, promisit in D.Iacobum, v.g. peregrinari, at mercede conductus, vel alterius negotij causa, istiusmodi iter suscipit, an satisfaciat voti obligationi? p.164.nu.455
Excusaturne quis à Voto ieiunandi sextis feriis, vel Sabbato, vel die alia, si hisce diebus dies Natalis Domini inciderit? ibid. numero 458
Voti executio potestne differri quousque vouentis conscientiam pro executione remordeat, si vouens tempus non determinauit? p.167.n.483
An si cum quis Votum emittit, se cognoscit impotentem fore ad illius executionem tenegatur per alium implere? p.168.num.490
Cum pluribus Votis realibus abstrictus est defunctus, nec hæreditas sufficit omnium solutioni, teneturne hæres pro rata dividere? p.169.n.498
Quando non constat quodnam Votum melius sit, aut quodnam prius fuit emissum à defuncto vouente, quid agendum hæredi? ibid.n.502
Nùm censeatur impleta hæc conditio, si declarato filij Voto, pater consentiat, esto postea dissentiat. ibid. n. 506
Voti conditio deberne in specifica forma impleri, & an sufficiat si in æquiualenti impleatur. p.170.n.509
De Voto Conditionato multa exponuntur. ibid.num.510
Voti conditionem [illegible] vel pabiliter impediens, teneturne voto, ac si conditio impleta esset. p.171.n.513
An per dispensationem, vel irritationem oblato primo voto fornicationem vitandi censeatur subtatum Votum de pœna ea incurrenda. ibid.n.517
Voti accessorij an necessariò debeat fieri mentio. ibid.n.518,&seq.
Votum quis emisit de vitando ludo, & casu quo non vitet de subeunda pœna, votum pœnæ an debeat intelligi de sola prima vice. p.172.n.524
An Vouens teneatur cum licentiam à Superiore postulat votum factum manifestare? p.172. n.528
An dolor de Voto facto sit veniale piaculum. p.173.n.535
Voti irritatio quotuplex admittatur. pag.174. numer. 536
Vota irritandi potestas an ortum habeat à naturali iure. ibid. n.539
Competitne Pontifici aliisque Ecclesiæ Prælatis directa vota irritâdi potestas. p.174.n.542
Circa potestatem irritandi Vota adducuntur nonnulla. p.175.n.543
De Votis ante pubertatem emissis quid veniat dicendum? pag 176.n.555. & p.177. numero 556
Irritatiua potestas an extendatur ad Vota emissa tempore subiectionis, implenda tamen subiectione dissoluta. p.177. num.567
Irritatiua directa potestas an extendatur ad Vota emissa tempore, quo vouentes sui iuris erant. p.178.num.569
Voti irritatio, & suspensio procedens à dominatiua potestate, an possit licitè sine causa concedi. p.179.nu.573
Voti irritatiua potestas an possit alteri delegari. ibid. num. 576
An possit maritus omnia vxoris Vota, durante matrimonio irritare. pagina 180. numero 579
Votum castitatis ab vxore absque viri consensu emissum, potestne ab illo irritari. ibidem numero 580 & 581
Votum mariti de non petendo debito, potestne vxor irritare. ibidem num. 586
De Votorum irritatione plura inuenies, p.181. & sequentibus à numero 587 ad 601
Si petens Voti dispensationem, illamque concedens, bona fide procedant existimantes causam adesse legitimam, an valeat dispensatio. p.183 n.602 & 604
In Vouendo lenitas, estne sufficiens dispensationis causa. p.184. n.609
Quinam habeant dispensandi Vota potestatem ordinariam. ibidem n.616
Nùm Votum illud sit reseruatum, in quod Votum reseruatum commutatum est. pag.185 num.615.& 616
Plura veniunt recolenda circa potestatem Prælatorum, inferiorum ad dispensandum in Votis reseruatis. ibid. n.618
Nùm concessa potestate dispensandi, eo ipso censeatur, concessa commutandi vota, potestas. p.187. num.621
An possit quis Votum in rem æqualem commutare propria authoritate. pag. 188. numero 632
Voti commutatio potestne fieri in paulo minus minorem materiam. ibid.n.634.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. I. V.

Index Rerum, & Verborum.

De Votorũ commutatione plura à p.188. ad 191
Vota longæ peregrinationis coniugis suntne ipsoiure irrita. p.249.n.116
Quis Voto solemni ac simplici alligatur, teneturne vtrumque per confessionem castitatis votum violatum explicare. p.183.num.185. & 186

Vsusfructus.

An Vsusfructum bonorum aduenticiorum filij amittat pater, per professionem ipsius in Religione approbatam? p.349.nu.93

Vxor.

Vxoris ergo virum obligatio quæ? p.237.n.38
Vxor vidua, quando mortuo viro, nulla suppetunt viri bona, teneturne ex bonis suis dotalibus, & arrhis soluere debita à viro contracta ad familiam alendam? p.252.nu.134. & 135
Vxor non plus insumens de bonis à marito per vsuras partis, quam quod congruam sustentationem sufficeret iuxta personæ propriæ qualitatem, teneturne de suis bonis satisfacere iis, quibus maritus per vsuras damnum egit, si ipse nihil habuit vnde solueret? ibid. nu. 139
Vxor nobilis teneturne præstare marito quæcumque vilia obsequia, ex iustitia, & vi contractus matrimonij, si licita sint? p.256. num. 166
Num vt Vxor virum aliàs sequi teneatur, requiratur, vt detur causa necessaria domicilium mutandi? ibid. n. 170
An Vxorem, quam dotatam duxit vir teneatur alere, si ob Vxoris culpam, vel hæresim publicata fuit, siue eam ad suum admiserit consortium? p.257.nu.173
Vxor non peccat auferens à marito nummos ne ludat, &c. p.340 num.22
Ad graue vxoris furtum maior quantitas requiritur. ibid. num. 23
Vxor grauiter peccat si notabilem summam abripiat inuito marito. ibid. n.24
Et maritus, si ex bonis propriis Vxoris eâ inuitâ capiat. ibid.n.25
Vxor potest dare eleemosynam iuxta loci, & conditionis consuetudinem, inuito marito. ibid.n.26
Vxor marito absente, vel fatuo potest bona expendere? ibid.n.27
Vxor potest aliqua subducere, si maritus sit prodigus compensationis causa. ibidem numero 28
Et inuito marito succurrere parentibus, vel filio ex alio marito indigenti. ibidem numero 29
Num Vxor delinquat contra obedientiam, si bona quæ iure potest contra expressam mariti prohibitionem expendat? pagina 349 numero 97
Vxor teneturne post mortem viri in suam referre partem, quæ ipso contradicente egenis parentibus fuit impertita? p.350.n.102. & 103

Z

Zahories.

ZAhories qui vocentur? p.73.n.558
An Zahories possint absque arte dæmonis ea videre, quæ se affirmant conspicere, p.74.n.561.

FINIS.



ESCOBAR
Theol. Mor:
Tom. III. IV.
F. IV.

ESCOBAR
Theol. Mor:
Tom: III. IV.
F. IV.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.



ESCOBAR

Theol. Moral.

Tom. III. et IV.

Th
862a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


ESCOBAR
Theol: Mor:
Tom: III. IV.
F IV.
15